EX *mandato regiæ Maiestatis vidi librum, cuius titulus* : Chronicon Generale Ordinis S. Benedicti à P. M. F. Antonio de Yepes compositum. *Me iudice plenus est eruditione auctoritate, religione scriptoris, qui par magnitudini argumenti, etiam atque etiam satisfecit expectationi. Iustum proinde est, vt regia Maiestas potestatem ei faciat imprimendi. Nihil enim veritati & sinceritati sacræ Religionis nostræ Catholicæ, vel bonis moribus aduersum complectitur. Immo maximam Lectoribus vtilitatem allaturum confidimus, cuiuscunque tandem Ordinis aut status fuerint. Hinc enimuero & spiritum & eruditionem haurire licebit, cum vitas & rara virtutum exempla multorum sanctorum filiorum D. Patris Benedicti contineat, cuius familia Matris instar cæterarum fere omnium Religionum, Ecclesiam tantis ac tam copiosis exercitibus auxit, & illustrauit. Nos igitur agnoscere docet (quod totus mundus debet) quantum huic Ordini ob filiorum sanctitatem debeamus. Insuper vel ideo quoque liber iste dignus luce est, quod eius auctor perspicaci ingenio res intricatas euoluat : ad veritatis libellam sagaciter examinet : eruditione plane præstet omnemque Historiæ Oceanum exhauriat : grauis vbique & modestus : vt facile intelligas studiose in vestigia Sanctorum ipsum ire, quos celebrat.*

Pompeiopoli in Collegio nostro Annunciatæ Soc. Iesu, 16. Decemb. An. 1607.

Franciscus de Prato.

APPROBATIO

Patris Magistri F. Mauri de Salazar, Abbatis S. Vincentij Salmanticæ.

PEr *commissionem & mandatum Reuerendissimi Patris Generalis, Magistri F. Antonij Perez, vidi primum Tomum Chronici Generalis Ordinis S. P. N. Benedicti compositum per P. F. Antonium de Yepes, in quo non tantum doctrinæ Catholicæ nil contrarium inueni, sed vtilitatem summam, eo quod intellectum erudiat, ac in fide confirmet : voluntatem vero ad perfectionem Christianam, vitamque religiosam amplectendam accendat, à mundi autem amore abducat. Cum igitur rara sanctitatis exempla, nec non singularia beneficia, quæ seruis suis benignus Deus contulit, in medium afferat auctor, opusque totum vetustissimarum rerum, ac variorum magnorumque casuum, qui tam in Ordine nostro quam extra contigerunt, iucunda narratione condiat, hisque stylus planus, modestus, argumento atque temperatus vna cum summo ad verum è tenebris eruendum studio accedat, quid enim is non ad Lydium lapidem acerrimo iudicio exigit? non tantum ipsi permittendum est, vt hunc Tomum in lucem edat, sed insuper animandus ac incitandus videtur, vt telamquam incepit, pertexat, cæteros quoque Tomos elucubrando ac typis subyciendo, è quibus Lectores non tantum voluptatem, verum etiam fructum capiant.*

Salmanticæ ad S. Vincentium 20. Augusti, an. 1607.

P. Mag. F. Maurus de Salazar, Abbas S. Vincentij.

PRI-

PRIVILEGIVM CAESAREVM GENERALE

FERDINANDVS SECVNDVS, Diuinâ fauente clementiâ, Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, &c. Comes Tyrolis, &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium vniuersis. Quod cum demissè Nobis exponi curarit Noster & Sacri Imperij fidelis dilectus Constantinus Munich, Ciuis & Bibliopola Coloniensis, diuersos sese libros, tum nouos, tum etiam antiquos, seu manu scriptos, in quibus indagandis nulli operæ & impendio hactenus pepercerit, communi rei literariæ bono, prælo subijcere decreuisse. Vereri autem, nè, quod malo suo, sæpius sit expertus, aliorum fraude ac dolo, qui primas istiusmodi editiones temerè & dolosè nonnunquam imitari consueuerint, ipse sperato laboris & impendij sui fructu ad alios [illegible] translato fraudetur; & ob id demissè à Nobis petierit, vt Priuilegio nostro Cæsareo sibi clementer consulere dignaremur; Nos huiusmodi precibus, vt quæ æquitate nitantur, & studiorum vtilitatem concernant, clementer annuendum duximus. Ideoque omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, & alijs quibuscunque librariam negotiationem exercentibus, firmiter inhibemus & vetamus, nè quis libros illos, cuiuscunque professionis, per memoratum Constantinum Munich imprimendos, intra proximum decennium, à prima cuiusque editionis die computandum, intra Sacri Romani Imperij, Regnorumque & Dominiorum nostrorum hæreditariorum fines, simili aut alioq nouis typo vel forma, siue in toto, siue in parte, recudere, aut alijs recudendos dare, vel alibi etiam impressos adducere, vendere, vel distrahere clam vel palam, citra voluntatem & consensum dicti Munich eiusue hæredum, præsumat. Si quis vero secus faciendo Priuilegium hoc nostrum Cæsareum spernere, negligere, aut transgredi ausus fuerit, eum non solum huiusmodi libris, perperam quippe recusis & adductis (quos quidem antedictus Constantinus Munich eiusue hæredes vbicunque deprehensos, siue propria authoritate, vel Magistratus loci istius auxilio, sibi vindicare poterunt) priuandum, sed & pœnâ insuper viginti Marcharum auri puri Fisco nostro Cæsareo fraudis vindici, sed & sæpedicti Constantini Munich eiusuè hæredum vsibus ex æquo pendenda, decernimus, omni spe veniæ sublatâ, plectendum. Dummodò tamen istiusmodi libri nihil in se scandalosum, aut orthodoxæ Religioni Catholicæ, Sacrique Romani Imperij Constitutionibus aduersum, vel bonis moribus contrarium, siue in præfatione, siue in textu, seu aliàs quocunq; modo, contineant, & ab Inquisitione ac Censore, lustrati accuratissimè & approbati fuerint, nec alius [illegible] iisdem libris antérius Priuilegium Impressorium a Nobis impetrauerit, Et dictus Bibliopola quaterna vt minimum cuiuslibet Operis exemplaria, proprijs suis sumptibus quam primum ad Cancellariàm nostram Imperialem transmittere teneatur, quatenus Priuilegio hoc nostro vti voluerit. Mandamus ergo vniuersis nostris ac Sacri Romani Imperij, Regnorumque & Dominiorum nostrorum hæreditariorum subditis, cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis ac præeminentiæ existant, tàm Ecclesiasticis quam secularibus, præsertim verò ijs, qui in Magistratu constituti, vel proprio vel superiorum nomine & loco, iuris ac iustitiæ administrationem exercent, nè quenquam Priuilegium hoc nostrum Cæsareum temerè vel impunè transgredi aut violare patiantur, quin potius contumaces, si quos fortè compererint, præscripta pœnâ plecti, alijsque idoneis modis coerceri curent, quatenus & ipsi eandem mulctam euitare maluerint. Harum testimonio literarum, manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei impressione munitarum. Datum in Ciuitate nostra Viennæ die secunda mensis Maij, Anno Domini Millesimo sexcentesimo vigesimo nono, Regnorum nostrorum Romani decimo, Hungarici vndecimo, Bohemici vero duodecimo. &c.

Ferdinandus.

Vt

à Stralendorff

Admandatum Sac: Cæs.
Maiestatis proprium

Gerh. à Zuvethen

CHRO-

CHRONICI GENERALIS ORDINIS S. P. N. BENEDICTI,

CENTVRIA PRIMA,

Quæ sanctißimi Magistri eiusque Discipulorum initia & incrementa complectitur.

Annus Christi 480. Annus S. Benedicti 1.

CAPVT I.

Quando in lucem ac auras editus sit Benedictus: & quanto bono Ecclesiæ Vniuersalis id factum.

Ostiens. l. 1. c. 1. Trith. de vir. illust. l. 1. c. 1. Ioan. Luc. de emendat. temp.

Sol nouus Occidenti oritur, Benedictus.



NNo ab ortu Christi Seruatoris nostri 480. ab ortu mundi (secundùm cōmunem calculum) 4437. ab V. C. 1232. Olympiadis trecentesimæ quadragesimæ anno tertio: Simplicio Pontifice Max. Basilio iuniore Coss. Romano Zenone Constantinopolitano, & totius Orientis Imperatore, noster gloriosus Pater Benedictus has luminis auras subiuit. Europa & Asia barbaro exterorum tenebantur imperio, pleri*s*que & melioribus Prouincijs in potestatem redactis, quibus olim Romani iura dabant. Demum infinitis hæresibus, nefarijs flagitijs, ac vltimis calamitatibus per terrarum Orbem flagrantibus.

Etsi diuina prouidentia omnia sint plena, nescio tamen quo pacto ea luculentius in Ecclesia Catholica: deinde in religiosis Ordinibus, eorumque primis Auctoribus elucescat. Ad exemplum esto S. Benedictus, quem Diuinum Numen, gratia sua prolixè instructum, quam plurimarum Familiarum Patrem constituit in Occidente, cuius non modo natalem diem, sed etiam Orbis tunc statum si inspicias, obstupescas. Etenim in profunda scelerum præcipitia passim ruebant homines, vt mente capros dixisses: ferro flammisq́, petebatur & populabatur Ecclesia: sursum deorsum agebat terras Mars insanus: virus per Christiana pectora diffundebant hæretici, palamq́; vulgabantur errores: verbo, in antiquam ibatur syluam, hoc est stygem: & hem! cœlo propitio caput ab Occidente, instar solis, sustulit Monachorum Patriarcha Benedictus: virtutum radios quaquauersum mox vibraturus: medicam manum fatalibus morbis adhibiturus.

Sed agedum in breuem tabulam referamus miseram Orbis faciem qua tum quidem erat, ne vel iusto simus longiores, vel ex vngue leonem cognosci posse, ignorare videamur. Orientem grauia premebant peccata incolis passim Nestorio, Eutychio, Apollinari hæresiarchis, ac similibus monstris Acherunte excitatis, applaudentibus, postquam Athanasius, Basilius, Gregorius Nyssenus, Gregorius Nazianzenus, Ioannes Chrysostomus, Cyrillus, præclara Eoi sidera, excesserant, terrasque subierant. Et illi quidem nefandorum dogmatum duces, pestiferis erroribus vulgatis, non tantum inficiebant animos mortalium, sed insuper Rempub. luxabant: studia in contraria scisso populo, partibusque mirè feruentibus; summa imis nequiter miscebant. Nam hac Eutychius, illac Nestorius late incendia ferentes, tanto nisu incumbebant, vt præter oppido cautos, rari scintillas euitarent. Hinc nata quoque bella tam fœda, tam atrocia, vt pleni riui humani sanguinis irent per Orbem. Neque intra vnius tantum prouinciæ vel regni fines arma poterant coërceri, sed data porta ruebant: vix quidquam integri relinquebant.

Versus hoc sæculo orbis.

Quid multis? Flagitijs abominandis, quæ homines in se admittebant, ipsa clementa prouocabantur in vindictam. Terra profecto motibus insolitis concussa ac fatiscens: cometæ fuscantes cœlum & triste lucentes: terrifica fulmina æthere confuso excussa, iustum Deum adduxisse supercilium,

Vindictā ab hominibus petunt elementa.

& ardere ira in mortale genus, manifesto indicatunt. Ab vna calamitate disce omnes, quam ex Nicephoro referre libet.

Niceph. lib. 4. c. 46

Terra, igitur, motu insolito connulsa fuit; nec vnquam magis ante id, neque diutius. Sex enim continuos menses trepidauit. Nec per temporis interualla, sed quasi perpetuo agitabatur, & vbique locorum, præsertim autem Constantinopoli, vbi omnes turres humi procubuere, mœniaque muríque minus fortes ingentes duxerunt hiatus: ædes amplissima strage cecidere. Alexandria & Antiochia fere similem subiere sortem. Tertæ calamitates augebat mare, latissime inundando, alicubi integros populos hauriendo: alicubi subito liquidi fontes, copiosiq; riui fugiente aqua siccabantur: alibi vicissim nascebantur. Arbores radicitus vulsæ: sic quoq; nonnulli aggesta terra, vt speciem antiquorum montium præberet. Mare, violato limite infusum terris, postquam ad se redijt, piscibus in atena destitutis, portentoso spectaculo mortales perculit. Quædam insulæ cum incolis absorptæ. Multa etiam nauigia ab infido mari in terram deposita sunt.

Alterius terræmotus, quo Constantinopolis viciniaque laborarunt, meminit suo Chronico Marcellinus Anno 480. die 24. Septembris, quem ego silentio prudens prętereo, quod eodem planè modo vrbem & proximas terras trasetit in ruinam, quo prior. Portenta & omina fuisse fatalis mali, quod imminebat Orienti, quiuis intelligat. Etenim Zeno Imp. dum se transtulit ad hæresim Eutychij, fecitque locum fœdis erroribus, rerum confusio & cruda tyrannis plenis velis inuectæ sunt. De ipso quoque breui actum fuit, & excessit fato nimis infelici. Nam nonnulli capite pœnas soluisse aiunt, Angelo feriente: alij, animi deliquium solito longius passum, & cum visus esset mortuus, ductum funus viuumque terra obrutum, vbi rabie ac media actus, infestis dentibus sua brachia inuaserit, deuoraritque. Et vero miserrimi huius spectaculi testes oculatos produci potuisse. Zenoni successerat Anastasius, in scelera magis proiectus, qui post viginti octo annorum imperium fulmine ictus, pudendam animam edidit.

Male Zeno perijt.

Itemque Anastasius.

Tum vero iugulum Orienti perfossum fuisse puta, cum innumera Monasteria pessum iuerunt: cum infinita Monachorum multitudo, omnibus prouincijs diffusa expirauit. Quamuis autem vltimis illis annis superstites, famaque celebres fuerint Euthymius, Saba, Ioannes Silentiarius, Gerasimus, Theodosius, Simeon Stylita, Abraham Abbas, qui denatus est, quo anno S. Benedictus est natus, & nonnulli Eremitæ admiratione digni, scintillæ tamen paruæ erant, si eum antiquo immenso foco comparasses, & morientis Ecclesiæ Græcæ tenuis halitus & suspirium Hæresibus igitur, bellis, peccatis, excussa sunt Monasteria: sublati è medio Monachi: visumque Bono Deo, Oriente deserto, pro Ecclesia sua, quam semper curæ habent, locum capere in Occidente, hicque vitam monasticam instituere, vnde suppetiæ ferrentur Ecclesiæ laborant. Quapropter S. Benedictum hoc ipso tempore nasci, & spiritum ducere voluit, futurum nimitum Patrem ac Ducem Monachorum in Ecclesia Latina. Sed cum bona sors hæc obtigerit Occidenti, in primis verò Italiæ, vt S. Benedictum in lucem prolatum excipere, ab eoque ante alia regna excoleretur, statum eius, profectò luctuosum, obsecro despiciamus.

Cardinibus suis morum imperium, iam propendebat in casum. Immo procumbere cœperat aliquot annos ante, Gothis Dominam Romam capientibus; qua in potestatem redacta, documentum Rex Alaricus cæteris nationibus dederat, vinci potuisse inuictam vrbem; simulque alios barbaros ad audendum inuitauit. Hinc impulsus Attila, Hunnorum Rex, immensa contracta manu, contendit in Italiam, sparsoque per prouincias exercitu, totam igni ferroq; populatus est, sternendo quidquid stabat: æquando solo quidquid caput attollebat. Etsi Roma potitus non sit, repulsam tamen non à ciuibus, sed à Deo tulit. Nam ciuilibus bellis diductæ erant prouinciæ ambitione Principum accisæ vires: horrida Aquilonis tempestas vniuersum per Imperium edebat stragem, vt nihil iam tantæ vi par esset. Quæso animum aduerte, & mihi vide quid sit, Romanum Imperium infra viginti annorum spatium decem numerare Imperatores, alijs alios impetio vitaque ctudelissime exuentibus, vel à proprio milite cæsis, donec summa potentia, cui Orbis diu posuit genu, ab Augusto ad Augustulum delapsa, occidit, quatuor aut quinque annos antequam S. Benedictus nasceretur. Anno 480. Odoacer, Rex Herulorum, ingentem plagam imposuit Romæ: immo Italiæ, nam suæ ditionis fecit. Gens erat ante id perquá obscuri nominis: barbara, idolis colendis bonam partem dedita, tum verò indomitam armis vrbem eo vsque subegerant, vel aboleuerant, vt multos annos (quis crederet!) ne Consules quidem creare liceret, qui bini quam plurimis sæculis ad clauum sedere solebant. Haud meliori loco res sita erat Ecclesiæ. Nam præter fidem Catholicam,

Nutat Italia.

Flagellatur ab Attila.

Ab Odoacre capitur.

cam, motumque integritatem, quæ firmas sedes apud summos Pontifices paucosque alios fixerant, Italiam & reliquam Europam, nec non Africam, prouincias regnaq; omnia, vel infidelium, vel hæreticorum sceptra premebant, vt vitia libertate donata post insana capita, etiam membra cætera traxerint.

Etiam Hispania concutitur. Tam arctis & afflictis vbique rebus maxime oppressa fuit Hispania. Opes, pepererunt hostes. Spe harum potiundarum illecti Vandali, Alani, Catti, Gothi, Sueui sumpserunt arma aduersa, & intulerunt signa. Postremæ duæ gentes maiorem ac pinguiorem rapuere partem excussis Romanis. Sed quod potissimũ ciere debuerat lachrymas, submota fide Catholica, Prouincias totis viribus in Arianam hæresin conuerterant, quæ pessime captus Euricus Visogothorum Rex, ad crudelitatem plane factus, Episcopos Catholicos regno exegit. Idem malum Galliciæ & Leonensis regni visceribus inhærebat, vbi rerum domini Sueui erant, solium insidente Remizmundo. Ergo pulsis fidei sinceræ magistris, auide venenum è styge haustum imbibit multitudo. Gallia Sequitur Gallia. vnlsis anchoris eodem mari iactabatur, Gothis, Burgundis, Britannis, ac Francis, quatuor partibus incendia ferentibus, quorum postremis Childericus imperabat, idololatra, cuius gratia Galliam, dixere Franciam. Mutato nomine Gallia, etiam fidem exuit, & quodam quasi æstu ac torrente, in idolorum cultum rapta. Angliam Picti, Scoti Saxones, vexabant vincebantque. Simul fidei ac virtutibus motum bellum est; incolisque longe Christianissimis post libertatem Religio adempta. Iisdem malis oppugnabatur Germania, suisque ceruicibus tot barbaras nationes sustinebat, vt officinam putasses, in qua publicæ calamitates excuderentur. Quid multis moramur? Non tantum agmina infesta & incondita effudit ipsa, sed via etat publica, qua immensi exercitus ab extremo Septentrione ruebant in Occidentem, eruditissimi mortalium, sine Ara, sine Deo, sine ratione. Africam vertit ac miscuit Honorius, non regni tantum paterni, sed etiam crudelitatis hæres, & quidem machinas maiores in Ecclesiam Catholicam intendit, eamque quatiendo miserum in modum afflixit, quam vel genitor Gensericus, vel quisquam alius priorum Regum. Hic enim cum Vandalis omnes Africæ terras insederat, quæ antea ad Romanum Imperium spectabant. Quocunque voluisses oculos ant caput, miseriæ ac vltimæ ærumnæ incursabant. Cum enim gentes hæ barbaræ, ac cæteræ quas memorare longum foret, à vera Religione alienæ fuerint, relictisque suis sedibus in Africa noua tecta quæsiuerint, subactisque Prouincijs obtinuerint, illico rem, honorem vitam infelicibus incolis eripuerunt; & quod in maiore calamitate ponas, à vero tramite salutis in turpem hæresim deflectere coëgerunt. Bonam equidem sementem fecerant Apostoli, sed dæmonis & barbarorum opera infelix lolium succreuit: ac altas radices egit. Fessa tanto hæreseon, & pudendorum peccatorum iniquo terra pondere, secreto sub pedibus murmure ingemuit, ac veluti haustura quos tulisset, fatali motu ducta est, quod multis repetit Marcellinus.

Nec minus habetur Anglia.

Rotatur Germania.

Circumagitur Africa.

Sic orbe in vltima prope linea rerum constituto, ac sceleribus iudicem ad vindicandum perpetuo lacessentibus, vel nescia flecti iustitia, vel placidissima misericordia expectanda fuit, reis inter sacrum & saxum trepide hærentibus. His namq; duobus modis terrarum orbem lustrat Deus, quoties nutat sub peccatis. Magno igitur bono Ecclesiæ tum natus Benedictus est, qui colonijs per omnes illas Prouincias ductis, infelices herbas vndique vulsit, tesque deploratas, styge indignante, restituit, quod deinceps apparebit, cum Leandrum, Martinum Dumiensem, Columbanum, Bonifacium, Chilianum, Clementem, Ansgarium, clarissimos, iuxtaque sanctissimos viros, Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, Germaniæ, Frisiæ, Sueciæ, Gothiæ, Nordwegiæ, Daniæ, aliarumq; terrarum, quibus lucem intulere, Patres & doctores in medium produxero. Magni momenti fuit Dominicum agrum tribulis purgasse, sed nouo insuper obsequio de Ecclesia bene meruerunt, penetrando, quo nec arma Romana, neque vox Apostolica, quantum scimus, peruenere. *Infœlix loliũ vellit Benedictus cũ suis.*

Quocirca cum omnia mala, quibus feruebat Occidens, à frigido Septentrione importari intelligerent, à quo Ieremias quoque diuinus Vates cauere iussit, capto consilio sedit sententia, hanc mundi partem quouis sudore excolendam suscipere, nec ararunt littus. Etenim pulsa impietate, adeo ad frugem barbaros composuere animos, vt (quod mireris) haud amplius deinceps in Italiam, Hispaniam, aliasue Europæ regiones, funestis agminibus more solito inuaserint, tanquã inimicis bellis iam peractis. Atqui has nostri Ordinis expeditiones in plagas Aquilonares, in Græciam, Syriam, Ægyptũ, Arabiam, nouum Orbem, operose susceptas, annos in suos recte distulero, quibus duros casus, quos nostri adierunt ac pertulerunt, tum fructus quos prouincijs ac regnis

Ierem. c. 1. *Et facem accendit orbi.*

pepererunt, & late, quasi scintillas agitantibus ventis, diffuderunt, recensebo. Magnum autem argumentum diuinæ bonitatis & misericordiæ! Nunquam magis afflicta fuerat Resp. Christiana, nunquam post hominum memoriam magis luctuosa (nam vltimo velut impetu rapiebatur in exitium) cum æternum Numen grauissime laboranti orbi, iamq; spiritum extremum agenti, medicas manus clementissime adhibuit, cœlo S. Benedictum demittendo Italiæ, qui sancitis deinde sanctissimis legibus, in scelera solutum ac liberum Orbem, & suauis iugi impatientem coërceret, Numinisq; paullatim subijceret imperio, vnde tam Rei politicæ, quam Christianæ collapsæ vires, instaurarentur.

Chronici huius filū à S. Benedicti ortu ducimus.

Porro, cum hac in historia annis S. Benedicti, veluti Ariadnes filo duce, vti constituerim, de quadringentesimo octogesimo, quem in præsens volumus, quiqúe exoptatissimum infantem, secundum productos supra auctores, & Annales Casinenses, excepit, pauca repetamus.

Marian. Scot. & Sigeb. An. 509.

Diem natalem ac mensem anni non expressere, à quibus tamē vitæ decursus finisq; pendebant. Quamuis autem nonnulli historici in aliam, quam ego, eant sententiam, at non ideo veritatem violari potes, cum hanc sortem res antiquissimæ subire debeant, eo quod à memoria sint remotissimæ. Nam quid certius est, quam conditū esse orbem? De annis inde hucusque elapsis, etsi multa suggerant volumina sacra, certatur tamen sententijs, totqúe numerantur, quot capita. Nec de paucis annis lis est, sed de totis centurijs. Ita nec de tempore, quo lucem cepit lacteus puer Benedictus, inter Scriptores penitus conuenit. Nos Leonem Ostiensem aliosq; viros clarissimos sequimur, & à scopo nos non aberrare, tum ostendemus, cum sancto Patri patentabimus. Hic libuit tot inter Auctores hærentem lectorem, tantisper expedire, ne in limine pro corporibus amplecteretur vmbras.

Ostiens. lib. .c 1. Tritbem. lib. 1. de viris ill. c. 1.

CAPVT II.

Illustrissima Gens Anicia, ad quam S. Benedictus sanguinem refert.

Ex Anicijs ort' S. Benedictus.

ETsi gloriosus hic Patriarcha in Nursia sit natus, Maiores tamen ipsius coluere Romam; quæ vt nobilissimas familias amplissimo suo sinu complexa sit, Aniciorum tamen nulli secunda fuit: multas longo interuallo post se reliquit. Cassiodorus profecto *Familiam toto Orbe prædicatam* affirmat. Addit culpæ dari posse, si Gens hæc per incuriam è hominum memoria delea-tur, quæ omnibus sæculis maxima beneficia apud homines collocasset. Si verbū ipsum euoluas (nec enim sic abire debet) in Anicio inuictus est. Scilicet fortissimi bellatores è Gente hac, veluti ex equo Troiano, prodiere, & rem præclare gerendo armis, pulcherrimum hoc nomen sibi pepererunt.

Cassiod. l. 10 ep. 12.

Antiqua domus Anicia.

Quidam historicorum ante vrbem conditam Anicios soli conspectos, auctoremq; Gentis magnanimum Sergestum, Eneæ comitem, fuisse ferunt. Ita nonnullis, antiquas in familias quærentibus, comparatum est, vt officium recte se fungi haud arbitrentur, nisi ab ouo Troiano ducant initium. Alijs similitudo nominis imposuit, vt ab Anicio Ægypti rege, coæuo Oziæ, hunc sanguinem deriuarent. Sed missis coniectorum somnijs, & antiquariorum infinitis genealogijs, in quibus non raro tenuis leuisqúe muscæ loco, immanem stabulari videas elephantem (ad implendum vacuum scilicet) pro certo habemus primam de Anicijs memoriam Romæ compertam anno quadringentesimo quinquagesimo C. V. seu trecentesimo secundo ante Christi Seruatoris ortum. Anicij Prænestini mentionem facit Plinius, cui tantam potentiam fuisse ait, vt veritus Senatus ne Remp. inuaderet, vrbe exegerit. At reuocarit postmodum, cognito viri humanissimo ingenio, creâritqúe Ædilem Curulem, Pub. Sempronio Longo, & Pub. Sulpicio Coss.

Plin. l. 33. c. 10.

Simulque clarissima.

Filij ac nepotes non secus quam sanguinem, animi magnitudinem à genitoribus ac maioribus hauserunt, tam nati factiqúe ad Rempub. vt S. Hieronymus plerosque consulatum gessisse, affirmarit. Sunt profecto qui quadraginta, immo qui sexaginta Consules de Anicia Gente in digitos mittant; exemplo raro & admirando. Veram tamen nobilitatem eidem Genti intulit Anicius Iulianus, qui anno Christi trecentesimo vigesimo secundo Consulum primus Christo nomen dedit. Labente tempore in solium quoque Imperij Rom. sublati sunt, facti rerum Domini plaudente orbe. Sed mora fuerit, meminisse singulorum, quos experta virtus, tum opes quoque modum excedentes, celebrarunt. Opere hoc functi sunt Onuphrius Panuinus, qui non primoribus tantum digitis Anicios attigit, sed planè pertractauit: itemqúe Arnoldus Wion: Anastasius Bibliothecarius: Paulus Diaconus, & Baronius, auctores grauissimi, ac fidei pleni, quos res Italiæ minus fugere poterant, quam exteros, alio sole natos.

S. Hieron. epist. 8.

Wion Prolog. ligni vitæ.

Hæc cum ita, ceteris prætetitis à Sexto Anicio Petronio Probo, S. Benedicti abauo, libet filum ducere, qui diuitijs, auctoritate

Abauus S. Benedicti Sext. Anicius Petr. Probus.

& splen-

& splendore, maximè eminuit, secundus ab Imperatoribus; Probi cognomen rectè factis meritus. Narrat Paulinus Probum hunc tanta mole struxisse ædes Romæ vt viri duo præpotentes eo profecti sint, spectandi causa. Inde Mediolanum concessisse, vt verba miscerent cum Ambrosio, de cuius singulari sapientia passim fama flagrabat. Quantam verò industriam architectonica in ædibus illis elaborandis posuerit, ex Secundino coniicias, qui vt elegantiæ Augustinianæ pretium faceret, fateri se, dixit, ædes Anicias non æquare artem ac eloquentiam calami Augustiniani.

Paulin. in vita S. Ambros.

Epist. Secundini tom. 6. S. August.

Cæterum, summis honoribus functus est Romæ. Cum Gratiano Imp. consulatū gessit anno trecentesimo septuagesimo primo, cum prius multo tempore Præfecturam Prætorij obiisset, supremum appellationum iudicium per Italiam, Siciliam, Sardiniam, Corcyram, & Africam exercens, quo Præfectos mittere pureret suo ex arbitrio. Fidem his faciunt inscriptæ statuæ, parenti à filijs dedicatæ, quas excidio vrbis fortuna exemit, & Cæsar Cardinalis Baronius Tomo 4. Annalium Ecclesiasticorum imposuit vbi longus est iuxtaque curiosus in factis viri memorandis, eo quod tam ipse, quam nati ab ipso, non parce contulerint in Ecclesiam Dei.

Baron. to. 4. præsertim Anno 395.

Duxit antè Aniciam Probam Faltoniam, non tantum sua è domo, sed etiam suo è genio. Nam probis itidem moribus fuerat. Hinc sacri Doctores, qui ea ætate floruerūt, captata occasione libros suos ipsius laudibus farserunt. Tractatum de videndo Deo à S. Augustino Aniciæ Probæ gratia compositū, nemo nescit. In altero, quem de S. Viduitate scripserat, & Iulianæ filiæ inscripserat, prolixè meminit epistolæ, à se ad Probam datæ; eandem instituendo, quis modus habendus sit oranti. Cum S. Chrysostomus Ioannem & Paulum Legatos ad Innocentium Pontificem Max. mitteret, per epistolam rogauit Probam, vt eosdem tecto reciperet ac haberet commendatos. S. Hieronymus omnem omnino dignitatem & nobilitatem Romanam ipsi ac liberis compendio inesse, affirmauit. Studium profectò singulare ponendi apud omnes beneficia, etiā barbaros rapuit in venerationem. Altius tamē artem poëticam in ea admiror, qua tantopere excelluit, vt veteris ac noui Testamēti mysteria numeris latinis coërcens, lauro digna sit visa, hocq; in plurima negotia alia non raro distracta. Nec ventis versus Probę ludibrium volitant, sed Tomo 6. Biblioth. SS. Patrum circumferuntur. Etiam tumulum maritoq; sibiq; sumptuose structū, carmine insigniuit. Hac nota fuere S. Benedicti maiores: nec virtus cū ipsorum vita pariter diem obijt, sed quodam hęreditatis iure ad tres filios, spectatissimos Romanos Consules, atque ad sanctissimam Iulianam abijt, cui gloria sui sæculi, pudica virgo Demetrias, debetur; prima quæ post Anicios ad fidem Catholicam transgressos, spretis nuptijs Deo se dicauit, quod ipsi S. Prosper scribit.

S. Aug. de vid. Deo ad Probā. Idem de S. viduit. ad Iulian.

S. Chrysost. ep. 168

S. Hieron. epist. 2.

Inter epist. S. Ambrosij 48.

Ad filios Anicij Probi quod spectat, omnes tres Romana Resp. complexa est. Nam Probinus anno trecētesimo nonagesimo quinto vnà cū fratre suo Olibrio consulatum gessit. Poterant autem repulsam ferre, cum quod admodum iuuenes essent, tum quod eodem vtero profusi: nihilominus extra ordinem hoc summo datum amori fuit, quo Roma ferebatur erga ipsorum Patrem. Ad hunc Anicium Olibrium, fratrem germanū Probi, S. Benedicti proaui, quam-plurimi Historicorum Italorum, Gallorum, & Germanorum, gloriosæ domus Austriacæ originem referunt, quam etsi alij à Pharamundo rege Galliæ per Sigebertum, Austrasiæ regem, ducant, in priorem tamen sententiam plures concedunt. Sed deferamus hic litem, quæ multos hodie historicos fatigat, eamq; ad Rudolphum vsque reijciamus, cuius manu illustrissima Domus hęc Orbis imperium accepit, quod pridem humeris progenitorum insederat; omissaque stirpe Olibrij, ad Probum eiusque sobolem ac nepotes referamus pedem.

Ex Aniciis nata putatur Domus Austriaca.

Anicius Probus Iunior, S. Benedicti proauus (cuius pater Anicius Probus senior dictus) quæstura defunctus, cum Arcadio Imperatore, labente Christi anno quadringentesimo sexto, consulatum gessit, vt est apud Onuphrium. Filium sustulit, cui nomen Iustiniano, quem nonnulli eundem faciunt cum Imperatore Iustiniano, sed falso: Erupit hæc vox Trithemio à principio librorum, quos de viris illustribus conscripsit, suumque in errorem traxit alios, perculsos sola auctoritate, cæteris posthabitis. Etenim liquido constat Iustinianum Imp. anno quadringentesimo tertio natum, videlicet triennio post S. Benedictum, vt hic nepos illius esse non potuerit. Iustinianus ille, S. Benedicti auus, de quo modo verba facimus, tres filios præstanti virtute susceperat; Anicium Germanum natu maximum: Anicium Eupropium S. Benedicti patrem: Anicium Tertullum, S. Placidi auum. Anicius deinde Germanus Imperatoris Iustini sororem duxit, & ex ea, præter filios alios, Iustinianum Consulem suscepit, quem anno quingentesimo vigesimo primo Iusti-

Anicius Probus iun. proauus S. Benedicti.

Panu in l. 3. Fast.

Iustinianus auus S. Benedicti.

nus in imperium adsciuit, cui fatis defuncto etiam successit. Res Anicij Tertulli, aui S. Placidi, memorabimus in tempore, nimirum quando sanctissimi Martyris vitam recensebimus.

Parentes S. Benedicti Enpropius & Abundātia.

Tertius Iustiniani filius, Anicius Eupropius, connubio sibi iunxit Abundantiam, opibus præpollentem, Nursiæ vrbis terræq; circumiectæ dominam, nobilissimo Riguardatorum sanguine natam, vnde multos tenet opinio, Anicium Probum vna cum vxore sibi etiam Riguardatorum cognomentum duxisse. Longam hic texit historiam Petrus Ricardaius, quam nos tamen pede expedito prætereimus, velut non vndique bene fultam, aut certam. Idem agimus cum Arnoldo Wion, qui operose disponit familias, à progenitoribus S. Benedicti ortas. Etsi enim à vero forte non aberret, at cum Auctoribus incumbat tantum nouis, itemque coniecturis, haud putauimus committendum, vt incerta certis permiscere mus. Huiusmodi ob causā sustinemus quoque calamum à largiore Aniciorum Genealogia; nec S. Benedictus luce aliena indiget, qui proprijs virtutibus & heroicis factis maiorum splendorem exhausit, quibus inhiare potius debet lector, quam horum antiquissimæ nobilitati. Nobis S. Gregorius præiuit exemplum, qui S. Benedicto vix primoribus labris à nobilitate generis laudato, mox ab hoc argumento se dimouit, & alia quæ pondus habent, est aggressus. Quęstiones insuper de Genealogijs S. Paulus deuitare iubet, quod vanæ ac sine fine sint, cui nos, vt par est, morem gerimus. Quod si quem iuuat magnitudinem Gentis Aniciæ plenius ac viritim cognoscere, Scriptores euoluat quorum modo meminimus, ante alios vero Petrum Diaconum, & Anastasium Bibliothecarium, vnde Arnoldus Wion suam facem accendit, sanctumque Benedictum Anicio de sanguine cretum ostendit. Ego etiam pauca timidè libaui, videorque mihi vltra limitem extulisse pedem. At fidem historicis potius Italis haberi cupio, rerum suæ nationis peritissimis, quas nos aucupamur & spectamus eminus.

Longos imaginum ordines Gentis Aniciæ non disponimus.

Greg. lib. 2. c. 1.

Ad Tit. 3.

Fecerunt iam alij.

Gallonius Apolog. cōtra Bellarū premit nobilitatem S. Benedicti.

S. Gregor. l. 2. c. 20. Cassiod. l. 7 c. 11.

Fuerunt autem hoc æuo, qui Genealogiam S. Benedicti malè incesserent, eumque de eximiæ nobilitatis possessione depellerent, maiorem dictitantes, re ipsa iactari. Indicium capiunt à S. Gregorio, qui monachum, ait, cuiusdam Defensoris filium (quē ipsi pro Correctore vrbis habent, frustra à Cassiodoro petita ope) D. Benedicto cœnanti aliquamdiu præluxisse. Paulatim superbia actum, *hic verò quis est?* animo tacitè subiecisse: *quis deinde sum ego, vt cibos sumenti officiosè præstem lumen?* Igitur hinc turbas concitant, &, si tam clarus à natalibus, inquiunt, erat S. Benedictus, vndenam bilis hæc nouitio monacho cieri in nasum potuit? Certè hoc obsequij vel ideo tantum obire dedignatus est, quod se genere S. Benedictum antere sciret. *Hinc illæ lachrymæ!*

Ridiculum medius fidius argumentum, ad premendam S. Benedicti nobilitatem compositum. Non res promuntur, non tabulæ, non publica fama, sed stolida phantasia & intemperiæ, quas in puero vanissima excitauerat superbia, vt altius debito efferret supercilium. Per ætatem ita profecto emunctæ naris nondum fuit, vt inter familias discrimen statuere posset. Cum deinde caput turbauerit superbia, nil mirum fecit, si suas merces laudauit, ac alienis ante habuit. Nimirum, paulo ante sese in Monasterium è sæculo remouerat, cuius fumos tyroni sanctissimus Magister nondum discusserat, ac forsan hoc prælucendi munere fungi iussit, vt ingenij specimen caperet; is autem vili seruitio perculsus, eo dementiæ progressus est, duce superbia, vt modicus quidem nobilitatis, tamen S. Benedictum illustrissima stirpe ortum, longe antere sibi sit visus, id quod apud tales in more positum est. Cui verò adeo impluit, vt in animum inducat, stolidas alterius cogitationes, inani fastu tumidas, sufficere ad offuscandum sanguinem, quem Sanctus hic è maioribus multò clarissimis duxerat? Vel vnum alio maiorem, eo quod alter vertice toto cristas tollat? Non facit fidem iudicij, arrogantia. Hem enim! si Lucifer *dixit in corde suo: ascendam super altitudinem nubium*, visusque sibi fuit *similis altissimo*, licebit profecto per Gallonium eiusque assеclas hanc sedem capere, seque iuxta supremum Numen (aut supra) collocare. Ex huiusmodi enim fidelia dealbant arrogantem iuuenem, & denigrant S. Benedictum: ex hac colu ducunt filum, quo crassum texant argumentum. In serendo iudicio tam immatura vacillat ætas, quam elatio; quæ si rodem sublate colant, equum esse crede, fræno solutum, qui sessorem suum ante effuderit, quàm tulerit. Roboam Salomonis filius, prudentia nondum per ætatem parta, sed ad fastum egregie pridem auctoratus, iuuenum consilio vsus, iactitauit Israëlitis, *minimum digitum suum esse grossiorem dorso patris sui*, se Oedipodem esse, scilicet; suum patrem vero, Dauum. Etiam opibus & potentia se superiorem, si ad genitorem conferatur. Quis autem amabo, non intelligat, stolidum iuuenem sibi imposuisse?

Gallonij absq; neruo argumentum.

Pater superbiæ solutus.

Isai. 4.

Et indis Roboam.

fuisse: Etenim Salomon non tantum diuitijs & imperio antecelluit, sed insuper sapientia singulari miraculum sæculi fuit, cum [2. Paral. 13] Roboam ingenio, animo, prudentia destitutus, infimis subsellijs insideret. Prompta nobis sacrorum librorum verba sunt, quibus fidem faciamus. *Porro Roboam rudis, & corde pauido erat.* Hinc vineta ipse cecidit sua. Nam dictis factisque ipsius offensæ, decem tribus, verterunt terga, & in regem alium concesserunt. Tanti est, à iuuenilibus annis & superbia quempiam circumagi! sed omitto, eidem Roboamo turpiorem notã à Numine impressam, quod spreto senum consilio iuuenis, iuuenibus gesserit morem. Num igitur quisquã fronte tam detrita est, vt Salomonem sapientem fuisse neget, quod sinistrum de ipso iudicium tulerit annis nondum exercitus filius? & à su- [Et stultus puer.] perbia in præceps actus? ita me Superi, vt mihi vox faucibus hæret præ admiratione, fuisse non neminem qui vt altum S. Benedicti genus subrueret, stultas nouitij monachi cogitationes, velut Romuleum arietem, turri admouerit; præsertim cum hæc in monte Casino, procul Nursia, S. Benedicti patria, gesta sint, quam quidem festiunm hoc capur nec quidem oblique aspexerat; nec multò melius S. Benedicti nouerat parentes & cognatos, quam Garamantas aut Indos.

Accedit, quod Defensoris munus (id iuuenis istius pater obibat) non vile aut vulgare fuerit, sed inter præcipuos vrbis hono- [Cassiod. lib. 7. c. 11.] res habitum. Affirmat enim Cassiodorus huiusmodi Defensorem cõmunibus ciuium suffragijs designari, tum à Principe auctorari consueuisse. Est autem me iudice, diuersus à Correctore, & Curatori vrbis similior; cui incumbebat prospicere, ne quid detrimenti caperet Resp. Deligebantur vt plurimum quos genus attollebat, vt nouitium nostrum monachum magnæ nobilitatis fuisse facilè credam; at nemo propterea alto stemmati D. Benedicti grauis esse debet, quod historici tantis laudibus euexerunt, quibus absque dubio maior habenda fides, quam rerum ignaro adolescenti, quem & rudes anni, & quæ animo insederat superbia, potuere agere transuersum. Sed vt omnem penitus scrupulum lectori euellamus, & S. Benedictum non modo nobili, sed etiam florentissimo & clarissimo sanguine genitum, oculis sub- [Adrebald. c. 1.] ijciamus, hem dicendo testimonio Adrebaldum sistimus, vel ab ipsa antiquitate idoneum testem. Vixit enim circa annum nongentesimum post Christum natum, deque miraculis S. Benedicti librum composuit, cuius primo capite hęc refert: *Denique, quanta dignitatis parentibus progenitus fuerit, testantur ruinæ palatij eorum cum ædicula, prope mœnia Nursinæ vrbis sita. Tanta quippe magnitudinis perplexique operis ex fundamentis constitisse conuincitur, vt qualibet palatia potentissimorum superauerit Regum, nec modicis queat reparari impensis.* E quibus nullo negotio de Gentis Aniciæ summo sanguine, immensisque opibus ac potentia coniecturam ducas. Quo enim euadas? Verbis id claris affirmat Adrebaldus; deinde digitũ in palatia Aniciorum regia intendit, qualia habitare non solent, nisi quos domus mediocres capere non possunt. Igitur solidis fundamentis fulta est nobilitas S. Benedicti: causa Gallonij & sectatorum, in vado hęret.

CAPVT III.

Patria & cunabula S. Benedicti.

NAtus S. Benedictus in Nursia est, quã Ptolomæus Sabinis, T. Liuius Vm- [S. Benedictus Nursiæ natus: stirpe Romanus.] bris addicit. Nec magno discrimine distant, quando Nar fluuius tumido volumine per Nursiam fugiens, Vmbros à Sabinis diuidit. Ciuitas haud immodica non est, à situ tamen & illustribus ciuibus comparanda magnis. A montibus obsidetur & ambiguis vallibus, è quibus affatim legit fructuum, quos natura mater profundere solet, ad vitam commodè tolerandam. Etsi autem vicini montes intendant frigus, aura tamen vescitur salubri, quod loco imposita sit non iniquo. Hac è ciuitate oriundus erat Sertorius, animosior quam fortunatior, in quem laudum cumulum ferunt Plutarchus & Liuius, & cui Hispani, præsertim Arragonij, plurimum debent. Eadem terra Vespasianum Imp. eius filios, & Flauiorum summi fastigij domum, eduxit. Etenim Vespasia Polla, mater & auia horum Principum, Nur- [Sueton. in Vespasiano.] sia oriunda fuit, vt est apud Suetonium. Nõ necto moras, numerando multos alios Nursiæ ciues, fama celebres, cum sat magnum ei decus conciliet S. Benedictus, ibidem natus, vnde etiam Nursini cognoment..m ulit, quamuis stirpe Romanus esset.

Genealogiam hic nonnulli, rerum non [Quem in Vrsinæ genti quidam imperitè inferunt.] satis periti, turbant, eumque Vrsinis Romanis inferunt. Audito enim sanguine Romanum esse, appellarique Nursinum, ausi sunt temporis lapsu adimere primam literam, & ex Nursino facere Vrsinum. Auribus tamen tenetur lupus, & error in lucem protrahitur, cum Vrsinorum familia multo post cœperit, quam S. Benedictus diem obierat: deinde quod Vrsini domo potius sint Galli, quàm Itali; Genitores verò S. Benedicti planè Itali. Abundantiam gloriosi Patriar- [Trithem. lib. 1. c. 1.] chæ matrem, Trithemius vir grauis, sed re-

rum exterarum non æquè gnarus, Marchioniſſam Montisferrati fuiſſe contendit; ſed hunc hiſtorici Itali aggrediuntur ac erroris notant; quibus etiam accedit, nomen Marchionis nouum, quod imponit, nec illo æuo, nec multis poſt annis in Europa auditum. Quin ſubit animum, aliena manu fors additum hoc Trithemio, quod in diligentem cautumqúe cætera hiſtoricum, vix tantus error cadere poſſe videatur.

Pater, Nurſiæ Dominus erat.

Cæterum, liquido conſtat Anicium Euproprium & Abundantiam natione fuiſſe Italos, & Nurſiæ dominos, vnoq́ue partu ſuſcepiſſe gemellos; quod magnum decus Eccleſiæ ſuæ addere Numen, & ingenti penitus beneficio mundum obruere conſtituiſſet. Vni nomen Benedicti, alteri Scholaſticæ impoſitum. E partu olim obijt formoſa Rachel; ſed Iacob, filio auctus eſt: ita prorſus Abundantia profuſis in lucem gemellis, animam egit, fuereq́ue hæc vltima pignora, quæ clauſerunt agmen. Num quod præclariora, vel ſaltem paria, ab vtraque familia exſpectari non deberent? Collocato igitur tanto vniuerſum apud orbem momẽto, non fuit, cur vltra vitam produceret Abundantia, ne orbis non ſatis poſſet referre gratiarum. Quocirca meritis ac morte cœlum petiuit bona mater, Benedicto terris conceſſo.

Eum Abundantia gemellis beauit. Geneſ. 35.

Suboli ponuntur nomina.

Concuſſus hoc caſu Enproprius fuit, quẽ tamen infantes maſcule erexerunt, quibus ipſe non ſecus quam Vates, nomina indidit. Certè puerum *præuenit Deus in benedictionibus dulcedinis*, olim illas quoque eidem impertiturus, quas liber Deuteronomij in hæc verba exponit: *Benedictus eris in ciuitate, & benedictus in agro: Emittet Dominus benedictionem ſuper cellaria tua, & ſuper omnia opera manuum tuarum. Suſcitabit te Dominus ſibi in populum ſanctum, ſicut iurauit tibi, videbuntq́, omnes terrarum populi, quod nomen Domini ſit inuocatum ſuper te.* Ita S. Benedictus huiuſmodi benedictionibus diuinis frontem ferebat inſcriptam, admotumq́ue luſtralibus vndis, hoc nomine Superum nutu inſignem eſſe voluit genitor: vnde D. Gregorius: *Fuit gratia benedictus, & nomine*, inquit. De ſuis antem benedictionibus quantam partem in filios, quantam deinde totum in orbem effudit? prætetra quam bene conueniat etiam S. Scholaſticæ ſuum nomen, integro ſermone docet Abbas Bertharius, quem in tempus diſfero. Ad ſummam tamen; cum ipſa apertura eſſet ſcholam, in qua diſciplina cœleſti innumeræ animæ eſſent imbuendæ, & tota mox agmina prudentiſſimarum virginum, illa duce, proditura, Scholaſticam iure merito appellatam fuiſſe, apparet.

Pſal. 20.

Deut. 28.

S. Gregor. l. 2. Dial. c. 1.

Cũ lacte pietatem domi bibunt.

Primos porro annos vna duxere domi, & habebantur delicatè (nec aliud patiebatur magna fortuna:) iuxtaque ſolertia ſingulari inſtituebantur, quod lenitatem nullo loco ferret pietas parentis. Filiam tecto pater tenuit, donec ad Religionem à Deo euocata fuit: at filium dimittere Romam, & litteris excolendum tradere ſtatuit, quod edita indies à puero egregij ingenij ſpecimina non vanam ſpem facerent, in magnorum virorum & ad Remp. gerendam natorũ cenſum aliquando venturum. Spem intendebant amor, quo ipſum complexuri; & cura quam ei adhibituri eſſent nobiliſſimi Romanorum, adeo propinquo ſanguine iuncti. Verbo: maiores ſe ſuos æquaturum: labentibus annis in ſummum gloriæ faſtigium euaſurũ, iam perſuadebat puer. Quotum egerit annum, quando Romam profectus eſt, etſi non perinde compertum habeamus, ſeptennem tamen fuiſſe creditum eſt, cum ad liberales artes animum appelleret: deinde ſexennium in ijſdem comparandis poſuiſſe, iactis ſimul fundamentis, quibus grauiores ſcientiæ inniti ſolent.

S. Benedicto Roma literas propinat. Greg. l. 2. Dial. prol.

At cum Deus grandia per ipſum moliri deſtinaſſet, iniecta quaſi manu eum duxit & docuit, ideoque luculentius quam pro ætate ſapuit, ſpectauitq́ue Roma in puero ſenem. Pater equidem miſerat in vrbem, vt eas artes condiſceret, quas primas colit vanus & caducus orbis; ſed verior ipſi pater Bonus Deus, eodem pertraxerat, vt ſuiſmet ibi oculis potentiam ac magnitudinem rerum humanarum legeret: ſimul aduerteret quam non durarent, ſed breui omnia effluerent, & ſub oculis inſpectantis euaneſcerent: quare caput fatali exitio in tempore ſubduceret. Alia longè agitabat, Numen, per Benedictum conficienda. Nolebat mũdi fluctibus inuolutum huc illuc ferri, ſed alte caput ſuper hæc ludibria efferre. Nec animus ſapientia egregie à cœlo imbutus, humana in philoſophia deponendus & corrumpendus erat, ſed ſolis inſtar per orbem circumferendus. Statione igitur in vrbe tantiſper capta, non tantum mortalia momento rapi, verumetiam pericula, quibus ſe quã plurimi obijcerent, & vitia quibus peſſum irent, ſtudioſè circumſpexit. Mores improbos, flagitio plenas artes, inanes curas, vigiles noctes ſcelerum conſcias, fræni impatientem libertatem, ceu voraginem humani generis, qua hauriretur, attonitus vidit. Perculſus ſpectaculo, & alieno periculo cautus factus, retulit pedem alterum, quem in mundo leuiter poſuerat potius, quam impreſſerat à præcipitandi occaſionibus fuga

ſeſe

sese abstulit, neque cum alijs, lepido oaso à voluptatibus se duci passus est.

AN. CHRISTI 495. AN. S. BENEDICTI 13.

Sanctus Benedictus mundum valere longum iubet. Patrat primum miraculum.

Scholis valere iussis stationem in tempore deserit. S. Bonau. de lumine Ecclesiæ serm. 20. Trithem. de vir. ill. lib. 3. c. 1. S. Thom. op contra impugn. Relig.

HIs laqueis & aranearum telis apud se penitiatis Benedictus, abrupit filum, ac Musis, quibus hactenus sedulo operabatur, destitutis, Roma se eiecit anno ætatis decimo tertio (ita viri graues edicunt) quæsiuitque habitum religiosum, & cœtum antrum, quibus se absconderet; deinceps soli Deo studeret.

Recessit igitur scienter nesciens, & sapienter indoctus, S. Gregorio teste, quem postmodum innumeri alij, præsertim bonæ spei adolescentes sequti, nuntium misere Academijs; & scopulis, nodis, ac moris veræ salutis euitatis, sacram Religionem ceu fidissimam stationem strenue petiuere.

Eum non vult deserere nutrix. Greg. lib. 2. c. 1.

Cyrilla nutrix, quæ magno pueri amore tenebatur, patris iussu (vel potius Numine id agente) adhæsit abeunti Romam, functa ibi ancillæ ac matris officio simul. Dum ergo comitatur alumnum, ecce tibi Effidem (vulgo Afilem) deferuntur, vbi multos in mortales, in quodam Diui Petri templo supremo Numini vacantes, incidunt. Illico receptus tecto pro angelo est, & inuitatus in societatem. Dum hæsit in hac anchora, forte nutrix acta necessitate, de proximo fæminam petiuit capisterium ventilando & purgando tritico. Huic enim vsui est, inquit Columella. Magnitudine, parium cribrum aut iustum discum haud excedit. Nullo propemodum ventre est, sed planum potius, nisi quod extrema circumquaque ora duos digitos alta sit. Ligno fiunt hodie, sed id quod habemus præ manibus, more sæculi argilla fictum fuisse censetur. Quid deinde? Imprudens Cyrilla mensæ neglectim imponit: capisterium mox fluctuat: de casu nescio quid deliberat: cadit: in plurima frusta dissipatur. Quid hic faceret bona fœmina? Caducis lachrymis sinum implet, quod rem alienam sua culpa perdidisset.

Colum. l. 1. c. 9.

Frangit hæc rem alienam.

Subijt commiseratio sanctum puerum, ideoque frustis ocyus in sinum collectis, in angulum secessit, adductaque ianua humi se profudit: cœlum precibus pulsauit. Vbi caput denuo sustulit, capisterium integrum vidit, nullo casus vestigio relicto. Nutrici retulit, lachrymas abstersit. Possent argui, & quo pacto ad quamuis ætatem se compatet Deus, ignari, nasum suspendere, videlicet quod in tenui, hoc est in argilla extolla tur miraculum, à puero editum: sed rem dixit S. Gregorius in Bonifacio. Puerulus enim hic cum vulpeculam in cotte suæ matris prædam agere, & cum gallina furtim sese auferre conspexisset, subito versipelle animal apud Deum furti reum egit: deque repetundis postulauit; ac in preces ardentissime incumbens, voti compos est factus. Vbi enim pius orator è templo se retulit, hem vulpecula cum gallina mordicus prehensa reuertit: restituit; & media mox disrupta, pœnas persoluit. Sed prius audiamus Petrum, quo cum sanctus Pontifex colloquium inijt. *Valde mihi mirum videtur, quod exaudire preces in se sperantium, etiam in rebus vilibus, dignatur Deus.* Diuus Gregorius causam subijciens, *Hoc Petre*, inquit, *ex magna Conditoris nostri dispensatione agitur, vt per minima quæ percipimus, sperare maiora debeamus. Exauditus namque est in rebus vilibus puer sanctus & simplex, vt in paruis disceret, quantum Deo præsumere in magnis petitionibus deberet.* Idem Numini consilium hic fuit: nimirum, innocenti puero spem redintegrato capisterio inijcere, maiora olim impetrandi, simulque prima docere elementa apud se perorandi.

Benedictus redintegrat.

S. Gregor. lib. 3. dial. cap. 8.

Miraculum hac fama, citius dicto, vulgauit, agentibus superis, vt S. Benedictus commendaretur orbi. Nec tantum ipse percelebratus passim fuit, sed etiam capisterium supra fores templi suspensum, veluti & sanctitatis Nursinæ publicum testimonium; & puerum hunc cœpisse, vbi alij magni Sancti desinunt, cum applausu mortalium miraculapatrando. Hæsit autem, donec Longobardi deuastarunt Italiam. Atqui puer haud captauit popularem auram, sed huic longe antepòsuit contemptum sui, labores, perfectionem Euangelicam, statuitque, mundo tem sibi suam habere iusso solum vertere, & in profundum desertum vbi procul hominibus ageret, sese remouere.

Fama celebrat miraculum.

AN. CHRISTI 494. AN. S. BENEDICTI 14.

Sanctus Benedictus petit desertum, & nouam viuendi init rationem.

PRimis in votis (velut alter Dauid) habuit hic sanctus puer, *alas columbæ*, quibus è luto in putum aërem sublatus, ferretur in deserta, vbi rerum cœlestium contemplatione perpetuo frueretur, quas primoribus labris iam attigisset, neque excitatam recens sitim restinguere posset. Perstringebat oculos delitiæ, honores, voluptates, & quicquid

Psal. 54.

vene-

Clam omnibus secedit Benedictus.

venale exponit mundus; qua de causa nodum Gordium vno ictu abrumpere, mundum penitus exuere, soli Deo vacare secum constituit, hocque tam secreto, vt qua clapsus esset, omnes fefellerit, etiam Cyrillam, solertissimam nutricem. Postquam hæc ita composuit, in asperam ac densam syluam (Sublacensem vocant) quadraginta militaribus Roma distitam, contendit, penetrauitque, qua maximus fons humo erumpens, ac paullatim in planitiem progressus viam sulcat, & riuum efficit. Quo ætatis anno sic transfugam puerum inhospitalis sylua excepit, incertum est: nec enim S. Gregorius memorat. S. Bonauentura, Trithemius, Ostiensis, Historici Montis Casini, decimum quartum agitasse tenent. Baronius, vir longe doctissimus, in aliam concedit sententiam. Nec enim videri verosimile, tantillum puerum auio itinere suscepto, se condidisse horrido deserto, lustrisque ferarum inhæsisse, quando vita eremitica perito indigeat magistro. Nondum profecto suo cortice nare ausum fuisse Benedictum: plenos esse Cassiani aliorumque granium Auctorum libros pugnis & difficultatibus, quibus sancti Eremitæ impliciti ægre admodum potuerint optatum tenere portum. Romanum quoque addit, qui monasticum habitum dedit: nimirum si in tam paruum puerum incidisset, consulturum fuisse tantisper traheret moras, donec puerilibus annis elapsis, Magistro remoto iam ipse vitæ suæ modum habere posset. Puerum à S. Gregorio appellatum, vsitato etiam in eos vocabulo, qui ex ephebis iam excessissent. sic monachum, ædificando Monasterio Casinensi cum alijs occupatum, ab eodem Sancto vocatum puerum, nec tamen credendum puerum fuisse. Deinde eundem verba Iob exponentē, quibus veniam *peccatis adolescentiæ suæ* peteret, primam ætatem virtutibus exercendis aptam, adolescentiam affirmare, non pueritiam. Cum ergo S. Benedictus in desertum non secus, quam in scholam, vbi alios anteiret, cōtenderit, idoneam ætatem exspectasse. Rarum & memorabile magni viri exemplum Baronius est; ego tamen causam meam deserere, & ab officio desciscere non possum, dissimulando id quod sentio. Igitur fateor non modo S. Gregorium, sed etiam Spiritum sanctū pueri nomine subinde designate iuuenem. Ieremiæ caput 1. & aliæ Scripturæ loca persuadeant. Vt plurimum tamen neque nos homines, neque in sacris libris Spiritus sanctus puerilem ætatem, vel adolescentiam iuuentutis nomine notamus, sed decimum quartum annum attigisse oportet. Ad hanc amussim dixit S. Gregorius: *Ab ipso pueritia tempore Benedictus cor gerens senile.* Non ergo annos octodecim aut viginti natus, è mundi complexu sese eruit, & longe fugit. Nam nihil noui, nihilque miri fecisset. Quot enim ista ætate è tuiba in eremū sese excusserunt! Miraculo igitur simile fuit, quatuordecennem puerum tanta prudentia esse præditum, vt puerorum numero exceptus, ductu auspicioque alieno non indiguerit: sua face contentus rectissime ambularit: æquarit grandæuos senes. Vno verbo dixero: ad summa destinatum, & multarū Religionum Magistrum designatum, Deus ipse instituit extra ordinem. Huic soli in deserto is operam dedit. Sic Seruator noster Apostolos & discipulos legit, nec litteris quidem obiter tinctos, nec potentia munitos, vt facile intelligeres à Deo omnipotente adscitos; sapientiam vero & potentiam, quibus tyrannos & Reges sub suaue iugum Catholicæ fidei miserunt, eidem Deo in acceptis ferendas. Magnum quoque diuinæ virtutis documentum tenerrimis in Virginibus fuit, vltima tormenta animo forti subeuntibus. Idcirco, ne quis institutum vitæ ac Regulam S. Benedicti artes inter humanas haberet, puerum scholis ac vrbe auulsum, in eremum ipse exciuit, eduxit, magistrique functus officio solide formauit præ quouis eremita veterano, cui ille se alias fuisset commissurus.

S. Gregor. l. 2. Dial. c. 1. S. Bonau. de lum. Ecclesiæ, serm. 20. Trithem. lib. 1. c. 1. Ostiens. vbi supra. Baronius an. 494. à puero sacit iuuenem.

Ieremi. c. 1.

Sed à S. Gregorio corrigitur.

Immo vt alij ducerentur exemplo, tanto arctius in sinu eum fouit Numen, quanto minus annorum impleuerat, ausus tamen illudere mundo, & tam difficile prouinciam adire. Præterea, magis etiam puer Ioannes Baptista fuit, cum secessit in desertum, cuius eulinam si humanis oculis ibidē vestigasses, non reperisses, nec intellexisses qui vitam toleraret, aut cur candida anima ita præpropere horridum antrum subiuerit. Tandem euentus palam fecit, non casu, sed Patris æterni ductu pedem domo extulisse, ætate inualidum, secretā syluam petijsse, & specum insedisse. Etenim testimonium perhibitur us erat de Christo. At S. Benedictus, vt ad opus tam grande non fuerat destinatus, ita paullo tardius mundo se exemit. Religio autem, quam instituit eximiam, tantum boni collatura erat in Ecclesiam, orbemque totum, vt profecto è re fuerit, puerum tempori scholis subduci, vt viam capesseret in solitudinem. A solo enim Spiritu sancto, publici huius beneficij auctore, debebat edoceri. Quod vero nonnullos per se imbuat fauore singulari, exemplum esto S. Honoratus, quem Diuus Gregorius nulli penitus magistro operam dedisse, affirmat, sed ab eodem diuino Spiritu eruditum, cum adhuc

Benedictus Nemini discipulus. huc rudes duceret annos: simulque in rem præsentem Ioannem Baptistam sistit. Nec alio Benedictus puer magistro vsus est. Quisquis enim docere hunc potuisset, næ is etiam sacrum Ordinem instituere, legesque Religionis condere potuisset, quod ille fecit. Sat igitur superq; doctus fuit, non doctoris, non ducis indigens. Sciebat egregie toto animo totoque pectore sese dedere Deo: vel potius ipse Deus, discipulum anteuertens, suam doctrinam in eius pectus demisit.

Bonif. Simoneta l. 4. ep. 20. Sunt qui rem nouam, ac forsan inauditam, admirationeque dignissimam, recensent, & inter gratias quas cœlum apud S. Benedictum collocauit, non vltimo loco habendam: videlicet cum vtero adhuc ferretur, auditum diuinas sonare laudes, omine & oraculo manifesto, institutum iri ab eo Ordinem, qui dies noctesque psalmis & hymnis cantandis religiose exigeret. Tempus equidem signare non ausim: nec ab auctoribus nouis absque errandi metu pendere soleo: id tamen quod iam memorauero, pondus apud me habere, ingenue fateor.

Sur. tom. 4. Iulii. Narrat Surius S. Hildegardam, à motum sanctitate diuinisq; reuelationibus celeberrimam, singulari Numinis impulsu vitam S. Disibodi composuisse, eumque conceptis his verbis extulisse: *Electus Dei Disibodus à teneris annis, à sua infantia irroratus fuit gratia Spiritus sancti, quemadmodum S. Benedictus & S. Nicolaus.* Quis autem ignorat reuelationes S. Hildegardis laudatas S. Bernardo, viro sanctissimo iuxtaque sagacissimo? Probata Eugenio III. Pontifici Max.? Eandem censuram à Concilio Treuirensi retulisse? Si ergo Bonus Deus ea ætate sanctum Benedictum in delitijs habuit, suaque

Tritherm. in Hirsaugia An. no 1149. gratia expleuit, vti S. Nicolaum, facile conijcias primis annis id factum. Nam hic etiamnū infusus collo & sinui nutricis fauoris diuini, præsentisq; Numinis egregia documenta dedit, quæ refert Metaphrastes. Etenim diebus Mercurij atq; Veneris semel tantum bibere solebat nutricem, idque vesperi; neque deinceps consuetudinem mutauit. Huiusmodi vero gratias, quas Deus extra ordinem impertit Sanctis, timari, aut in censuram vocare non oportet. Nam errant, qui pede suo metiuntur pedem longe excedentia. Nec enim S. Nicolaus, nutricis brachijs inhærens, suopte iudicio ieiunia sibi indixit: neque S. Benedictus sibi satis erat, vt displosa mundi vesica, in pedes se protinus conijceret; distractusque à charissimis, asperrimam vitam duceret in eremo. Igitur Deus ipsum impellebat, dirigebat, docebat: vt passibus Gigantes æquaret puer, fecerat idem Deus.

Metaphr. vita S. Nicol. apud Lipom. tomo 5. & Sur. tom. 6

Hinc illud D. Gregorij: *ætatem moribus transiens*: scilicet puerum egregijs moribus superasse ætatem. Hæc cum ita, non debebat Baronius ad hodiernas regulas oppido curuas, examinare lineas iam pridem recte ductas; nec S. Benedictum via persequi cōmuni. Idem D. Gregorius, qui pueritiam vel adolescentiam virtutibus colendis aptissimam esse censet, S. Benedictum adhuc in vitæ primo limine stantem nulli vitio paruisse, affirmat: & quod egregij mores ætatem ingenti spatio præiuerint, vt veteranos inter numerari potuerit.

Adeo enim capax cœlestium ferebat pectus, vt quatuordecim non amplius annos natus, Eremo iam fuerit maturus. Neque Romanus monachus hominis prudentis officium fecisset, si obicem posuisset puero in desertum tendenti, quem à Deo Opt. Max. duci, intellexisset. Quocirca scrupulū Cardinali Baronio exemptum, veritatem autem grauissimis auctoritatibus confirmatam esse reor, petita nimirum & allata fide à scriptoribus antiquis: à Diuo Gregorio: à S. Hildegarde: ab amore singulari, quo hunc seruum suum prosequutus est Deus.

CAPVT II.

Eremus Sublacensis, vitaq; eremitica exardia à S. Benedicto capta.

Sublacensis Eremi situs ac ingenium. Ergo nunc oculis Sublacensem Eremum curiosius circumlegamus, in quam se abdidit Benedictus. Latium hæc insidens, millaribus fere quadraginta abest Roma: Æquicolis circumfusa. E natis ibi montibus, quos Tacitus simbruinos vocat, alijsque in vicino coëuntibus, duo deuoluuntur amnes, quorum hic Anieni nomen fert, tumidis vndis superbus: alter, Nar dictus, angustioribus ripis coërcetur. Iidem montes flexuosum in sinum tres lacus recipiunt, qui suum accolis quoque nomen indiderunt, præsertim oppido, quod accubat maximo è tribus, vocaturque Sublacus, à quo Anienus magnum capit incrementum. Frigidas ac

D. Greg. l. 2. Dial. c. 1. pellucidas fundit vndas, hoc nomine Diuo Gregorio celebratas. Vnde inuitati Romani nec longa via, nec immensis sumptibus, nec laboribus Herculeis poterant cohiberi, quin per profundas valles, per editos montes, per indomitas rupes, liquidos molirentur aquæductus, quibus principem fontem traduceret Romam. Impulit facinoris magnitudo Leandrum Albertum, vt mundi hocce miraculum suis oculis haurire prius ipse voluerit, quam litteris ac memoriç prodere; inspectoque coram opere censuit, si hodie omnium mortalium conferrentur

Leand. Alb. in Ital. illustrata.

ma-

manus, hoc saxum infinitum haud promotutas. Tantum à Romanis omnia vinci potuisse. Vnde igitur præcipui fontes deriuantur in vrbem, etiam Ordo S. Benedicti duxit originem. Fonticulum dixisses, humo exilientem, qui tamen spaciosum in fluuium paulatim excreuit, terrisque longe lateque sese infudit. Hic fundamenta vitæ asperæ iacta Benedicto; hic monachum induit auxilio Romani: has deinde inter rupes prima condidit Monasteria: huc vestigia conuertit, rum præcipiti fuga ab Effide (vulgo Alfiie) se proriperet, ne gloria ibidem parta ob redintegratum capisterium, in animis hominum hæreret diutius. Hic turbis exemptus, rupes, fluuios, lacus, solitudinem speculabatur: hic denique stetit sententia, sedem figere: curas alias ponere: soli Deo vacare. Scilicet iactis in cœlum oculis, tum lacrymis præ gaudio prolilientibus, asperas per rupes incedens Septentrionem versus intendit viam, leucam fere viam Hispanicam emensus, donec Anieno traiecto in aduersa ripa tanquam in portu nauigare se videns, sensim enisus est in montes, pressis contra fluuium vestigijs, nec longo interuallo quæsitissimum in locum incidit, quem Deo in acceptis retulit.

Sedem quærit S. Benedictus.

Monasterium ista Eremus habebat, in quo rebus præerat Theodatus. Incolæ Monachi virtutis neruum sic intendebant, vt totàm viciniam raperent in exemplum. Cæteris præstabat Romanus, postea in sanctorum Album relatus. In solitudine hic se tenebat, orando, meditando, corpus affligendo: dicam etiam, Benedictum captando, sorte cælitus in eam venationem actum. Ergo vbi in errantem, ac pronum per cliuum in montis iugum euadentem incidit, ora & oculos in puerum intendit: vultum ingenuum vidit: continuo probauit. Postmodum se propius admouens, vnde domo? aut quo ipsum pedes? rogauit. Puer, se mundo terga vertere, excepit: velleque eremum, & vitam religiosam colere. Ille non longum facere, sed mox applaudere: fidelem opem & silentium spondere: habitu monastico tyronem induere, D. Gregorio teste. Hic loci sacellum nunc est situm, S. Cruci dedicatū, nonnihil fuisum versus à Monasterio remotum, quod hodie à S. Scholastica fert nomē. Postquam igitur de loco, quem nouitius Eremita habitaret, inter ipsos conuenerū fuit, inuicem diuulsi sunt. Nam S. Romanus vestigia relegit ad suum Monasterium, dextrorsum flectens, & in altum enitens, vbi sacellum seu Eremitorium modo videas, quod fateatur impositū olim fuisse Monasterium. At puer aduerso flumine tendebat sinistror-

Et vago per desertum Romanus se offert.

A quo habitum religiosum induitur.

S. Gregor. lib. 2. c. 1.

sum, donec in specum, sexaginta passus à ripa distantem, rigentem illam & exesam, delatus (hodie Sacram specum appellant) voti compos ibidem consedit. Porro specū hanc qui examinat, sepulchrum ante indicabit, quam sedem humanam. Etenim non vltra sex palmos tenditur, aut septem vbi tanctus puer capere solebat somnum; nec vltra quatuor hiat eius partis latitudo. Reliquum antri duplo amplius haud est. Sybiectum solum longe asperrimum: neque hoc tantum, sed insuper nudum. Nec pedibus quidem insistere licebat, nisi cernuo: nec iacere porrecto, sed cruribus adductis. Qua caput excipit cubile, saxum eminet, quasi banc in rem natum, aut factum. Ad summam, non male thronum hunc scamnum dixeris, quo differuntur rei, quando subduntur quæstioni. Etenim non fornix æqualis est, non latera; sed flexa, curua, iniqua omnia, solo tenus. Poterat corrigere nouus incola, quæ in humanam habitationem peccabat inhospitalis rupes, sed noluit, ne mollius haberet corpus. Petrarcha, omnibus numeris Poëta ille absolutus, eo se tulit visendi, & pietatis explendæ studio, famæque postmodum hæc verba dedit. *Petrá, puer non modo solitudinem, sed desertum, & illud mane. Sed deuotum specus, quod qui viderint, vidisse quodammodo paradisi limen credunt.* Atque hoc sub antro tres exegit annos, præter Romanum nemine conscio, S. Ioannis Baptistæ æmulus. Rigorem, asperitatem, solitudinem, & quicquid diri offerebat lucus, explicata fronte occupabat, ac velut angelus, spectaculum ibidem præbebat Deo.

Inde in angustam specum se cōpegit.

Petrarcha l. 2. de vit. solitar.

In quo tres egit annos.

Non hic omisero, Numini digna honore videri, quæ ad seruos suos quondam pertinebant: præsertim vero austeritatis instrumenta. Hinc specus S. Benedicti stipata miraculis fuit. De fæmina mente capta narrat D. Gregorius, per campos, vndas, montes, præcipitia, vagari solitam, nec plus moræ vno in loco traxisse, quam ineundo somno fuisset necessarium. Aliquando sub noctem in hoc penetrasse antrum: altera luce sanam & incolumem prodijsse, nec vnquam ad amentiam redijsse, mentis deinceps compotem.

Etiā post incolæ abitum, specus sua stant miracula.

S. Greg. l. 2. dial. c. vlt.

Quædam etiam ætate nostra, æternæ memoriæ sculpenda fundendaque illic contigere. Vnum commemorauero. Anno supra millesimū quingentesimo octogesimo nono eadem specus passim sudauit guttis, vniones imitantibus, quibus Monachi Sublacenses nomen *manna* imposuere: nam aliàs quoque idem miraculum edidit præclara rupes. Ter sic sudatum, interiecto semper decem dierum interuallo, hæsereque guttæ quali-

Historia Sublacensis.

Sandoual. init hist. S. Bened.

bet

bet vice triduum. Liquorem(profectò prodigiosum!) Patres vale vitreo condiderunt, & in sacrario cæteris Sanctorum Reliquijs apposuerunt, expetientia edocti, per hunc publica portendi mala,quę vrgerent orbem. Nec tum fefellit metus. Tempore enim minime longo quatuor Summi Pontifices cōcesserunt fato: tres ipsos annos improba fames ad mortem egit incolas: tumultibus verti cœpit Gallia. Sic Religiosis Patribus vaticinantibus, ternus ille ac tridui sudor,in tres maximas abiuit calamitates.

Curta suppellex puero Crux.

Sed nunc supellectilem excutiamus, qua onustus sanctus puer Eremum beauit: egregiam suam specum, scite vt opinor,instruxit. Sola Crux erat, orichalco facta, palmum vnum longa, duos digitos lata, cui affixa Christi Domini solida imago. Extremis quatuor angulis aliquid decoris metallum addebat, diuersas in figuras effigiatum. Equidem summo pendentis vertici, icon Seruatoris mundi imminebat. Dexteræ filij adhærebat dulcissima Mater, prę sentem casum tolerans, Patrona Benedicti, & Ordinis eius quam plurimis nominibus Diua Tutelaris. Sinistram Christi tenebat S. Ioannes Baptista. Basi, Eremita insistebat, S. Antonium, aut ex magnis illis Patribus alium referens, quorum vestigia puer sectabatur. Huic igitur libro operā dabat, qui Musas Romanas valere iusserat, studioque contemplandi deditus, in clarissimum Theologum mysticum euasit in Eremo, poteratque cum S. Paulo exclamare, *nihil se scire, præter Christum, eumque crucifixum.*

Ac horridum cilicium. In penu herbæ, & nonnunquā panis.

Corpori nudo cilicium circumduxit, setis equinis horridum, & implicitis passim nodis exasperatum. Herbæ, & vicino de fluuio latex, mensam instruxerant: nisi quod Romanus, qui habitu monastico eū induerat, subinde frustū panis suggesserit. Qua via ex monasterio ad Sanctum ducit, mons pręruptus ac editus in cœlū sese effert oculorum indicio ac iudicio cubitos quinquaginta altus. Cum igitur aditus ieiunā in specum haud pateret, Romanus suspensam è fune corbulam tenui annona beatam, cum tintinnabulo, quod latentem euocaret, demittere solebat. Apparuit iam tum, patuitque hunc puerum in monachorum Ducem à Deo Opt. designatū. Certè D. Thomas, petito à puero Benedicto palmari argumento, Religiosos mendicando vitam tolerare posse, probat; nam ille nec artem exercebat vllam: nec labores æri parando subibat vllos, sed contemplando tempus trahens, S. Romani eleemosyna vitam produxit.

S. Thom. 2. 2. q. 186. a. 4. Et in Op. 19. c. 3.

Cerberus offæ Benedicti insidias struit.

Ringebatur & rumpebatur cacodæmon: nec charitatem seduli Mœcenatis, nec valetudinem alumni, cui vitam ademptam cupiebat, ferens. Quid fit? Adest Romanus: commeatum affert: corbulam, funem, & officiosum tintinnabulum componit: more suo pronus è summo vertice demittit, & hem! alastor fursuteus correptum lapidem vi maxima spargit in æs campanum: in duas partes dissipat. Sed falso ductus fuit gaudio. Etenim Romanus nihil de charitate remisit, aliaque via consuluit ieiuno pueri stomacho, partim quod iam captus esset eius innocentia: partim quod sentiret, hunc multis Antesignanum fore, ad Superos tendentibus. Hoc vero tintinnabulum cum cilicio & Cruce, etiamnum hodie in Monasterio Sublacensi, quod S. Benedicti vocant, thesaurum facit. Immo locus ipse in sacrarum Reliquiarum censu habendus est, tot post sæculorum ambitum nobis relictus, vt etiam hinc solatia capere mus. Pietatis profectò sensum excitat sacellorum templi aspectus, quæ non per porrectam seriem pauimenti digesta, aut explicata ordine sunt; sed quædam insistunt solo; alia suspensa sunt in alto: nonnunqum superiora inferioribus rectè commissa sunt. Templum enim ita struendum erat, vt rupis ingenium ferebat. Qua de causa quatuor tantum monachi, vt plurimum ibi agunt, cæteris infra in Monasterio sanctæ Scholasticæ degentibus, ex quo tamen semel quauis hebdomade ad sancti Benedicti Ascetetium ascendunt, vt rebus diuinis in illo operentur. Atque duo hæc Monasteria pietate olim ac munere Principum tam sæcularium quam Ecclesiasticorum valde pollebant opibus: at postea Principes alij, pietate inopes, redegerunt ad incitas

Frustra est.

CAPVT III.

Quo habitu sanctus Romanus fit vsus, quaue Regula: ad quam deinde sanctus Benedictus imprimis se composuerit.

Quorundam cura seu curiositas est, scitari cuiusnam Ordinis fuerit Romanus iste! qua cum Regula eidem conuenerit? qualem habitum induerit? Hoc enim deprehenso, facile de Regula statuemus, quam sequutus sit Benedictus, antequam conderet suam. Alij in alias rapiuntur sententias. sunt qui existiment S. Romanum meruisse sub Magno Basilio. Nam S. Benedictus postremo Capite suæ Regulæ hunc vocat Patrem, iuberque ex eius Regula petere, quicquid deesset suæ. Nonnulli ad sanctum Augustinum ipsum trahunt, quod le-

ges monasticas is tulerit pro Religiosis Ecclesiæ Latinæ. Basilij Regulam, Græcis scriptam, in Oriente hæsisse, atque hic gentium minime vulgatam. Quocirca idem S. Benedicto viuuenit, quod olim Homero, quem plures ciuitates sibi vindicabant, quod arte Poëtica altos antecelleret, sic quilibet Ordo suorum in numero ipsum habere cupit, postquam virtus & fama in gloriæ fastigium eundem extulere. Atqui hoc dubium nobis excutist, quæstionemque expediat D. Gregorius, Pontifex Max. *Vir Dei*, inquit, *in artissimum specum se tradidit, & tribus annis, excepto Romano monacho, omnibus hominibus ibi incognitus mansit: qui videlicet Romanus non longe à Monasterio sub Theodati Patris Regula degebat: sed pie eiusdem Patris sui oculis furabatur horas, & quem sibi ad manducandum surripere poterat, diebus certis Benedicto panem ferebat.* Aduerte sis, vt Romanus nec S. Basilij, nec D. Augustini, sed Patris sui Theodati Regulæ fuerit addictus! quod si sectatus fuisset aliam, D. Gregorium latere non potuisset, isque expressisset hic loci, vbi de Regula Romani ita diligenter verba facit. Sed vt altius rem hanc repetamus, pro certo habendum, nec S. Basilium, nec D. Augustinum, nec S. Benedictum primos Religionum fuisse Patres ac duces; neq; solos condidisse Regulas, quas etsi liuidis dentibus inuadant, ac rodant nudius tertius irato Deo nati hæretici, veluti hominum male feriatorum noua somnia; verum tamen est, cælo demissas esse, & auctorem habere Deum, nec temere facturum illũ, qui in leges tam sanctas concedat. quod S. Paulus de Euãgelio edixit, *quod non ab homine id acceperit, nec didicerit, sed à* IESV *Christo.* Ipsissimus iste Dominus, qui legem Euangelicam sanciuit, & publicando rogauit, etiam religiose viuendi ratione instituit ac docuit non tam verbis, quam exemplo. Idem primus fuit qui Abbatem ac Patrem Religiosorum ageret, inducendo discipulos suos Apostolos ad profitendum hoc vitæ genus, paupertatis, obedientiæ, castitatis voto subnixum, non tantũ quod foret perfectius, sed insuper vt ostenderent nunquam se hanc mentem mutaturos, dum vinculũ ita arctum exire haud liceret. Apostolos alij sequuti sunt discipuli, huic vitæ instituto nomina dãdo, quos inter fuit S. Marcus, vestigia premens Apostolorum Principis, quem proinde D. Hieronymus, & Ioannes Cassianus, pro Religiosorum Magistro ferunt post Apostolos. Hinc Phœnicia & Ægyptus tã frequentes fuere Monasterijs, quam Philo Iudæus & Eusebius Cæsariensis memorant, capta origine vnde diximus. Primis quidem florere

S. Gregor. l.2. Dial. c.1.

S. Romanus Theodati Abbatis legibus viuebat.

Religionum & Regularũ auctor Deus.

Epist. ad Gal. c.1. Exemplũ Seruator noster præiuit.

S. Hieron. in Philon. Cass. l.2. c.5. Philo l.2. Euseb. l.2. hist. Eccl. c.17.

annis; vertente tamẽ tempore libati carptiq; sunt hi flores, & ab Orco afflati, non permittentibus Ethnicis, vt vna in sede morarentur secum Christiani. Mutato igitur solo, in Eremos & deserta Lybiæ, Æthiopiæ, Arabiæ, Scythiæ, Persiæ, Lydiæ, vno verbo Asiæ ac Africæ se submouebant, ductis in solitudinẽ colonijs. Sic diuinũ Numen illata Christianis mala in publicum Ecclesiæ suæ bonum verrit, innumeris mortalibus in Eremos confluentibus. Hi nec vni Regulæ parebant, nec eundem viuendi modum tenebant. Etenim à principio deerat cõmunis norma, ad quam se omnes componerent: leges non certæ erant, nec fixæ, sed quilibet Abbas in certas Regulas cum suis subditis conueniebat: hi se morem gesturos, spondebant, erstq; Antistes similis Patrisfamilias, regenti suam domum, non curanti alienam. Ad summam; Regulam statam eamq; scriptam non habebant, sed Abbati, vel maioribus imperantibus parebant. Nõ equidem iuerim inficias, aliquas tũc Regulas fuisse in manibus, veluti S. Pachomij, S. Macarij, ac alias similes, paucis tamen tenebantur Conuentibus, nec totę Prouinciæ aut Regna illis adhęrebant. Atq; hic status monachorum erat antequam sanctus Basilius cõdidisset ac litteris mandasset suam Regulam. Quapropter non primus instituit vitam monasticam (qui error nonnullos cepit) hocq; fatetur ipse epistola ad Nẽocæsaienses data. *Accusant me*, inquit, *quod habeam monachos, qui mundo se abdicarunt, omnesq; huius vitæ curas exuerunt. Hi sunt qui in fronte, vultuq; toto, quasi scriptã ferunt mortificationem* IESV *Christi, quẽ vnusquisq; sua cũ cruce sequitur. Vtinã huius ego peccati sim auctor (etiam cũ vitæ impensa) haberemq; in societate mea homines, qui per meam industriam & doctrinã hoc studium amplecterentur. Audio esse in Ægypto, qui huic viuendi rationi se addicerent: nec in Palæstina desiderari homines perfectos credo, ad amussim Euangelicam semet componentes, quod item ferunt de Mesopotamia: nos autem cum illis collati, infantes videbimur iuxta gigantes.*

Affirmat tamen sanctus Gregorius Nazianzenus Basilium Magnum ante omnes alios è montibus & desertis euocatos monachos in Monasteria contraxisse: vita communi & politica imbuisse: vt patitet rem Diuinam persoluerent. Animaduerterat enim vir sanctus, alios monachorum per Eremum esse sparsos: alios habitare vrbes: ac istos quidem media in turba tranquillitate & serenitate animi penitus frui haud posse, sed nonnunquam vlulare cum lupis, quibus-cum colerent. Illos, eti magis securos periculorum, Deoq; iunctos, quippe à vul-

A principio cuilibet Monasterio suæ leges propriæ erant.

Basil. ep. 63. ad Neocæs.

S. Gregor. Orat. in laudes S. Basil.

go re-

go remotos, sibi tamen solis consulere, nec callere artem iuuandi alios.

S. Basilius Regulā & Monasteria condidit. vtrāq; politicam instituit.

Igitur sibi sumere ab vtrisq; statuit, quod maxime conduceret. Monasteria struxit, sola quidem, at populis vicina, vt vitæ contemplatiuæ intenti essent, & actiuæ simul, partamque in Monasterijs sanctitatem, cum proximis communicarent hæque duæ res se mutuo complexæ inuicem iuuarent, vti terra mareque amicissimo vinculo coniunguntur, ad totum mundum ceruicibus suis ferendum. Defixis oculis, manibusque obnijs hanc Regulam Græciæ Orientisq; Monasteria attraxerunt, & hodie quoq; tenent.

Monasteria eum legibus priuatis etiam per Occidentē sparsa.

Hunc in modum etiam in Occidente & Ecclesia Latina magna monachorum, nec non priuatarum Regularum, copia fuit, SS. Augustino & Benedicto nondum natis. Argumentis, quibus confirmari posset, supersedemus, vt consulamus breuitati. Quem enim præterit, iam vsque ab ætate sancti Athanasij Italiam cultam fuisse à monachis? & à Cassiano introductos in Galliam? ibidem sanctum Martinum multorum Religiosorum egisse Patrem? deinde sanctum Seuerinum eodem officio functum per Pannoniam superiorem siue Austriam? denique totam Europam monachorum & monialium Ascaterijs fuisse repletam?

S. August. l.3.c.40. cont. litt. Petil.

Quemadmodum igitur Sabelliani monastices originem falso Basilio Magno imposuere; ita Donatistæ eadem de causa improbe ac imperite sanctum Augustinum postularunt, quibus ipsemet notam erroris impingit. Hæretici autem hodierni S. Benedicto diem dicunt; nimirum quod is primus signa explicuerit, & hoc genus milites Opt. Deo scripserit: cum potius sparsos, & legis iuxta incertos, ad lineam & Monasteria conuocarit: certas leges omnibus tulerit: disciplinam religiosam restituerit, infestis barbarorum incursibus haud parum afflictam. Regulas quippe habebat etiam Occidens, sed non prouinciæ, non regno, non toti Europæ communes, sed numero tot erant, quot Ascateria. Nulli tum illarum suum calculum adiecerat Ecclesia: nec nouam condere prohibuit. Ergo eam condidit sanctus Benedictus, in qua nihil desideres: factam plane ad amussim Euangelicam; ob quam tem alias illico bansit Regulas, vt virgam Moysis dixisses, quæ proiectas virgas denotauit in Ægypto.

Donec S. Benedictus eiusmodi Regulā scripsit. quæ omne tulit punctum. *Exod. 7.*

Multas Prouincias vulgatum Asiæ nomen innoluit. Idem Europæ & Africæ vsuuenit. Tribus istis tanti Orbis partibus totidem Patres communes impertiuit Deus: nimirum Asiæ S. Basilium: Europæ sanctum Benedictum: Africæ sanctum Augustinum,

Asia S. Basilio cessit. Africa S. Augustino. Totus orbis S. Benedicto,

qui Regulas particulares, in suas conuerterunt vniuersales. Quamuis autem S. Basilius etiam pedem intulerit aliquando in Europam, idemque fecerit sanctus Augustinus: & sanctus Benedictus occupauerit singulas tres Orbis partes: nihilominus quisque altiores egit radices, ac latius capessiuit imperium in ea mundi parte, quæ ipsi annuente Numine obtigit.

præsertim vero Europa.

Ad rem quod attinet, Monasterium Theodati, in quo Romanus profitebatur monachum, nec in sancti Basilij, nec in sancti Augustini Regulam iurauerat; sed Abbas Theodatus, more aliorum, singularia præcepta suis constituerat. Adde Regulam sancti Basilij à principio raram fuisse in Ecclesia Latina, nec in sinum Italiæ adeo penetrasse: Neq; hoc Monasterium vicinū fuisse alicui ciuitati, quod D. Basilio curæ fuisse, S. Gregorius Nazianz. affirmat.

Theodati Monasterium nec D. Augustinū. nec D. Basiliū sequebatur.

Etiam liquido constat, tam Monasterium quam S. Romanum in Ordinem S. Benedicti concessisse: at vero simile haud est, Ordinis mutationi locum futurum fuisse, si iam ante S. Basilio, aut S. Augustino nomina dedissent. Cum igitur S. Romanus neutri horum Antistitum fuerit addictus, nec S. Benedictum illorum filijs accensebis.

Neutrarū ergo partium S. Benedictus fuit.

Etsi porro Monasterium illud vel sancti Augustini, vel sancti Basilij fuisse, Lectori daremus, non tamen sanctum Benedictum continuo ad eosdem trahere liceret, cum tres annos, quibus in specu Sublacensi abditus hæsit, anachoreticam viuendi rationem sequutus sit, ad multitudinem ac cœtum se haudquaquam producendo; immo nec vllius mortalium consuetudine vtendo, nisi solius Romani, idque perraro. Qui testem cupit, S Gregorium habeat. Non Abbati Theodato, non monachis cognitus erat: non statuta, non leges illorum sequebatur: nec omnino ad corpus illud attinebat. Quis enim eum Monasterio Theodati annexum fuisse affirmet, veluti membrum, quando tyrocinium ibi non posuit, sed nec quidem limen illud vnquam triuit? An vitæ rationes suæ eam ad normam seu regulam direxerit, quam oculis nunquam vsurpauit? An Abbati morem gesserit, quem arcano antro caurus fefellit? Cui prodi timuit? Cette S. Roman^o annonā famelico subuecturus, defraudabat genium suum, pio furto subduceos panē; nec dubium est, hanc ei mentem diuinum spiritum iniecisse; siq; D. Gregorium diligentius legas, teuera in telligas, non monacho de Monasterio, sed priuato cuipiam egenti panē, loco eleēmosynæ, allatū.

Nec subditus Theodato.

Enimuero si S. Benedictus de cœtu erat monasterij, commeatus, tolerandæ vitæ nec-

Nec cuiquam Abbatum alteri, sed soli Deo.

cessatius, ipsi merito iure debebatur. Quod si tantis ac tot titulis ab hoc Ordine, & quouis alio, fuit liber, & sciunctus, quo pacto tandem vllius Ordinis monachum id temporis fuisse affirmabimus, quando cum nullo ei quicquam conuenit? Hæc cum ita, stet sic sententia: S. Benedictum vni Deo fuisse subditum, ac mancipatum Spiritui sancto, cuius ductu secesserat in desertum. Hoc solo Abbate, hoc vnico magistro vsum. Equidem sanctorum Basilij & Augustini Ordines eo fastigio sunt collocati, vt ego nobis gloriç verterem, si sanctus Benedictus in alterutrum à teneris concessisset, ne-dum vt negando premerem.

Quis enim (nisi albæ mentis) clarissimos maiores fastidiat? Aut quid decedit Prædicatorum Ordini, quod sanctus Dominicus aliquamdiu inter Canonicos Regulares nomen suum professus sit? Quæue nota Franciscanis impingi potest, si sanctus Franciscus aliquando D. Augustini signa secutus fuit, quod quidam ferunt? Etsi huic ego me arenæ non commisero. Nec minimis vel minima labes aspersa vnquam fuit, quod S. Franciscus de Paula olim Fratrum Minorum habitum induerit. Ego vero hactenus in id incubui, vt verum ex Auctoribus varijs eruerem, ac lucem rebus affunderem, facturus officium historici; non autem vt sententias aduersas Theonino dente circumroderem. Id quod maxime scrupulum quibusdam monit, est, S. Basilium à S. Benedicto appellatum fuisse Patrem: quod argumentum viribus caret. Nam piæ vrbanitati dederat: & hoc genus verborum adeo graue pondus non habet.

Roman. l. 6. de Rep. Christiana, c. 20.

His ita expeditis, liber mihi obtruditur à Magistro F. Diegone editus, inscriptusq; ab eodem: *Dilucidarium & Demonstratio Chronicorum & antiquitatum Ordinis Carmelitarum*, vbi sanctum Romanum, quantumuis inuitum, trahit ad Basilianos. In auxilium vocat Ioannem Palæonidorum, sui Ordinis hominem, affirmantem Sanctos Romanum ac Simplicianum Diuo Basilio addictos, & cuiusdam sancti Caprasij fuisse discipulos. Hinc etiam F. Diego extra numerum monachorum D. Benedicti illum ponit, cuius verba damus: *Ex istis sanctis Religiosis & doctis, S. Caprasius Abbas per omnes partes misit, ad prædicandum contra hæreticos: & quidem Felicem & Liberatum in Africam: Romanum vero Constantinopolim. Felix & Romanus mutarunt hic consilia, nam ille mansit Constantinopoli cum Liberato; hic profectus est in Africam, ibi cum vidisset gloriosum Augustinum totaliter destruere hæreticos, se contulit in Italiam.*

F. Diego de Coria l. 1. c. 17. & l. 9. c. 16.

ac infra: *Romanus Abbas vixit in Conuentibus, quia erant in Vmbria; & ibi fecit eum Dominus noster Magistrum sancti Abbatis Benedicti Patris Monachorum in Europa.* Scriptori huic longius obuiam ire in præsens haud queo: faciam tamen in loco & in tempore.

Hic satis sit, paucis attigisse, nec non extremum tantum digitum intendisse in errorem. Tantum enim abest vt Palæonidorus stet cum F. Diegone, vt etiam aduersa contra ipsum fronte stet. S. Simplicianum iungit sancto Romano, veluti coæuum: deinde hunc in Africam traducit, superstite remq; Ecclesiasticam curante D. Augustino: denique Magistrum facit sancti Benedicti, hoc est, toto cælo errat. Nam Chronologiam si consulas, confestim deprehendes, istum Romanum sancti Simpliciani socium, sancti Patri nostro habitum religiosum tribuere haud potuisse, nisi vitam illi ad ducentos annos producere velimus, de quo nemini fidem faciemus neque nos iuuat fabulas annosi Nestoris intonsis pueris occinere. Sanctus enim Simplicianus circa annum trecentesimum & quinquagesimum florere cœpit: circa tricentesimum nonagesimum septimum, grauis senio, D. Ambrosio Mediolani est suffectus, infulam Archiepiscopalem capessendo. Ad hæc D. Augustinus quinquaginta annis ante obijt, quam sanctus Benedictus nasceretur; illiusque Regula vnum sæculum nostri Patriarchæ Regulam anteiuit. Præterea sanctus Romanus (quod omnes historici ad vnum affirmant) non modo S. Benedictum viuendo consequutus est, verum etiam superauit, primumque è viuis excessit anno quingentesimo quadragesimo sexto. Quis autem ex hoc Romano recudat Romanum illum alterum, Caprasij discipulum, sancti Simpliciani socium, circa annum trecentesimum quinquagesimum florentem, cum noster S. Benedicto vita defuncto ad S. Maurum concesserit in Galliam, anno quingentesimo quadragesimo sexto mortem opperiuerit? Sed fac quod S. Romanus, qui profectus est Constantinopolim, deinde se eiecit in Africam S. Augustino publica Ecclesiæ commoda curantem: vela tum verterit in Italiam: S. Benedicto habitum monasticum in eremo circumposuerit: vitam longius extenderit: exhalauerit in Gallia: quantam, obsecro, vim tempori facies, si fida trutina pensabis? Dem tibi hoc, vel in cunis vagientem, vel fascijs incinctum traiecisse in Europam; multis postea expeditionibus cum Sanctis Felice, Liberato, Simpliciano, Augustino functum esse, infantem tamen Benedictum

Romanus S. Caprasij discipulus, D. Benedictum longe antecessit.

con

conſequi viuendo non potuit: quanto minus ætatem cum eodem egit, ac aliquot annis vltra ſanctiſſimi Patriarchæ funus extendit? Quocirca ſi Capraſio diſcipulus quidam Romanus fuit, nomen ſolum Romani noſtri habuit. Nam æuum ad annũ ad quingenteſimum quadrageſimum ſextum vſque extendere non potuit: nec dubito Baleonidorum & Coriam, inſpectis bene rationibus, noſtram in ſententiam tranſituros.

Cum igitur videam tot incommoda & errores irrepere in hiſtoriam, indies magis adducor, vt credam, neminem certius ac citius potiri portu, quam temporis, velut Cynoſuræ, obſeruantem. Hoc ego *Dilucidarium* reſpicere ſoleo, quem titulum ſuo libro poſuit P. F. Diego; nec oleum perdidiſſet, ſi ſuis vigilijs etiam induſtriam, ad ſuos quæque annos reuocandi, adiunxiſſet, de Carmelitarum Ordine paulo melius meriturus. Sed hem tibi quoq; aliud argumentum. Romanum Capraſij diſcipulum in Europam veniſſe aiunt, vt haberet conciones: vt Regulam S. Baſilij diffunderet: vt condendis monaſterijs operã nauaret: at quando S. Benedicto ſacrum habitum dedit, nec erat concionator, nec Abbas, nec moliebatur Aſceteria, ſed priuatus rupem Sublacenſem incolebat, Regulæ Theodati deuinctus, quod refert D. Gregorius. Quod in Baſilij Magni Regulam iuraſſet, eiusq; propagandæ ſtudio tanto itinere petiiſſet Italiam, profecto nec D. Gregorius ignoraſſet, nec ſilentio præterijſſet. At nunquam vel obiter Regulæ S. Baſilij meminit, quæ an mediæ Italiæ iam tum inſederit, anceps hæreo.

S. Greg. l. 2 dial. c. 1.

Etiam hanc mantiſſam cape. Si S. Romanus erat monachus Baſilianus, qua fronte P. F. Diego de Coria eundem Carmelitis vindicat, cum hi duo Ordines tam origine quam Regulis diuerſi ſint? Immo F. Thomas de IESV, Carmelitarum Diſcalceatorũ Prouincialis, libro de antiquitate ſui Ordinis, poſt fœtum F. Diegonis editum, pleno ore edicit, nullas inter Regulas Eccleſiæ Catholicæ minus conuenire, quam S. Baſilij, & Ioannis Patriarchæ Hieroſolymitani, à quo Carmelitæ ſe primo Regulam ſcriptam accepiſſe ferunt, quod ego hic ad viuum non reſecabo, vti nec duarum iſtarum Religionum ætatem ad vnguem meum exigam, cum quod mei fori haud ſit, tum quod hiſtorici ſentiant aliud, atque aliud.

Thomas de Ieſu l. 1. c. 10.

AN. CHRISTI 497. AN. S. BENEDICTI 17.

S. Benedictus indagatur: inuenitur: grauiſſima tentatione ſubigitur.

RAdij ſanctitatis, quos adoleſcens Benedictus fundebat, nullis latebris poterant coërceri vltra triennium. Quamuis enim nihil illi magis eſſet in votis, quam in abdito montis receſſu vitam agere, & cum ſolo Deo tempus conſumere, non tamen hic permiſit vt lateret diuus, magiſter futurus & fax Eccleſiæ. Ideoque è fuga mundi & tenebris antri retractum, impoſuit ceu candelam præalto candelabro, vt ipſius luce vniuerſus frueretur orbis. Forte clericus vno milliari, non amplius, ab antro S. Benedicti fixerat ſedem, loco non admodum populoſo. Cum iam imminerent feſtiuiſſimi Reſurrectionis Dominicæ dies, aliquid in prandium quærebat lautius: & ecce Seruator noſter ſeſe anxio quid inueniret in conſpectum dedit, an vero æquum te facere putas, aiens, vt quæſiris cibis tu quidem menſam inſtruas, & ſeruus meus illa in ſpecu fame conficiatur? illa inquam in ſpecu? Tum quid fieri vellet addidit. Sacerdos confeſtim dicto audiens, in viam ſe dedit ipſo Paſchatis die, ſuo commeatu onuſtus. Tandem eundo & reptando reperit, ac euaſit in cauernam. Ibi officijs ſalutationis perſolutis, alter ab altero petuere benedictionem, cœpitq; ſacerdos aduentus ſui cauſam exponere, & legationem expedire. Annua Paſchatis ſacra feſtiuo gaudio agi: aliquid cibi ſumendum. Profecto hic dies mihi Paſchalis eſt, ſubiecit ille, vel eo quod te videam: Sacerdos, at certe Paſcha eſt, viciſſim excepit, & hem, quam fero menſam, à Deo tibi ſum iuſſus ponere. Igitur audito quis pater familias ſubmiſiſſet, actis gratijs cum hoſpite diſcubuit. Inter comedendum, itemq; menſa remota, colloquia miſcuere, quæ animam paſcerent, vt ſolent Sancti. Rebus denique compoſitis, ſacerdos S. Benedicto valere iuſſo, ad ſuam Eccleſiam reuertit.

S. Benedictus in ſpecu deprehenditur à ſacerdote. S. Greg. l. 2. Dial. c. 1. & 2.

Atque ab eodẽ accipitur conuiuio.

Iam decreuerat æternum Numen, S. Benedictum ex obſcuro antro in publicũ theatrum, ac meridianam lucem producere, vnde eius nutu paſtores quoque illuc paullo poſt delati ſunt. Forte denſas is inter arbores captabat vmbram. Paſtores feram eſſe rati, ob exuuias, quibus inuoluebatur, paullatim ſe propius admouent: ludibrium oculorum corrigunt: alternis auribus verba excipiunt: contra vitia bruta perorantem audiunt: & ſeipſos hactenus feras fuiſſe, confitentur. Igitur paſtores primi depre-

Proditur à paſtoribus.

henderunt: primi ab hoc diuino pastore imbuti sunt, Dei filio ita omnia dirigente, qui natus olim, præ alijs mortalium, custodes ouium ad sua incunabula exciuit. Tantum vero abest, vt deprehensum texerint silentio, vt etiam vbique vulgarint, ac prodiderint. Ergo è vicinia rota itur in antiquam syluam: inuisitur angelus Dei: affertur famelico commeatus: gratus adolescens verba salutis ore toto reponit.

Memorabilem pugnã contra stygẽ edit.

S. Gregor. l. 2. Dial. c. 2.

Non pati, non ferre, non sinere potuit stygius Alastor, tantos Benedictum facere progressus, ac insuper suas merces alijs quoque vendere: inuenire emptores: spem longe maiorem promittere. Quocirca inito secum consilio, statuit omnes orci machinas intendere iuuenem summis viribus adoriri, ac pellere eremo. Quodam die cum non nihil ageret, ageret tamen remissius Benedictus, ecce tibi! inferna styx arma explicare: mouere bellum: caduceatorem volucrem præmittere, quæ classicum caneret. Merulam dixisses. Non diu, cum in aduersum iuuenem furiarum alarum remigio inuehitur: iam eminus iam cominus applaudit: modo totum corpus ventilat: modo totum in aura suspendens: interdum ludibundo turbine quam citissime se rotat. Manu intercipere potuisset, qui diabolum habere voluisset. At alienis inuolutus plumis non fefellit tamen Benedictum, vt non sentiret è quo nido adesset. Igitur sancta cruce caput & pectus munit. Quid fit? Componit ocyus alas merula, & absoluit iocosam scenam; sed mox trabale telũ in virgineum pectus emisit orcus, & vi tanta concussit, quanta nunquam eum ante diem. Sylua, pix. sulphur id erat, non pectus, adeo ardebat libidine! Nimirum fœmina bene compta, ficta, picta, nec forma quotidiana, olim conspecta, animo obijciebatur attonito, & nihil tale cogitanti. Non sic estatum fluctibus æstuat mare: non sic incendium, incumbentibus à tergo ventis, grassatur & deflagrat, vt hoc pectus, ictum telo Cupidinis. Huc, illuc ora flectit pauidus: dubio propemodũ Marte pugnat: igni ferme liquescit: iam parum abest, vt pedem eremo efferat. Sic incerto sui, Numen suppetias tulit, ac animum restituit: quo reddito, mox consilium in arena cepit, pudore quoque proprio stimulos admouente. Forte in proximo vepretum immane quantũ horrebat, aculeis densissime exasperatum: crebris quoque vrticis feruens. Is, dum mœstum caput circumfert, videt: absque mora virgineum corpus ex amictu raptim euoluit: tum se intendit ac librat: in vrticas, vepres, sentes, audacter insilit, Cupidine frustra inducias suadente. Neque ignauus sic iacuit, sed iam pronus vepreto incumbens, per mille aculeos innoxia viscera raptauit: modo resupinus cruentas inter spinas tergiuersando, pellem vertit: iam latera impressit, costarumque sulcauit pellucidas crates: nunc corpus omne, facinore inaudito, versauit, sibi inexorabilis hostis, ipso vepreto erubescente. Nec ante desiuit, quam vicit, turpissimo incendio sanguine restincto, & Cupidine per infinita vulnera expulso. Grande certamen! quo non modo carnis petulantiam superauit, sed insuper internecione deleuit, nullam post cruentam arenam illam passus Cupidinis assultus, id quod suis ipse retulit discipulis. Tanti refert magno animo statuere, nullum penitus flagitium in se admittere! necque scelerum inuentor dæmon, accepta semel turpi plaga, arma repetere, vel prælium denuo ciere facile audet.

An. Christi 510. — An. S. Benedicti 30.

Vicini Monachi S. Benedictum sibi sponte imponunt.

Parta insigni hac victoria, Benedictus, agente Numine, in publicã famam iuit: multi cœlitus impulsi pede fausto ad victorem sese tulerunt: iam enim decretum supremo Imperatori erat, in lucem illum prouehere, createque immensi agminis ducem, clara sidera expugnaturi. Artem profecto militarem, qua subigendi & debellandi hominum hostes sunt, in eremo didicit. Vnde fama qua qua versum prorumpens, quamplurimos ad specum illexit, qui verba sacra, Benedicti ore fusa, auidissimis auribus imbiberunt. Linguam enim Suada Superum imbuta, ita feliciter expediebat, vt illico caperet auditores: ad virtutis studium induceret.

Etsi vero fuerint, qui tunc illo magistro vitia exuerent, tamen D. Gregorius nec hos discipulos, neque alios casus, quos primis in spelunca annis subijt Eremita, memoriæ prodidit. Istis igitur veluti saltu transmissis, cap. 3. lib. 2. è speleo in monasterium, Abbate viduum, à monachis excitum esse, ait, ac cepisse fasces. S. Benedictus vocatur ad clauum tenendũ vicini monasterij.

Quidam sentiunt, egisse tunc annum decimum septimum: atqui D. Gregorius nec omnia à S. Benedicto gesta, nec etiam ordine conscripsit, sed potius vt ad rem facere videbantur, quam tunc manu & calamo versabat. Quamuis igitur post superiorem pugnam depugnatam, atque libidinem in senticeto depositam (quod factum tertio anno, in cauerna exacto) sanctus Pontifex

mox

mox huius legationis seriem enarret, nihilominus Abbatis munus statim à triumphato orco non adiuit, sed aliquot anni intercesserunt. Trigesimum duxisse putatur. Nam licet prudentia anteuerit ætatem, par maximis oneribus, non tamen subiturus fuisset, tam impar annis. Incredibile quoque est, integrum cœtũ Religiosorum sibi iuuenem fuisse impositurum, ignotum eum, & à quo nullum ante id gubernandi periculum cepissent. Itaque certum est, singulares eius virtutes mouisse famam: inde aliquos sanctioris vitæ cupidos aduolasse: pro comitibus sacræ viæ se adiunxisse, Benedicto pro socio tantum se ferente: at postquam cunctis humero toto, veluti Saul, altior ibat, pro patre illum haberi ac coli cœptu in eremo: tandem famam serpendo ad monasterium, proxime Vicouaram situm, peruenisse, quod ruderibus relictis nec dum penitus sepeliuerunt iniuriæ seu hominum, seu temporum. Postquam ergo vita concesserat Abbas, communi suffragio itum est in Benedictum. Inde accedunt, orant, instant, succedere velit oneri, ac muneri. Abnuit is obfirmato animo. An appeteret honores, postquam gentilitiam suam domum, Dominamque Romam, & fastigia dignitatum abdicauerat? Illis vicissim obstinate vrgentibus ac trahentibus, metuo, inquit, vt meos inter mores ac vestros conuenire possit. Optimo demum pectore à charitate expugnato, sui fecit deditionem, supplicibus annuendo.

1. Reg. 9.

Capitéque clauum.

Non mora, ad amussim errata corrigit: disciplinam æquo remissiorem intendit: omnia instaurat. Non paruum opus est, malos mores radicitus vellere, si longas radices egerunt in monasterijs. Hoc autem monasterium libertas cũ pigro tepore, iam pridem suo quasi iure obtinebat; vnde rigorem noui Abbatis boni facere, vel æquo animo ferre haud poterant. Idcirco furore perciti seipsos incusabãt, quod Benedictum accersiuissent, candidissimam omnino animam, sed quo præsente ipsi apparerent nigri. Rupto demum vlcere, pus erupit, stetitque sententia, fessa pridem colla subducere iugo. Dum in medium consulunt, quonam pacto improbi voti compotes fiant, occurrit necem dolo moliri. Cæterum, mos in Religionibus semper obtinuit, potum exhibere Superiori, vt is ducta cruce salutatem esse iuberet: ac tum minister discumbentibus apponeret. Ergo ad S. Benedictum affertur poculum, veneno vitiatum; quod si hausisset, extingueretur, nec culpa ita facile in sceleris auctores reijci posset: atqui spe frustrati sũnt. Dum enim is sacram sustulit manum, beneque vino dixit, hem tibi subito dissiluit dolosus calix non secus, quam si lapide fuisset ictus. Vbi Sanctus intellexit, quid ageretur, assurrexit, fronteque exporrecta Fratres, dixit Fratres, propitius vobis sit Deus; ego certe hanc culpam vobis condono. Sed cur, amabo, scelus inauditum in me intendistis! An non imprimis suggessi vobis, dispares moribus coniugi non posse? Quamobrem æternum valete: Abbatem alium legite, vobis similem: ego desertum repetiuero. Nec diu hæsit in vestigio, sed ocyus in eremum ac antrum se restituit, vbi gratissima Deo spectacula præbuit. Non tamen abdicauit se muniere ideo, quod maneret alta mente repostum tentatum scelus: ad quod labores declinaret: vel quod auidius inhiaret suauitati, quam capere solebat ex contemplatione, cum hæc nonnunquam curæ animarum postponenda sit: verum quod intelligeret, se proteruos ad frugem reuocando, oleum ac operam perdere, sementemque facere in arena. Prompto equidem animo vitam impendisset Numini, si res exegisset: sed detrimentum, quod insolentes monachi suo è discessu capturi erãt, si compararetur, multo minus futurum præuidebat eo fructu, quem totus orbis suo è horto esset carpturus.

Quem dũ rectè regit, subditi venenum gubernatori propinãt.

Ergo in desertum redit.

Nec ita lancinauit fugientis animum relictorum monachorum corrupta disciplina, vti cura metusque grauior, id mali alia quoque per Italiam monasteria exercere. Quapropter venit in mentem de salute aliena solicito, Regulam scribere, qua veluti lima mores corruptos, in Asceteria passim grassantes, ab ærugine vindicaret. Hanc autem mentem æternum Numen illi iniecerat, quo etiam impellente, vicinia ad spelæum eius confluebat. Postremo habitus fuit pro oraculo; nec secus consulebatur, omnesque adeuntes rapiebat in admirationem. Eos qui sæculum exuere non poterant, plenos doctrina dimittebat domum: quibuscunq; vero erat integrum, vitæ priori mittere nuncium, & nisi ad religionis culmen vltro perstabant, adeo vt tempore non longo supra fidem frequentaretur solitudo. Subactus igitur necessitate, Monasteria excitauit, breuibus interuallis dissita, vt ipse singulis imminere posset. Vnicuique duodecim commisit monachos cum Antistite. Historia ignorat quibus annis ea condiderit, nisi quod Sublacenses reuera glorientur, sanctissimum Patriarcham quintum annum supra tricesimum suum desertum incoluisse. Primos quidem solus cum solo Deo posuit; reliquos consumpsit duodecim Asceteria moliendo, ijsdemque formandis operam su-

Ibique condit monasteria. S. Gregor. l. 2. Dial. c. 3.

mendo, donec vltimam manum Regulæ rudimentis, illic cœptis, in monte Casino imposuit. Quamuis his, vtro in loco Regula sit condita, alibi mihi sit dirimenda.

Hoc Abbate Mauri capto & late vastato Monasterio, nefandum in modum consuluerunt in incolas. Enimuero Berthatium multosque monachorum morte non merita affecerunt, cæteris in fugam actis, & Theanum se recipere compulsis. Patratum hoc barbarum facinus anno octingentesimo octogesimo quarto.
31. Angelarius, primus Abbas Theanensis, postea eiusdem ciuitatis Episcopus. (An. 884.
32. Ragenbrandus Abbas secundus Theanensis. An. 890.
33. Leo, Abbas tertius Theanensis. 901.
Cum monachi parum cômode Theani habitarent, mutata sede migrarunt Capuam.
34. S. Iohannes, secundus Abbas Capuanus. 916.
35. Adelbertus, tertius Abbas Capuan. 934.
36. Baldninus, quartus Abbas Capuan. 943.
37. Magelpotus, quintus Abbas Capuanus. 945.
38. Aligernus. 950.
Hoc Abbate habenas tenente, monachi sese retulerunt in Montem Casinum, vbi pedē adeo firmiter fixerunt, vt statione deinceps deijci nequiuerint, quamuis grauissimis casibus iactarentur.
39. Manso. 987
40. S. Iohannes secundus, cælesti luce natans, ad Superos clarissime subuectus est. 997.
41. Iohannes tertius. 998.
42. Atenulphus. 1011.
43. Theobaldus. 1022.
44. Basilius, Pandulpho Capuano Principe animos ac vires suggerente, occupauit Casinenses fasces. 1036.
45. Richerius. 1038.
46. S. Petrus, Abbatia se abdicauit, quam inuitus adiuerat. Transeunti Henricus Cæsar assurrexit, negans se monachum vidisse alterum qui æque angelum, oris totiusque vultus habitu præ se tulisset. 1055.
47. Fredericus. 1057.
Hic filius fuit Ducis Lotharingiæ, quē sua virtus in Abbatis gradum extulit: Victor II. ad purpuram, Tituli sancti Chrysogoni: Deus Opt. ad summum Pontificatum prouexit. Nomen sibi sumpsit Stephani.
48. Desiderius. 1058.
Ex Abbate factus Presbyter Cardinalis, Tituli S. Cæciliæ: Ex Cardinale summus Pontifex, dictus Victor III.
49. S. Oderisius. 1087.
Filius Comitis Marsorum, Diaconus Cardinalis.
50. Otho Fundanus. 1105.
51. S. Bruno. 1107.
E fastigio Episcopatus Signiensis descendens, in Montem Casinum se tulit: monachum induit.
52. Gerardus. 1111.
53. Oderisius secundus. 1123.
Factus Diaconus Cardinalis.
54. Nicolaus primus. 1126.

55. Senioretus. An. 1127
56. Reinaldus. 1138
Fuit Subdiaconus Cardinalis.
57. Guilbaldus, ante id monachus Stabulensis, quem Lotharius ob singularem prudentiam ac eruditionem secum in Italiam traxit, vt eius consilio in Imperij & Ecclesiæ tempestate componenda vteretur. 1138
58. Reinaldus secundus. 1138
Euectus ad Cardinalitiam purpuram, Titulo SS. Marcellini & Petri.
59. Theodinus, nõnullis Theodosius. 1167
60. Ægidius. 1167
61. Dominicus. 1171
62. Petrus secundus. 1173
63. Rofredus, seu Roffredus. 1187
à Clemente III. creatus Cardinalis, Tituli SS. Marcellini & Petri.
64. Petrus tertius. 1208
Ab Innocentio III. renunciatus Presbyter Cardinalis.
65. Adenulphus. 1210
66. Stephanus primus, 1215
67. Landulphus. 1227
68. Stephanus secundus. 1251
69. Richardus. 1251
Cardinalis Tituli S. Cyriaci.
70. Bernardus. 1263
Monachum professus in insula Lirinẽsi: inde excitus ad Abbatiam Casinensem: denique auctoratus ad purpuram. Vir magna doctrina præditus.
Reuerendus P. Marcus Scipio monachus Casinas post Bernardum ponit quendam Thomam de Rocca quinq; millium. Idem D. Arnoldus de Wion facit.
71. Pontius. An. 1294
72. Angelarius. 1294
Forte hoc tempore Cœlestinus V. Põtifex Max. monachus olim Benedictinus, Congregationem Cœlestinorum instituerat, & pro amore singulari, quo in suos ferebatur, Casinensi Monasterio istum Angelarium imposuit. Adhæc monachos adduxit, veterem colorem vt cum nouo Cœlestinorum commutarint, ac recens natæ Congregationi sese addixerint. Atqui Bonifacius VIII. postquam ille diem obijt, antiquum habitum & disciplinam in Monasterium reuocauit.
73. Bernardus secundus. 1295
74. Bernardus tertius, hunc Bonifacius Papa Episcopum Tripolitanum creauit. 1296
75. Galardus. 1296
76. Thomasius. 1301
77. Marinus. 1303
78. Isuardus. An. 1308
79. Adon. alijs Oddo, vel Odo. 1318
Hic non fuit Abbas, sed Archiepiscopus Pisanus, & Patriarcha Alexandrinus. Ei Iohannes XXII. Casini montis administrationem commiserat, Monasterium hoc in Ecclesiam Cathedralem redacturus, id quod multis nostri Ordinis Asceterijs iam fecerat. Qua de causa Abbates proximi fuere Episcopi Casinenses.
80. Raymundus. Primus Episcopus Casinensis. 1323
81. Guido, Episcopus secundus Casin. 1338
82. Reterius, fortassis Richerius, tertius Episcopus Casinensis. 1339
83. Stephanus, Episcopus quartus Casinensis. 1341
84. Guilielmus Episcopus quintus Casinensis. 1347
85. Franciscus, Episcopus sextus Casin. 1353
86. Angelus, Episcopus septimus Casin. 1355
87. Angelus secundus, Episcopus octauus Casinensis. 1357
88. Angelus tertius, Episcopus nonus Casinensis. 1365
89. S. Vrbanus Papa V. 1365
Sanctus iste Pontifex ante id Abbas S. Victoris de Marsilia, postea ad Clauum S. Petri admotus, Monasterio Casinensi titulum Ecclesiæ Cathedralis ademit; pristinum restituit: atque vt maximo honore locum afficeret, Abbatis nomen sibi vindicauit, Monasterium vero, per vicarios administrauit. Eo mortuo, status Abbatum antiquus redijt.
90. Bartholomæus. 1371
91. Andreas, Congregationis Montis Oliueti. 1371
92. Petrus de Tartares. 1375
Fuit imprimis monachus Oliuetanus: inde Abbas ad S. Laurentij Romæ. Nam id temporis ad Ordinem S. Benedicti pertinebat.
93. Henricus. 1395
94. Pyrrhus Thomacellus. 1419
95. Antonius Caraffa. Hic morti proximus, ore in circũfusos filios eo nuerso, quinquinquaginta, non minus, annorum spatio, dixit, nullum Casino caput erit. 1446
96. Ludouicus. 1454
Hic Episcopus fuit Albanus. Patriarcha Aquileiensis, Cardinalis, Monasterij Casinensis Abbas Cõmendatarius.
97. Barbus. Abbas Commendatarius. 1465
Fuit Summus Pontifex, dictus Paulus secundus.

98. Iohannes de Atragonia, Abbas Commendatarius. An. 1471
99. Iohannes de Medicis, Abbas Commendatarius. 1485
Purpura hic Romana circumfusus, Abbatiam Casinensem sibi commendatam, Iulio II. renunciauit, vt viam illi aperiret ad Congregationem S. Iustinæ. Ob donatum libertate Monasterium gratias ei retulit S. Benedictus, ad summum Pontificatum ipsum promouendo, qui Iohannis nomine posito, Leonis X. sibi indidit.
100. Eusebius. Primus Abbas, post disciplinam ad veterem normam reuocatam. 1505
Atque hæc series Abbatum est, qui captos semel fasces nun amplius ponere solebant, ideoque dicti perpetui. Sequuntur qui hunc honorem adiue runt quidem, sed annis certis elapsis, ex legibus eundem denuo abdicarunt.
101. Zacharias Patauinus. 1506
102. Gratianus Mediolanensis. 1509
103. Ignatius Florentinus. 1510
104. Vincentius Neapolitanus. 1516
105. Theophilus Mediolanensis. 1518
106. Ignatius, Florẽtinus, denuo lectus. 1520
107. Ludouicus, Mediolanensis. 1521
108. Iustinus Hispanus. 1522
109. Ignatius, Florẽtinus tertiũ Abbas. 1524
110. Chrysostomus Neapolitanus. 1525
M. Scipio subiungit Augustinum Patauinum de Bonfilijs.
111. Hieronymus de monte Rubeo. 1530
112. Ignatius Genuensis. 1533
113. Hieronymus de Placentia. 1538
114. Laurentius Zambellus. 1539
115. Hieronymus de Placentia, secundum Abbas. 1541
116. Innocentius de Nouaria. 1546
117. Hieronymus de Papia. 1549
118. Isidorus de Placentia. 1551
119. Ignatius Vicanus. 1554
120. Angelus Sangrinus. 1555
121. Ignatius Neapolitanus, secundum Abbas. 1564
122. Angelus Sangrinus, altera vice Abbas. An. 1565
123. Bernardus Adamus. 1568
123. Matthias de Lignasco. 1570
124. Angelus Sangrinus, tertium Abbas. 1572
125. Hieronymus de Cosentia. 1572
126. Bernardus Ferrayuolo. 1577
127. Desiderius Brixiensis. 1580
128. Bernardus Neapolitanus. 1585
129. Ægidius Sarniculus. 1587
130. Andreas Suessanus. 1589
131. Hieronymus Perusinus. 1590
132. Basilius Brixiensis. An. 1595
133. Victorinus Mansius: à Clemente VIII. creatus Episcopus. 1597
134. Zacharias II. Mutinensis. 1598
135. Ambrosius à Puppio. 1599
136. Desiderius à Monte Regali. 1602
137. Gregorius à Castro Aretino. 1604
138. Paulus à Cosentia. 1608
139. Honoratus Panormitanus. 1609
140. Isidorus II. Parmensis. 1614
141. Paulus II. 1617
142. Bernardinus Tranensis. 1621
143. Simplicius Caffarellus. 1624

Hunc Catalogum Abbatum ex Leone Ostiensi, Petro Diacono, Arnoldo Wion, & quodam monumento S. Monasterij Casinensis erui. In numerum Abbatum, ac annos, non omnes conueniunt: ego rationes & coniecturas sequutus sum firmiores.

CAPVT V.

Excellentia Regulæ S. P. Benedicti.

QVantum gratiæ diuinum Numen in S. Benedictum contulerit, lippus est, qui non vidit hactenus: in Casino Monte tamen multo plus collatum fuit. Vt tamen multa paucis complectamur quæ hic loci gessit, S. Paulum adduxero, qui gratias gratis datas vna periodo componit. *Vni*, inquit, *datur sermo sapientiæ: alij sermo scientiæ: alteri fides: alij gratia sanitatum: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij discretio spirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio sermonum.* — Summis beneficijs D. Benedictum in mõte Casino affecit Deus. 1. Cor. 12.

Et sicut corpus vnum membra habet multa, quorum vnumquodque suo fungatur officio, ad vitam recte degendam, sic ministri Dei, qui cum Capite suo Christo mysticum corpus constituunt; diuersi sunt; nec non diuersis donis præditi, diuersa obeunt munia, vt Ecclesia sibi quam rectissime constet. Non solet Deus mortalem vnum beare omnibus istis donis, sed potius ad Ecclesiæ suæ vtilitatem, ac animarum salutem, alijs alia atque alia impendere. Atqui S. Benedictum in munus singulare altumque iam pridem destinatum, donis & gratijs illis instruxit, stipauitque vniuersis, quod priuilegium incompatabile iure censeas. Id secum exigens D. Gregorius, & demirans, *Benedictus*, exclamauit, *spiritu iustorum omnium plenus fuit.* Par enim erat infinitæ multitudinis futurum Magistrum, & eius Reipub. caput, cui se ita varij mortales iureiurãdo essent adstricturi, supra cæteros eminere. Cum olim sibi Deus tabernaculũ fabre fieri vellet, arte varia elaboratum, suasque in partes scite distinctũ, quibus futuri Ecclesiæ mili- — D. Gregor. l. 2. Dial. c. 8.

Exod. 31. militantes successus & mysteria designarentur, *Beseleel impleuit spiritu, sapientia, & intelligentia, & scientia, in omni opere, ad excogitandum quicquid fabre fieri potest, ex auro & argento, & ære, marmore & gemmis, & diuersitate lignorum:* qui adeo artificibus cæteris palmam præripuit, vt si ad vnum omnes confluxissent, vel ex omnibus conflatus fuisset vnus, æquare tamen Beseleelem haud potuissent. Ita cum Max. Deus delectu inter homines habito, S. Benedictum destinasset, qui exemplo, verbis, scriptis Ecclesiam Latinam sancte imbueret, spiritum illi demisit cœlestem: sapientia & dexteritate instruxit, vt officium quam rectissime fungi posset: nimirum vt omnis ordinis ac ætatis homines prudentissime captare, & ad Deum adducere sciret. Profecto enim sua in Regula pauperes ac diuites: nobiles & seruos: doctos & rudes inuitat. E quauis etiam classe nomina dederunt, quos S. Patriarcha dedolando, poliendo, excolendoq; in vasa præstantissima efformauit, digna quæ abaco supremi Numinis imponerentur, eiq; gratiam & pretium iuxta vasa alia conciliarent.

Beseleel tabernaculum: S. Benedictus Ecclesiam Dei ædificauit.

Sed age nunc de rimâ prospiciamus, oculis in *gratias gratis datas* intentis, quas Deus Ecclesiæ ministris communicare consueuit, vt simul intelligamus, quantum acceperit S. Benedictus. Non nemini forte vacuus & otiosus ad argumentum haud proprium historiæ dilabi videbor, sed cum mihi consilium sit gloriam Dei & Sanctorum in publicum efferre, nec non perfectę sanctitatis exempla oculis subijcere, silentio hic mihi prętereundum non esse, iudicaui. Deinde, malo notam mihi impingi violatarum Rhetoricæ & Historiæ legum, quibus digressionibus ita longis interdicitur, quam Lectorem fugere multa miracula, à S. Benedicto patrata, quæ recte intelligi non possunt, nisi ad certas causas expendantur. Vereor potius vt errores in hunc Tomum irrepant alij, quos vel præ inscitia non videam: vel quos castigare præ ingenij tenuitate non possim, nimis impar operi. Hunc autem volens ac prudens dissimulauero, cum exiguus sit, ac fructum ferat. Igitur nunc ad rem.

Gratiæ gratis datæ: Sapientia. Sapientia est altissima quædam rerum diuinarum & pertinentium ad salutem cognitio. Ita DD. Augustinus & Thomas. Hanc suis discipulis pollicitus est Christus his verbis: *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere & resistere aduersarij vestri.* Scientia donum alterum, est rerum creatarum cognitio, quatenus propius nos ad Deum conspiciendum adducit, missis Philosophorum curiosis phantasmatibus.

S. August. de SS. Trinit. l. 13. D. Thom. 1. Cor. 12. Luc. 2.

Scientia. Sapientia & scientia quidem dona Spiritus sancti sunt: at gratiæ gratis datæ tantum, *sermo sapientia, & sermo scientia:* verba nimirum quæ misericors Deus ministrorum suorum linguis suggerit, ad persuadendum auditoribus vi quadam singulari istas veritates; videlicet, *instruendo & docendo intellectum,* vt inquit D. Thomas: *mouendo & delectando voluntatem, vt aliquis libenter audiat verbum Dei: denique, tandem voluntatem inclinando, vt amet ea quæ verbis significantur, velitque opere implere.* Etiam Eloquentia hæc potest, sed neruo longe minori. Spiritus sanctus docet, delectat, flectit efficacia quadam vehementi & arcana. Eo autem fauore, S. Bonauentura teste, Deus ante alios S. Benedictum prosequutus est, assidua meditatione Scripturam sacram ruminanti, sapientiam & scientiam infundendo. In eadē schola doctum quoque S. Equitium, D. Benedicto coæuum, præter Angelicum Doctorem, refert D. Gregorius, immo ipse sanctus Equitius, *Quadam nocte,* inquiens, *speciosus mihi per visionem iuuenis adstitit, atque in lingua mea medicinale ferramentum, id est, phlebotomum posuit dicens: Ecce posui verba mea in ore tuo. Egredere ad prædicandum. Atque ex illo die etiam cum voluero, de Deo tacere non possum.* Ita quondam cum Isaia Propheta actum. Scientia huiusmodi postea pluribus de nostro Ordine infusa fuit, veluti Ruperto Abbati Tuitiensi, Hermanno Contracto, ac alijs, quos suis locis dabo.

Sermo sapientiæ & scientiæ. D. Thom. 22. q. 77. art. 4. S. Bonau. de lumin. Eccl. ser. 20. D. Thom. opusc. 19. c. 4. D. Greg. lib. 1. c. 4.

Sapientia & scientia S. Benedicto impertitæ, ipsæ sese prodiderunt (quod D. Thomas & Decretum affirmant) quandoquidem is singulari mandato Numinis sementē verbi diuini fecit. Montis profecto Casini incolas & vicini agri, communi errore vagos, in regiam viam reuocauit: vi quadam diuina induxit: vt vero Deo capita submitterent, persuasit. Specimen quoque cœlestis huius sapientiæ edidit S. Pater, rudes, eruditos, nobiles, ignobiles, saluti suæ consulere volentes, admittendo instruendo: stimulos admouendo. Deinde cum Cassiodorus, Dionysius Romanus, alij, quos ætas illa ab eruditione percelebrabat, ad subsellia sese demiserint, & capto discipulorum loco, ipsum habuerint pro magistro, ad discendū prompti, facile credas sapientia ab ipso fuisse superatos. Qua de causa D. Gregorius *verbo doctrina non mediocriter eum fulsisse*, dixit. Argumento esse Regulam, quam scripserit sermone luculentam. Et Trithemius dum setiem Scriptorum Ecclesiasticorum Ordinis nostri disposuit, S. Benedictum primo loco collocauit. Eundem Institutorem ac Principem Monachorum Occidentalium appel-

S. Benedictus præpolluit sapientia & scientia. D. Thom. opusc. 19. c. 4. Causa 16. q. 1. c. Generaliter. D. Gregor. l. 2. Dial. c. 36. Trithem. lib. 2. de viris ill. c. 1.

appellans; spiritu prophetico præditum: cuius ex Ordine viri prodierint eruditissimi, iuxtaque sanctissimi, qui verbis & exemplis innumerum mortalium numerum converterint ad fidem. Non equidem multa lucubrauit volumina; lineam vero duxit, è qua Appellem cognoscas.

S. Regula septuaginta tribus Capitibus explicata, D. Gregorio iudice, stylo luculento conscripta est. Talis enim studiosi fuere Sancti, dedecere rati, res diuinas verbis barbaris profanare. Etiam aliud opusculum, cui initium: *In primis, nocturnis horis*, scripsit, quo cæremonias Ordinis complexus est. Id nos commodo loco afferemus, tum quod adeo vulgatum haud sit: tum quod nonnullis locis ad Historiam nostram faciat.

Sed ad Regulam nos referamus, cuius sapientiam ac scientiam humana longe maiorē esse, & publico Ecclesiæ bono cœlo delapsam, Sancti censent. S. Hildegardis, cui Spiritus sanctus multum lucis communicauit, editosq; ab ipsa libros Eugenius Papa probauit, hæc literis prodidit: *S. Benedictus Regulam, quæ spiritualibus hominibus esset accommodata, sancti viri, sancto Spiritu docente, & ostendente, condiderat.* Singula, quæ Sancti fundunt, verba, pondus habent. Nec enim vt in buccam veniunt, incuriose euoluuntur; sed prius caute examinantur & pensitantur. Hoc maxime tum fieri puta, cum amicos suos arcanorum participes facit Deus, eorumque linguis verba sua imponit. Ita per S. Hildegardem insignem gratiam nobis significauit, in S. Benedictum collatam; dictatā ipsi Regulam cœlo esse. Sed age, videamus quanti Regulam hanc duxerint viri sancti, quorum libros Ecclesiæ calculus probauit. Sunt enim, qui parui reuelationes pendant. D. Gregorius nullam laudandæ Regulæ dissimulauit vnquam occasionem; rerum spiritualium egregius censor & qua Pōtifex Max. & qua Ecclesiæ Doctor. Pontificem differemus ad Regulæ approbationē: iam nunc sublatis auribus Doctori attendamus, caput 9. Libri quarti Regum exponenti, vbi populum Israel Regem sibi poscentem, non illico voti compotem à Deo factum esse, ait, vt omnes intelligerent, statum temere mutandum haud esse, nec leges rogandas quæ lapsu temporis iterum abrogari deberent. Confirmat hoc argumento è Regula S. Benedicti petito; *Nouiter veniens quis ad conuersionem*, inquit S. Benedictus, *non ei facilis tribuatur ingressus. mandatq; vita strictioris excellens magister, & discipulos à diuina veritate illuminatus, dicens: probate spiritus, si ex Deo sunt; prædicentur ei omnia dura & aspera, per quæ itur ad Deum: vt sciat ad quid ingreditur.* Hem, vt epithetis præclaris sanctum Patriarcham exornat? excellentem Magistrum vitæ rigidæ ac monasticæ. Discipulum summæ veritatis appellat. Titulo priore cohonestari solent sancti doctique: posterior non omnibus contingit, quo D. Gregorius sublimius effert S. Benedictum; nimirum quod suam scientiam non aliunde quam è cœlo hauserit. Libellus quidam typo cum Tomis Sanctorum vulgatus, ac frontem inscriptus; *De conflictu virtutum & vitiorum*, circumfertur, qui Regulæ huius meminit. A quibusdam D. Gregorio: ab alijs Leoni Papæ: à nonnullis D. Augustino tribuitur. At horum aliqui scripsere, S. Benedicto nondum nato. Certe si propius oculos admoueris, telam alienam esse, viro pronunciaueris. Libellus vero admiratione dignus, & à sancto quodam, vt videtur, Mediolanensi editus, in hæc verba grauiter desinit: *Tu igitur iuxta Regulas Patrum viuere semper stude, maxime autem sancti Confessoris Benedicti: non declines ab ea quoquam, nec illi addas quidpiam, nec minuas. Totum enim quod sufficit habet: cuius verba & imperia sectatores suos perducunt ad cœli palatia.* Ita est. Innumeros enim monachos, à quibus sancte culta fuit, Superis inseruit, optimo documento, *bonam arborem ex fructibus cognosci.*

S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, non modo in hanc quoque concedit sententiam, sed insuper Regulis alijs Benedictinam anteponit, *Regula S. Basilij*, inquiens, *satis intricata est. Regula Augustini, multum generalis, & ad particularia parum descendens, sed per constitutiones additas à diuersis Religionis eius Professoribus, austeritatibus & cæremonijs ordinata. Regula S. Francisci breuis, & propterea multa ibi præcepta scrupulis plena. Sed Regula S. Benedicti singula quæque clare describit.* si hæc censura à monacho quopiam Benedictino profecta esset, nimij in proprium Ordinem studij postulari posset. Atqui S. Antoninus, nomini S. Dominico dato, in Regulam D. Augustini iurarat, vt causam eiusmodi affectus procul habuisse, censendus sit.

D. Bernardus eandem prolixe laudat, velut in sinu à se diu gestam & custoditam; præsertim vero *Libris de præcepto & dispensatione*, itemque alio *de duodecim gradibus superbiæ & humilitatis* composito; at cum singulis indulgere non possim, haud committam vt postrema libri verba omittam: Proponat tibi B. Benedictus gradus humilitatis, quos ipse prius in corde suo disposuit: ego quod proponam non habeo, nisi Ordinem meæ descensionis.

Scripsit Regulam S. Spiritu suggerente. *Sur. vita S. Disibodi.*

Quam D. Gregori⁹ miris laudibus fert.

S. Reg. 58 D Greg. sup. 4. Reg. c. 9.

Trithem. de Script. Eccles.

Matth. 3. & 7.

S. Antonin. tit. 15. & 13.

Et S. Antoninus omnibus alijs anteponit.

D. Bernar. de præcepto & dispens.

Celebrat D. Benedictus. [sic: Bernardus]

D. Tho-

D.Thom. 2.2. q.161. art. 6. & opuſc.17.

Et D.Thomas.

D. Thomas duodecim gradus humilitatis ſapienter à S. Benedicto digeſtos docet: alibi ſrequenter eandem Regulam in medium adducit, & extollit non ſecus, quam ſi cœlo demeaſſet, id quod maxime Opuſculo 17. facit contra impugnantes ſacras Religiones.

Quibus accedunt ſummi Pontifices & Concilia.

Nec minoris S. Regulam ſecere ſummi Pōtifices, quam SS. Doctores. Ideoque multis locis eam produxere, veluti Cauſa 16. quæſtione prima, Boniſacius IV. Monachos administrare poſſe Sacramenta pronunciat, quod Regula S. Benedicti nullibi prohibeat. Gloſſa vero, *omne id Monachis licere*, affirmat, *quod S. Benedictus non prohibuiſſet.* Adeo numeris omnibus abſoluta hæc Regula eſt, vt nec vnicū verbum neceſſarium deſideráre queas. Eadem cauſa & quæſtione ſummus Pontifex Alexander, qui circa annum milleſimum ſeptuageſimum primum Eccleſiæ præfuit, cum ſtatueret ne monachi abſque licentia Epiſcoporum Sacramenta adminiſtrarent, de Regula ſecit mentionem. Cum inſuper declaraſſet, eos qui beneficio renunciaſſent, intra annum Nouitiatus redire poſſe ad ſæculum, ex Regula S. Benedicti id confirmauit. Cauſa 18. Capitibus diuerſis dum varios Religioſorum caſus expediuit Pontifex, Regulam adhibuit ſancti Benedicti.

Cauſa 16. q.1. c. Sunt nonnulli. & cap. Iuſtū. & cap. Hinc eſt.

Cauſa 18. q.1. c. Statutum eſt. & q.7. cap. Cōjaldus.

Eius quoque meminere nonnulla ſacra Concilia, veluti Turonenſe III. Leone Papa III. & Imp. Carolo Magno, anno octingenteſimo decimo tertio celebratum, quo verbis grauibus ſancitum fuit, vt Monachi Profeſſionis formulam ederent in manus ſuorum Abbatum, iuxta Regulæ præceptum. Concilio Cabilonenſi ſecundo, eodem tempore celebrato, iuſſi monachi vitam ſuam ad Regulam S. Benedicti componere. Tunc quoque Concilium agebatur Moguntinenſe primum, cuius Capite vndecimo Abbates ad vitam communem ſubditorum, à qua ſeceſſerant, reuocati. Capite decimo tertio monachis norma viuendi & amuſſis præſcribitur, Regula S. Benedicti. In Cōcilio Rhemenſi, recitati publice ſacri Canones, vt nemini non conſtaret, qua ratione vitam inſtitueret. Addita deinde declaratio; ſententias Paſtoralis Gregorij Epiſcopis; Regulam S. Benedicti obſeruandā Abbatibus eſſe. Concilio Aquiſgranenſi, Ludouico pio Imperatore, ſancitum monachis, non tantum Regulam non violare, ſed etiam *memoria mandare*. Præterea Concilium Papienſ. Benedicto III. ſummo Pontifice, & Ludouico II. Imperatore, Reformationem Monaſteriorum ad Regulam ſancti Benedicti imperauit. Concilium Lateranenſe, Alexandro III. Pōtifice celebratum, mentionem Regulæ, Ordinis & Monaſteriorū S. Benedicti frequenter iniecit. Vſus demū obtinuit, vt à Concilijs per Antonomaſiam *Regula ſancta* appellaretur. Plura proprios in annos differre lubet. Dictorum compendium eſto, quod Genebrardus ad annum quingenteſimū vigeſimum quartū refert: Concilia deinceps Regulam S. Benedicti, tanquam amuſſim ad reformandas Religiones adhibuiſſe. Porro, Sapientiam S. Benedicto & ſcientiam à Deo infuſam, ſolus ſtylus & dicendi ratio, argumentum palmare eſſe queant. Si enim ſtudioſius animum aduertas, ita omnia ſunt comparata, quam ſi vir ſanctus capto calamo ſecretarij officio fungens, ſcripſiſſet tantum, quæ Numine dictante accepiſſet: quēadmodum ſanctus Iohannes hanc appendicem Euangelio ſuo adiungit: *Hic eſt diſcipulus ille, qui ſcripſit hæc*: nam reuera ipſe ſcripſerat.

Conc. Tur. III. c.25.

Conc. Cabilon. 813.

Conc. Mogunt. c.11. & 13.

Conc. Rhē. an. 813.

Conc. Aquiſgran. an. 817.

Cōc. Ticin. an. 855.

Conc. Lateran. an. 1180.

Genebrar. an. 524.

Quia vero non ſe, ſed Spiritum ſanctum ferebat auctorem, addit: *Et ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius*: de ſe, nec non omnibus alijs Catholicis loquens, pluralem numerum vſurpando. Sic ſuo modo S. Benedictus Regulam orditur ſuam, quaſi foret auctor: *Auſculta, ô fili, præcepta Magiſtri, & inclina aurem cordis tui. Ad te meus ſermo dirigitur, quiſquis abrenuncians proprijs voluntatibus, obedientiæ fortiſſima atq; præclara arma aſſumis, Domino Chriſto militaturus.* Poſtmodum vero tertia ſemper vtitur perſona, tanquam non ſua, ſed diuini Numinis auctoritate leges ferret. *In omnibus omnes Magiſtrā ſequantur Regulam.* Item, etiam alibi ſic de ea loquitur, vt crederes ſubditum eſſe, aliorum inſtar, & de re non ſua verba facere. Ad Regulam vixit. Hinc D. Gregorius: *Si quis velit ſubtilius eius mores vitamq; cognoſcere, poteſt in eadem inſtitutione Regulæ omnes magiſterij illius actus inuenire. Quia ſanctus vir nullo modo potuit aliter docere, quam vixit.*

Prolog. Reg.

Cap. 3.

D. Greg. l.2. c.36.

Exod. 34.

In Sublacu duodecim rexit Monaſteria, nondum latis legibus. Hæc autem Regula inſtar Tabularum fuit, quas præceptis ſuis inſcripſit Deus, ac Moſi in manus dedit, quadraginta dierum ieiunio in monte exacto. Hinc Deſiderius, quondam Montis Caſini Abbas, deinde Pontifex, Victor III. dictus, accepta anſa cum incredibili ſumptu vaſtum moliretur templum, arcum maximum ſummæ arx, D. Benedicto dedicatæ, ingenti flexu duxit; qua patebat ſpatium, SS. Iohannem Baptiſtam, & Iohannem Euangeliſtam coloribus ſcite expreſſit: hos verſus literis aureis eorundē pedibus ſubiecit:

Leo Oſtien. l.3. c.27.

Hæc domus eſt ſimilis Sinai, ſacra iura ferentis,

Vt lex demonstrat, hic quæ fuit edita quondam.
Lex hinc exiuit, mentes, qua ducit ab imis,
Et vulgata dedit lumen per climata sæcli.

CAPVT VI.

S. Benedicto concessa fides, & gratia sanitatum.

D. Thom. sup.

Fides, qua de hic agitur, non est communis omnibus Catholicis, *sine qua impossibile est placere Deo*, sed excellentia quædam ad docendum res fidei; vel singularis quædam & firmissima confidentia, quam nonnulli in Deo sitam habent, patrantque eius virtute ingentia miracula. Est igitur fides illa excellens, secundùm Theodoretum, quæ montes transferre valet, vbi fuerit necesse, & propter quam Deus multa admiranda facere consueuit per eos, qui fidem ad infideles perferunt. Sed quocunque tandem modo fidem accipiamus, eam habuit sanctus Benedictus. Cum enim discussis densis tenebris idololatras reduceret in viam, verba & vim Euangelicam legem persuadendi habuit in promptu, Numine suggerente. Etiam inter gratias à Deo in S. Benedictum collocatas numerauerim, quod Italiam, inanissimis Dijs misere implicitam, per ipsum demum omnino liberare voluerit.

Matth. 17.

Fides firmissima S. Benedicto fuit.

Nec enim Constantinus Imperator proscribendo; nec Pontifices & Episcopi concionando, stygia simulachra penitus è manibus eripere, vel frigida Numina ex animis colentium euellere potuerant. Adeo altas radices idololatria egerat in Italia. Quod si fidem interpreteris, singularem ad patranda miracula confidentiam, nec ista quidem caruit S. Benedictus, quando firma fide subnixus, res tot admirandas gessit. Nam gratia hæc gratias alias parere consueuit.

Nec non gratia sanitatum.

Adhæc quamplurimos affecta valetudine restituendo saluti, *Gratiam* quoq; *sanitatum* se habere ostendit, quam Christus discipulis suis pollicens, *super agros manus imponent*, dixit, *& bene habebunt*. Fœda elephantiasis primarij cuiusdam viri dulcissimum gnatum inuaserat. Malo serpente latius, cecidere pili: cutis intumuit: turpissima sanies vndique se prodidit. Ad S. Benedictum mittitur monstrosus puer: hic morbum coram arbitratur: salutarem ei manum admouet, ac vna salutem dat, vt D. Gregorius refert. Alius grauissimas inimicitias cum quodam exercens, poculum veneno miscuit, vt hominem clam è medio tolleret. Is vinum & venenum hausit, vitam tamen non ebibit, quod fortior toxico stomachus esset. At corpus totũ edax & improba lepra illico respersit. A sancto Benedicto petiuit salutem: hic solo attactu petitionis fecit compotem.

Marc. vlt.

D. Greg. l. 2. c. 26.

Est tamen quod mireris, blandas S. Benedicti manus promptas & salutares, inuisum pondus apud dæmonas habuisse. Sed rem nobis expediat D. Gregorius: *Quadam die dum ad B. Iohannis Oratorium, quod in ipsa montis celsitudine situm est, pergeret, ei antiquus hostis in medici specie obuiam factus est, cornu & tripedicam ferens. Quem cum requisisset dicens, quo vadis? Ille respondit: ecce ad fratres vado, potionem eis dare. Itaque perrexit venerabilis Pater ad orationem: qua completa, concitus rediit. Malignus vero spiritus vnum seniorem monachum inuenit, aquam haurientem: in quem statim ingressus est, eumq́; in terram proiecit, & vehementissime vexauit. quem cum vir Dei ab oratione rediens tam crudeliter vexari conspiceret, ei solummodo alapam dedit, & malignum ab eo spiritum protinus excussit, ita vt ad eum redire vlterius non auderet.* Vbique igitur viri sancti manus medica & salutifera fuit. Porro etiam absentibus salutem tulit. Sed liceat nobis complecti paucis, quæ prolixè Hincmarus Archiepiscopus in vita sancti Remigij narrat; & Petrus Diaconus libro primo de Viris illustribus Montis Casini auget. Numine sic permittente, Tolosæ cacodæmon sibi sedem in quadam iuuencula, primario loco nata, fixerat. Noti parentes Alarico, Regi Gotho, chariq́ue, qui nobilem vrbem ipse habitabat. Etenim Visi-Gothi Hispaniæ, late Galliam tenebant; vnde pars illa, Gallia Gothica dicta. Parentes amore filiæ huc illuc acti, tandem Romam conuertunt trepidam mentem, & vestigia anxio metu labantia. Longam viam permensa filia, sancto Petro adsistitur. Spe frustratis mœstisq; omnibus, spes noua salutis inijcitur, à S. Benedicto obtinendæ. Ergo in viam se dant parentes, tædium, laborem, opes, omnia post salutem filiæ ponunt. S. Benedictus opem rogatus, in orationes & ieiunia obstinate incubuit: vltimo negauit opem se ferre posse. Perducerent miseram ad Remigium Rhemensem Archiepiscopum, quem Gallia tum pro Apostolo suo habebat. Euntibus additurum se litteras. Parentibus iam pridem stabat sententia, omnem mouere lapidem contra dæmonem: capiunt epistolam: vela vertunt in Galliam: perueniunt Rhemos: epistolam his fere verbis conceptam porrigunt: *Remigio Sacerdoti Dei, fratri suo simulq́; seruo Christi IESV, Benedictus Monachus æternam benedictionem optat, singulare gaudium capio, quod Dominus noster tantas tibi gratias concedat, tantumq́; profeceris in virtutibus, vt defectus meos supplere*

D. Gregor. l. 2. c. 30.

Alapa dæmonem expellit.

Panurgus aliud domicilium subit.

Append. Hist. Cas.

tantas tibi gratias concedat, tantumq; profeceris in virtutibus, vt defectus meos supplere queas. Igitur vnus alterum mutuo iuuemus, cum omnes simus membra corporis huius mystici; quamuis ego indignum. Sed quod ego propter mea magna peccata, nulla diligentia potui a Deo quidquid facile magna tua merita efficiunt & homines loquuntur bonam opinionem, quam de me habent absque fundamento, videbuntq; te eum esse, in quo Deus summam virtutum posuit. Propter hanc causam remitto tibi istam energumenam, sperans te victoriam contra dæmonem reportaturum.

S. Remigius obuijs manibus epistolam accepit, legit, ac tanta submissione Diui Benedicti perculsus, oculos lachrymis natantes cœlo intendês, *Benedictus Deus*, exclamauit, *qui tanta me gratia dignatur, & qui tam sanctum virum in Ecclesia habet, publico eius bono.* Tum vires suas, velut tanto operi longe impares, tristissimis parentibus excusans, magnos Sanctos adeundos & rogandos esse, [illegible] inauit. At precibus obnixis parentum, mœrore diffluentium, victus, rem diuinam fecit: inde stygium hospitem adortus, domo facessere iussit. Illico dæmon: heus tu vero Remigi, [illegible] non est vis tua, [illegible] supercilium [illegible] possessione eijcias. Nec enim tuu mandato cedo, sed humilitati Benedicti. Hæc vbi verba dedit, conualuit, statimque se proripuit foras, [illegible] quod prius ingentibus doloribus [illegible] diu[illegible] lerat [illegible]tam. Sic enim soluere solet pro hospitio. Hunc in modum tracta immenso cruciatu & ærumnis fessa, ægre animam traxit, quam etiam breue post tempus exhalauit. Hic nouis precibus pulsatur S. Remigius; atque vt appareret quid vterq; Sanctus apud Deum posset, precibus ipsius in vitam, cumque pa[illegible] d[illegible] redijt. Hoc historiæ [illegible] Factum Card. Baronius in d[illegible]od testamentum S Remigij, in [illegible] Rhemensi repertum, & a Flodoardo l[illegible]ulis prolatum, in [illegible]am sententiam di[illegible]cedere cogor. Sed verba testaméti obijciamus. *Et eas res quas in prouinciam Benedictus quidam, cuius filiam mihi ab Alarico missam, gratia S. Spiritus per impositionem manus meæ pec[illegible], nô solum a diaboli a fraude [illegible] culo, sed ab inferis reuocauit) ad vsum luminis tui & loci, vbi corpus meum iacuerit, continuatim deseruire præcipio.* S. Remigius côdito testamento certas quasdâ res addixerat templo, in quo [illegible] lebat. Eas nimirum, quas dono accepisset, à Benedicto, cuius filiam malo genio possessam imposita manu liberasset, iamq; extinctam in vitam restituisset. S. Remigium hic alio de miraculo verba facere, à nostro diuerso ne-

Baronius hic nobis it obuiâ, & in aliam sententiâ ducit.

mini in mentem venire potest, adeo omnia conueniunt. Rem autẽ turbare videtur nomen Benedicti, obsessæ puellæ genitoris, & tam Hincmaro Rhemensi Archiepisc. quam alijs historiam illa narrantibus, errandi præbuisse ansam, & S. Benedictum introducendi. Diu, fateor, hæc Baronij coniectura me tenuit incertum, num epistola quę S. Benedicti nomine fertur ab eo scripta esset, necne. Non enim, vt aiunt, pedem figere poteram.

Alius insuper animũ vexauit scrupulus, cuius Baronius nememinit quidem. Obsessam enim à Rege Alarico ad S. Remigium fuisse missa, vno ore dicunt omnes. Sed hic diem supremum obijt anno à Christo nato quingentesimo septimo, quo S. Benedicto annus labebatur vicesimus septimus, fama ipsius vltra Sublacum, quo se tenebat, vixdum effusa. Adde quod Montem Casinum multo post coluerit. Item, *Quidam Aquinensis Ecclesiæ Clericus dæmonio vexabatur* ita narrat D. Gregorius, *qui à venerab. viro Constantio eiusdem Ecclesiæ Antistite, per multa fuerat martyrũ loca transmissus, vt sanari potuisset. Sed sancti Dei Martyres noluerunt ei sanitatis donũ tribuere, vt quanta esset in Benedicto gratia, demonstrarent.* Hic subducto sipario S. Benedicti eminentem virtutem spectandam præbet D. Gregorius, quod fecere SS. Martyres simul dum sacerdotê, quê [illegible] iste in [illegible] gerebat, non excusserunt, sed à S. Benedicto pellendum voluerunt, exemplo priori non dissimili. Crederes panurgũ ad nutum sancti viri in fugam se coniecisse, quod resistere vel iudicem alium appellare non auderet. Dicto enim S. Benedicti audiens fuit & erupit, cum ad sepulchra Martyrum nec latum vnguem de statione decessisset. Iniecerat enim iam pridem Orco terrorem, nô ignaro quid posset in hac arena, vt vero vix simile sit, energumenam illam ex Italia remissam fuisse in Galliam. Multis quoq; ambagibus depingitur miraculum. Videlicet, puellam per alpes iter cepisse in Italiam: contendisse Romam: inde in Eremũ penetrasse Sublacensem ad S. Benedictum: pedem retulisse Tolosam vbi imperitasset Alaricus: hunc S. Remigio fuisse supplicem, vt obsessæ à dæmone opem ferret [illegible] voti compotem factum.

D. Gregor. lib. 2. c. 16.

Dum hæc inter studiose calculum pono, non audeo fabulæ notam ita receptæ historiæ impingere, & à multis fide dignis auctoribus litteris proditæ, e quibus Fortunatus Presbyter sanctum Benedictum & Regem Alaricum salutem puellæ à S. Remigio poposcisse palam affirmant. Hincmarus autẽ Archiepiscopus multo longius pedem proferens S. Remigij vitam vna cum hac historia ex archiuo Rhemensis Ecclesiæ conscri-

Fortunat. apud Sur. Octob.

Hincmar. apud Sur. 14. Ian.

psit,

Belluac l. [illegible] Pet. [illegible] de viris [illegible] Mont. Caj.

[illegible] habu[illegible] [illegible] tur lon[illegible] [illegible] auctor[illegible] [illegible] iam hanc in[illegible] [illegible] cum pa[illegible] [illegible]

Vacillat B[illegible] argumentum.

E[illegible] tum Be[illegible] [illegible] Be[illegible] [illegible] S. R[illegible] in nostram sententiam [illegible] S. Be[illegible] [illegible] [illegible] S. Benedictum [illegible] [illegible] admodum [illegible]

CAPUT VII

[illegible]nedi[illegible] [illegible] patr[illegible]

GRatia [illegible] E[illegible] [illegible] Spiritu[illegible] [illegible] S. P[illegible] [illegible] S. Gr[illegible] [illegible]

S. Thom. [illegible] art. [illegible]

Act. 9. Act. 5. Causa 2 q. 8. c. [illegible] D. [illegible] S. Bene[illegible]

[illegible] *pia Cam* [illegible] (D. [illegible]

D. Gregor. l. 2. [illegible]

[illegible]

... um Casinense [illegible] virum cu- [illegible] obrenta ; & [illegible] ulum, quod ex D. Gregorio [illegible]

Q[illegible] *cum fratribus ad* [illegible] *opera* [illegible] *Benedi-* [illegible] *quia idem Pater* [illegible] *ante* [illegible] *ianuam corpus ex* [illegible] *Eadem* [illegible] *quem mox vt* [illegible] *redde* [illegible] *meum, redde* [illegible] *meum. Vir autem Dei* [illegible]

D. Greg. l. 2. c. 32.

[illegible]

Vitam restituit puero.

[illegible]

D. Greg. l. 2. c. 33.

[illegible]

[illegible]

CAPVT IX.

[illegible]

Luculen-[illegible] testimonium [illegible]

[illegible]

D[illegible] lib. 1. c. 1.

F. Num[illegible] rope. [illegible] arcana.

[illegible]

CAPVT X.

[illegible]

I[illegible] P[illegible]

[illegible]

[illegible] fit cue [illegible] ... [illegible] erat [illegible] ... [illegible] m, L [illegible] ... [illegible] antan A [illegible] ... [illegible] ederet, p [illegible] ... [illegible] optuag [illegible] ... S [illegible] A [illegible] ... G [illegible] Mic [illegible] ... [illegible] sepul [illegible] S. [illegible] defle [illegible] vot [illegible] fuerunt. Vnus tamen [illegible] & au [illegible] sepul [illegible] od am [illegible] S. Be [illegible] vt etiam in lach [illegible] V [illegible] que [illegible] estu caput, [illegible] edicti non [illegible] ... [illegible] hora [illegible] mu [illegible] Q [illegible] quid [illegible] ixisses, au [illegible] ... [illegible] ita, [illegible] a ve [illegible] abl [illegible] S. [illegible] ... [illegible] profutu [illegible] ...

S. Benedictus mutu[illegible] [illegible]

[illegible] gratiæ [illegible] datæ [illegible], quæ animam red[illegible] *[illegible] naturæ participem,* [illegible] officia & munia E[illegible] ... [illegible] S. P[illegible] ... *vero E* [illegible] ... *[illegible] rum in* [illegible] ...

Ephes.

Reg. c. 58.

An. 541.

[illegible] Cardinalis [illegible] Baron[illegible] [illegible]

Cardinalis a fronte [illegible] dum erat.

[illegible] quod si vero [illegible] æstate [illegible] luitarum [illegible] vel alias antiquæ [illegible] tantia peccarunt, atque pecc[illegible] & [illegible] sacco errores ferunt. Quod [illegible] Cardinalis Baronius [illegible] & ad[illegible] in difficultatibus explicandis [illegible] rum studium adiunxisset, præ[illegible] Annale[illegible] [illegible] Cum [illegible] Monti oculi[illegible] [illegible]

Tertullus [illegible] ac [illegible] [illegible]

[illegible] Se[illegible] loco, [illegible] Pa[illegible] [illegible] Rex [illegible]

N. Theodemus Rex [illegible] possessio[illegible] [illegible] a[illegible]

A[illegible] est qu[illegible] entius obiectat [illegible] scriben[illegible] [illegible] Imperator [illegible] Epiphanius Archiep[illegible] [illegible] parem [illegible] Verum hæc ita sint, quis tamen [illegible] credat Iustinianum, [illegible] quidem [illegible] le[illegible] didi[illegible] Anal[illegible] [illegible]

B[illegible]

[illegible] Pa- [illegible] Im- [illegible] At [illegible]

[illegible] Mo [illegible] semper viris [illegible] fecundus [illegible] excussuros [illegible] ales, vt vocant, [illegible] s, quo [illegible] laus [illegible], q[illegible] montem Italis [illegible] eccit, [illegible] errent M[illegible] s [illegible] M[illegible]s confu- [illegible] S. [illegible] usque [illegible] ici[illegible], po[illegible] se patrimoniis ex[illegible] tanto ma[illegible] res ob[illegible] te opes, qua- to pauperiores ucre [illegible]. Sc[illegible] id ag[illegible] bat D[illegible], [illegible] Or[illegible] B[illegible] & vir- [illegible] æ [illegible] cœl[illegible] ac [illegible] ent Monachi n[illegible] tan[illegible] ac eruditione [illegible] sed [illegible], honoribus [illegible] al[illegible]

Anno Christi [illegible] Anno S. Benedicti 51.

CAPVT [illegible]

A [illegible] Monasterio Casinensi [illegible]. Benedictus tum Romæ tum [illegible] alia construit Monasteria.

T[illegible]lus, Eury[illegible]hius, cæteri, extractis [illegible] in M[illegible] C[illegible] diebu[illegible], Ro- [illegible] a S. Be- [illegible] imple- [illegible] spectam. In [illegible] [illegible] æ al[illegible] ten- [illegible] [illegible] S. Benedicti [illegible] commiserit, [illegible] bus [illegible] Casinum do- [illegible] nouo Monasterio de[illegible] na- [illegible] S. Pl[illegible] [illegible] c [illegible] t, qui ipsa sede [illegible] S. E[illegible]mo de[illegible], [illegible]

[illegible] numero contracta [illegible] S. [illegible] Cum [illegible], ac [illegible] M[illegible] [illegible] S[illegible]

Roma conducitur Monasteria.

Gordian. vit. S. Placid. c. 2.

Et [illegible]

Fauſt. vita S. Mauri. S. Benedicto, tum à diſcipulis delineata: plurima ſilentio inuoluerunt. Nam hiſtoricos apud in more poſitum eſt, res notiſſimas, ac omnium oculis quotidie expoſitas, prætermittere, quæ tamen venientibus annis vel memoria excidunt, vel nebulis offunduntur. Nihil certius eſt, quam S. Placidum in Siciliam, S. Maurum in Galliam profectos, de quo tamen D. Gregorius non vllum verbum facit. Nec Gordianus meminit expeditionis S. Mauri; nec Fauſtus S. Placidi, partem quo id temporis neminem latuiſſet, partem quod ſuum extra rhombum neuter ferri voluiſſet. Ita quoque multa Cœnobia in Italia, Hiſpania, ac alibi terrarum fundata, ſilentio prætereierunt, nunquam ad poſteros poſterum memoriam ſubitura, niſi archiua & monumenta eadem ab obliuione vindicaſſent. Immo ſumma nos quoque diligentia S. Benedicti fugeret, quam in Ordine propagando adhibuit indefeſſus. Noſtris tamẽ hic querelis intercedit S. Maurus, idoneus teſtis S. Benedictum adhuc in humanis agentem, ingenti numero Monaſteria fuiſſe molitum. Sed eum apud S. Fauſtum audiamus.

Fauſt. ibi. *Nos noſtra congaudentes peregrinationi ſpectemus vt deuotiſſimi ſerui conſolationem Domini, & per omnia veſtigia* [illegible] *N Benedicti imitari ſatagamus qui relicta domo & rebus patris, & ad vltimum nutricem ſuam occulte fugiens, ac ſoli Deo placere deſiderans, tantam à Domino promeruit gratiam, vt nemini poſt Beatos & primos Apoſtolos, vnquam* [illegible] *ſecundus, ſed potius Dei e*[illegible] *tot* [illegible] *auctorum ſteterit* [illegible] *fundator Cœnobiorum, tantaque Domino acqui erit millia perfectorum Monachorum.* Hæc S. Maurus ad diſcipulos ſuos perorauit, quo aeternatos erectiorus, quod Galliam [illegible] locum [illegible] h[illegible]berent ad votum, & præter [illegible] in aliis quoque incommodis p[illegible] vt illa Monachorum & Monaſteriorum multitudo ad S. Benedicti ætatem ac [illegible] te-ferenda.

Quædam à fundamẽtis per S. Benedictum & diſcipulos e. recta ſunt. Cæterũ gloriosus Patriarcha noſter duobus modis Monaſteriis eſt auctus. Quædam è fundamentis ipſe, vel ipſius diſcipuli excitarunt, capto loco quem nulla antea Monachi inſederent. [illegible] em hab[illegible], Monaſterium Herculanum S. Eraſmi Rumæ, S. Saluatoris de Maxella, Noualiciense, S. Petri de Cardenna, S. Toribii in Caſtilia, S. Petri de Lorban [illegible], S. Claudii in Regno Leonenſi. A[illegible] plurima multo ante funda[illegible], ſponte S. Benedicto ſubmiſere, leges ſuas priuatas cum ipſius Regula commutando, omnibus communi. Mul-

Quædam ſu ſponte ad Ordinẽ acceſſerunt iam ante id fundata. [illegible]que Eremitæ, deſerta locorum & aula habitantes, non ad c[illegible]tam [illegible]mam, ſed bo-

ni viri arbitrium ſeſe componentes, ope mutua ad progreſſus faciendos in virtutibus, & ad creſcendum deſtituti, eaq; de cauſa multis erroribus obnoxii, Ordini S. Benedicti ſe intulere.

Porro quod paſſim per Italiam (immo per Occidentem) idem quoque Romæ factum. Præter Monaſterii enim recens ædificata, numerabantur alia, ipſo Patriarcha noſtro antiquiora: & Bibliothecarius in Ecclesia ſancti Petri à Leone I. Monaſterium Monachorum fundatum fuiſſe, ait. Poſt aduentum Magni Athanaſii in Italiam, viſa Romæ monaſteria cũ monachis, procompertoeſt. Illa pariter ad Ordinem acceſſere. *Bibliot. in Leone I.* Hæc cum ita, facile crediderim Orbis Dominam vrbem vixdum natam S. Benedicti, familiam ſinu ſuo fuiſſe complexam. Vbi enim ſuæ eum virtutes ſagaci famæ obiecerant, hæc D. Gregorio teſte, Romam volitans, aures impleuit, virumque extollens adeo nobilium & patritiorum animos cepit, vt multis milliaribus confectis, ad ipſum contenderint quo eius aſpectu & congreſſu frui liceret. Tertullus cum ſociis in Monte Caſino etiam in [illegible] fratrum refert poſtulauit. Hæc faciunt, vt Romana Monaſteria profecto inter prima cenſeamus. Mouere quoque debet, quod grauiſſimi Auctores Abbatem Dionyſium Exiguum pro monacho Benedictino habeant. Hic autem Computum Eccleſiaſticum ad calculum Aſtronomicum exegit, Romæ celebris ſuperſtite adhuc ſancto Patre noſtro, quod noui ipſius Faſti, qui annis ab iſtis initium ducunt, ſatis produnt. Accedit, ſanctum virum olim in vrbe [illegible] eductum, ac inde quamplurimis notum: multis quoque illuſtri ſanguine annexum. Præterea, ſi fuere in Gallia, qui ab ignoto, à nunquam viſo, petitere diſcipulos, ſolo nominis fama excitati, qui [illegible] tot amicos, totque cognatos Romæ [illegible] tes, adeoque non longe diſſitos, recuſſe idem [illegible] edemus? & Sanctum annuiſſe petitioni Romam monachos haud [illegible]

Sedes Romæ capienda erat ad conciliandum Ordini auctoritatem. Quemadmodum [illegible]ctor, caput [illegible] cio non à manibus aut pedibus, ſed à capite imaginem orditur, ita S. Benedictus Ordini [illegible] compa[illegible]tus auctoritatem Ro[illegible] Orbis [illegible], pe[illegible] debebat. Via[illegible] S. Petrus, [illegible]uem ſingulari amore proſequebatur Patriarcha noſter. Nimirum Euangelium pub[illegible] & Eccleſiam eos diturus, Romam ſe contulit, vnde [illegible] diſcipulos quoque ſuum in ſacram hanc meſſem commode emitteret.

Vix vrbi ſcintillam [illegible]cecrat S. Benedictus, & hem[illegible] ardore tota moliendorum Cœnobi[illegible] ſtudio; quæ [illegible] me-

moria

monia repeteret Raulinus, publicis cathedris quondam notus, oratione in Capitulo Generali Cluniaci habita, suspensus admiratione, *Roma*, exclamauit, *Roma, vigente cælestis patriæ desiderio, omnes Ecclesiæ Titulata atq; Collegiatæ, Monachales factæ sunt. Quin imo B. Petri Ecclesia tribus cum Monachorum Collegijs, & eorum frugi vita, adornabatur.* Nec facile numerum inuenero Ascetetiorum, quæ tum Romæ, tum vicina in ditione visebantur, è quibus Pompeius Hugonius viginti duo in medium adducit, quorum Abbates Pontificibus Maximis sacra obeuntibus, per priuilegia adesse solebant. Libet ad calcem huius capitis obiter Monasterium sancti Erasmi tangere: alia suos in annos differre: nisi quod sequenti capite amplissimo iuxtaque antiquissimo sancti Pauli Monasterio locus sit dandus. Igitur Monasterium sancti Erasmi monachis Benedictinis extructum est, Gordiano teste. Blondum vero à Deodato pontifice erectum fuisse affirmantem, refutant ea quæ nos iam diximus; ac ea quæ affert Bibliothecarius. Nam vitam Deodati promens, restaurauit, inquit, Monasterium sancti Erasmi, quod ruinam minabatur; & auxit, addendo multa ædificia, & possessiones: Abbatem & Monachos imponendo. Idem confirmat Platina, adiungitque, sanctum hunc pontificem in eodem Monasterio egisse monachum, adeo vt fundatio ipsi in acceptis referri non debeat: iam enim stabat viuente sancto Benedicto. Deodatus tamen singulari in id amore ferebatur, & beneficijs prosequebatur, memor matrem sibi fuisse, ac habitum dedisse. Multos durauit in annos, fama celebre. Quin ad Carolum Magnum vsque ætatem enitens, præclarum nomen retinuit, quod Leo III. grandi miraculo auxit. In vita hic pontifex sine peccantium discrimine animaduertere consueuerat: vnde duo sacerdotes, quorum vni Paschali primicerio, alteri Campulo nomen, à Stygre incitati in scelerum iustum vindicem inuadere ausi, oculos imprimis ei eruerunt: deinde linguæ etiam barbaras admoliti manus, protractam resecuerunt. Tum in confinio mortis Capui Ecclesiæ in sancti Erasmi Monasterio relinquentes, ocyus se fuga abstulerunt. Posthæc falsa testimonia moueruur in insontem. At culpa vacuum benignus Deus in eodem sancti Erasmi Ascetetio oculis denuo ac lingua donauit. Quocirca duos Summos Pontifices vni huic Monasterio debet Ecclesia, quorum alterum habitu indutum sancte eduxit: alterum saluti restituit. At Orbis & Roma duobus maximis beneficijs acceptis, Monasterio turpem reposuerunt obliuionem. Quid verbis opus est? Hodie æquatum solo procumbit: nisi quod in monte Cœlio, non procul sancti Stephani templo, paruumper attollant verticem rudera, magnifici operis tristia vestigia. Miseram hanc fortunam alia insuper Ordinis nostri Monasteria subierunt Romæ. Asceterium sancti Pauli euasit, cui nulla tempestas Regulam S. Benedicti potuit excutere: in quo describendo breuibus nobis esse non licet.

Raulin. serm. de plantatione perfectæ Religionis.

Pompeius Hugo. lib. de station. Rom. & S. Chrysost. Monast.

Gordian. vita sancti Plac. c. 12.

Blond. in Italia illustr.

Platina in Deodato. Ex Monasterio S. Erasmi prodijt Deodatus Pap.

In eodem lingua & oculis donatus Leo III.

CAPVT II.

Initia & incrementa Monasterij S. Pauli, Romæ siti.

Ecclesia sancti Pauli multo ante, quam ad Ordinem sancti Benedicti transferretur, facile inter præcipuas habebatur, cum propter Sanctorum Petri & Pauli venerandas Reliquias: tum propter splendidas opes. Ex ædificandi occasione, eius ætatem conijcias. Cornelius papa, qui ad annum Domini ducentesimum quinquagesimum secundum pontificatum gerebat, data epistola Christianos in communem lætitiam inuitauit, quod Sanctorum Petri & Pauli corpora inuenisset. *Rogo vos fratres mei*, inquit, *vt mecum gaudeatis. Nam ad petitionem nobilis & deuotæ fœminæ Lucinæ corpora Sanctorum Petri & Pauli de Catacumbis eruta sunt, atque imprimis sancti Pauli, quod postea in possessionem dictæ matronæ via Ostiensi depositum est in latere, vbi idem Apostolus fuit decollatus.*

Hic sanctus Pontifex etiam locum digito monstrat, quo sanctum Paulum capite plexum condiderint. Constructum ibi templum sanctius quam opulentius, quatuordecim stadijs Roma dissitum. Neque hoc quod interiacet interualli, gloriam eius porum imminuere, cui vi magis consultum iri ent Romani, portæ vrbis, quæ Tiberim inter ac Auentinum montem pandebatur, vetus Trigeminæ nomen ademerunt: sancti Pauli imposuerunt. Etiam Ostiensis appellatur, quia tam porta, quam via, qua ad S. Paulum itur, Ostiam ducunt, portum antiquum, commertio Romanorum celebrem. Fuit, cum perpetuus fornix in argus exporrectus, à porta ad S. Paulum vsque obtegeret ambulantes.

Dum Ethnici rerum potiebantur, inter angustias coërcebatur sanctissimi Apostoli templum: postmodum sese extendit vna cum Christianis, quando nimirum Constantinus Magnus sacris vndis expiatus, idolorum cultu interdixit: ædificandi per orbem

Ecclesia S. Pauli Romæ antiquissima.

A Constantino M. in splendorem educta.

templa potestatem fecit: quod imprimis Romæ factum, ingenti pecunia impensa. Plus tamen in Sanctorum Petri, Pauli, Iohannis Lateranensis, facias Ædes profudit Imperator, partim sua sponte, partim inclinante sancto Siluestro, datumque liberalitatis, pietatis, artis, in quæuis sæcula exemplum. Anastasius Bibliothecarius in his recensendis longus est, calices, patenas, lampades, candelabra, thuribula, cruces, vasa alia auro argentoque conflata gemmisq; distincta, propemodum in digitos mittendo. Corpus sancti Pauli, tumba metallina conditum, & magni pretij columnis è Græcia aduectis, suffultum, eidem templo imposuit, addita centum & quinquaginta pondo Cruce aurea, cuius pedi insculptum: *Constantinus Augustus, Helena Augusta.* Diuersis quoque prouincijs, veluti Italiæ, Syriæ, Ægypto, reditus imperauit, cum alendis ministris ad sacra destinatis; tum maiestati diuinorum officiorum augendæ, designatis quæ ceram, quæ thura, oleum, balsamum, aliaque mitterent, copia tam effusa, vt is solummodo credere possit, quæ magnitudinem Romani Imperij animo capere valet. Locus qui primo sancti Pauli templum exceperat, angustior erat, quam vt ingens Constantini desiderium explere posset; vnde moles postmodum à Valentiniano educta, veterem situm non omnino ad amussim occupauit. Propterea Paulinus Episcopus Nolanus, Valentinianum iuniorem Imper. Salustio vrbis præfecto negotium dedisse, ait, vt vix Ostiensi templum aliud amplius illustriusq; imponeret. Annus tum agebatur trecentesimus octogesimus tertius. Operi maximo Valentinianus, fatis circumuentus, nequiuit manum vltimam imponere: fecit Imp. Honorius.

Anast. in Sylu.

Sed magis à sacris ossibus D. Pauli splendet.

Epist. Paulini.

Curarunt hoc templum imprimis Clerici; sed non multo post accepit monachos, quod ex Procopio mihi recte conijcere videor, qui porticum ab vrbe ad templum vsque sancti Pauli, ædificijs alijs adiunctis exporrectam memorat. Proinde Gothis facilem in hoc templum aditum fuisse. Nemineni vero nescire durante bello, damnum hostes nullum intulisse intus se tenentibus; quin potius viris diuino cultui sacratis hoc loco facultatem fecisse rebus diuinis operandi.

Post Clericos accepit Monachos. Procop. l. 2. de bello Gothico.

At enim tam Clerici quàm Monachi sint *viri diuino cultui consecrati*, dubio nos liberare poterit Gregorius Magnus, Eusebio Episcopo Thessalonicensi hæc scribens: *Lator præsentium Theodorus Ecclesiæ vestræ Lector, ad Sanctorum limina veniens, dum omnes, vt homo quippe nouus, haberet incognitos. Andrea monacho, qui ad S. Paulum inclusus fuerat, res & chartas, quas detulit, vt venerabilem nolo innocenter depoſuit, credens quidem, quia mens ipsius, sicut & nos ante habueramus, cum habitu concordaret. Sed tanta ille prauitatis est inuentus, vt si eius stultitia sub inclusionis specie, paulo adhuc amplius latuisset, multorum animas malitia sua falsitate deciperet.* Reclusos appellabant eos, qui omnibus valere iussis, sese in cellulas separatas abdebant, vt vni Deo tanto propius & liberius vacare possent. Ita mos in antiquissimis iuxtaque sanctissimis Monasterijs (cuiusmodi sancti Pauli erat) obtinuit. Huc etiam facit, quod Anastasius sanctum Gregorium II. qui anno septingentesimo decimo sexto Pontificatum gessit, Monasteria ad sancti Pauli templum quondam prostantia, tú vero humi fusa, erexisse referat; ac introductis seruis Dei (qui multum temporis deerant) instituisse Congregationem, quæ dies noctesque officia diuina obiret.

D. Gregor. l. 9 ep. 09.

Anastas. in Greg. 2.

Vnde intelligas fuisse Religiosos, quos Procopius diuino cultui consecratos, in Ecclesia sancti Pauli officia exequi, dixerat; sitq; mihi verosimile, Monasterium hoc de illis fuisse, quæ passim per Italiam stabant, nondum scripta à sancto Benedicto Regula: qua tamen vulgata, cum primis ad Ordinem accessisse: io verba communis monachorum Magistri iurasse: per tot annorum centurias pede non variato perstitisse. Iam Catalogum eorum conficere, qui magnas opes hoc in monasterium ingesserunt, foret infinitam telam texere. Compendium igitur habe: Constantinum, Valentinianum, Honorium, Imperatores Rom. anteiuisse; alios tú Romę, tum Constantinopoli imperantes, tantis exemplis citos, egregie fuisse sequutos. Ab his amplissimos reditus: splendida ædificia venisse. Etsi vero Pontifices, ære ac fortunis multo inferiores, æquare summos Principes humani generis nõ potuerint, at cum fuerint multi, & Romæ sedem fixerint, primo loco inter benefactores Monasterij S. Pauli iure collocaueris, quibus etiam plurimum se debere, palam fatentur incolæ. Fundamentum operi iecit sanctus Cornelius. Leo I. prolixe de eodem meritus est, templum incendio haustum instaurando: quidam ei arcum quoque ab architectis ita celebratum tribuunt, quem nos alibi poenemus. Symmachus Pontif. circa annum quingentesimum, spatiosa sub porticu ante templum exporrecta, liquidissimi oris fontem excitauit: locũ sumptibus non modicis exornauit. Gregorius Magnus templo tectũ imposuit, quod vetus vbiq; fecisset vitium. Ita ferunt epistolæ 24. 25. 26. libri decimi, quibus Sabino Diacono dedit nego-

Benefactores huius Ecclesiæ Constantinus, Valentinian. Honorius.

Cornelius, Leo, Symmachus, Magni munifici.

Gregor. Magnus quoque.

negotium, arbores proceras cæderet in Calabria, huic tecto erigendo. Magnam quoq; curam gessit redituum monasterij, quorum gratia Felici Subdiacono scripsit: *Licet omnia quæ hic Apostolica habet Ecclesia Beatorũ Petri & Pauli, quorum honore & beneficijs acquisita sunt, Deo sint auctore communia; est tamẽ in administratione actionum diuersitas personarum, vt in assignatu cuique rebus cura adhiberi possit impensior. Cum ergo pro Ecclesia B. Pauli Apostoli solicitudo debita nos cõmoneret, ne minus illic habere luminaria idem præco fidei cerneretur, qui totum mundum lumine suæ prædicationis impleuit, & valde incongruum, ac esse durissimũ videretur, vt illa eius specialiter possessio non seruiret, in qua palmam sumens martyrij, capite est truncatus, vt viueret, vtile iudicauimus eandem massam, quæ* Aquas saluias *nuncupatur, cum omnibus fundis suis deputare* &c. Sed Appendicis chartam 6. & 7. legat, quem reditus, fundos, Ecclesias, Monasteria sancto Paulo subdita, penitius inspicere iuuat. Nos ne longius æquo produceremus filum, huiusmodi nomenclaturas amouimus in finem, ac operis calcem.

D.Gregor. l.12.ep.9.

Append. script. 6. & 7.

Gregor.II. Gregorius II. vigilantis nominis primus hæres, diligentissime huc curam intendit: Nam Monasterio priori, quod cũ Ecclesia aliquando fuerat coniunctũ, substituit nouum: Cœtum Religiosorum cum Abbate instaurauit. Fortunata ædes, quæ auctorem habuit Constantinum M. & Gregorium M. instauratorem! Hadrianus I. qui ad clauum Ecclesiæ circa annum septingentesimũ septuagesimum secundum consedit, veneranda S. Pauli ossa diuite arca, hoc est, argentea condidit: atrium longis annis detritum, strauit. *Benedictus III.* Benedictus III. qui circa annum Christi octingentesimum quinquagesimum quintum sacros fasces tenuit, ingentẽ illam porticum, quam Roma ad S. Paulum vsque perpetuo fornice protendi diximus, vetustate collapsã denuo ædificauit. Factas expensas æstimare è via licet, quæ propemodũ ad milliare tenditur. *Alexander II.* Alexander II. duas portas ære ductas, grandi miraculo pares, & Constantinopoli aduectas, muneri dedit, suo, Pantaleonis Consulis, Hildebrandi Archidiaconi nominibus impositis. Hic Abbatis officio fungebatur capta mitra à Leone IX. *Gregorius VII.* Euectus deinde ad summũ Pontificatum, Gregorij VII. nomen sibi sumpsit. Cæterum in hoc Asceterium rapiebatur quodam quasi impetu & amore singulari; an quod communis omnium esset pater, istius autẽ Monasterij proprius? Documento sit epistola, quã ad Manassen Archiepiscopum Rhemensem dedit, in qua S. Remigij Abbatiam cum illa sancti Pauli componit, *Pro certo habe*, inquiens, *tanti me obseruantiam regularem huius Abbatiæ* (S. Remigij) *æstimare, quanti illam Monasterij S. Pauli.* Iohannes I. eum antecedentibus liberalitate certans, locũ sub altari S. Pauli, orationibus dicatum, congesto auro argentoq́ue, qua sese explicat vestiuit, gemmisq; varie lucentibus in splendorem dedit. Iohannes VI. magnis item muneribus affecit: annuo censu auxit, vt in eius vita refertur. Iohannes XIII. summo id quoq, amore prosequutus, Cluniaco adiunxit, cuius magno studio pariter efferebatur. Iste Pontifex perfecit claustrũ, à Petro de Capua Abbate cœptum. Opus illi æuo admirandum à columnis æterni marmoris; cælatura: redactis in varia emblemata lapillis: templo non dissimile. Tot tantisq́ue beneficijs Monasterio à recensitis ac alijs Pontificibus ad summum fastigium coirendi aperta via est. Enimuero qua redituum magnitudine, qua ædificiorũ splendore, qua religione & indulgentiarum sanctitate, inter illustrissima sancti Benedicti Monasteria locum obtinet.

D. Greg. l.7.ep.13.

Ioannes I.

Anastas. in Iohan. PP. 1. & 6.

Iohannes XIII.

Idea templi S.Pauli Dum relati à nobis Pontifices, ac plures alij, sua singuli egregia munera in hoc templum, veluti communem pottum, inuexerunt, eo tandem splendoris, diuitiarum, maiestatis processit, vt ægre palmam templis cedat alijs, præterquam sancti Petri, quod primam accepit manum, forte nunquam acceptururm vltimam. Nostrum vero quadringentos septuaginta septẽ pedes tendi: ducentos quinquaginta octo late explicari, aiunt. Ingentem fornicem, quinque in lacunaria (naues appellantur) per interualla distinctũ: hæc autem marmoreis columnis, quaterno ex ordine dispositis, suumq́ue pretium tum magnitudine, tum arte singulari, luculenter spectatoribus venditare. Naturam & artem hic fatigasse ingenium. Nec alterum Romæ Templum est, quod columnatum numero antecedat. Quod vero tegit omnia tectum, adeo resplendet, vt Prudentius poëta cum cœlu, ac vagis nubibus compararit, mane subeunte sole immensum lumen fundentibus. Præcipue tamen oculos in se conuertit arcus, duabus arduis columnis qua summa ara aditur, incubans, cui Saluator opere musaico expressus, circumfusis quatuor Apocalypseos senioribus, insistit. Leoni I. debeti, addita carmina produnt, Placidiæ mentionem facientia, illius Pontificatum affequutæ. Per chorum quoque variæ columnæ è iaspide & porphyretico lapide fulgunt, arte Dorica & Corinthiaca elaboratæ. Non dissimiles altare summum stipant. Sed vt paucis complectar, etsi templum longe lateque pateat, quocunque tamen oculos

Prudent. de martyr. SS. Petri & Pauli.

admoueas, in parietes, solum, tectum, columnas, choros, altaria, pulpita Epistolarum & Euangeliorum sacros libros exhibentia, ingeniosæ artis & naturæ exempla videas. Ingredientes quinque portis accipiuntur; quatuor tamen non panduntur, nisi vicesimo quinto quoque anno, qui lustralis esse solet. Sic enim in Ecclesijs Patriarchalibus fert consuetudo. Fores portæ maximæ (quæ semper patet) anno millesimo septuagesimo, Alexandro II. Pontifice, Constantinopoli Romam deportatæ, materiem gloriæ ex ære habent.

Indulgentiæ. *Onuphr. & Pompeium Hugon.*

Præcipuæ tamen huius Monasterij opes Indulgentiæ sunt, & sacræ Reliquiæ. Priores hic prætetire, vel obiter tantum libare fas sit, quando integri libri præ manibus sunt, de septem principalibus Vrbis Ecclesijs conscripti, quas inter ista quoque S. Pauli numeratur. Stant septem per templum Aræ priuilegiatæ, ad quas tam exteri, quam indigenæ confluunt, festis præsertim diebus eorum cœlitum, quibus dicatæ sunt. Vna venerabili Eucharistiæ sacrata est: altera Beatissimæ Virgini: tertia S. Paulo: quarta S. Benedicto: quinta S. Scholasticæ: Sexta S. Vrbano: septima S. Antonio.

S. Reliquiæ.

Reliquiarum multitudine & pretio omnibus totius orbis terrarum Ecclesijs præstat, si SS. Petri, & Iohannis Lateranensis Basilicas excipias; quamuis neque his aliquid cōcedat, immo aliqua parte antecellat. Nā non tantum innumeras, vt illæ, Reliquias illatas seruat, sed ipsum quoque templum Reliquijs accensendum est, quandoquidem duo cœmeteria intra sua viscera complectitur, quorum vni à S. Lucina, alteri à S. Theona nomē, vbi SS. Martyrum corpora, diuersis Imperatorum persecutionibus miseranda strage ad mortem adacta, fuere sepulta. Nomina & numerum is solus in promptu habet, qui librum vitæ scripsit. Vt tamen in pauca saltem ossa digitum intendamus, possidet aliqua de SS. Apostolis Andrea, Bartholomæo, Matthæo, Luca Euangelista. De sanctis Martyribus Blasio, Enentio, Gordiano, Sixto, Laurentio, Vincentio, Dionysio, Hermete. De SS. Confessoribus Iohanne Chrysostomo, Gregorio, Cœlestino Papa, Benedicto, Sixto. De SS. Virginibus & Martyribus Lucia, Hilaria, Epapha. Eminent vero hæc inter brachia, de S. Anna: de SS. Iacobo maiore & minore: de SS. Nicolao & Alexio: bene magna pars de S. Cruce: catena qua vinctus fuit S. Paulus. In crypta summo altari subiecta (Confessionem appellant, vsitato in alijs quoque templis maioribus vocabulo) integra corpora, in veneratiorē composita, asseruantur: nimirum S. Timothei Episcopi & Martyris: (credam ego discipuli S. Pauli) S. Celsi: S. Marianillæ: S. Iuliani & S. Basilissæ Martyrum. Pietatem insuper hic accendit imago Christi in crucem suffixi, quam S. Brigittæ, cum Romæ ageret, verba fecisse, & etiamnum miracula patrare, affirmant.

Dimidiata SS. Petri & Pauli corpora hic loci quiescũt.

Summa tamen gloria huius templi, dimidiata SS. Petri & Pauli corpora sunt. Quamuis enim nonnulli Vaticano non quicquā de S. Petro, aut huic ædi sacræ de S. Paulo subducendū putent, fama nihilominus à maioribus accepta, vtrumq; Apostolum cum vtraque Ecclesia ex æquo diuidit. Quin hodie digito monstrant saxum, supra quod in istam partitionem conuentum fuit. D. Chrysostomus huic Apostolo deuotissimus, idem mihi suggerere videtur quadam Homilia, de laudibus & sepulchro S. Pauli scripta: *Hinc*, ait, *sublime rapietur Paulus hinc Petrus. Considerate quale spectaculum prabebitur Roma, cum Paulum illa de arca repente vna cū Petro viderit prodire, & cœlum petendo obuiam ire Christo* IESV*? Item: ostende sis mihi tumulū Alexandri Magni: cede mihi diem, qua fato obijt? Non potes, scio. At quicunq; Roma venerit, is splendidum S. Pauli corpus viderit, cuius dies mortis toto mundo celebratur. Ipsi Macedones facta sui Alexandri ignorant. Nō sic palatia Regum in ore sunt mortalium, vt sepulchrum huius serui Christi.* Nihil profecto vastius habet Orbis, quod maiori honore prosequantur homines, quam sancti Petri & Pauli sepulchra. Quid? etiam à limine salutant peregrini, & priusquā intro se recipiant, hoc deosculantur, cui pietati fouendæ portis insertæ Reliquiæ sunt, ac venerantibus concessæ à Pontificibus indulgentiæ; vt taceam Bullis quoq; Romanis hunc morem circumferri, dum gratias proponunt, à *visitantibus limina SS. Petri & Pauli* auferendas.

S. Chrysostomus.

Quinque Ecclesias Patriarchales Roma habet.

Quinq; sunt Romæ Ecclesiæ Patriarchales: videl. S. Petri. S. Ioannis Lateranensis, *S.* Pauli, *S.* Mariæ Maioris, *S.* Laurentij, quibus hoc non est eo est positū, quod in Concilijs, in vrbe celebrandis, summi Pontificis sedes sint, omnium Ecclesiarum Patriarchæ Maximi: deinde Patriarcharum Constantinopolitani, Alexandrini, Antiocheni, Hierosolymitani. Alexandrinū *S.* Pauli Monasterium hic sortito accipit. *S*ingulis harū Ecclesijs septem Cardinales sacris officijs obeundis præeunte Patriarcha sunt destinati, & quidem sancto Paulo Cardinales Titulorum *S.* Sabinæ, *S.* Priscæ, S. Balbinæ, *SS.* Nerei & Achillei, S. Sixti, S. Marcelli, S. Susannæ.

Monasterium Sancti Pauli accedit Congreg Cluniac.

Iohannes XIII. Monasterium hoc Cluniacensi Congregationi inseruit, cui à lectissimis viris magnum vbique decus erat partum. Vertebatur tum annus forte non-

gen-

gentesimus sexagesimus sextus; Monasterio autem Hildebrandus Prior de Cluniaco præerat. Multo inde tempore Congregationi eius membrum adhæsit, donec schismatibus ac fato omnia miscentibus reuulsum fuit, & in Abbates Commendatarios incidit sæculares. Variam sub his sortem subiuit, nonnullis misere pessundantibus, alijs reficientibus, vsque dum Eugenius IV. veram opem tulit, qui prius ibidem egerat Abbatem. Igitur haud nescius raro bonos, plerumq; malos Commendatarios Abbates obtingere Monasterijs, ecce tibi beneficijs ab isto acceptis relaturus gratias; imposito ab alijs iugo absoluit: Congregationi Casinensi, seu sanctæ Iustinæ de Padua, circa annum quadringentesimum sexagesimum sextũ adiunxit; cui sacro fœderi præter Italiam etiam Sicilia connexa est. Quocirca incrementum suum huic Pontifici in acceptis iure fert, qui nullam adeo bene merendi dissimulauit occasionem, vt Iohannem Siculum, eiusdem Abbatem, creauerit Presbyterum Cardinalem. Album Abbatum non exhibeo, quod plus simplici vice frustra petierim Roma. Viros tamen quos habuit præstantes, suis annis producam: nunc ad sanctum Benedictum nos recipiamus.

In Abbates Commẽdatarios incidit.

Annvs Christi 532. Annvs S. Benedicti 52.

CAPVT I.

Monasterium S. Saluatoris & S. Spiritus de Majela extruuntur; magna Sanctitatis domicilia.

QVædam Monasteria Diuus Benedictus ciuitatibus imposuit, vt monachi secularibus iter ad superos expedire possent: plura tamen ipso etiamnum viuo in desertis structa, atque montibus. Certe solitudinis tam fuit studiosus, vt non alibi locum caperet, quoties fundamenta præsens iaceret. Exemplum duodecim Monasteria Sublacensia sunto: Mons Casinus: & hoc tempore ædificatum Ascetetium, cui sancti Saluatoris nomen inditum de Majela, cuius meminit Gordianus Rem ad calculos vocans, quam Tertullus Monti Casino contulit. *Nec non*, inquit, *& res suas in Majela, vbi postea ab eodem Patre Benedicto Monasterium Domini Liberatoris constructum est.* Vnde conijcito gloriosum Patriarcham adfuisse fundationi: nam quorsum alias vertetes illa verba, ab eodem Patre Benedicto Monasterium constructum est. quamuis hoc iam nõ agam, sed id solũ; S. Benedicto adhuc in humanis agente, funditus erecta multa Monasteria, seu ipsus interfuerit, seu abfuerit. Ea inter excelluisse sancti Saluatoris Ascetetium. Leo Ostiensis dum filiationes & possessiones Montis Casini componit, primo loco Cœnobium illud ponit. Igitur montes & deserta sectatus S. Benedictus est, vt monachi tanto altius sese committere possent contemplationi (quam ipse in delitijs habebat) deinde vt illi, *qui Monasterij probatione diuturna didicerant contra diabolum, multorum solatio iam docti, pugnare, bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam Eremi* commode possent dimitti. Quapropter montem Majela, etsi præ alijs, quos memorauimus, asperum, occupauit tamen, excitando quasi Gymnasio, ad Monachos & Eremitas sanctissime instituendos, vt olim absque suppetijs cum orco manum conserere auderent.

Gordian. vita sanctissaldi.

Monasterium Majela fundatur, & sacratur S. Saluatori.

Ostiens. l.1.c.48.

S.Reg.c.1.

Potro mons iste in Pelignis situs, tam alte verticem efferit, vt non modo longe oculis vsurpari possit, sed etiam perpetuæ hyemi sit obnoxius. Densæ arbores & conferta catera vagis vbique feris aptissima lustra præbent. Qua porro dorsum submittit, lateraq; explicat, compascuus est, fontibus & riuis passim errantibus lætus pecori, hominibusque. Hinc cum alijs præceps ruit Laentus, cuius ad ripas noster Pater Monasterium posuit sancti Saluatoris. Huc admittebantur monachi, velut in Domum probationis, vnde postea exerciti, suoque cortice nare edocti, in Eremitoria, quæ medium montis, vel etiam editiora tenebant, emittebantur. Nimirum in specus & cauernas sese componebant, ne quisquam vacantibus Deo, intercedere posset. Monasterij, eius possessionum, opum, Theobaldi Abbatis, auxilio Henrici Imperatoris domum egregie prouehentis, ereptaque recupetantis, meminit Ostiensis. Idem multa alibi de Eremitis huius montis, nec non celebri, qua ferebantur, per orbem, fama. Ansam laudandi dederat Desiderius Monachus, clauo Montis Casini, deinde Ecclesiæ Dei admotus, & Victor III. dictus. Vt enim fidem faceret, eum virum esse præstantem, argumentum cœpit à solitudine, in quam se abdidit: & loco, vbi de asperitate vitæ monasticæ nihil licebat remittere. Nam Desiderius idemtidem vestigabat tigoris domicilium, quo se referret. Sed Ostiensem audire iuuat: *Audiens autem celebre tunc Eremitarum nomen, Majela degentium, illuc Deo seruire secretius cupiens, Comitem (Trasmundum) vt se illuc dirigeret, rogat, idq; incunctanter obtinuit. Vbi cum tribus fere mensibus in summa continentia fuisset remoratus, aduenit illuc memoratus Hia-*

Majela mons.

Ostiens. l.2.c.32.

Ostiens. l.3.c.5.

cynthus cum litteris ex parte Apostolica ad Eremi ipsius Priorem, quarum tenor, Priori sub interminatione iubebat ne illum vltra retinere præsumeret: illi nihilominus mandans, vt ibi nullas moras auderet nectere. Hinc insuper apparet, Monachos inter in Conuentu degentes ac Eremitas intercessisse discrimen: illos Abbatem, hos habuisse Priorem, qui tamen cum Eremitis subiectus erat Monasterio S. Saluatoris. Item, Eremitas Majelæ alios austeritate vicisse; nam hac de causa apud eos sedem fixerat Desiderius, qui licet nobilissimo sanguine esset ortus, tener, gracilis, ardore tamen animi omnes difficultates subegit, suisPontificem adeuntibus, vt è dito carcere eruium transferret alio, vbi nonnihil sibi indulgeret.

Blond. in Italia illustrata in Abruz.

Porro, Cœnobium hoc cum Regulæ obseruantia, mundi contemptu, ratione meditandi, litterarum etiam auidum amorem, præsertim sacrarum, imbibit. Blondus oculatus testis sit; qui suo calamo illustratus Italiam, vt pretium operæ faceret, & ciuitates lustrauit & archiua. Cum Majelam ventum est, non magnifica tantum ædificia, sed etiam Bibliothecam, quæsitissimis libris stipatam, laudibus eximijs est prosecutus. Labentibus sæculis aliud quoq; Monasterium, hoc in monte exeitauit, & S. Spiritui dicauit Petrus Moron, qui Pontifex creatus nomen Cœlestini V. sibi indidit, in quo non minus vigebat S. Benedicti Regula, quam in antiquo illo S. Saluatoris. Enimuero gloriosus Pater noster Benedictus nō vnam duntaxat benedictionem huic monti impertiuit corā, sed multas. Petrus Moron habitum S. Benedicti indutus, è numero Eremitarum de Majela erat, cuius sanctitatem cum vulgasset fama, adeo multi discipuli sese instituendos ipsi commisere, vt in mentem venerit nouū moliri Monasterium, paulò post caput magnæ Congregationis Cœlestinorum futurū. Monasterium sancti Saluatoris ad Diœcesin Theanensem, sancti Spiritus ad Valuensem (aliter Salmonensem) pertinebat. In illo monachi habitu vtebantur nigro: in isto, cœruleo; vel vt alij sentiunt, candido. Monasterium sancti Saluatoris ingenti decore affecit Victor III. ibidem agendo monachum: sancti Spiritus vero alterum Cœlestinus. Multi labuntur errore, dum hæc duo Monasteria confundunt. Quamuis enim vtrumque sit Ordinis sancti Benedicti, vnum tamen ad Congregationem Cœlestinorum, alterum ad Casinensem spectat.

Alterum Monasterium Petrus Cœlestinus Mōti Majelæ imponit, S. Spiritus dictum.

Præterea, pro certo habeo, pleraq; huius ætatis Monasteria in montibus & desertis fuisse structa, ad normam nuper expositam. Præter cætera Viuariense quoque Cassiodori Cœnobium, documento esse queat, quod in duo Asceteria distinctū, locum editum, aliumque humilem occupabat. Causam eam affert Cassiodorus discipulus, quam S. Benedictus Magister, nimirū vt positis aliquot annis in vita cōmuni, in Eremus secederent perfecti, vitam acturi priuatam. Idem prima Hispaniæ Monasteria confirmant, & quid alibi factum sit, indicant; veluti S. Æmiliani de Cogolla, sancti Turibij de Liebana, sancti Petri de Montibus, cui innumeri Eremitæ fuerant connexi. Sed enim oculos in Montem Serratum is intendat, qui hodie veteris moris ac instituti Ordinis sancti Benedicti conspicere vult imaginem. Hic loci ingens Monachorum numerus colit in Monasterio, in laudes Reginæ Cœli incumbens, cuius sacrum signum in manibus habet: per iuga vero montis spatii bene multi alij, qui vitam eremiticam ducunt, & antiquorum Anachoretarum specimina edunt.

Cassiodor. de diuinis lect. c. 29.

In desertis olim posita Monasteria, vt post cœnobiticā etiam eremiticam colere liceret.

CAPVT II.

Noualicense Monasterium conditur: graui tempestate vertitur.

E Monasterijs, quæ sancto Benedicto adhuc in humanis agente fundata esse certo constat, hoc Noualicense, in agro Taurinensi situm, habetur. Auctor Philibertus Pingonius in Commentarijs de Augusta Taurinensi, quibus tanto maior debetur fides, quanto maiorem is diligentiam in archiuis vsque & vsque vestigandis: in promendo, apteque singula digerendo posuit. Nec vero ambigere licet, quando quingentesimo septuagesimo quinto anno post natum Seruatorem à Longobardis deuastatum fuit. Idem indicant archiui tabulæ, dum cladem hanc quinto sub Abbate acceptam esse, affirmant; vnde conijcias ad prima Monasteria iure merito referri. Etiam argumentum hinc duxeris, sanctum Benedictum multa per Italiam excitasse Monasteria, quandoquidem è Monte Casino Taurinum vsq; colonos emisit. Item tam ipsum quam discipulos loca infrequentia magno studio captasse: nam hoc etiam Asceterium alpibus, qua fere Italia cum Gallia committitur, imposuere, tanto viciniores cœlo, quanto à terra culta remotiores. Huc enim collimabant Sancti, quando loca nouis Monasterijs legebant. Porro, virtutis neruum acriter hic intendebant monachi. Multus sanctis Confessoribus anno quingentesimo septuagesimo quinto Deus Opt. Martyrem, cui Asnulpho nomen, adiunxit, cæsum à Longobardis. Cū enim ruerent in Italiam, delati ad hoc Monasterium, tectis barbaras admoliti sunt manus:

Philibert. Pingon.

Noualicense Monasterium in alpibus situm.

A Longobardis deiectum.

A quibus cæsus Arnulphus. nus: cæteris monachorum in fugam coniectis, S. Arnulphum fidei Christianæ retinentem, contrucidarunt. Elapsi vero se Turinum receperunt, vbi cœtu instaurato ad annum vsque septingentesimum quinquagesimum sextum sunt commorati, quo Abbo Patritius Romanus, patria Gallus, opumq; validus (hic præsertim loci) æquatum solo Monasterium denuo erexit. Tum enim Godon Abbas Turino cum suis excessit: veterem sedem repetiuit, multis possessionibus per Abbonem auctam, quibus Carolus Magnus magnas opes adiecit, pro sua in Monasteria nostra liberalitate: pulsisque Longobardis, Pedemontio & Sabaudiæ Manfredum, gente Hispanum, imposuit. Hic religione singulari monachorum captus, tum etiam amore filij Frodini, qui se iisdem addixerat, prouocatus, omnes munificentiæ numeros impleuit. Optime igitur hoc de Monasterio sunt meriti Abbo patritius, Carolus Magnus, Manfredus, qui in valle Mauriana, Gratiopolitana, Ebradunensi, Latensi, Tolonensi, ac alibi passim in Italia & Gallia, ingentes reditus ei contulerunt cum priuilegijs, quæ breuitatis studio prætermitto. Tam sanctitate, quam opibus floruit ad annum vsque nongentesimum sextum, quo à Saracenis vastatum fuit.

Philiber. Pingon. an. 906. Fuit librorum officina, & conditorium. Sed vt videamus aliquã saltem diuitiarum huius Monasterij rationem, oculis subijcere libet, quæ Philibertus hoc anno exponit: nimirum, imminentibus iam Saracenis Abbatem & monachos præter sacras reliquias, templi apparatum, sacristiæ cimelia, sexies mille septingentos amplius libros, in locum securũ transtulisse. Thesaurus omnium sententia inuidendus ea ætate, tum dignus quoque admiratione; quippe inter alpes, rupes, præcipitia depositus. Vnde apparet ingenuarum artium & scientiarum sedes reuera sancti Benedicti Monasteria fuisse. Quorsum enim vel lippis tabulæ, vel rudibus tot libri? Quocirca publica doctorum virorum vox est, absque singulari cura, studio & solicitudine Ordinis sancti Benedicti fuisset, quibus infesta inter infinitorum Barbarorum, Gothorum, Longobardorũ, Maurorum, Hunnorum arma, Bibliothecas flammis & exitio subduxerunt, litteræ vel iacerent hodie, vel ad fastigium quod tenent, non euasissent. Sed magis hoc palam fiet vbi confertas Bibliothecas nostras in lucem produxero. Poterant septies mille libri Nonalicenses sufficere auctoribus antiquis instaurandis, quouis casu consumptis, nisi infortuuium alterum intercessisset. Etenim monachi qui fuga salutem quæsierant (nam multi in monasterio intercepti ac pro fide cæsi sunt) in Monasterium S. Andreæ, extra muros Taurinenses situm, confluxerunt, & ecce! Mauri præda illecti aduolare, rapere, trahere; & è tanto librorum numero ægre quingenti barbaras manus fefellere. Ingens iactura, nec reparabilis. Ciuitas viso discrimine, cui obiecti erant monachi degentes in suburbio, intro eos accepit, Ecclesia alia D. Andreæ sacra, exulibus concessa, vbi ad annum vsque nongentesimũ octogesimum septimum durarunt, quo Geton Abbas innumeris calamitatibus, miserijs, damnis defunctus, collegit vasa: cum suis domum reuertit: veteres possessiones cũ reditibus recuperauit: auxit. Parta iam tum temporis Monasterio Cluniacensi vbiq; terrarum insignis sanctitatis opinio erat, cui proinde alia certatim adiungebantur Monasteria. Huc quoque à Conrado Romano Imperatore ducta inde colonia est, ingenti monachorum & Monasterij emolumento, quod in tempore narrabimus.

CAPVT III.

Insulis quoque imponuntur Monasteria, in quibus dure viuitur.

Mos antiquorum Monachorum obtinuit, vndique à turbis sese remouere: desertis immorari: in rupes, in cauernas, in terræ viscera se insinuare; tandẽ ne hæc quidem loca, ita abdita, sat securitatis præstare visa, vt in remotas quoque insulas fuerit remigrandum, quas nulli mercatorum adirent: vbi nemo mortalium interpellaret. Orientis & Africæ monachi facile in vastissimis Eremis se abscõdebant: atqui Occidens & Europa cum huiusmodi latibula non offerrent, serui Dei se mari commiserunt, vestigando insulas hominibus non tritas, vbi vitam sancte degerent. Nondum condito Ordine sancti Benedicti, immo hoc nondum nato, multi monachi sparsas hinc inde insulas habitarunt. Anno trecentesimo nonagesimo octauo Capraria, Gorgonia, Palmaria, plenæ monachis sunt deprehensæ, Baronio teste. *Baron. an. 398.* Vestigia pressere filij sanctissimi Patris Benedicti, solitudinis æque auidi, vt vbique gentium insidas in insulas repositas, monachis cultas: Monasterijs instructas. In Anglia Asceterium occurret Lindisfarnense & Elhense: in Germania Augia diues: in Gallia nemo tam est hospes, qui non nouerit Monasterium Lerinense. S. Fructuosus noster in Hispania quædam inædificauit montibus: veluti Complutense: ac alterum sancti Petri de Montibus: alia excitauit in insulis Cadiz, Aroza, Tambo, quam non nemo Sanctum ipsum incoluisse censet. Atque vt paucis complectar, proprium huius Ordinis *Insulas colunt Monachi S. Benedicti.*

Abbo Flor. apud Sur. 20. Nou.

fuit, insulis & desertis se condere. Abbo Floriacensis dum vitam sancti Eadmundi Regis describit, oram quandam maritimam esse memorat in Anglia, cui Lastengle nomen, in quam plures ferantur amnes, qui deinde refusi, in lacus se spargant, ac insulas efficiant. *Et hæ paludes*, addit, *præbent pluribus Monachorum gregibus optatos solitariæ conuersationis sinus, quibus inclusi non indigeant solitudine eremi, ex quibus sunt sancti Monachorum cælibes Patris Benedicti cœnobita, in loco celebri hac tempestate.*

Insularum vero nomine Angliam, Siciliam, aliasue similes, non minus frequentes, quam vrbes in continenti sitas, complecti nolim, sed exiguas illas, cultoribus prorsus vacuas, cuiusmodi est insula sancti Simonis, quæ Redondelæ in Gallicia aduersa iacet; Aroza, & Tambo, quę S. Ioannem del Poyo respicit. Hæc enim loca silentio & pœnitentiæ sunt apta, vbi dum oculos in neminē hominum conijcere liceat, cœlo hærent. Non fallebat Tertullum hoc sancti Benedicti consilium, ideoque de montibus nec non quibusdam insulis, vtroque in mari Italiam alluente sitis, ipsi prospexit, in mari Adriatico insulis Diomedis: in Thyrrhenno Pontia, Pontateria, Palmaria, dono datis: vbi deinceps monachorum copiosissimi cœtus vitam degerunt. Nec dissimile vero est, superstite adhuc sanctissimo Patre à filijs fuisse cultas, quandoquidē ad illum pertinebant. Persequi singulas Herculeus labor fuerit, vnam ac alteram speciminis loco cape. Non ita multis milliaribus à Monte Gargano, D. Michaeli sacro, promontorium ingens in mare exporrectum, sinum Adriaticum ab Ionio dirimit, ad cuius latus læuum, septentrionem versus, insulæ Diomedis, quas diximus, tremulis vndis insident. Quæ ceteris amplitudine præstat, antiquis Teberia, posteris Trimeti appellata, eximium Monasterium, cui Tremetensi nomen, exponit, monti Casino aliquando subditum, vti Bullæ nō paucæ fidē faciunt, quas Casinates in promptu habent, & Leo Ostiensis producit. Sed quod mireris, cum insula milliaribus nō minus triginta sit à continenti seposita, eo nihilominus tanto numero monachi confluxere, vt Monasterium longe excesserit mediocritatem. Neque vero rerum copia, aut arridentes delitiæ, sed rigor, asperitatis studium, & dira egestas animos sequaces trahebant. Grauissimum testem D. Gregorium tibi sisto, qui ad Antonium subdiaconum data epistola, *Quia autem dura est*, inquit, *in insulis Congregatio Monachorum, pueros in ijsdem Monasterijs ante decem & octo annorum tempora suscipi prohibemus: vt si qui*

Gordian. c.12.

Trimetense Monasterium insulanū.

Leo Ostien. l.3.c.25.

Rigidæ disciplinæ sedes.

nunc sunt, tua eos experientia auferat, & in Romanam vrbem transmittat. Intelligis autem, vt ab insulis monachorum, irritamenta malorum voluptates exularunt? Etsi S. Benedictus admodum pueros in sinum Ordinis admiserit: & quo modo educendi essent, sanciuerit: nihilominus cum sanctus Pontifex summam viuendi austeritatem, in insulis iam more receptā, animaduertisset, primam vero ætatem tam diro rigori parem haud esse sentiret, admodum pueros ex insulis retraxit. Quantus Monasterio Trimitensi disciplinæ rigor fuerit, hinc quoque conijcere licet, quod Desiderius (quem Majelam concessisse, loci austeritate illectum, supra memorauimus;) cum nihil potius haberet in votis, quam seruire Deo, ac huius gratia omnem captaret locum vbi euaderet possit melior; nec aliud vigilaret aut somniaret quicquam; hisque stimulis actus in religiosissimum Monasterium Caua, se contulisset, deinde Montem Casinum petiuisset, tandem in hanc etiam insulam penetrarit. Atqui parentes veriti, vt valetudinis ac vitæ discrimē pariter adiret, iam hærentem loco, qua licuit, reuocarunt. Rei profecto Christianæ interetat, vitæ duritie non confici virum, aliquando vniuersæ Ecclesiæ præficiendum.

S. Reg. c. 37. 39.

Leo Ostien. l.3.c.5.

Nec insula Pontia, quæ in mari Thyrrhenno sese attollit, absque laude prætereunda fuerit, iam habitata monachis dum sanctissimus Pater Benedictus adhuc æuum ageret. Eius inter decora sanctus Siluerius Pontifex habendus, à Belisario hac depositus, simulque cucullo indutus. Is enim ab Augusta gratiam initurus, Romæ sanctissimo viro manus iniecit; exilio damnauit: in Pontiam insulam, vel Palmariam (nam certatur sententijs) deportatum exposuit; vbi captus ac ærumnis agitatus, officio tamen vsq; ad supremum spiritum cum auctoritate functus est.

S. Siluerius à Belisario in Pōtiam insulam ciectus, & monasticum habitum indutus fuit.

Sed dum in insulas vela facimus, ex mea pharetra aliquid promere libet, quamuis timide. Iam Romæ stabant sua Ordini nostro Monasteria. Hic habitum religiosum circumposuerunt Siluerio: tum in Pontiam ac Palmariam insulas, sancto Benedicto quondam à Tertullo dono datam, & quam Gordianus etiam ad Montem Casinum iure pertinere scribit, eiecerunt, quæ profecto me inducunt vt credam, sanctum Pontificem habitum gestasse Diui Benedicti. Nec enim vero simile est, illius in possessionibus alteri cuipiam Ordini fuisse operam nauatam. Quamuis autem sanctus Benedictus ægro animo tulerit calamitates, quibus Siluerius insons lacerabatur, simul tamen gaudium cepit, quod suis ipse oculis Pontificem Ro-

Append. Leon. Ostiens. Gord. c.12.

ma-

manum sui Ordinis cucullo amictum conspiceret, ac in omē accipere liceret, eundem habitum sumpturos plures. Etsi S. Siluerius D. Benedicto subditꝰ haud esset, à quo, veluti Pontifice Max. pendebant vniuersi; habitum nihilominus monasticū indutus erat; quodque vero simillimum est, Benedictinum. At at cum nullius hic auctoris auspicia, sed dictum solummodo coniecturarum, ceu vestigia, sim sequutus, haud mordicus sententia adhæreo, non omnino certæ. Consilium igitur fuit, e lustro excutere feram, forte ab alio figendam. Cæterum, hanc in insulis viuendi rationem tempore S. Benedicti, hic libuit exponere, ne sæpius deinceps foret repetenda.

CAPUT IV.

Conduntur Monasteria Virginibus noua. Alia quædam veteres Leges cum Regula S. Benedicti commutant, quam S. Scholastica obseruauit.

Totam hucusque obiuimus Italiam sancti Benedicti monachos in desertis, rupibus, montibus, ciuitatibus, insulis, spectauimus: nunc Monasterijs Virginum labor impendendus est, quibus eadem fere origo, quæ Monasterijs virorum. Neque enim sanctum Benedictum Moniales, seu Deo dicatæ Virgines, primum habuere auctorem, quem illæ multo antecesserunt, Orientem & Occidentem incolentes. Quod si altius initia sint repetenda, sancti Apostoli huic instituto prima femina iecere, dum sanctus Paulus Theclam; S. Matthæus Iphigeniam, imposito velo, Numini consecrarunt. Edito hoc exemplo, sequutæ aliæ atque aliæ sunt, non ad vnam quidem normam compositæ, sed quas Episcopi Leges Monasterijs statuebant, ipsæ exequebantur, donec S. Basilius & S. Augustinus Regulas condiderunt, & in hanc Moniales Africæ, in illam Asiæ iurauere. In Occidentem quidem ac Italiam aliquanto tardius à sancto Athanasio hoc vitæ genus introductum est, è cœlo & Ægypto petitum; sed tamen ante natum S. Benedictum. Vnde D. Augustinus Tractatu *de Moribus Ecclesiæ*, tota Italia Monialium Monasteria se vidisse, asserit. Quocirca harum origo ad sanctum Benedictum referri non potest. Ipsius autem Regulam, ita ad nutum Dei optimi, & rationem factam, plurima sacrarum Virginum domicilia quamprimum receperunt: ac noua passim, viuente sancto Benedicto, excitata. Actum egero, si in hoc tempus contriuero. D. Gregorius plus simplici vice fæminarum Sanctimonialium meminit, quibus Monasterium sancti Benedicti imperabat. Inde vero per Italiam, ac diuersas Orbis Prouincias innumera Virginum Asceteria fuere ædificata, vt Folengius eodem tempore quindecies mille Ordinis S. Benedicti Moniales in cultum Numinis sanctissime incubuisse, affirmet; è quibus quam plurimæ in Cœlitum album relatæ: multæ etiam litteris, vulgante fama celebres, quas suos in annos distulimus. Nunc iam sanctam Scholasticam producamus, sanctissimi Patriarchæ nostri sororem, cum suo prope Casinum Montem structo Monasterio.

S. Benedicto sororem fuisse, quæ domi se tenuerit, fratre Rumam petente, pridem memorauimus. Nec diu latuit Nursiam, quod is in desertum sese abdiderit. S. Scholastica, etsi per ætatem tenella, nihilominus vitæ religiosæ studio, fratrisque exemplo accensa, maiorem in modum orauit patrem, vt sibi potestatem in Monasterium secedendi faceret. Annuit hic petitioni: illa ingressa est. Postquam rumor egregia sancti fratris facinora, sanctos discipulos, ac omnibus numeris absolutam Regulam circumtulit, soror Monti Casino se admouit: Monasterium Plumbariolæ quatuor milliaribus à Monte, Meridiem versus (ita vero vt in Occidentem oblique vergat) construxit. Cæterum vti frater *gratia erat Benedictus, & nomine*, ita soror & pijs operibus, & nomine, virtutum erat schola, felicibus ex vtraque sobole parentibus, quam tamen arctius multo iunxit morum similitudo quam sanguis. S. Scholastica non equidem terendo scholas sapientia tincta fuerat humana, quam etiam frater, Roma fugiens, iusserat longum valere, sed à tenetis vnguiculis Seruatoris nostri gymnasium frequentans, superum sapientiam imbibit, adeo addicta Magistro, vt ei quoque nuberet; ei se æternum dedicaret. Igitur illi diuino Doctori sedulam operam dabat, plerumque temporis discendo faciendoq; impendens: etsi fratris quoque ductu nonnunquam vteretur, velut à numine suffecti. Ille semel tantum quotannis sui copiam facere solebat, nihilominus vnica pię ęctio tam insignis præceptoris auidæ discendi satis erat in annum, adeo vt sedulo ruminando exercendoque, editis quotidie silentij, compositionis animi, orationis exemplis, publica virtutum schola fieret ipsa.

Die vero stato conuenturi, partiebantur iter, ne alter vter suo Monasterio longius abesse cogeretur. Nimirum Monti Casino adhærebat prædium, in quod conuenire consueuerunt: nunc casa eremitica locum obtinet, ne sanctæ scholæ aboleatur memoria. *Totam diem in Dei laudibus, sacrisq; colloquijs ducebant*: soluta demum pia schola,

Margin notes: Apostoli Deo dicarunt virgines. — Exemplū imitati S. Basilius; S. Augustinus. — D. Aug. l. 1. de mo. rib. Eccles. — S. Benedictus. — D. Greg. l. 2. dial. c. 12. 23. 33. — Foleng. in Psal. 102. — S. Scholastica pietatis scholam virginibus aperuit. — D. Gregor. lib. 2. c. 33. — Semel quotannis à fratre in colloquiū admissa est. — D. Gregor. sup.

Plumbatiolam repetebat sanctaScholastica: quæ sibi à fratre audita essent, exponebat & inculcabat suis monialibus, vt hæ quoque magnos in virtutibus facerent progressus.

Quædam fœminæ domi se abdebant. Porro, quemadmodum nonnulli discipulorum sancti Benedicti vitam agebant in monasterijs communem, alij in Eremis priuatam (nec enim eodem omnes inclinamus, sed vijs diuersis tendimus ad astra) ita fœminarum quædam huius Ordinis non modo publicum, sed etiam quoduis consortium defugiebant. In auia deserta secedere, periculis peruia per sexum non licebat: quocirca in domos templis vicinas se abdebant: vota religiosa nuncupabant: obedientiam Abbati, cui promiserant, præstabant: nisi quod in Chorum, vel ad exercitia quædam communia cum alijs non confluerent. Hoc vitæ institutum sequutæ sunt olim sanctæ aliquot fœminæ, etiam Regum & Principum sanguine ortæ, vel quod oneribus Ordinis pares haud essent: vel quod publico abstinere, ac latere, in primis votis haberent: vti sanctæ Romula & Redempta, Gregorij Magni æquales. Qua vitam colebant Cœnobiticam, seu communem, dicebantur *Moniales*: qua vero domi suæ reclusæ degebant priuatim, *deuota* appellabantur, hodie vero beatæ. Ac deuotæ appellabantur. Diuersa hæc nomina vitæ generi diuerso cum Concilium Toletanum, tum antiquæ Hispaniæ scripturæ quam frequentissime ponunt. Deuotarum meminisse mihi videtur D.Gregorius, dum duas nobiles fœminas non procul Monasterio sancti Benedicti habitasse narrat, dictis ipsius morem gerentes. D. Greg. l. 2. c. 23. Tu verba magni viri arbitrare. *Sed sicut nonnullis solet nobilitas generis parare ignobilitatem mentis, vt minus se in hoc mundo despiciant, qui plus se cæteris aliquid fuisse meminerunt, necdum prædictæ sanctimoniales feminæ perfectè linguam suam sub habitus sui freno restrinxerant, & eundem religiosum virũ qui ad exteriora necessaria eis obsequium præbebat, incautis sæpe sermonibus ad iracundiam prouocabant. Qui cum diu ista toleraret, perrexit ad Dei hominem, quantasq; pateretur verborum calumnias, enarrauit. Vir autem Dei hæc de illis audiens, eis protinus mandauit dicens: corrigite linguam vestrã, quia si non emendaueritis, excommunico vos.* Dicentes S. Benedictus excõmunicat. *Quam videlicet excommunicationis sententiam non proferendo intulit, sed minando. Illæ autem à pristinis moribus nihil mutatæ intra paucos dies defunctæ sunt, atque in Ecclesia sepultæ. Cumq; in eadem Ecclesia Missarum solemnia celebrarentur, atque ex more Diaconus clamaret:* si quis non communicat, det locum: *nutrix earum quæ pro eis oblationem Domino offerre consueuerat, eas de sepulchris suis progredi, & exire videbat. Quod dum sæpius cerneret, quia ad vocẽ Diaconi exibant foras, atque intra Ecclesiam permanere non poterant, ad memoriam rediit, quæ vir Dei illis adhuc viuentibus mandauit. Eas quippe se communione priuare dixerat, nisi mores suos & verba corrigerent. Tunc seruo Dei cũ graui mœrore indicatum est, qui manu sua protinus oblationem dedit dicens: Ite & hanc oblationem pro eis Domino facite, & vlterius excommunicatæ non erunt. Qua dum oblatio pro eis fuisset immolata, & a Diacono iuxta morem clamatum est, vt non communicantes ab Ecclesia exirent, illæ exire ab Ecclesia vlterius visæ non sunt.* Iterumq; vinculo absoluit. Tantum iuris in animas corporibus iam solutas, sancto Benedicto tribuit Deus, vt punire posset vel absoluere. Similem huic historiæ refert aliam, idem Ecclesiæ Doctor, quam iuuat apponere. D Gregor. l. 2. Dial. c. 24. *Quodam die cum quidam puerulus monachus parentes suos vltra quam debebat diligens, atque ad eorum habitaculum tendens, sine benedictione de Monasterio exiisset, eodem die mox vt ad eos peruenit, defunctus est. Cumq; esset sepultus die altero, proiectum foras corpus eius inuentum est, quod rursus tradere sepulturæ curarunt. Sed sequenti die iterum proiectum exterius, atque inhumatum, sicut prius, inuenerunt. Tunc concite ad Benedicti Patris vestigia currentes, cum magno fletu petierunt, vt ei suam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu sua protinus Communionẽ Dominici corporis dedit dicens: Ite, atq; hoc Dominicum corpus super pectus eius ponite, & sic sepulturæ eum tradite. Quod dum factum fuisset, susceptum eius corpus terra tenuit, nec vltra proiecit.* Monachũ e Monasterio elã elapsum, terra mul torũ maforũ fetax ooo tulit. Ad hæc miracula suspensus exclamat sanctus Pontifex: *Perpendis Petre, apud* IESVM *Christum Dominum cuius meriti iste vir fuerit, vt eius corpus etiam terra proiecerit qui Benedicti gratiam non haberet.*

CAPVT V.

Nascente modo Ecclesia Monachi non initiabantur Sacris: mos tamen postea inoleuit, vt consecrarentur. Vnde sanctum quoque Benedictum ad Aram fuisse inauguratum.

CVm sanctus Benedictus duabus, quas retulimus monialibus, interdixit excommunicationem: deinde sanctam Eucharistiam suis contrectarit manibus, orta quæstio est, num fuerit sacerdos? quam nos hic loci pluribus expediemus, præsertim cum eius discussio non modo ad præsentem, sed etiam futuram historiam afferat emolumentum. Igitur qui sanctum Benedictum à Sacerdo-

cerdotum ordine: abstinuisse putaut, multis, me iudice, textibus iuris eam in sententiam inducuntur, quibus monachi hoc gradu olim prohibiti sunt. Igitur sacerdos non fuit, si sacerdoti esse non licuit. Vt huic nodo inuentamus cuneum, reperita altius memoria palam faciemus, monachos ætate S. Benedicti ad sacerdotium admissos: tum autem hunc Patriarcham sacris etiam fuisse initiatum. Multa quippe statuit Ecclesia Dei cum primas radices ageret, quæ mutauit deinde, vbi robustior euasit. Ita Monachos id temporis non fuisse ad sacra obeunda destinatos, liquido constat. Immo ipsi sese officio tam alto impares iudicarunt. At facti sunt tanto digniores, quanto se submissius gerebant. Adeo vero more hoc erat receptum, vt D. Hieronymo teste, antiqui Patres in Scythia, vbi Monachorum integra feruebant examina, consultarint in medium, vndenam sacerdotem accirent, qui rem ipsis diuinam faceret in Eremo. Quocirca in priscis de monachis Decretis nucem frangere, hoc est, tempora distinguere oportet, in quibus cōcordia eorundem consistit. Exempli loco: Decretum Ecclesiasticos io publico conuenientes, in hunc ordinem redigit, vt primam sedem capiat Episcopus: alteram Sacerdos; post hos Diaconus, Subdiaconus, Acolythus, Exorcista, Lector, Ostiarius, Abbas, Monachus. Cum enim hi vltimi sacris initiati non essent, merito cæteris postpositi fuere. At postquam honorem sacerdotij admisere, loca pariter commutauere, vt ibidem refert Glossa.

Monachi in exortu Ecclesiæ à sacris abstinuere.

Gratian. causa 16. q. 1. c. Hinc est.

Dist. 93. cap. à Subdiacono.

mi dedit: vt sibi à sacello essent, constituit. Quonam igitur pacto ex horum Patrum memoria is aboleri queat? Quæ sæcula tantam munificentiam induxerint, vel oblitterarint? Rex Ioannes I. regiam suam monachis sancti Benedicti Vallisoletanis cessit, vt redigerent in monasterium: cui deinde sancti Benedicti nomen ponerent. Adiecit etiam reditus amplos, quibus vitam tolerarent monachi, & beneficiorum cumulum, quæ quotannis publice recitantur in Conuentu: & quisquam est, qui animos incolarum obliuionem subire: tot prædia, possessiones, munera delere posse credat? Sed in exemplum huc eant Monasteria vetustiora. Naieræ Rex Garcia cum filijs: Onnæ Comes Sanctius: Regesque Sanctij, quorum vnus maior dictus; alter ad Zamoram occubuit: Sahaguni Alphonsus III. & VI. Reges, Monasteriorum longe maximorum Fundatores fuere, ac instauratores, quorum memoriam adeo nulla detriuerunt sæcula, vt etiamnum hodie vigeat, floreat: Benefactores suos summo cultu prosequantur monachi: sacella eorundem sacra, tecta, nitida conseruent: animas Deo assidue commendent, vt si vel maxime velint, obliuisci tamen haud possint. Quæ nos oculis libauimus ac manibus, dubitationi locum nullum linquunt. Quapropter si Conuentus hunc vel illum Regem aut Principem, vel quemuis alium, suum esse Fundatorem affirmet, sole meridiano clarius est, rem ita se habere. Esto, perijsse nonnunquã Fundatorum nomina in Monasterijs, in quibus Ordini S. Benedicti Ordines successerunt alij: vel id factum sit, quod Fundatores genere illustres non extiterint: vel certe plures quasi symbolum, sic beneficia contulerint, nullus vero liberalitate alium multum antecelluerit, vt Fundatoris ei nomen soli deberetur: vel quod tempus edax non rei vlli parcat: mihi vero cum illis tantum Monasterijs negotium est, quæ vestigia indicant: Fundatores nomine appellant: hæc ego non falli, non fallere aio: tantoque minus si etiam sepulchra digito monstrent: si quotannis sacra funebria ijsdem faciant. Quorsum enim sponte onus subirent, stata sacra celebrandi? Ecclesiastica suffragia pro pijs manibus ferendi? lapides epitaphijs incidendi? tumulos fodiendi? loca templorum primaria sepulchris occupandi, si his omnibus inanes tituli prætenderentur? Nam forte hunc in modum auertere cupiunt Reges aliosque diuites, ne bene de Monasterijs mereantur? Corpus alienum, vel in cetebro male sertato natum ac phantasticum poni debet, scilicet nulli commodo futurum, nisi vt obicem ponat, ne quis nouus ac verus patronus inferre se possit aut velit. Quibusdam Cœnobijs obstitisse, ne noua beneficia acciperent, notos vulgo ac celebres Fundatores, nemo negauerit. Quapropter si Monasteria sibi consulere voluissent: vel si monachorum synteresis callum obduxisset, potius inficias irent Fundatorem sibi esse, quam suo cum damno aliquem confingerent.

Templum Monasterij S. Petri de Cardenna Reginam Sanctiam eiusque filium Theodoricum, iuxta summam aram suo sinu complectitur. Illa dextrum latus, hic sinistrum tenet. Magnum decus luco, auctoritatemque conciliare poterant Cid Bellicosus: Reges Ramiri, nec non alij quidam Principes, ibidem sepulti. Quid opus erat igitur Reges Gothos asciscere, non tam tumulo, quam obliuione sepultos? Rectius profecto monachi è re sua facturi fuissent (quod probe intelligebant) loca hæc monasterij præcipua relinquere vacua, ne alios qui eo aspirassent, auerterent. Nisi forte tu animum inducas, fingere patronos voluisse veteres, ne quis recens de Monasterio bene mereri voluisset.

Non igitur fumos vendidi, sed rem ac verum dixi, petita luce à S. Maximo: à vulgata in hoc monasterio per multa sæcula opinione: à Mausoleis Dominæ Sanctiæ, eiusq; filij, loco primario positis. Laudi vero monachis vertendum, quod eorũ memoriam, à quibus beneficio affecti sunt, intermori non permiserint, quin potius supra mille septuaginta annos produxerint.

Fundatricis nomen fuisse Sanctiæ, pro certo babemus: nunc vestigandum, & cuias & cuius fuerit. Theodoricum Regem Italiæ cum prima sua coniuge Eandeflenda, hoc struxisse monasterium, grandis error est, quem tamen aliquos tenuit. Rex enim sato defunctus est circiter annum quingentesimum vigesimum sextum, scilicet vndecim annis ante, quam discipuli sancti Benedicti pedem intulerunt Hispaniæ. Eandeflenda vero citius marito vita excessit, vt etiam hic fides laboret. Eius autem nomen deaituare, ex Eandeflenda conflando Sanctiam, est historiæ vim afferre. Nec vero simile est, mutuo marito perhæsisse in Hispania è Gallia omnidam, vbi germanos habebat Reges, cum Hispaniæ Rex Amalricus nepos eius haud esset, sed filius Teudetusæ, quam Theodoricus è thoro non legitimo sustulerat. Lucas de Tuy Theodoricum secundas inijsse nuptias, ait: ducta (vt referunt eius asseclæ) quadam Sanctia, è qua suscepetit Ducem Seuerianum, Patrem nobilissimorum Sanctorum Leandri, Isidori, Fulgentij, Florentinæ: sed Mora-

Sanctia Monasterij S. Petri Cardenæ Fundatrix.

Lucas Tudens in Theoderico.

Moral. l. 11 c. 42.

[*Mariana l.5.c.7.*] les & Ioannes Mariana tædas eum coniugales repetiuisse negant; notantque Lucam ex nullo antiquo auctore opinionē suam hausisse: graue insuper absurdū inde duci, quod Lucam elinguem reddat. Si enim Seuerianus legitimo connubio procreatus fuisset, absq; dubio sceptra post Patrem Theodoricum capessiuisset in Italia, quæ tamen in Atalarici manus delapsa sunt, filij Amalasunthæ, propter quam hæreditatem ipsi hanc adire licuit, quando apud Ostrogothos (immo Europæos omnes) maior filiorum habetur ratio, quam filiarum, quoties in cardine versatur hæreditas.

[Non fuit Theodorici Regis Italiæ cōiunx, sed Teudis, vt videtur.] Cum neutram harum opinionum probare possem, quod à vero manifeste deflecterent, vt vel leuiter historia tincto apparet, aliquot diebus animi pendens in omnem partem me verti, visurus num sic contraria componi valerent; vel quo modo rem acu tangerem ego. Igitur cum mihi stet sententia firma, Monasterijs de suis Fundatoribus aliquid ferentibus, habendā esse fidem: cum deinde diligenter putato tempore, animaduerterem dicta de Theodorico eiusq; vxoribus, non historiam, sed exploratam esse fabulam, alium portum petiui, atque in ipsam veritatem incidisse mihi videor. Neque tamen hunc meum partum luci exponere ausus fuissem, nisi suo eum suffragio luce dignum iudicassent viri prudentia doctrinaq; præditi. Aduertendum igitur, Regi hoc tempore Hispaniæ imperanti, nomen fuisse Teudis, qui septendecim annos & quinque menses sceptra tenuit, vt auctor est sanctus Isidorus: [*S. Isid. hist. Goth.*] nimirum à quingentesimo tricesimo primo, vsque ad quingentesimum quadragesimū octauum. Natione Ostrogothus erat, diu supremi Ducis munere functus in exercitu Theodorici Regis Italiæ: tandem ob parta bellica decora, Alarico Rege Hispaniæ demortuo, Amalarico eius filio, pueritia nōdum egresso, additus, cui tutelam gereret, auspicijs Theodorici Regis Italiæ. Multis vero annis Hispaniæ præfuit, ea vsus industria [*Procop. l.1. de bello Goth.*] & prudentia erga Wisegothos, vt ei nupserit fæmina, teste Procopio, historico grauissimo, iam potens opum, quod suis è subditis manum duorum millium bellicosorum virorum contrahere potuerit. Amalarico fatis sublato, Teudis proceribus Regni ob nuptias affinitate connexus, tum etiam pro impubere puero ad clauum sedens, communi calculo suffectus est, quantumuis sanguinem ad Ostrogothos referret.

[*Aimon. l. 2. cap. 20. hunc Teudem vocat Theodorū.*] Hunc Teudem Aimonius appellat Theodorum. Nec te prætereat, amice Lector, Regum antecedentium nomina desijsse in rico in Hispania. Neque Regum tantum, sed eorum etiam qui honoribus vel opibus inter Gothos præpollebant. Exempla sint hæc Regum nomina: Alarico, Theodorico, Atalarico, Amalarico, aliaque. His ita compositis, in eam feror sententiam; sicuti Aimonius ex Teude fecit Theodorum, ita ex eodem Teude factum quoque Teudoricum vel Theodoricum, duabus syllabis extremis adiectis, more apud Hispanos iam pridem recepto. Tum autem signa omnia conueniunt; maritum fuisse Dominæ Sanctiæ, quæ monasterium S. Petri de Cardeona condidit. In hanc mentem ratio temporis me induxit, lux historiæ. Etenim labente anno quingentesimo tricesimo septimo iam tractabat regni habenas Teudis, quas longe tetionit vxore ducta Hispana, vt asserit Procopius. Sanctiæ quoq; nomen multis deinceps sæculis, quasi more, inditū fuit Reginis. Certe nullum frequentius. Cōstans insuper, nec non ab vltima penitus memoria repetita fama, tū etiam Monasterij monumenta, quibus fides abrogari nō debet, Reginam hanc Sanctiam Theodorico Italiæ Regi iunctam fuisse connubio, affirmant: atqui noster Teudis seu Theudericus reuera ex Italia se mouerat in Hispaniam, sanguine quidem [Theodoricus, quāuis Arianus, Sacrorum vsum Catholicis permisit. *S. Isid. hist. Goth.*] Ostrogothus, sed ibi ortus, hic autem Rex lectus. Quamuis autem in Arij partes se trahi permisisset, multorum tam Italiæ quam Hispaniæ Gothorum vestigia sequutus, Catholicis tamen suis viuere legibus per eum licuit, quod in ipso S. Isidorus extollit, *Dum esset*, inquiens, *hæreticus, pacem tamen concessit Ecclesiæ, adeo vt licentiam Catholicis Episcopis daret, in vnū ad Toletanam vrbem conuenire, & quæcunque ad Ecclesiæ disciplinam necessaria extiterunt, libere libenterque disponere.* Simili ergo libertate vsa Regina Sanctia, post gnatum Theodoricum sibi ereptum, prona in pietatē, induxit Teudem, vt monachos S. Benedicti, quos tantis laudibus ferret Italia accerseret. [*Moral. l. 11*] Morales longe à nobis abibit, actus in errorem à sinistra relatione: videlicet, Regem Italiæ Theodoricum fato occubuisse ad sanctum Petrum de Cardeona, idque tradi in monasterio. Atqui auctor iste archiuum non lustrauit; hinc imponi sibi passus est. Cæterum monachis aliud in ore est: nimirum filium quendam Regis Theodorici admodum puerum, vitam cum morte ibi commutasse: Sanctiam sobolis amantem matrem, supra eiusdem sepulchrum struxisse monasterium. At multum interest, pater, an filius ibi excesserit. Primū toto cœlo à vero distat: alterum cum vero conuenit. Vnde mihi ægre impero, quin clauum clauo pellam, & auctorem hunc carbone notem, quando archiuo nec à limine quidem salutato, seo-

to, sententiam tulit de re, sibi ignota. Vlterius etiam incumbit, Theodoricum à Catholica Religione alienum, nunquã potestatem facturum fuisse Sanctiæ, monasterium moliendi pro Catholicis. sed argumento huic iam supra itum est obuiam. Si enim Episcopis sacra agere comitia per ipsum licuit, quippeni copiam monasterij ædificandi fecerit suæ coniugi, vt locum amori daret? Nec quicquam noui ideo accidisset, cum multa Cœnobia sint excitata, Arianis non inuitis. Theodoricus Rex Italiæ S. P. N. Benedictum duodecim monasteria in Sublacu struere permisit: multa etiam alia per Italiam & Hispaniam deinceps occurrent, ædificata cum Reges Gothi hæresi Ariana corrupti, ad clauum sederent. Quapropter quæ hactenus memorauimus, vero simillima sunt, ac facile nebulas aliunde offusas, dispellunt: non tamen pro Oraculis Delphicis vendimus. Certa pro certis expono: coniecturas pro coniecturis. Pro certo habeo monasterij huius fundatrici nomen fuisse Sanctiæ: manum operi admouisse, Gothis rerum dominis. An vero huic, vel Regum alteri iuncta fuerit connubio: item, num vna duntaxat fæmina opibus pollens fuerit, quæ molem hanc erexerit, filio suo Theodorico futurum Mausoleum, in arena relinquo. Adduxi quæ mihi proxime ad verum accedere visa, haud ægre aliam in sententiam pedibus iturus, si viri docti cum bonis argumentis præeant.

Monasterium Cardenæ SS. Petro & Paulo dicatũ fuit.

Porro Regina Sanctia, sanctorum Apostolorum Petri & Pauli nomina suo indidit Asceterio, quod eorum Reliquiæ in promptu essent; & iam mos obtinuerat nostros apud monachos, ponere, dicareque monasteria sancto Petro, si alicubi ad fidem Christianam proferendam appulissent: scilicet, vt illa petra subnixi: felicius animos auersos subigerent. Locum vero cepit infrequentem, qualem vrbibus etiam gloriosus Patriarcha noster anteferre solebat, tanquam contemplationi magis congruum: videlicet in pago Caradignensi: ita enim appellari videtur à Maximo Episcopo. P. Alphonsus Chaconius noster contendit nomen hoc Arabicum esse, compositum ex *Gar*, refugium: & *aldina*, nostræ legis (quasi Garaldina) positum à Mauris, quod in vastatione Hispaniæ fortem ibi arcem condiderint, quo se reciperent. At nomen hoc antiquius est Mauris, Hispaniam capientibus: neque vocabatur Garadigna, vt parum belle C. in G. flectatur. Potius crediderim nomen fuisse pagi proprium, quam confictas etymologias admiserim. Labentibus annis bonæ fidei tabulæ, sub Comite Garcia Fernandez, Rege Ferdinando I. alijsque deinceps Regibus conscriptæ, aliquid venerationis Caradignæ aspersérunt. Nam quoties eius faciunt mentionem, hunc in modum vocabulum diuidunt: *Cara, Deoque digna:* quod illius monasterij amore teneretur Deus ipse: foretque locus Numine dignus. Nec vnam duntaxat vel alteram, sed aliquot centenas huiusmodi scripturas vidi; nec inde tamen nominis originem deducere velim, cum potius in allusionem, ad sanctos monachorum mores ibi degentium, accipiam. Qui enim tabulas illas condiderunt, patrium & vulgare vocabulum in rem præsentem inclinarunt.

Chaconius lib. de 100. Martyrib. Carden. c. 15.

Monasterium hoc opibus ac potentiæ Dominæ Sanctiæ par fuisse ferunt: ducentorum monachorum capax: habitum pro aliorum monasteriorum, quæ deinceps per Hispaniam fundata sunt, cultissimo seminatio. Immo inde quoque colonias in alias prouincias fuisse ductas. Attamen de historia huius monasterij ab origine prima, vsque ad ducentorum monachorum martyria, parum comperti habemus; nisi quod appareat discipulos in sinu sancti Benedicti enutritos, se dignos præstitisse tanto magistro: spiritum Ordinis primum in prima ista domo mirifice viguisse: cum ad huius exemplum cæteræ deinceps forent componendæ.

CAPVT II.

Monasterium S. Petri Cardennæ per mille septuaginta annos variam subijt sortem.

Etsi Mauri, cum plenis agminibus irrumperent Hispaniam, ceperint multos pagos, vrbes, monasteria, & æquarint solo, subinde tamen abstinnere impias manus, vt superessent, qui terram colerent: tributa penderent: seruirent: ad summam, qui vsui essent. Inter cætera monasteria hoc etiam euasit, singulari Numinis prouidentia. Putem ego factum, ne vis S. Regulæ remitteretur, aut prima solueretur disciplina. Duris vero dominis vsi sunt Mauris, donec Deo propitio licuit exire seruitute. Quamuis autem relicta veteri Castilia confluxerint in nouam, quotannis tamen raptis armis, terras Christianorum exercitibus integris inuaserunt: incendia miscuerunt: diruerunt: prædas egerunt. Anno octingentesimo tricesimo quarto Citra computant nonnulli de Hispanis Historici) Mahomet Rex Curdubensis per totam Castiliam volitans, comitante viresque suas vna trahente quodam Cesa, Duce truculento, Africæ Rege, omnia populatus est ac pessum dedit, quæ ad Christianos

Mauris Hispaniã subigentibus, acerbe vexata sunt Monasteria.

ſtianos pertinebant. Ceſa deinde à reliquo exercitu diuertens, per eum tractum carpendo viam, cui poſtea ciuitas Burgenſis impoſita, ad Monaſterium ſancti Petri Cardennam delatus eſt.

Ceſa Rex Barbarus ducentos Monachos afficit martyrio.

Ducentis tum Monachis præerat Stephanus Sanchez, inſigni vir ſanctitate. Potiſſimum Monaſterij diſiecit barbarus; inde ducentos Monachos cum Abbate in quandam Clauſtri partem raptos (quam etiam hodie monſtrant) cum à fide deſciſcere nollent, contrucidauit. Annum, menſem, diem, epitaphia, multaque alia, alio reieci. Nec mihi conſilium eſt, cum memoro fundationes, omnia ad viuum reſecare, nec minutijs quidem præteritis (nunquam enim finem facere liceret:) ſed in tanta rerum copia habere modum: prodere originem: & capita rerum, quæ ſpeciminis ſint loco: cætera vero quæ ſucceſſu temporis euenerunt, ſuos in annos digerere. Martyrium ducentorum Monachorum longius patet, quam vt paucis à me componi poſſit, qui breuitati ſtudeo, dum communia commemoro. Portarum facies prodere ædes conſueuit: Cardennæ ſanctitas & magnitudo vel hinc apparet, quod cũ denuo inſtauraretur Hiſpania, inter monumenta de Monaſterio reperta primũ fuerit, ducentos Martyres in eo cæſos, ac inde cœlo illatos fuiſſe.

Monaſterium è ruderibus ſeſe parumper erigit.

Poſt immanem Ceſæ tyrannidem, triginta octo annos ſuas in ruinas incubuit Cardenna. Anno octingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Alphonſo Magno Rege, ſuis è ruderibus ſurgere quidem cœpit, atqui ad priſtinam magnitudinem attolli nõ potuit. Factum duodecim annis ante conditam ciuitatem Burgenſem, cuius fundamenta anno octingenteſimo octuageſimo quatto poſita, moliente Diegone Porcelos, auſpicijs eiuſdem Alphonſi III. Cæterum me non latet, hiſtoricos vniuerſim aſſerere Cardennam circiter octingenteſimum; nonageſimũ nonum annum, ſeu quinto à conditis Burgis, fuiſſe denuo inſtauratum, idque conſtare ex maiorum Eccleſiarum vrbis Burgenſis & S. Iacobi monumentis: tum etiam è libro Gothico, qui Cardennæ eſt, referrque: *Fundatum eſt hoc Monaſterium era 937.* quæ in Chriſti annum 899. incidit. Non equidem aduerſo flumine nauigare ſoleo, priuatas opiniones publicis anteponendo; facere tamen hic non poſſum quin adducam in dubium id, quod aliqui pro certo habent. ſubſequere me, te obſecro, in archiuum vbi donationum ſcripturæ in promptu ſunt, quæ rem nos doceant. Prima etiam exhibet nongenteſimam decimam, qua Comes Ferdinandus Azur & Mumadona coniunx huic Monaſterio & Damiano tum temporis Antiſtiti, quandam donant poſſeſſionem. Factum id duodecim annis ante conditos Burgos. Altera etiam ſcriptura in promptu eſt, facta Abbati Cypriano era 929. nimirum octo annis ante Cardennæ fundationem, vti à plerisque refertur. Denique in Catalogo Abbatum, quem ego in huius Monaſterij hiſtoria reperi, duo ponuntur Abbates, quorum vnus ante conditos Burgos præfuit: alter vnum annum ante, quam Cardennam extinctam eſſe narrant. Vnde apparet, locum iam pridem ante à Monachis fuiſſe cultum. Hæ duæ opiniones, etſi diuerſæ videantur, tamen componi poſſunt. Nam Monaſterium illud trigeſimo octauo anno poſt, quam ducenti Monachi martyrium ſubierunt, ædificari cœpit, reditibus tenuibus: ſicque ſtetit ſub duobus vel tribus Abbatibus. Conditis autem Burgis cum locus tanto ſanguine Beatorum Martyrum natans, infra dignitatem ſuam iacere videretur, Alphonſus III. Comiti Diegoni Porcelos negotium dedit, humilẽ caſam attolleret, quod præſtitit. Quapropter Monaſterium hoc nõ primo fundarunt ipſi, ſed ad eam magnitudinem eduxerunt, vt paucis poſt annis iterum ducentos aluerit Monachos. Sed cum non nemo numerum Martyrum Cardennenſium in dubium vocet, ac alios ex alijs Monaſterijs Religioſos in hoc confluxiſſe contendat, affero ſcripturam, in libro Gothico à me Cardennæ in Bibliotheca repertam: era autem nongenteſima octogeſima ſeptima ſcriptam, Stephano Abbate octauo rem gerente. Liber Pſalterium Dauidis, litteris Gothicis exaratum, complectitur, à cuius fronte hæc occurrunt: *Labentem præſentis vitæ huius excurſum ad ſaculi finem tendere, nemo neſcit: ſed votũ fidelium Chriſticolarum ſinceriter pollicitum, & Deo fideliter oblatum, non ſeneſcit: diuino præſertim munere inſpiratum eſt Monioni, Chriſti fideliſſimo cultori, nobili orto genere, ſimul cum coniuge clariſſima Gugina, abſq; alijs muneribus, hoc peculiariter munus offerrent, & obtulerunt optimum pretium ad conſcribendum librum decada videlicet omnium Pſalmorum, ob honorem Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum, conceſſumq; iure perenni fruendum, Stephano Abbati paſtoralem curam digne gerenti ducentorum in numero Monachorum Caradigna in Arciſterio ſimul regulariter viuentium, hac conditione, vt & præſentes eum incunctãter poßideant, & ſucceſſoribus ſeu in regimine, ſeu in ſubiectione, perpetim habendi gratiam relinquant.* Hæc characteribus exarata coloratis. A fine exprimitur ſcriba, *Indura Sacerdos*; quodque manum operi

Ab Alphõſo III. ad veterem magnitudinem attollitur.

Poſt inſtaurationẽ denuo 200. Monachos alit.

admo-

admouerit triginta & vnum annos natus: operamque ipsi nauarit Sebastianus Leuita. Insuper librum Cardennæ exaratum esse, vbi SS. Petri & Pauli, Ioannis Euangelistæ, Vincentij & Euphemiæ Reliquiæ seruentur: quibus adijcitur: *Magnam ducente claramque Monachorum cateruam Patre spirituali Stephano.* Denique: *Explicitum est liber iste à Notario Sebastiano Diacono, notum perfectionis diem quarto decimo Kalend. Februarij, era nongentesima octuagesima septima: regnante Serenissimo Rege Ramiro in Legione, & egregio Comite Ferdinando Gondisalvez in Castella, atque Pontificatum gerente Basilio Episcopo Sedis Montium Castella.* Antiquum hoc & illustre monumentum non modo historiæ istius Monasterij, sed etiam totius Hispaniæ lucem affundit. Hine videas annis nō ita multis ab instauratione elapsis, iam ducentos Monachos sinu suo fouisse. Ne quis vero eam induceret opinionē, Monachos in Prioratibus degentes grandem hunc numerum expleuisse, *in Arcisterio simul ipsos vixisse*, addit. Quod si tanta Monachorum copia Cœnobium illud habitauit paucis post instaurationem annis, quid progressu temporis fuisse putes, cum Principes & Reges, dando donandoque ipsam liberalitatem superarent? Hinc etiam apparet, quænam sacra lipsana huic Monasterio olim fuerint. Mos enim ferebat, vt sacra ossa eorum Sanctorum cōquirerentur, quibus templa & altaria dedicanda erant. De S. Ioanne Euangelista particulam vestis, vel aliquid è supellectile præ manibus fuisse oportet. Nā de ipsius ossibus nihil in Ecclesia audias.

Sacra lipsana Monasterij.

Etiam hoc è Scriptura allata conijcias, anno nongentesimo quadragesimo nono Comitem Ferdinandum in regno Castellano potentia iam egregie polluisse, quandoquidem sceptra tenebat: etsi penderet simul à Ramiro, Legionis Rege, cui primus debebatur locus. Hinc denique intelligas, quam frequenter sedes Episcopalis, quæ hodie Brugis est, mutarit locum. Imprimis enim stetit prope Villam Francam: inde se in Monasterium Valpuesta transtulit: hinc (vt allatum monumentum prodit) Munionem concessit: nec perdurauit, sed isthinc ad B. Virginem de Gamonal, populum Burgis vicinum, migrauit: vltimo in ipsam Burgensem vrbem, Ecclesiasque in diuersas se intulit. Nam primo Monasterium S. Laurentij eam accepit, quod cum Cardennæ subditum esset, Ferdinandus I. Rex era millesima septuagesima octaua veteri vinculo exemit, vt sedi Episcopali locum faceret: Cardennæ vero Monasteria & prædia alia in vicem reposuit. Vltimo per Alphonsum VI. sedes hæc fixa illic est, vbi etiamnum hodie consistit. Liquido igitur constat, Monasterium hoc semper monachis fuisse frequentissimū; quibus tamen non accenseo quam plurimos Religiosos & Deo dicatas Virgines, in Prioratibus & Filiationibus, Cardennæ subiectis, vitam sanctè ducentes. Cæterum è re mihi visum, huiusmodi Prioratus, Filiationes, ac Monasteria subdita, in Catalogum vna cum Benefactoribus referre, vt constet, quis de Cardenna, & quando bene sit meritus: quam late hoc Monasterium ius dixerit: quam multa Cœnobia sancti Benedicti sors afflixerit: tempus & obliuio penitus sepeliuerint.

Sedes Burgensis sæpe mutauit sedem.

Catalogus Asceteriorum, Archimonasterio S. Petri de Cardenna subditorum.

Era 931. Sanctus Vincentius de Orbaniela. Subiecit S. Petro de Cardenna Comes Asur Fernandez.
957. S. Iohannes in vrbe Burgensi. Domina Vrraca cum filia.
964. S. Maria de Campo. Mierno presbyter.
970. S. Andreas de Villaluillo. Domina Lucia & Domina Maria.
985. S. Petrus, & sanctus Clemens. Abbas Crescentius.
987. S. Martha, propa riuum Cauea, Abbas Ignatius.
988. S. Michael Xeuiela. Comes Ferdinandus Gonzalez.
988. S. Michael de Valbuena. Comes Ferdinandus Goncalez.
Era 1002. S. Iulianus de Vecarez. Comes Ferdinandus Goncalez.
1004 S. Maria de Resmondo. Comes Garcia Fernandez.
1004. S. Columba in Sarzoso. Comes Garcia Fernandez.
1004. S. Martinus in suburbio Aquilarensi. Comes Garcia Fernandez.
1004. Monasterium Castro Tamata. Comes Garcia Fernandez.
1071. S. Michael de Spinosa. Comes Diego Munnez.
1074. S. Martinus de Ariego. Rex Ferdinandus I.
1077. S. Torcadus prope Burgos. Rex Ferdinandus I.
1078. S. Mames in villa de Ara. Rex Ferdinandus I.
1078. S. Eugenia in villa Castrelo. Rex Ferdinandus I.
1078. S. Martinus ad riuum Cabca. Rex Ferdinandus I.
1081. S. Martinus de Aguian. Rex Ferdinandus I.

1083. S. Adrianus prope villam Fria. Rex Ferdinandus I.
1083. S. Æmilianus in Via. Domina Apala.
1088. S. Martinus in villa Vascon. Rex Ferdinandus I.
1091. S. Babiles in Cerraro. Rex Ferdinandus I.
1091. S. Michael de villa Tamara. Rex Ferdinandus I.
1093. S Martinus de villa Vaseones. Rex Ferdinandus I.
1104. S. Iulianus & sanctus Andreas. Rex Sanctius.
1104. S.Saluator de Villa longa. Aries Presbyter.
1104. S. Martinus de metua. Rex Sanctius.
1104. S. Torcadus in Finistrosa. Asur Asurez, & Domina Iuliana.
1123. S. Maria de Furones in Valle viridi. Domina Controda.
1123. S.Clemens de Vlmis in Reucabia. Monio Presbyter.
1134. S. Eulalia in Cafornia. Abbas Placentinus.
1134. S. Petrus de Tutanca. Abbas Placentinus.
1134. S. Tbyrsus de Tutanea. Abbas Placentinus.
1134. S. Maria de Fenar. Andraquina cum fratribus.

Anno Christi 1445. monasterium sanctæ Mariæ Hornillos eelebre quondam, locuples & liberum, Abbatus Petri de Burgis opera se quoque Cardennensi monasterio adiunxit.

Hæ Monasteria occurrerunt quærenti; me tamen ob breue tempus, quod in archiuo expendi, nonnulla fugerunt, immo quam plurima. Nec villas tantum, vel prædia, aut Prioratus fuisse credas, in quibus duo vel tres monachi, more hodierno sint versati, sed amplissimas Abbatias, quibus Prioratus alij erant subditi. A monasterio sanctæ Mariæ de Rezmondo pendebant Cœnobia alia. Monasterio sancti Martini de metua adeo monachi non deerant, vt demortuo Abbate, Fortunius, Andolphus, Iulianus Gomez, Galinga, Voyla, Froyla, Stephanus, Sanctius, Telo, Gayfanus, Velascus, Felicianus, cum viginti alijs conuenerint ad legendum Abbatem alium. De monasterio sancti Iuliani de Pedernales referunt archiui Tabulæ, era nongentesima sexagesima quarta *Hefitiam Abbatissam rexisse ibidem Monachorum cateruam.* Enimuero quædam olim monasteria & monachi & moniales incolebant. Templo quidem vtebantur eodem, Claustris tamen distinguebantur. Alicubi vtrique cœtui præerat Abbas: alibi Abbatissa: quando nimirum vel Reginæ, vel fœminæ aliæ principes cōdiderant eiusmodi monasterium, penes se regimē esse volebant, monachos autem in numero Sacellanorum babebant. E quibus intelligas monasterium sancti Petri de Cardenna non modo sua inter septa, sed etiam in subditis sibi Asceterijs quam plurimos monachos numerasse. Post Comitem Diegonem Porcelos, qui protritum & collapsum monasterium è ruderibus excitauit, multi quoque beneficia contulerunt, quos inter palmam præripuerunt Comes Ferdinandus Goncalez, & Comes Garcia Fernandez, qui longius prouectus non tantum rem monasterij possessionibus, priuilegijs, exemptionibus mirifice auxit, sed insuper ibidem post fata condi voluit. Donationis tabulam vnam imposui Appendici, cui addidi alteram Regis Ferdinandi I. cui hoc monasterium in paucis charū fuit. Collocata sic apud Cardennam beneficia multos in annos durarunt, donec Sanctius & Alphonsus, sceptrum capessentes, ad summum rerum humanarum fastigium hoc monasterium euexerunt. Hoc ætatis sanctus Sisebutus multis annis Abbatiam gessit, vir raræ sanctitatis, & in exemplum trahendus, multorum insignium monachorum Pater. Fauente igitur Numine, Regibusque adiuuantibus, ita excreuit, vt fama nominis totam Hispaniam impleret. Ad Regum exempla viri alij illustres ꝑ componebant. Don Rodrigo de Viuar (celebris à nomine Cid) suam coniugem & filias religiosissimo huic commisit Monasterio. In huius sinum vita defunctus inferri ipse voluit, etsi funus longissime ducendum foret; quanto nimirum interuallo Valentia à Cardenna differt. Sequuti hunc quotquot genere eminebant in Castilia, siue ducenti martyres hanc ipsis mentem inijcerent: siue sub eodem tecto eum Cid vsque ad extremum mundi diem manere mallent, rati non alibi sepulchrum sibi magis honorum obtingere posse. Sed Regum illa Mausolea, & virorum Principum vrnas; nec non res à ss. Sisebuto & Recisimundo, qui Prioratui s. Mariæ de Rezmondo, subiecto Cardennæ, præfuit, alio differimus.

Interea circumaguntur anni: redditur Alphonsus VI. orbi, qui admotus Regno in delitijs habuit Cluniacenses ac Cistertienses, duas religiosissimas & probatissimas Ordinis S. Benedicti Congregationes, quæ à Cluniaco & Cistertio monasterijs in Francia, & Burgundia sitis, originem traxere. Tantum vero potuit fama, vt nostri Reges illic solum vigere disciplinam crederent, vbi monachi ex alieturro horū monasteriorum

Quædam horū Monasteriorum Cardennę annexorum, opibus ac numero monachorum valuere.

Script. 7.

Script. 9.

Sanctius & Alphōsus Reges bene Monasterio Cardennę fecerunt.

euocati, amussim ducerent. Qua de causa Cardennam Cluniaco subijcere voluerunt, id quod multis alijs per Hispaniam iam fecerant. Agebat tum in istis Regnis Petrus Venerabilis, à libris iuxta & virtutibus notus: qui Pontificis Bullis & Regis potentia instructus, multa Monasteria in Hispania subdiderat Cluniaco. Subigenda etiam erat Cardenna, atqui Martinus Abbas clypeum animosus obiecit: Romam volauit: de antiquitate sui monasterij, de magnitudine, de Religione ad Pontificem retulit: quodque dare leges, non accipere consueuisset: ac vitam Monasticam secundum Regulam sancti Benedicti in Hispaniam introduxisset. Cognita causæ æquitate Pontifex, sententiam pro Cardenna tulit: Cluniacenses domum remisit. Monasterium Cluniacensibus hunc in modum subductum, ac iure suo vtens multum floruit, cuius etiam Concilia Hispaniæ regnique Comitia magnam duxere rationem, stantque virorum inter principum Abbatum quoque nomina, publicis tabulis inserta.

Id Petrus venerab. Cluniaco subijcere frustra conatus est.

Sede Apostolica Auenione Romam relata, plures simul Pontificatum affectasse: hinc ortas discordias, & incredibiles calamitates, nemo in orbe Christiano nescit. Misere vero tempestas illa afflixit Monasteria. Ingerebantur enim in ora hiantium amicorum, assentatorũ, ac partes sectantium, etiam sæcularium; vnde sanctissimis Religionibus pessum eundum erat. Exempla tristia in promptu habet Hispania. Cum enim monasteria pollerẽt opibus, trahebantur nõ sanctitatis sed pecuniæ habendæ desiderio. Communis hæc tempestas etiam corripuit Cardennam, quã Abbates Commendatarij gnauiter exederunt, consumpserunt ingentẽ monachorum numerum bona patte imminuerunt. Cum igitur modum in rebus non tenerent; iamque pessum iret monasterium, Abbatibus Commendatarijs tem fere omnem gluttientibus, ne reliquijs etiam exciderent monachi, vel in exilium ageretur Religio, consilium ipsis fuit Congregationi Vallisoletanæ nomen dare, quem portum alia etiam Monasteria, simili tempestate vexata, iam ante petiuerant, ac imminentes sibi Cõmendatarios Abbates sæculares euaserant, quos Monasteriorum exitia esse didicerant. Igitur anno millesimo quingentesimo secundo Monasterium hoc in Congregationem concessit, quod P. Petrus de Najera Generalis, P. Garcia de Cisneros, vir sanctus & famæ notissimus, Montis Serrati postmodum Abbas ac disciplinæ instaurator, & P. Franciscus Ontiberos, receperunt: corpori suo inseruerunt: ad normam Congregationis instituerunt: quibus rebus cõfectis, in viam se coniecerunt, relictis ibi Patribus Iohanne de Amnsco, postmodum Generali, Diegone de sancto Dominico, Iohanne de Espina, postmodum Abbate in Montibus, cum alijs quibusdam monachis S. Saluatoris de Onna, vt nouam viuendi formam cæteris præirent qui 9. Cal. Augusti munus suum fungi cœperunt.

Congregationi Vallisoletanæ nomẽ dedit.

Noua forma introducta primus Antistitẽ egit P. Iohannes de Velorado, vir eximius, ac propter egregia decora sexies Abbas lectus, vt in ipsius vita refert P. Lope de Frias. Ante id Prior fuerat in Monasterio S. Petri de Cardenna, cumque fama acrem disciplinam nec non insignem sanctitatem Monasterij sancti Benedicti Vallisoleti (quod ideo San Benito de los beatos appellant) ad eum tulisset, cupido virum incessit, eo concedendi, rigoremque sectandi, qui tantus fuit, vt eum P. Lope in historia Monasterij Cardennensis, grauissimis istis verbis expresserit: *Si D. Hieronymus vidisset Monachos qui in Monasterio S. Benedicti Vallisoleti degebant, non minori laude quam Monachos Thebanos affecturus, nec illos istis postpositurus fuisset.* Quod cum P. Iohannes de Velorado re ipsa comperisset, credibile est multum operæ collocasse, vt Monasterium sancti Petri de Cardenna nomen daret Congregationi, quod postmodum inter alia caput extulit, famaque disciplinæ mirum in modum floruit. Nam quemadmodum ad amandum Deum nihil æque hominem comparat, quam amasse; ita summum ad disciplinam prouehendam confert momentum, ei iam ante incubuisse. Cum deinde istud Monasterium cæteris omnibus totius Hispaniæ olim sanciuerit leges, facile ad pristinam se normam composuit. Congregationẽ vero deinceps suis quoque humeris sustinuit, pares oneri viros producendo, qui suprema eius munera gnauiter obiuere, quos suis annis ac locis dabimus spectandos.

Primus Abbas post reformationem P. Iohannes de Velorado.

Catalogum hunc Abbatum, qui instaurato Monasterio præfuere, ex antiquo syllabo ibi reperto, erui. Nunc vero primum intelligo, quosdam me præteriuisse, deprehensos tamen, ab ijs qui vetera monumenta euoluerunt.

1. S. Stephanus, ducentorum Martyrum Antistes.	Era 872
2. Damianus.	910
3. Cyprianus.	929
4. Gudesteus.	943
5. Don Petrus primus.	957
6. Recisuyndus.	965
7. Don Lazarus.	967
8. Don Alphonsus.	974

9. Don Stephanus II, ducentorum monachorum Abbas post Monasterium tenentum. Era 987
10. Don Endura. 1007
11. Don Sebastianus I. 1012
12. Don Garcia. 1020
13. Don Felix. 1024
14. Don Diego. 1048
15. Don Telb. 1061
16. Don Gomez. hunc ferunt Episcopum Burgensem fuisse. 1072
17. Don Dominicus. 1080
18. S. Sisebutus, cui ante meminimus. 1089
19. Sebastianus II. 1114
20. Don Petrus II. si quis tempora rectè putet, videbitur hic Abbas ille fuisse, què Richardus, Abbas Massiliensis, Pontifici Maximi Legatus, pulso Pelagio, in Episcopalem sedem Compostellanam extulit. Hinc varijs agitata ictibus Hispania: itumque in noua suffragia, vti memorat Cópostellana historia, vnde hodierni auctores bibere. Sed nos hæc, & quo pacto Dalmatij Cluniacensis monachi opera se des ista in Archiepiscoporum fastigium sit euecta, suo tempore recensere statuimus. 1125
21. Don Garcia. 1142
22. Don Dominicus II. 1163
23. Don Martinus. 1175
24. Don Stephanus III. 1203
25. Don Michael. 1222
26. Don Martinus II. 1227
27. Don Rodricus. 1249
28 Don Michael. 1297
29. Don Sebastianus III. 138
30. Don Petrus III. 1327
31. Don Sanctius. 1348
32. Don Iohannes I. 1375
33. Don Iohannes II. 1400
34. Don Iohannes III. 1419
35. Don Iohannes IV. 1447
36. Don Ferdinandus de Velorado. 1430
37. Don Petrus Burgensis, qui simul præfuit monasterio Sahagun, vtrobique dexterrimus Abbas. 1445
38. Don Iohannes V. 1454
39. Don Diego de Velorado. 1457
40. Don Petrus Ruyz de Velorado vltimus ex Abbatibus perpetuis. Sequentes nó nisi triennium ad clauú sederunt: aliqui tamé continuo sexennio: vel sæpius fuere lecti. Ad vitandam prolixitatem, libet annum primum ponere, quo quisq; cepit fasces, exprimendo etiam quoties fuerit hoc munere functus.
41. F. Iohannes de Velorado. Sextum Abbas. 1503
42. F. Sanctius de Gdona. 1512
43. F. Garcia de Medina. 1523
44. F. Lope de Frias, auctor historiæ Cid, huiusq; Monasterij: sæpius electus. 1524
45. F. Andreas de Velorado. 1551
46. F. Petrus de Fresneda: his Abbas. 1553
47. F. Ortega Roldan. 1559
48. F. Iohannes de Salazar. 1562
49. F. Antonius Hurtadus. Visitator Generalis Ordinis: deinde Abbas Vallisoletanus: denique Generalis Congregationis. 1565
50. Andreas de Ansuriza: his Abbas, ac Visitator Generalis. 1568
51. Antonius de Amusco. 1574
52. Christophorus de Auguero, Abbas &
53. Casparus de Medina: ter Abbas Cardennæ. 1585
Generalis Congregationis. 1580
54. Diego Ordonno. Factus deinde Abbas Vallisoletanus, & Generalis Congregationis. 1584
55. Petrus de Aguero: ter Abbas, his Visitator Generalis. 1587
56. Antonius Suarez. Visitator General. 1590
57. Iohannes Cortes. 1604

CAPVT III.

Fundatur Monasterium S. Turibij de Lebana.

INter antiquissima Hispaniæ Monasteria hoc sancti Turibij Asceterium numeratur, loco alpestri situm. Nam sancti Benedicti ætate constructum creditur, deriuata à maioribus opinione. Mihi vero cum certo non constet, quo anno eius patrata sit fundatio, vti nec Monasterij Lorban in Portugallia, ad Cardennæ extructionem refero, vt hæc Hispaniç Monasteria vnum in locum conijciam. Etsi vero viros sanctos, qui expeditione in Hispaniam suscepta erexerunt Cœnobia, deleuerit obliuio, intra paucos tamen annos colonorum copiam profudit Ordo, illustri vbique nomine, è quibus S. Turibium cum Sanctis Æmiliano & Martino Dumiensi habe. Ille anteibat ætate, fama iam florens adhuc sęcularis, ad quem litteras anno 531. dedit Montanus Archiepiscopus, postea à nobis edendas. Hic inter primos monachum S. Benedicti induit, dignitatibus cum paupere cucullo commutatis.

Sed antequam prouehamur longius, implexum quemdam nodum soluere oportet, qui scriptores de Turibio moratur. Sunt enim qui multos fuisse contendant: sunt qui non nisi vnú fuisse, mordicus asserant. Quatuor numerarunt Hispani quidá scriptores: S. Turibium Episcopum Astorgensem, Leonis I. æqualem. Turibium, huius Pontifi- *Quatuor Turibios numerant Hispani.*

cis

cis Notarium, de quo primum Concilium Bracarense facit mentionem, nimirum qui Pontifici Patres côuocanti fuit à manu. Turibium, cui Archiepiscopus Montanus scripserat, vt S. Ildephonsus refert. His quatuor addunt alium, cui casto cognomen fuerit, Astorgæ Episcopum, Alphonso II. sceptra tenente. Hunc igitur primo submoueamus, quod per maiorem imposturam venerit in numerum. Ambrosius Morales rectissime in eos inuehitur, qui plures fingunt Turibios, Astorgæ Episcopos, cum vnus tantum fuerit, Leone I. Pontifice Max. Sed ita sunt humana, vt qui modo scopum tetigit, paulo post aberret. Eodem namque capite quo secundum Turibium è Catalogo Episcoporum Astorgensium iure merito exegit, admittit alterum, & vnum carpit in duos, quorum hunc facit Astorgæ Episcopum, illum Leonis I. Notarium: sed Baronius ex ipso Concilio Bracarensi, quo de Turibio Notario agitur, nec non vocabulum Notarij excutitur, sagacissime ad annum quadringentesimum quadragesimum septimum deprehendit, Turibium Episcopum & Notarium fuisse vnum eundemque hominem. Qua enim Astorgensi sacra infula redimitus erat, Episcopus appellabatur: qua deinde Pontificis Oratorem agebat, imperia eius nunciando, statumque Hispaniæ velut historicus, eidé referendo, Notarij nomen tulit. Loaysa Archiepiscopus Toletanus in aliam plane diuertit sententiam, ex duobus Turibijs (Episcopo videlicet, ac monacho ad quem Montanus Archiepiscopus litteras dederat) vnum componendo, quasi Montanus vel Episcopo Astorgensi, vel Notario misisset epistolam, quod longe à vero abest. Nam sanctus Turibius Episcopus fere centum annis Montanum anteiuit.

S. Ildeph. in Montano.

Baron. tom 5. annal. 447.

Loays. in Schol. Côc. Bracar.

Dum igitur fuere Turibij, inclyta illis sæculis per Hispaniam fama. Alter Episcopus Astorgensis, Leonis I. Notarius, cui etiam datis litteris gratias habet ob industriam, in premendis hæreticis positam, additq; quid porro Priscillianistis fieri velit. Hic multas quoque sacras Reliquias dedit Hispaniæ, allatas Hierosolymis. Alter vero Monachus fuit, qué laudibus cumulat Montanus, quod signa vertisset in Priscillianistas, ac hostes Ecclesiæ in fugam coniecisset. Inter hos duos cum multa conuenerint, errandi ansa capta fuit, vt è duobus conflaretur vnus. Etenim vtrique idem erat nomen: eadem patria: eiusdem hæresis vterq; petiuit iugulum: denique sepulti in eodem Ordinis nostri monasterio, in Esturijs de Santillana dicto, quod S. Turibium de Lieuana dictitant. Diuersos autem fuisse vel hinc intelligas, quod S. Turibius Episcopus ad annum quadringentesimum quadragesimum septimum floruerit: Turibius Monachus vero hoc ætatis vixerit, adeo vt inter vtrumque centum circiter anni effluxerint. Ille, Leoni I. Pontifici Maximo: hic Montano, Archiepiscopo Toletano, operam nauauit. Ille, imprimis Clericus, deinde Episcopus fuit: hic in monachi vestigio perstitit. Ille rem gessit sancto Patre nostro Benedicto nondum nato: hic coæuus fuit, de quo mihi porro texenda historia est. Nam Episcopus extra meam orbitam est, nisi quod sacra sua ossa nobis concesserit; & quod monasterio nomen sancti Turibij de Lieuana, ipsius gratia positum esse credatur. Errore autem ducuntur, qui monasterium hoc ab ipso Turibio conditum fuisse arbitrantur: ac illi etiam, qui S. Turibij nomen à principio ei inditum esse, contendunt, cum sancti Martini habuerit, quod tum demum mutarit, vbi sancti Episcopi Reliquias accepit.

S. Turibi⁹ Episcopus Astorgensis.

S. Turibius monachus etiam adhuc sæcularis, iam meruerat famam, quod honores & magistratum gereret Palentiæ, vicinoq; loco, quem laudatum iuit Montanus Archiepiscopus eo, quod officio egregie fungeretur, coërcendo Christianorum hostes: cultum diuinum promouendo: idololatriam pessumdando: Priscillianistas proscribendo. Cumque videret omnia illum facere ex sententia, negotium ei quoque dedit, Sacerdotes ius & honores Episcopales sibi vindicantes, cohibendi: at nolo esse longior, cum epistola typis sit vulgata. Hæc pauca de insigni viro isto mihi erant in promptu. Vbi, & quo pacto religiosum habitum sumpserit, verissime exponit Reuerendissimus Dominus Fr. Prudentius de Sandoual, Episcopus Tuyensis, cui cum ego in alijs fidé habeam, ob eruditionê, qua præditus est, singulatem; tum vero fas est, viro hic pressius adhærere, nec enim tantum inspexit archiuum monasterij, sed insuper aliquammultos dies ibi dê sacra loca & monumenta obeundo, contriuit. Igitur fessus, inquit, sæcularibus curis Turibius, Regula vero sancti Benedicti per multos sanctos monachos Hispaniæ illata vulgataque, monachum induere apud animum suum constituit. Quocirca adscitis sibi socijs, quos inter Tolobeus Episcopus, qui deinde habitum monasticum sumpsit, Synobius Diaconus, Eusebius, Eusostomus, & Ofazo (omnes monachi & Sancti) eminebant, se remouit in alpes Lieuanenses, vbi loco magis edito asperoque, vnum milliare à villa Potes distanti, imposuit monasterium, atque sancto Martino Episcopo dedicauit. Relictis hic socijs Turibius, montem ascensu supe-

S. Turibi⁹ Monachus

Sandoual. p. 1. de Fundat. Monast. S. Benedict. in S. Turib.

Ædificat Monasterium S Martino.

superans, arenam vestigauit, in qua solus cum Stygio hoste depugnaret, miles veteranus. Tandè voti compos factus in occulto quodam recessu paruum Eremitorium quo acciperetur, sedulo sibi elaborauit, vbi in dira ieiunia, emacerationes, lachrymas, orationes assiduo incumbendo, cœlis detraxit angelos, secum frequenter verba miscentes. Eo vero loco in quo cœlestes genij sese in conspectum dederant, Eremitorium molitus est alterum, à priore non longe dissitum, quod hodie Angelorum appellant. Magnis hunc sanctum Monachum beneficijs prosequutus est Deus! Quot annos in solitudine ista traxerit; quoue morti occubuerit, petendo Superus; vbi denique sepultus fuerit, non liquet: nisi forte Sancto Turibio Episcopo Astorgensi ac cæteris Sanctis socijs fuerit adiunctus. Eius Eremitoria, & ergastulum vbi acres supra fidem à se pœnas sumere cõsueuerat, oculis meis lustraui, non absq; magno sensu pietatis, in quem spectatores tapi necesse est.

Inde Monasterium semper incolas Monachos sancti Benedicti habuit, numeratque supra mille annos, & insigni religione à Christiano populo frequentatur. Capta Hispania non tantum à Mauris versum non est, sed multi ponus monachi ac sæculares elapsi fuga, se illic abdiderunt. Cumque Alphonsus primus, Catholicus, Regis Pelai gener, regeret Asturias, arcæ sacris Reliquijs stipatæ, olim à sancto Turibio Episcopo Astorgensi Hierosolymis allatæ, vna cum ipsius ossibus, & parte sanctę Crucis, discrimini ereptæ, huc deportatæ sunt, id quod etiam memorant historiæ Castellanæ. Tantum vero decoris nouus hospes peperit Monasterio, vt exciderit nomen S. Martini, & suffectum sit sancti Turibij, ac insuper sanctus Turibius Monachus, conditor Asceterij, pariter obliuionem subierit, dum vni Episcopo tribuuntur omnia, quæ iure ad se traheret Monachus.

Quod postea S. Turibij nomen accepit.

His subijcit Sandoual magnum sacrorum lipsanorum nec non sanctorum corporum numerum, quibus ego, vti etiam multis alijs memoratu dignis, supersedeo, tum quod ille narret, tum quod per grassantem pestem Monasterium mihi adire haud licuerit, quando obiui & scrutatus sum Hispaniæ archiua. Is igitur consulatur, qui antiqua illic monumenta vidit, voluit, & reuoluit: qui iudicio præpollet: vetusta cupide consectatur. Hodie ab illustrissimo Monasterio Onna dependet, vbi multas chartas reperias, quæ ad S. Turibium pertinent, è quibus ego summa hic capita referam, cum pondus habere videantur. Liber præ manibus est, in quem variæ donationum & gestorum litteræ compactæ sunt. Folio 64. ad eram 1211. refertur, quandam Dominam Miliam, eidem S. Saluatorem de Onna subdidisse. Alia charta ad eram 866. memorat Pupedium Presbyterum ac Dominam Noniam, Deo deuotam, struxisse templum honori S. Petri in Biniona: multisque fortunis instructum huic Monasterio, quod tunc S. Martini nomen ferebat, condonasse: *Qui est in loco*, (verba libri damus) *qui vocatur Torenza, & religioso Presbytero Domino Ethereo, & Monachis in Agone ipsum habitantibus, regnante Ildefonso in Asturias.* Insigne decus Monasterio additur ab Ethereo, quem, vt creditur, habuit Abbatem. Nam S. Beati socius fuit, cuius celebri fama pleni sunt omnes Hispaniæ Annales, quod Elipando, Archiepiscopo Toletano, nouam hęresin molienti, forti animo constantiáque obuiam iuerit. Secta vocabatur Feliciana, quod ab Elipando quidem inuenta, sed à Felice, Episcopo Vrgelensi, passim venalis habita esset ac diffusa; oppressa tamen à Concilio Francofurtensi, Carolo Magno sceptra Imperij torquente. Sed cum deinceps redituri simus ad S. Æthereum, sufficiat sancti Turibij Monasterio quasi memoriam refricuisse tam illustris filij, quem virtus postmodum in Episcopalem Cathedram Osmensem extulit. E charta hac etiam intelligas verum esse, quod supra memorauimus, huic Monasterio imprimis à sancto Martino nomen positum fuisse, quod etiam diu hanc post donationem hæsit. Nam alia quoque scriptura in promptu est, qua Cæsarius filius Froylani & Flamulæ, ad expiandum quam plurima peccata sua, tum etiam ad honorem S. Martini Episcopi promouendum, cuius Reliquias territorium Lieuana suo in cõplexu habeat, in loco Totenau seu Torenzo dicto, Abbati Opilæ possessiones in Lieuana aut Asturijs transcribere se ait, era 960. Rege Legionis Ordonno. Era 969. cum rebus S. Martini adhuc præesset Opila, quidam Bermudo Adelfonsis Ecclesiam S. Iohannis Baptistæ, pomaria, ædes, multaque alia cessit Monasterio. Litteris subijciuntur Monachorum nomina: Abbas Ausedeus Presbyter, Frater Iohannes, Frater Dominicus, Frater Sineydus, Frater Adelricus: quibus duorum verbotum compendio reliqui connectuntur: *aliorum Fratrum.* Vnde conijcias Cœnobium hoc tarde mutasse nomen. Nec te præterire velim, rem dignam animaduersione. Nimirum hoc ætatis Monachos nullo prænomine fuisse vsos, sed nude appellatos Iohannem, Petrum, Alphonsum, Placidum, Maurum: in hoc autem Monasterio deprehendi primo, nomini proprio anteponi Fra-

S. Ethereus ibidē Monachus.

tris prænomen, ab omnibus deinde Religiosibus adscitum.

Olim S. Turibij Asceterium fuerat Abbatia, eaque opulenta: hodie Prioratus est, insigni Monasterio S. Saluatoris de Onna subiectus: tot tamen monachos numerat, quot solent Abbatiæ. Quamuis enim opibus haud valeat, pollet tamen multis ornamentis, quippe excitatum superstite etiamnum S. P. N. Benedicto: nec vnquã ibi Numinis cultus intercidit, quandoquidẽ Mauri Lieuanam non interceperunt: deinde sanctum Turibium ac socios cum S. Æthereo sinu fouet: insigniores totius Hispaniæ Reliquias possidet, quas apud sæpe miracula consuetis maiora patrat clementissimus Deus: præsertim vero infesti malo genio hic breui liberantur: vnde locus tota Hispania clarissimus euasit. Quoties enim cacodæmon in hanc arenam venit, per sanctissimæ crucis vim in fugam agitur; hospitio, quod occuparat, vacuo relicto. Qua de causa ex omni Hispania huc confluunt. Quodsi festiuus S. Turibio dies in Dominicam incidat, immensus plane populus agminatim per aliquot dies ante ac post festum huc ruit, cum ob plenarias indulgentias, à Leone X. anno 1515. concessas: tum sacri ligni visendi studio, vbi prodigia prorsus stupenda contingere solent. Cum enim hæc sanctissimæ Crucis pars facile alias, quæ passim habentur, superet (enimuero integrum eius brachium est) grauius dæmonibus incumbit quam minutæ partes, quæ reliquo Christiano orbe habentur. Namque turpis alastor, viso salutis nostræ instrumento, perculsus non vano horrore, sine mora trepida fuga se aufert: quæ miracula si narrare vellem, volumen aliud moliendum mihi, hæcque historia è manibus deponenda foret, vel certe breuitas deserenda, cui me consulturum spopondi à principio.

Dæmonibus inuisus hic locus est.

CAPVT IV.

Lorban, Portugalliæ Monasterium, excitatur.

Lorbanẽse Monasterium superstite S. Benedicto fundatur.

Sanctum Benedictum prius in Hispaniam, quam Galliam, adornasse expeditionem, ac eius auspicijs Monasterium sancti Petri de Cardenna fundatum esse, supra memorauimus, cui Asceterium S. Claudij, Legione situm, vetus memoria adiungit. Id nos tamen eum in annum reijcimus, quo sanctus Vincentius martyrio affectus est.

Quemadmodum igitur viuente etiamnum S. P. N. Benedicto sedes in veteri Castilia & Legionis regno eius fixerunt discipuli, ita pari ardore acti penetrarunt etiam in Portugalliam. Quamuis autem Cœnobiorum alia sepeliuerit obliuio, euasit tamen indignam hanc sortem Lorban, qua opibus, qua antiquitate cæteris præstans. P. Bernardus Brito in Monarchia Cisterciensi, hæc è libro illius Monasterij peruetusto descripta refert: *Domus nostra Lorbans constructa fuit viuente Patre nostro Benedicto, & dedicata Sanctis Martyribus Mametio & Pelagio. Illi enim qui venerunt, deferebant Reliquias istorum: propter quod assumpserunt eos in Patronos: & fuit dedicata Ecclesia ab illis quarto Kalend. Iunij.* Hoc nomen Lorbau Monasterio positum fuit, quod proxime laurum (Portugalli Loureyro vocant) erectum sit. Etenim in reducta valle stat, quam iuga montium & inaccessæ rupes cingunt. Nam monachi nostri in solitudine educti, aptas silentio & contemplationi solitudines vestigare & occupare consueuerant. Vallis autem hæc tam est angusta, vt Monasterium & officinæ totam insideant. Per mediam cursu ambiguo fertur fluuiolus, virentibus vtrinque arboribus stipatus, quæ miram amœnitatem affundunt loco, præsertim vbi floridum Ver exerit frontem, arridetque. Leucas fere tres abest Conimbrica, celebri olim fortique vrbe; sed hodie à bonarum artium mercatu celebrior. Nec solum præteritis dudum sæculis, sed nostra quoque ætate ingens Monasterio huic religio, & par gloria est. Tenuere id imprimis monachi, quibus successere moniales. Quid autem illo sit actum, Gothis Hispaniæ incumbentibus, vano labore quæsiuimus, nisi quod Bernhardus Brito affirmet, Ernulphum Abbatem in Concilio IV. Toletano Episcopi Conimbricensis vices obiuisse, quod ego non iniuria in dubium voco. Concilium enim typis vulgatum hæc à fine refert: *Renatus Presbyter, Vicarius Ernulphi Episcopi Conimbricẽsis, subscripsi.* Quod si Presbyter hic etiam Abbas fuisset, absque dubio addidisset, more in subscriptionibus Conciliorum iam pridem trito.

Monarch. Cister. l. 6. c. 29.

A Lauro nomen habet.

Pro certo habetur, Mauros Portugalliam irrumpentes Monasterium hoc nõ excidisse quod scelus in alia quamplurima patrarunt. Ita sentit & scribit Rodericus Archiepiscopus, Monachi quidem integerrimam ducebant vitam, sed iuxta miseram, eo quod duris victus laboribus parandus esset, ac insuper grauia tributa exsoluenda, à Matris imperata, quibus non tantum innocentiæ nomine chari erant, verum etiam in pretio ob factum, quod Brito narrat.

Roderic. l. 4. c. 11.

Brito loc. cit.

Monachorum amore captus Regulus Conimbricæ.

Multos in regulos Mauros tum carpebatur Hispania, è quibus vnus Conimbricam insederat. Hic aliquando venandi studio ex vrbe in agrum extractus, dum cupide feras pressit, in vallem Lorbanensem delatus est, vbi lentis vmbris, vndiq; de montibus & arboribus accidentibus, se fessus inuoluit. A nocte tandem occupatus cubile circumspexit, in quo somnum inire liceret. Vltimo caput altius tollenti, Monasterium Lorban in conspectum venit. Igitur humo se rapiens eo contendit, quem Abbas hospitio accipiens, suo eum cœtu tot obsequijs & officijs est prosequutus, vt non modo superarint expectationem, sed insuper Regis animum adeo sibi conciliarint, quod sæpius deinceps ibidem instruxerit venationem. Bene sic semper habitus à monachis, in eorum se amorem alte demisit; vtque officijs beneficia reponeret, magna eos (præter morem in Christianos alios) libertate donauit. Etiam tributa remisit, quibus incolæ alij oppressi, profunda suspiria ditione tota edebant, in quam immigrare, vel vnde emigrare, illo inuito, magnum nefas habebatur.

Quæ obsequia pepere amorem, auget miraculum.

Sed hem! aliquando Monasterio se insinuauerat fronte obducta, tristique, ore pene muto, quod medici de filio pollice verso conclamassent. Aduertit res hæc Abbatem: vnde humanitatis plena serere cœpit verba, & elinguem prouocare, ediceret insolens malum, quod animum vrgeret. Ille causam mœroris promit: hic salutem promittit, qui sine mora in preces cum suis Fratribus deflectens, orauit Numen fata filio vt produceret. Posthæc composita sancti Marcetis Martyris ossa puro latice perfudit, quem vase exceptum ægro filio, à medicis deposito, propinauit. Rex à nostra fide alienus, flocci hanc medicinam fecit; postremo tamen annuit vt sumeretur à morituro. Capit hic poculum: libat aquam primum: deinde haurit: præsenti fato eripitur. Patrem & palatinos, cum lætitia ingens incessit admiratio. Adeo autem opportune id populo vicino accidit, vt morbis correpti vndique suos deinde mitterent in Monasterium, petitum aquam; salute sæpissime sunt potiti per sanctorum Martyrum merita, & monachorum fidem, qua ægroti quidem (velut Saraceni) carebant.

Brito hic quædam narrat quę risũ moueant.

Raros item casus de quodam Iohanne, huius Monasterij Antistite, Brito narrat, quem Regis Ramiri patruum facit: Maurorum prodigiosum debellatorem, multosque mortuos vitam redditam ipsi debuisse. Pollicetur se parte secunda de Monarchia Portugalliæ archiuorum monumenta productu- rum, ad fidem historię comparandam, quam nos in Castilia in fabulæ loco habemus. Ego vero tantisper calculum sustineo, donec ille stet promissis. Nam historia de Abbate Iohanne vulgata, non maiorem hactenus fidem habuit quam ea, quæ de Comite Roldano circumfertur. Sed quemadmodum is auctor, qui res à Rolando gestas nimium quantum amplificauit, magnasque nugas facinoribus veris miscendo fidem historiæ ademit, ita mihi prorsus persuadeo, fuisse quemdam huius Monasterij Abbatem forti animo præditum; duxisse militem in Mauros: victorias præclaras retulisse: quibus dum nonnemo fabulas aspersit, mera somnia narrare, ac fumos vendere est visus. Si gemmas è luto legit Brito; si putamina à nucleo discutit, ingenij ac eruditionis non vulgare documentum dat.

Don Rodrigo l. 6. c. 11. Monachi Ferdinandum I. cõmeatu iuuant.

Cæterum insignem in huius Monasterij memoriam à Ferdinando I. Castellæ Rege petere licet. Munitas inter vrbes quas Mauri in potestatem redegerant, Conimbrica excellebat. Hanc sex menses amplius obsederat magnanimus Rex; sed cum intelligeret se operam ludere, constituit secum obsidionem soluere: in Castiliam relegere vestigia. Milite iam conuasante Abbas & monachi Regem adiuere: vt perduraret, maiorem in modum rogarant, sibi affatim annonæ esse dictitantes, ab aliquot retro annis collectæ, qua vitam ad aliquot dies tolerarет exercitus. Annuit Ferdinandus rogatoribus, iuxtaq; consultoribus haud ineptis. Non mora, commeatus faciunt copiam: armis ac fame premuntur obsessi: sese dedere compelluntur. Potuissent beneficium hoc in grande commodum vertere monachi, si rerum cupidi fuissent: sed illi posthabitis omnibus quæ Rex plena manu offerebat, priuilegiorum suorum confirmationem, & in vrbe domum postularunt, in quam monachi negotijs cum sæcularibus expeditis, se subducerent. Etiam hodie in manibus priuilegium est, quod à me narrata continet, era millesima centesima secunda datum, quo insuper priuilegia à Ramiris, Bermudis, Alphonsis Legionensibus accepta, confirmantur. Nam, vt ego quidem conijcio, quando Reges Legionis in has terras fecere excursiones, huiusmodi beneficijs monachos prosequi solebant. Vel (quod vero similius est) cum Lorbanam modo Mauri modo Christiani possiderent, neutros monachis, ob integerrimam disciplinam, fuisse graues, sed potius illorum commodis studuisse. Nam hodie quoq; priuilegia tã è Regibus Mauris, quã Christianis concessa, præ manibus sunt.

Opibus ac potentia floruit hoc Monasterium ad Comitem Henricum vsq;, Alphonsi VI. generum, cui Teresa Ferdinandi I. neptis data nuptui fuit. Iste, cum adhuc memoria suggesti cõmeatus vigeret, traheretq; simul animos monachorum sanctitas, dimidium villæ Caciæ era Cæsaris 1114. Monasterio contulit. Donationis tabulæ in promptu sunt. Anno Christi nati millesimo ducentesimo Monasterium hoc antiquo suo statu excidit.

Veteres incolæ ex Lorban migrare coguntur.

Nam Teresa Regina, Sanctij Portugalliæ Regis filia, & Regis Alphonsi Henriquez neptis, amœnitate loci capta, veteres colonos migrare, illisque sacras Virgines Cistertienses succedere iussit, quibuscum ipsamet annos nõ paucos traduxit. In promptu causa est. Alphonso Legionis Regi, propinquo sanguine sibi iuncto, absq; Pontificis Max. arbitrio ac nutu temere nupserat. Refisso igitur ab hoc connubio, illa Regem valere iussit: in Portugalliam contendit, vbi cum Regę Sanctio suo patre consilio capto, monasterium ingredi statuit, in quo vitæ reliquum poneret. Ante omnia arrisit Lorban. Precibus igitur adorta genitorem est, vt monachis alio dimissis, nobilem locum sibi cõtraderet. Nõ mora, Rex Abbatem adducere conatur, vt eũ sup cœtu migret prolixe multa pollicetur. Is spem facit, Regem voto potiturũ: sibi tamen rem prius ad Conuentum referendam. Post hæc coëunt in consilium: in quod periculum cõiecti essent, tristes audiunt: Cœnobium antiquitate nec nõ parta à maioribus sanctissimis gloria insigne, ita subito deserendũ, ingemiscunt. Abbati quoque ipsi animus mutatus fuit. Quid deinde? Armatis Regis precibus victi sunt. Nec enim in ipsorum manu situm erat quid vellent, aut quid nollent. Dolorem auxit quod re tanta à maioribus ad se transmissa, absque culpa exuerentur. Innocentius Pont. Max. Regem & monachos compositurus, sibi negotium transigendũ sumpsit. At at, funis vbi erat tenuissimus, est ruptus. scilicet Regi Innocentius satisfecit: Regina traxit monasterium: monachi vacui vel pedrosum missi: vel per alia monasteria dispersi. nã vtrũq; fama fert.

Regina, Monasterio in potestatem redacto, è S. Bernhardi Parthenonibus disciplina florentibus, accersiuit moniales, quæ viuendi rationem in Lorban asperrimam sanctissimamq; innexerunt.

Succedũt Moniales.

Primæ Antistiti nomẽ Godæ fuit, quæ magnam S. Regulæ curam gessit. Atqui Regina priusquã indueret monialem, res à Monasterio auulsas recuperare studuit: recuperatis fortunas quoq; suas adiecit: vnde in eum cumulũ excreuere opes, vt Lorban æquaret amplissimum S. Dionysij de Ædibelas Cœnobium, non procul Vlissipone dissitum, quod ducentas alit sacras Virgines, pręter densam ancillarum turbam. Aliquot menses ante, quam fato concederet, pia hæc Regina habitum sumpsit religiosum, in quo sub annum millesimum centesimum nonagesimum nonum animam exhalauit.

Fuere præterea Sanctio Regi aliæ duæ filiæ: nimirum Sanctia, quæ Monasterium S. Mariæ de Eclas condidit: & Malfada quam Henricus Rex Castellæ duxerat. Illa tamen coniugio postea ob cognatũ sanguinem renunciauit. Virtutibus vtramq; candidissimis imbuerat Regina Teresa, è quibus prior in hoc monasterio educata, posterior vero sepulta fuit. Cum enim Teresa magnificũ hic loci sibi posuisset mausoleum, prærepiã fato sororem eo intulit: proxime autem sepulchrum sibi molita nouum est.

Teresa & Malfada regio sanguine ortæ, hic loci conditæ sunt.

Ambæ igitur in Lorban communem Orbis iudicem præstolantur, cui rationes suas absq; dubio probaturæ sunt, cum vitam duxerint perquam innocentẽ. Accensentur Sanctis, quod multa edant miracula, videturq; huius monasterij singularis felicitas esse, habere incolas vitam cœlestem trahentes. Ibidem quoq; bonos imbibit mores Berengaria, eiusdẽ Sanctij filia; & Blanca Alphonsi III. soboles: quæ postea in clarissimo Huelgensi Asceterio Antistitis prouinciam obiuit. Cæterum Parthenonis Lorban moniales, à publica fama in Cœlitum syllabum relatas, visum est alibi prolixius exponere, cum copia me fatiget, hinc alio properantem. Id tantum pro auantissa addo, longa multorum sæculorum experientia liquere, monasterijs S. Benedicto viuente conditis, singularem hanc benedictionem obtigisse, (quippeni ab ipso Patriarcha impertitam?) vt semper incolis sanctitate eximijs floruerint: quod de Lorban, repetita ab origine prima memoria, constans fama habet.

ANNVS CHRISTI 538. ANNVS S BENEDICTI 58.

Vario æstu agitatur Italia.

NVnc solo Hispaniæ verso, iterũ incumbamus Italiæ, quam cruenta bella, solitoque fames grauior, in vltimum discrimen coniecerunt. Malorum omnium fons Theodatus, qui Reginæ Amalasunthæ non tantum sanguine, verum etiam cõnubio sibi iunctæ, Regis Theodorici filiæ, prudenti & præclaræ fœminæ, mortem imposuit, à qua euectus ad regnum erat, cum hoc ad ipsam spectasse. Mox ingens cupido vindicandæ miseræ cæ-

Fame ac armis premitur Italia.
Anastas. in Liberio. Liberatus c. 22.

dis Iustinianum Imp. incessit, præterquam quod iam pridem voluerat animo, quanam vi vel arte Italiam assereret Imperio, ab Ostrogothis subductã. Exercitui præfecit Belisarium, rei militaris peritissimum ducem: sed Theodato iam à Gothis sublato, contra Vitigisem, Regem nouũ, arma mouit, à quo Romæ obsessus ipse fuit, tanta militum copia cingente vrbem, vt centum millia excessisse ferantur. Pontificatum id temporis gerebat Syluerius, vir sanctissimus is quidem, calamitatibus tamen & exilijs actus, quod Theodoræ Imperatrici, non æquum postulanti, annuere haud vellet. Agapitus Papa Antimium Patriarcham sede Constantinopolitana mouerat. Hunc vt Syluerius reponeret, contendit Imperatrix. At Pontifex vt ne studeret hæreticis, abnuit, quantumuis sentiret magnũ se adire periculum. Mox enim iræ impotens fæmina Syluerio manus inijci, & capi iussit. Sceleris ministri cum se omnium calculis damnatum iri viderent, si alienum à culpa Pontificem è fastigio deturbarent, confinxere dolum: arcanas Syluerium litteras clanculum submisisse Gothis, obsidione Romam prementibus, quibus spopondisset vnam se portam ipsis patefacturum, qua irrumperent. Non defuere qui figmento fidem iuramento facerent. Quocirca Cæsariani furore subito ardentes, Pontificem corripiunt: Belisario duce, eiusque vxore Antonia spectantibus, cultu Pontificio spoliant: cucullo monastico nimis officiose inuoluunt. Eiectum primo in Græciam, Imperator Romam reuerti iussit: sed intercessere æmuli, malis illatis nondum satiati. Prohibitus igitur Italia, in Palmariam insulam seu Pontiam submotus est, vnde inuisus mundo, in cœlos euasit, cucullo amictus, quodque vero simillimum est, Benedictino. Sed amice Lector, vel memoria vel oculis, obsecro, repete sis ea, quæ ad annum quingentesimum trigesimum sextum attulimus.

Syluerius Papa capitur.

In exiliũ pellitur.

Annus Christi 539. Annus S. Benedicti 59.

Dira fame vrgetur Italia, quam S. Benedictus larga stipe depellit à vicinis.

Belli filia fames est. Nam impij milites locustarum instar incubant terris: agros late vrunt: labores colonorum annuos, temporis momento populantur. Bello, quo isthoc anno vexabatur Italia, sterile & sine fruge solum accesserat; vnde penuria annonæ extra ordinem conficiebantur miseri mortales. Profecto incredibile dictu est id, quod Procopius refert, auctor idoneus. Videlicet de concussæ ilicis glande panes in delicijs habitos: vulsas herbas, aut à summis capitibus carptas, ambrosias instruxisse mensas: funditus erutas radices non vile ferculum fuisse. Dirissimam famem horrida excepit pestis. Hac qui extinguebantur, fortunatos se credebant, quod sic insidiosas iuxtaque barbaras hominum manus euadere liceret, qui fame non secus quam rabie acti, in incautos (prô scelus!) inuolabant: enecabant: & in frusta sectos deuorabant. A duabus mulierculis decem ac septem homines subito occupatos: tum mactatos & comesos fuisse, idem affirmat. Fessi nimirum de via, vbi commodum erat diuerterant. Somno sepultis vigiles fæminæ insidias collocantes, nefarias manus afferre aulæ, viris vitam ademerunt: post diuisa ex æquo præda, membra humana suis visceribus condiderunt, miserasque animas dapibus inhumanis produxere. Paulatim funestum malum vlterius progressum est, vt iam matres albis dentibus sua chara pignora inuadentes, comederent quos in lucem liberos edidissent. Hic vero multo maxime S.P.N. Benedicti se prodidit commiseratio. Nam alienas calamitates fecerat plane suas. Tam ipse quam discipuli gnauiter defraudabant genium, vt inedia pereuntibus stipem simulque salutem ferrent. Putasses maiori illos cura teneri vt darent, quã vt haberent. *In Campania regione*, inquit Gregorius Magnus, *fames incubuerat, magnaq́; omnes alimentorum indigentia coangustabat: iamque in Monasterio Benedicti triticum deerat: panes vero pene omnes consumpti fuerant, vt non plures quã quinq; ad refectionis horam inueniri potuissent. Cumque eos venerabilis Pater contristatos cerneret, eorum pusillanimitatem studuit modesta increpatione corrigere, & rursum promissione subleuare, dicens: quare de panis inopia vester animus contristatur? Hodie quidem minus est: sed die crastino abundanter habebitis. Sequenti autem die ducenti farinæ modici ante fores cellæ in saccis inuenti sunt, quos Omnipotens Deus, quibus deferentibus transmisisset, nunc vsque manet incognitum. Quod cũ fratres cernerent, Domino gratias referentes, didicerunt de abundantia nec in egestate dubitare.* Etiam hodie ad scalas, per quas in Montem Casinum euadunt, sacra stat ara cum S. Benedicti signo, in marmore effigiato, quod ibi reperta annona sit, nec non in vitam reuocatus coloni cuiusdam filius.

Murmurantinanes ſtomachi in Italia.

Procop. l. 2. de bello Goth.

Fami se adiungit pestilẽtia.

Fæmineũ scelus.

Quid non mortalia pectora, cogis. Dira fames!

D. Greg. l. 2. dial. c. 21.

Qua potes, ementar famẽ S. Benedictus.

* *

Annvs Christi 540. Annvs S. Benedicti 60.

S. Placidum sui inuisunt fratres.

A S. Placido, Monasterium summis viribus moliente in Sicilia, nuper discessimus. Itaque templo quartum post annum vltimam imposuit manum, quod Episcopus Messanæ Sancto Iohanni Baptistæ dedicauit. *Rogauit autem S. Placidus Episcopum,* inquit Gordianus, *vt totius Monasterij ambitum aqua exorcizata respergeret, & orationem daret; sicq́; Sanctus Domini in illud ingressus est cum suis, ad habitandum. Intra breue temporu spatium triginta fratres in eodem loco ad omnipotentis Dei seruitium congregati sunt.* Cæterum miracula sanctus Antistes tam crebra patrabat, vt salutem ita facile distribueret, quam stipem. Prouocati fama filij parentes, Eutychium, Victorinum, ac Flauiam, charissimos liberos itineri commisere, vt amantissimum fratrem viserent. Soluitur è portu nauis: dantur vela ventis: tenetur fidum littus. *Et primo quidem*, ait Gordianus, *non cognouerunt eum; ob id scilicet, quia ex quo B. Benedicto oblatus est, illū vlterius non viderant: & post tanti temporis spatium vir factus est, & Monachali habitu indutus, atq́; pra nimia abstinentia & enormitate vigiliarum & orationum corpore tabefactus & annihilatus erat. At vbi per indicia agnouerunt eum, in oscula eius ruentes, & se diutius complexantes, ob nimietatem amoris & gaudij in fletum maximum proruperunt. Post hac cum omnia Monasterij habitacula perlustrassent ac conuenienter constructa laudassent, aliquantis diebus apud B. Placidum, fratrem suum, remanere decreuerunt.* scilicet clementissimus Deus ipsis (nō sentientibus) viam hinc ad Superos aperiebat. Ita singularem curam eorum, habere solet, quos cœlo destinauit. Sed nunc in arenam.

Gordian. c. 1. pass. S. Placidi.

Gordian. ibid.

S. Placidus ab Eutychio, Victorino, & Flauia visitatur.

Annvs Christi 541. Annvs S. Benedicti 61.

Barbari in portum Messanum inuehuntur, S. Placidi Monasterium irrumpunt: cade id ac sanguine implent.

Ergo dum S. Placidus cū suis Monachis & charis hospitibus tempus sacris exercitijs absumit, ignarus futuri, ecce tibi! Abdallah Rex, à Christi fide alienus, ingentem exercitum aduersus Christianos vndiq; contractum imposuit classi, centū velis tumenti; bellatorum autem ferocissimorum sexdecim millia vehenti, Manucha, tyranno potius, quam ductore. Annus tum quingentesimus quadragesimus primus se circūagebat. Quocunque appulere, crudelitatis insanæ vestigia tristissima reliquerunt. Petitus etiam portus Messanus est, primoque mane expositus miles, qui recta in Monasterium ruens, opere matutino solutos ac digredientes Monachos, præter expectationem occupauit.

Barbari Messanā appellunt classem.

Is autem errore lapsus est, qui de suo historiam Gordiani augens, hos barbaros ex Hispania aduentasse scripsit. Non multum immoror: nam absurdum hoc esse ab aliquo multos annos post, quam Mauri subegerunt Hispaniam, quis non videt? Isto enim anno Tendis regnabat. Testes Procopium, nec non S. Isidorum tibi adduco, qui ætate illa vixere: quos historicorum cæteri sequuntur. Hispaniæ tunc temporis Gothi iura dabant, fide Christiana imbuti, quamuis in Arij, improbi magistri, verba iurare consueuissent. At Gordianus barbaros istos à sacris Christianis facit alienos: cultores idolorum. Præterea nullus vnquam Abdallah regium Hispaniæ solium insedit: nec inde paganorum aliquando classis contra Christianos effusa est. Adde nec Mauros rem tantam Hispania subacta moliri potuisse, cum S. Placidus anno quingentesimo quadragesimo primo ense barbaro confectus: illi vero multo post, videlicet anno septingentesimo decimo quarto regnum Hispaniæ sint potiti. Ita affectis oculis nonnulli historias intuentur ac denarrant, vt non loci, nō temporis, non personarum ducant vllam rationem. Somnus hic maxime illis obrepere solet, qui vitas Sanctorum componunt. Dum enim in acta solum volubilem aciem intendunt, tempora negligunt, in quibus non raro historiæ sanguis inest, ac veritas latet.

Non soluerunt ex Hispania.

Procop. l. 2 de bello Goth. S. Isid. hist. Goth.

Quamuis autem pro certo habeamus, sanctum Placidum cum insonte turba à Mauris Hispaniam incolentibus fusum haud fuisse, non tamē æque nobis compertum est, quarum gentium scelesta hæc capita fuerint. Petrus Messanensis apud Arnoldum Wion pro Ostrogothis eos vendit, Italiam tenentibus. At hi Ethnicorum fungos, seu Deos ficulneos, haud adorabant: neque Regi Abdallah, sed Vitigi parebant. Insuper, vt Totila Siciliam inuaserit ac vastarit, multo ramen serius id factum. Nec in Arnoldi sententiam concessero, qui Auares fuisse putat, è Septentrione oriundos, à quibus Hungaria postmodum sub iugum missa est. His enim annis nondū in Europæ sinum penetrarant: nec mediterraneum æquor nauigabant, per quod colluuies hæc illata Siciliæ est.

Wion l. 3. 5. Octob.

Ex Arabia & Africa vela facere.

Sed quid opus est multis, cum eos Gordianus

dianus nunc Agatenos, nunc vero Sataceuos appellet? Atque vt penitus tacuiffet, Abdallah tamen & Mamucha, Atabica nomina, gentem ptodidiffent: cuius vites paulatim in eam molem excteuetunt, vt totam Africam & Hifpaniam tɩ degetit in poteftatem. Inuitabant igitur inimicam Chriftianis gentem nata in Italia fæua bella, quibus implicitum attineri fciebant Imperatorem, ne poffet irruentibus obuiam ite. Aufi igitur ex Atabia & Aftica moliri expeditionem, ac noftta littora legete. Quod vero idolis pofuetint genu antequam Mahomet anno fexcentefimo vicefimo fecundo venena fua ibidem vomuiffet, luce clarius eft. Hęc quidem inuitus fracto, quippe Lectoti temoram & ftomachum factura: mihi tamen corrupta Gordiani hiftoria auriculam vellicauit vt facerem.

Ergo prædę inhiant ac moliuntur fores Monafterij. Porro quos diximus Saraceni, violatis Monafterij foribus, irruperunt: obuio Donato, fancti Placidi focio, ætate graui viro, caput illico ademerunt: at Gordianus iuuenis qui pariter in latrones incidetat, per pofticum euafit. Volente Numine id factum credam, vt effet qui cęterorum martyria pofteritati proderet, teftis oculatus. *Gordianus monachus cap. 2.* Mox fanctum Placidum vna cum cæteris comprehendunt: in vincula conijciunt: raptim ad Manucham trahunt. *A lupis lędentur oues.* Rogatus Dei feruus ecquas profiteretur leges? quæ facta coletet? prompte Chriftianum fe effe refpondit. Cui Batbarus: *Nega Chriftum tuum: conuitia in eum iacta.* Hic iam Placidus erecto animo abominati fcelus: deteftari: ante fe cum fuis vltima crudelitatis & carnificinæ exempla fubiturum. Hinc tollitur à milite confufus & inconditus clamore tormenta intentantur obftinatis. Placidus ad minas & pollicitationes æque furdus, IESVM Chriftum verum Deum adoramus, inquit, pro quo vitam per quæuis tormenta millies ponere parati fumus. Idem fenfus, eadem vox cæteris omnibus fuit. Quo iam multo altius vlulate lupi, maiorique tabie acti longos ftringere dentes.

Tyrannus fpoliari veftibus vniuerfos iubet: tum flagris non parce accipi. Ergo nudantur: Stant expofitæ ictibus incudes: crudelem in modum profcinduntur tergora: infonti fanguine folum natat. Profundius tamen animos conie ctæ in Chriftum contumeliæ fauciant. Feffis tandem lictoribus Manucha receptui cecinit, non vt martyribus indulgeret moram, fed in tormenta magis dira vt differret. *Monafterium & ciuitas expilantur.* Nam eos manibus poft terga reuinctis in cuftodiam immitti imperauit, cauitque ne quifquam quidquam fami aut fiti leuandæ fuggereret claufis. Hinc ad prædam verfi, monafterium diripuere: ex monafterio in vrbem inuolarunt, vbi cædibus, rapinis, infanda libidine mirum quantum graffati funt. Poft Meffanam milere verfam imminuere alijs quoque ciuitatibus maritimis, fed graui tempeftate voluebatur mare, adeo vt vela facere nequiuerint. Quanuis autem hac vice deuota ftygi capita euaferint fluctus, alia tamen pœnas expetente Deo, ijfdem haufti funt.

Ex vrbe fumante reditum in monafterium eft. Aëtem fe ante verberaffe confiderantes, eductos è cuftodia pollicitis aggrediuntur. *Martyres reuocantur ad incudem.* Atqui beneficium maius, excepit Placidus, apud nos collocare non poteftis, quam fi IESVM Chriftum profitentibus vitam adimatis. Ille enim in crucem actus, mortem pro nobis omnibus fubiuit. Quicquid fuo in finu ampliffimo fert Orbis, nos putamina & ftercora ducimus: nec aliud nobis curæ, quam vt Deo noftro placeamus. Iterarunt non femel hanc vocem cæteri. Succenfus furore nouo tyrannus, à pedibus fufpendi fingulos, fcindique verberibus denuo iuffit, dolore duplicato, quod à flagris primo inflictis corpora intumuiffent. Augebant fupplicium fpiffi ac fœtentes fumi, fub capitibus excitati. Pendulos tamen vita prorfus exuere noluit tyrannus, vt tormentis magis exquifitis poft afficere liceret: vel certe quod conftantiam martyrum crudelitati fuæ ceffuram fperaret. Ergo equuleo folutos, pane & aqua alium in diem firmari femianimes iuffit. Gordianus, quem per pofticum fe eieciffe diximus, clam hoftibus in monafterium penetrauit, indeque per ambages, mandatis & folatijs onuftus, pedem ante lucem extulit.

Poft hæc prælùdia, poftridie patientia ipfa cũ tyrannide in arenam defcendit. *Verba perdit tyrannus apud monachos.* Manucha tribunali eminens grauiter in deftinatas hoftias animaduertens, prolixe culpauit, quod dicto audientes effe, nec non facris Chriftianis fe abdicare nollent. Amicorum loco futuros, fi obtemperarent. Summa felicitas eft, fubiecit Placidus, vitam ei impendere, à quo accepifti. Quæ tu polliceris, nos dudum nõ amifimus, fed obiecimus. Vitam, quam nobis producere vultis, morti pofthabemus. Pati, non euadere cupimus. Hac manemus in fententia; fel veftrum, mel effe. Arma equidem non capimus, fed animi fortitudinem, qua victoriam relaturi fumus. Si Numen (quod fperamus) vires fuggerat, plus tormentorum nos ferre poterimus, quam vos inferre.

Accenfus cordatis verbis tyrannus, fuftibus eos frangi, ac membratim torqueri iuffit. *Iterum feriunt flagra, & fulminant fuftes.* Accinguntur carnifices: iuffa exequuntur: verberibus impiam vocem mifcent: *Negate Chriftum: negatote Chriftum:* iamque

ipsos inter carnifices certamen feruebat crudelitatis. Submoto Placido, piarum copiarum duce, raptata in arenam Flauia virgo fuit, forma non quotidiana prædita. Reiectus etiam ab hac Manucha, spoliatam vestibus sublime à pedibus suspendi mandauit. Ergo tollitur in altum: varijs ludibrijs carpitur insons ouicula: nec tamen sic afflictam animus aut vox defecit. Nam, hunc in modum, dixit, euolutus sua è tunica filius Dei fuit: sic flagellis dilaniatus, sic in crucê actus fuit. Rubore (an furore!) perfusus genas barbarus, lictoribus instare, fortius ferirent: segniores vrgere, totis viribus subigerent constantiam. Postquam verberibus furori sat litatum fuit, ne qua pars inhumanitatis omitteretur, capillos, brachia, mamillas inuaserunt: sciderunt: eluxarunt: abripuerunt. Quid hic faceret bona virgo? Cœlo in consilium adhibito, *Domine* IESV *Christe*, exclamauit; *ab fili Dei viui, adesto nunc famulæ tuæ Flauiæ in huius agonis stadio; ne dicăt inimici tui, prævaluimus aduersus eam.* Sensit vesanus, ad extremam vitæ lineam virginem esse actam; ideoq; solui equuleo, & cum cæteris in custodiam condi mandauit; die alio acerbiora tormenta in nescios flecti expediturus Factis inde quasi inducijs, operam rapinis, adulterijs, sacrilegijs dedere, lęti per contractum tempestate cœlum & gurgites vastos à nauigatione se arceri. Hac enim mora licuit prædonibus vertere Siciliam. Interea sancti Martyres nouos sumpsere spiritus, ac nonam in pugnă se intendebant. Flauia, quæ eius diei fuerat tyrannidis materies, victoriam obtentam fratris sui precibus tulit in acceptis. Hic solari excarnificatam: hortari vt præsentem Deum agnosceret, qui tum maxime opem tulisset, cum è vestibus à lenonibus eruta fuisset. Sed abolerer è memoria ignominiosam eum diem: æternum præmium animo versaret.

Cap. 9.

Dantur induciæ.

Fratribus vero suis inculcabat, hanc illis mentem Bonum Numen iniecisse, vt se inuiserent. Martyrij palmam fascibus Romanis longe anteferendam. Suos quoq; monachos in cruentam pugnam identidem animabat; vites tormentis pares è cœlo sperarent: merita Patris sui Benedicti renolucerent: Numinis amorem agnoscerent, qui anno vix integro in Messanensi monasterio extracto, tam nouos incolas iam cœlo donare velit. His, & hoc genus sermonibus duo absumpti dies, quibus induciæ durabant.

Interea nonnullos barbarorum negotiosa curiositas ad custodiam egit, spectatum quid gererent innoxiæ animæ. Non fefellit callidos obseruatores, Placidum cum tribus vt plurimum ferere sermones. Sciscitati causam, vterinos esse intellexerunt, ac pronuper venisse Roma, salutatum fratrem, natu maiorem. Ergo *hinc istæ lachrymæ!* conclamant. Romani sunt. subijcere tibi alios; nullius capessere imperium, Romanum est. Vt pulchre fontem deprehendimus pertinaciæ! Atqui constantiam putate, excepit Placidus, non pertinaciam, à Christo non latum vnguem discedere. Tanta supplicia subiulmus, non quod essemus Romani, sed Christiani. Nostra gratia Christus mortuus est, non rependamus nos vicem? si vestigia ipsius nostro presserimus pede, paulo post abstersa tristitia æterno nos gaudio perfundet. Vos autem, qui nunc voluptatibus indulgetis, æternum vlulabitis: Stygij incendij futuri pabulum vna eum vanissimis Dijs, quos colitis.

Cap. 10. & 11.

Clausos captant nonnulli curiosi.

Non potuere animose dicta æquis animis ferre barbari. Iterum expediuntur flagra: à pedibus iterum suspenduntur Martyres: verberibus lacerantur: fœtido fumo capita denuo immerguntur. Ad vltimum exsangues, & propria pelle propemodum exuti, plane tristi spectaculo voluuntur humi. Manucha exercitæ crudelitatis certior factus, probauit scelus, suæ famæ interesse ratus, ne ab imbelli hac manu vinceretur. Sed *quam mirabilis est Deus in Sanctis suis!* quantam etiam amicorum suorum curam gerit! Nox erat, & Angelus cœlo lapsus carcerem subiuit: cumque animus inclusarum hostiarum extexisset, vulneribus manus medicas adhibuit: fractas vires instaurauit.

Iterum rapiuntur ad suspendium & lumbifragium.

Sauciis medicam manum Angelus adhibet.

Interea noua cupido videndi Martyres incessit Manucham, cuius oculos vt oblectarent carnifices, supplicia non parum intenderunt. Illi vero gaudebant se dignos à cœlo habitos, qui Christi flagellati effigiem nõ omnino inscite exhiberent. Singulis firma stent sententia, pati vltima: non pati barbarorum tamen blasphemias, nullis bonis auribus ferendas. Quinto igitur die aduolat eum impio exercitu suo dux sacrilegus; qui cum incolumes vidisset, vt redditam (ab Angelo) salutem idolis acceptam ferrent, exhortatur. Atqui nos vitæ auctori Deo vero salutem nostram debemus, qui vel in nobis non vile documentum dedit, quantopere amaret, quanto studio curaret suos cultores. Iam viribus recreatis plura tormenta subire licet, quibus præmium nunquam interiturum augeamus. Quid ais? Dij vestri cum sint diuinitate vacui, incolumitatem nemini dare possunt; nec vulnera resarcire. Capti profecto mente estis, nisi idola vestra mera somnia, meras nugas esse statuitis, meraque nomina. Hic in rabiem versus tyrannus, suosque culpare, quod iniurias Dijs

omnibus & Deabus illatas non ocyus vindicaretur. Dum ergo S. Placidus hunc in modum philosophari non cessat, ecce tibi! correpto quidam obuio lapide, adeo inclementer os eius accepit, vt dentes excusserit: nares, genas, frontem, ora Numinis causam perorantia, conuulnerauit. Placuit denuo sublimes tollere: flagris sulcare: fumo infestare.

Saxo obtunditur S. Placid^o.

Inter verbera carnificum, Martyres crebro sanctissimum Dei nomẽ ciebant, & qua poterant agebant gratias quod tali afficerentur honore. Exemplum præeunti Placidu tyrannus linguam eripi iussit, at operam lusit. Nam is etiam elinguis verba faciens, *Benedictum sit nomen* Iesv *Christi*, dixit, *virtusq́; eius infinita, qua semper nos defendit: qua omni malo nos liberat.* socij à funibus & equuleo dimissi, subiecerunt, *Amen*: dolorum immemores ob præsens Numen & miraculum.

Priuatur que lingua.

Porro tyrannus vt furori, ore toto spumante, litaret plenissime, Flauiam virginem lenunibus commisit, quod trepida animula solum inter tormenta æstimauit. Sublatis igitur in cœlum oculis, atque lachrymis tristissimis diffluens: *Numen sanctum!* clamauit; *Numen sanctum, audin' sententiam aduersum me latam? Auerte, quod in me componunt, nefas. Tua sum.* Quid fit? Cupidinis genuini fratres vix dum primoribus labris castissimæ virgini propinarant impudicitiam, cum brachia in turpem amplexum atque nexum iam euntia obriguerunt. Verum cruciatũ miserabili eiulatu testati sunt. Ita Bonus Deus in impuros hircos animaduertit, qui Flauiæ integerrimæ virgini vitium offerre decreuerant.

Grande ma'um à Flauia auertit Numen.

Luce iam sexta exorta, inuicti Martyres à brachijs suspensi siunt, funibus ita arctè adductis, vt rupta è cute sanguis manarit. Lumbis ac pedibus appensa saxa & anchoræ sunt, quibus corpora luxarentur. Diem noctemq́; totam pependere, ne à doloribus respirare, vel quietem capere (saltem vnum mumentum) liceret. Lux altera finem statuit certamini, cum mundo, carne, & diabolo suscepto. Etenim pridem contemptus Manucha, tribunal opere tumultuario excitatum conscendens, Martyres viribus iam fere exhaustos, adduci iussit. Tum ardens graui ira, insignes contumelias ore scelesto in Christum euomuit. Fessus insania, capitibus plecti singulos, ac feris obijci imperauit. Venerat iam addictis dies septima in memoriam, qua conditor orbis Deus *requieuit ab vniuerso opere quod patrarat.* Se iam septima luce cruciatibus subdi: tandem quietem ac præmium in limine esse. Ergo è Monasterio rapiuntur ad littus: incumbentibus à tergo verberibus ad præcipitandum incitantur. Vbi in arenam peruentum fuit, depositis humi genibus, in cœlum sublatis luminibus, Placidus animorum omnium interpres, *Domine* Iesv *Christe*, dixit, *qui in mundum venisti vt nos redimeres, flecte misericordes oculos in seruos tuos, & per merita Benedicti magistri nostri constantiam nobis suggere ac robur, quo vltimum hoc supplicium fortiter subeamus. Animas nostras S. Michael Archangelus excipiat: corpora vero nostra olim cum gaudio resurgant ad gloriam cœlestem, vbi laudes tibi & gratias feramus sempiternas.* mox omnes addidere, *Amen*: ac conticuere, ceruicibus ferro subiectis; quod factum anno à Christi nato quingentesimo quadragesimo primo, 3. Non. Octobris, S. Placido vicesimum sextum agente. Corpora capitibus ademptis quatriduo per arenam sparsa iacuere. Barbari cum se mari aduersis ventis agitato credere nõ auderent, ne nihil agereut, facem Monasterio subdiderunt: tecta, parietes, in ruinam traxere: nisi quod firmius templum breuis furor disijcere nequiuerit. Tignis tamen suggestus ignis est: quicquid ligneum, absumptum. Quinto à martyrio die stratum & compositum mare inuitauit latrones, quapropter ocyus conscensæ naues: petitũ Rhegium infami naufragio itinere. Nam innocenti sanguine (nuper à parracidis fuso) vindictam expetente, horrenda subito tempestas exorta est: naues montibus aquarum obrutæ, vectoresq́ue pariter hausti sunt æquore: at graues scelcribus animæ à profundo tartaro absorptæ.

Res ad te stim redit.

Gen. 2

Vltimo supplicio afficiuntur.

Truculẽti homicidæ mari & stygε hauriuntur.

CAPVT II.

Gordianus sanctos Martyres sepelit, eorumq́; gesta in tabulas refert.

Gordianus Monachus, qui barbaris in Monasterium ruentibus elapsus fuerat, audito soluisse inimicam classem, è vestigio ad littus contendit; cæsas victimas conquisiuit: nulli aut nulli bestiæ libatas, ac odorem ambrosium spirantes inuenit: quibus lachrymis imprimis parentauit, gratias admiscens Numini quod tam prolixam constantiam contulisset. Sublatos inde Placidum, Eutychium, Victorinum, Flauiam, summa sub ara condidit, quos Deus sub annum millesimum quingentesimum octogesimum octauum iterum in lucem produxit, vt miracula antiqua nouis augerent. Reliquas triginta tres hostias Gordianus sepeliuit, vbi cæsæ sunt. Ipse seruatus cœlitus videtur, vt superesset testis oculatus ac auritus, qui dicta factaque SS. Martyrum proderet memo-

Gordian. cap. 16.

Gordianus cæsas victimas sepelit.

memoriæ. Iustis sic persolutis, diem noctemq; in templo hæsit, incertus cōsilij quo relictus solus se verteret. Tristissimum tot funerum spectaculum dolorem accendebat, vt reditum in Casinum meditaretur: sed prurientes pedes attinebat viæ longum interuallum, & non secundæ nauigationis periculū. Immo nec nauis præ manibus erat, cui se mœstus imponeret: quocirca stetit sententia perdurare in insula, ne parum religiosus esset, si sanctis Martyribus terga verteret. Sed iam figere pedem destinanti Monasterium deerat, quod incoleret. Dum sic animi pependit, mercatores portum Messanensem subiuere, qui deformi ruina exciti, nauibus religatis in Monasterium cōtenderunt: Gordianum suis lachrymis indulgentem occuparunt. Hic, quis Monasterium ita funditus afflixisset, rogatus, rem gestam exposuit: posthæc vnde domo? vel quo vela deinceps versuri essent ipsi, interrogauit. Neapoli se venire, subiecerunt: nunc vero cogitare Constantinopolim. Inuitatus occasione, vna proficisci constituit, Iustiniano Imperatori & Imperatrici, S. Placido propinquo sanguine annexis, peractam tragœdiam relaturus. posse namque susceptum hoc consilium ob causas grauissimas S. P. N. Benedicto excusari. Sed hæc digessit omnia Numen, vt tanto latius fortissimi Martyres circumferrentur: Monasterium Imperatoris & Pontificis auctoritate instauraretur.

Iter Constantinopolim suscipit.

Sub hæc fama totam Siciliam implente, incredibile dictu est, quantis agminibus Messanam itum sit. In communi luctu Messalinus, S. Placidi quondam hospes: Pompeius Cilius paternæ rei curator, ac amicorum cæteri, altius indoluere. Sociato igitur consilio, hæc ad S. Benedictum non suo tantum, sed regni totius nomine, perscripseruot.

Append. hist. Cas. Litteræ ad S. Benedictum dantur.

Quid nuper in Sicilia acciderit, par est te non ignorare, venerande Pater. Significamus igitur sanctissimum discipulum tuum Placidum, postquam diuersa tormentorum genera fortiter perpessus esset, ad 5. Octobris diem capite plexum. Videlicet Manucha Saracenorum ductor ferocissimus, in portum Messanensem inuectus, Placidū, Eutychium, Victorinum, Flauiam, Donatum, Faustum, Firmianum, ac alios triginta Monachos comprehendit: sublime suspensos verberibus immane quantum lacerauit: nares vndanti fumo, ac mephitim olente vexauit: at quis singula supplicia memoret? Placido contusis lapide malis, etiam linguam exemit & ademit. Tandem barbaro ense caput omnibus abstulit. Rogamus proinde maiorem in modum, Pater, vt Monachos alios qui rem Casinensem curent, huc mittere velis. Tota insula te ante supplex procumbit; orat vt te exorari permittas. Ecclesiam vero Siculam pariter hæc ad te verba facere crede. Per te Deum obtestor, Pater, liceat gratia & benedictione tua amplius frui! liceat habere & cōplecti tua è disciplina Monachos alios, qui viam ad Superos Siciliæ præeant! pro Martirij quidē palma, quam nunc filius tuus Placidus in manu habet, immortales Deo gratias agimus. Nihil cum hic viueret, nihil cum mortem obiret, nō dignum eiusmodi homine gessit, qui se penitus abdicauit, atque supremo Numini dedidit. Nunc autem vt ipso & socijs è medio infandum in modum sublatis, substituas alios, multa te incitare debent. Saltem Ecclesia, cultoribus suis vidua te misereſcat, quæ mœsta inter suspiria hos questus ciet. Heu mihi! scissa vestis mea est. Obmutui. lux mea extincta est: perijt decus. Manucha syluestris aper inuasit ac diripuit Placidum, mearum ouium magistrum, Abdallah inuisum Cælitibus caput, cultorem hunc sanctum mihi inuidit. Sicarij foros meas magno impetu moliti sunt, vt si securibus correptis densam certatim caderent syluam. protrusum in oram maris bonū Pastorem meum, capitis supplicio affecerunt, sic secum exultantes. Euax! io triumphe! Nos Saraceni, nos profecto Saraceni inuictis manibus venimus, vicimus, Placido Deos nostros maledictis differre auso, silentium imposuimus. Nunc HABET: iacet. Hæc cum ita, quousque tandem, venerande Pater, tuis discipulis carebo? quos si miseris, etiam familia tua nascenti cōsulueris. Non verba solum, verum etiam lachrymas fundo, vt voti compos fiam. Si venerint, amicorum loco erunt, non exterorum, vel alienorum.

Ruptis vinculis lectisque litteris S. Benedictus oculos ac manus in cœlum tollens, Gratias, ô summe Deus, dixit: gratias ego tibi infinitas memini, quod filium meum Placidum tali dignatus honore es: Placidum, inquam, animæ dimidium meæ. Simulque fluebant lachrymæ nulla tristitia expressæ, sed præ gaudio prosilientes. Sine mora cœtum vniuersum congregari iussit, quem apud in hunc modum perorauit sapientissimus diuini fauoris æstimator, quo discipulos suos miracula patrare: martyria subire: Superûm numerum augere, superstes vidit. *Sicut Patris est, gaudere in suorum profectibus filiorum, ita quoque filiorum est augmentum, patris lucra, sua reputare. Quapropter noueritis dulcissimum filium meum Placidum Martyrij trabea adornatum, migrasse ad Dominum. Iam enim interioribus oculis, eius immaculatam hostiam deduxi in alta cælorum. Hunc nempe eo tempore, quo illum à patre suo susce-*

Cap. 14. S. Benedictus abstergit mœrorē, qui discipulos occuparat ob cæsum S. Placidum.

pi, me-

pi, memineram esse mortalem. Nunc non est quod conqueror. Habeo in quo Deo gratias agam, quia semper optaui vt de fructu cordis mei Omnipotenti Deo sacrificium offerretur. Nihil enim hoc sacrificio habui pretiosius: nihil amabilius: nihil charius. Elegit namque Placidus pro Christo momentaneam mortem, & peruenit ad eum, in cælesti solio ad dexteram Patris regnantem. Ob id enim Christus pro omnibus mortuus est, vt nos non nobis, sed ipsi viueremus. Grates antè omnium Redemptori refero, quia ingratus esse non possum. Gaudendum enim mihi, quod talem discipulum habuerim: non dolendum quod amiserim. Nam illud munus fuit: hoc debitum. Quod natura communis fuit, Placidus pro Christo posuit: & quod singularis est gratia, meruit. Cur autem ego doleam, mihi Placidum filium meum ereptum, cum ad salutem nostram Deus filio suo non pepercerit, sed pro nobis omnibus tradiderit illum! Quis vnquam exceptus est à conditione moriendi, qui nõ fuit exceptus à conditione nascendi? Placidum filium meum scio trãsisse de morte ad vitam. Mihi sic ereptus est, vt omnium esset. Non perdidisti vitam, fili mi, sed cõmutasti; nunquam amplius à Deo separandus. Felicia verba quæ tibi impendi: felices labores quos tua causa suscepi, dum viueres mecum! Non te Tertulli patris tui amor à me diuellere potuit: nec mihi vnquam parentem tuum prætulisti, quousque ad vitam æternam migrasti. His dictis incensi monachorum singuli, primis in votis habuere, adfuisse Placido, barbara in arena depugnanti. Porro insulanorum petitionem æqui bonique fecit sanctus Pater: statuit iterato coloniam illuc deducere. Delectu inter suos habito, viris religiosissimis hanc prouinciam imposuit, qui mari traiecto vt primum littore potiti sunt, ad sancti Placidi sepulchrum se tulerunt: cædis diem lachrymis & osculis instaurarunt. Nec se Messanæ tenuit Episcopus, quin nouos hospites saluos esse iuberet, quo defunctus officiu, *Non passus est Deus*, dixit, *opera atque labores Placidi, sanctissimi Patris, perire, sed quasi post transmigrationem Israelis de Ægypto, restituit filijs Sem, possessam à Chananeis regionem. Intelligo Bonum Deum hoc dare SS. Benedicti & Placidi meritis vt eorum discipuli, publico Siciliæ bono, suorum patrum adeant hæreditatem.*

Coloni noui mittuntur in Siciliam.

* * *

CAPVT III.

Monachi ad instaurandum S. Placidi Monasterium vertuntur. Eius corpus post aliquot secula reperitur.

APpulsi Messanam monachi nihil antiquius habuere, quam vt Monasterium æquatum solo, erigeretur, quibus etiam Episcopus opem tulit. summa lætitia efferebantur, quod inter sanctos Martyres sibi porro vitam trahere liceret. Gaudebant insulani pariter, quod suæ causæ (qualiscunque tandem) clarissimos Oratores deinceps habituri essent apud Deum. Quamuis autem protomartyris nostri sepulchrum continuo frequentaretur, die tamen anniuersario, quo is ceruicem pro Christo præbuit, populus è tota insula eo rapi: Diuo suo tutelari dona ferre: hymnis ac diuinis laudibus noctem quoque ibi ducere consueuerat.

Porro nouum Monasterium, iacto in Sanctorum sanguine fundamento, monachos alios educere haud posse videbatur, quam promptos ad sanguinem, pro fide asserenda, fundendum; & futuros quoque. Diuersis certe temporibus ferrũ hic in monachos desæuijt. Noua moles vix supra seculum stetit, cum à barbaris disiecta fuit; incolis è medio sublatis.

S. Placidi Monasterium iterum iterumque diruitur.

Eandem sortem anno sexagesimo supra nongentesimum, Othone orbis domino, subijt, Mauris Siciliam infestantibus, ac monachos trucidantibus. Idem deinceps sæpius factum, diuersis nationibus insulam populantibus. Cum enim Messana mari incumbens, aduentantes ex Italia suo sinu excipiat, hoc autem Cœnobium in suburbio situm sit, omnium id hostium assultibus patet.

Multis annis hoc in regno ius dixere Saraceni, quibus pulsis successere Græci: Græcis Nordmanni: his Galli: nunc tenent Hispani. Cum igitur tam varios hæc insula dominos habuerit, vestigando diligentissime tamen assequi nõ potui, quonam anno Monasterium fuerit vltimo instauratum. Item, cur redactum sit in Prioratum, ac cesserit equitibus Melitensibus Ordinis S. Iohannis? Sed ad gloriosum P. N. Benedictum redijt, cum corpora sanctorum Martyrum diuino nutu inuenta essent. Admiratione vero dignum est, tempus quod omnia consumit, bella quæ omnia sursum deorsum vertunt, sacra Martyrum lipsana nulla prorsus clade affecisse: quæ olim à Gordiano in templo S. Iohannis sedulo composita, postmodum à monachis Casinensibus reperta, in locum decentiorem translata, & hoc ordine digesta sunt. S. Placidum cum fratribus germa-

Sæpe dominos mutauit Sicilia.

nis Eutychio, & Victorino, cumque sorore Flauia, vna eademque vrna condiderunt, petito exemplo à S. Benedicti & S. Scholasticæ tumulo. Cæteros triginta tres monachos, locus proximus eo situ ac serie excepit, quibus anno millesimo quingentesimo octogesimo quarto, pridie Non. Augusti deprehensi sunt. Sed rem altius repetamus.

Sepulchrũ S. Placidi ac sociorũ à perpetua fama indicatũ.

S. Placidus cum socijs mille quadraginta octo annos maxima sub ara templi, D. Iohanni Baptistæ sacri, delituit. Quamuis autem tam templum quam Monasterium sæpenumero vastata fuerint, nihilominus ad preciosum hunc thesaurum nunquam ventum est. Etsi monachis, & ciuibus quoque, alta mente hæreret, Diuos suos tutelares ibi acquiescere. Accedit, diuersos Sacerdotes iuramento retulisse, cum munus facerent in templo, se S. Placidum, aliquot socijs comitantibus, conspexisse in speciem supplicationis per templum incedere: qua peracta tumulum repetere, in quo postmodum inuenti sunt. Suspendit hæc fama totam ciuitatem: multos etiam impulit vt subinde explorarent locum: sed operã luserunt, quod Numini visum esset hoc sæculo thesaurum absconditum luci prodere. Non ita diu Frater Reinaldus equestris Ordinis S. Iohannis huic prioratui cum potestate præfuit, cum visis ac dictis perculsum ingens tumoli indagandi tentandique desiderium incessit. Nec vetus forma templi satis placebat, cum probaret hodiernam. Igitur loco mouere aram maximam instituit, & retro aperire chorum. Accendit studium non vana spes inueniendi Martyres. Communicato cum Antonio, vrbis Messanæ Archiepiscopo, suo consilio; probatoque, sine mora altare maximum aggressus, destruxit. Duo item alia, maximo proxima, idque quod choro lapidibus altius sublato à dextra adhærebat, S. Placidi imaginem antiquissimo penicillo elaboratam exhibens; ita rei diuinæ faciendæ commodum, vt nihil admodum desiderasses.

Et Sacerdotibus rei diuinæ operantibus.

Quæritur.

Et inuenitur.

Ergo foditur, egeritur terra. Iam ad quindecim palmos penetrarant, patebat fossa palmis sex, chorum versus altum ducta, & hem! sub angulo summi altaris qua S. Placidi aram spectabat, in murum inciderunt, nimirum in Sanctorum mausoleum, duodecim palmos longum, & sex latum. Intus latera vestiebat iaspis albus, niger, ruber, digitum vnum crassus, vt crederes D. Benedicti sepulchrum te videre. Lateres qui mausoleum integebant, palmum vnum cum dimidio longi, quatuor vero digitos crassi erant. Instant ligonibus muro operæ, quo iam patente, quatuor corporum ossa vident, capitibus tamen non coniunctis, sed sepositis. E vestigio certior fit Archiepiscopus, aduolat testibus cinctus iuratis: fossam, mausoleum, ossa inspiciunt: medici studiose examinant: vnum ad puellam pertinere tam ex forma quam dentibus iudicant. Exin multi prætetiere soles, cum circumquaque ad sex palmos aperta humus est: nec oleum vel opera perijt. Visi enim iterum duo parietes se attollere, in quorum vacuo, ac infra quoque (sed parumper extra sepulchrum) viginti nouem corpora iacuerunt: duobus capita aberant: quibusdã murus ipse incumbebat: alia nonnihil in aquam demissa erant, quod proxime fons præclarum laticem ebulliret. Corporibus circumfusa stabant aliquot vascula, ex argilla ficta, collo oblongo, forma diuersa. Quædam erant integra: nonnulla fracta plenaque terra rubra, vel certe liquore, cuius color à viris lynceis & diligentissime arbitrantibus æstimari non potuit, nisi quod ad ruborem propius accedere sit visus. Eodem loci quatuor vel quinque tumuli, e concrematis ossibus assurgebant, cineribus sepulti, quibus parui quasi furni, è lateribus structi, impositi erant, sparsis tam intus quam foris aliquot carbonibus. Circum ossa ferri fragmenta, ætate vitiati, iacebant; ac insuper hamatum æs, sagittæ quondam præfixum, ita æruginis purum, quam si tum primum fuisset procusum. Supra chorum altũ, vnde non procul sacra lipsana inuenta sunt, pictor S. Placidi ac sociorum martyria late explicauit, cuius penicillo sic Poëtæ calamus allusit:

Reliquias Placidi celebres, Messana, perennes.
Hic iacet: hic sæuam pertulit ille necem.

Picturam anni corruperant: versus præ senio pariter albicabant, vt legere haud cuius promptum fuerit. Reperti tamen seneciones, qui nonagesimam hyemem viderant: hi fugientes imagines digito monstrare poterant, quorum essent. Prodierunt quoque in medium non pauci, gnari versuum, quos ab ijs recitari audiuerunt, qui olim magis integros legerunt, atq; memoriæ mandarunt.

Hisce indicijs ac vestigijs prodiius ibe saurus est, quem cõscia terra tot sæculis abscondit. Vasta vrbs Messana non cepit suum gaudium. populus excitus vndique, tanta mole vique tanta sacris ossibus incubuit, vt periculum fuerit ne insidiosi digiti minutiores partes sublegerent. Qua de causa Archiepiscopus, ciues, monachi sancti Benedicti, Prior sancti Iohannis, certis custodibus negotium dederunt, vt imminentes populi cuneos coërcerent, donec sancti Martyres è sepulchris & fossis penitus exempti essent.

In templũ Messana confluit, spectatum sepulchra & sacra ossa.

Hæc

Fidem facris officibus Deus facit.

Hæc dum agebantur, cœlum miracula interponebat. Quidam è fontis scaturigine salutares hausere vndas: alij è tumulis vertebant pulueres, aut eripiebant glebas: nec ita multi dies abiere, cum tanta ægrotorum multitudo voti ac valetudinis secundæ compos facta est, vt noua miracula ferme æquauerint antiqua. Hinc eam in curam actus est Archiepiscopus, vt tanti euentus in tabulas referrentur. Suas vices Thomæ Caluo, Abbati longe clarissimo, commisit, cui Syluestrum Maurolum Abbatem perpetuum, Commendatarium S. Mariæ de Gala, Ordinis D. Basilij Diœcesis Messanensis, Franciscum Marinum & Iohannem Dominicum Pisanum è soc. Franciscum Romanum de Catasi, & Cæsarem Ansalonium addidit, quibuscum negotia diuideret. Accersiti igitur miraculorum testes, ingenti numero cōfluxere, prompti ad iuramentum edendum. Quod vbi præstiterunt, Archiepiscopus cum Theologis tam in hæc, quam reperta ossa diligentissime quæsiuit: quo loco habenda vtraque, in medium consuluit. Imposturam nullam ossibus, nullum fucum miraculis subesse, ad vnum affirmarunt. Rectissime facturum Archiepiscopum, si acta Pontifici Max. transmittat: etsi è Concilij Tridentini legibus sententiam pronunciare ipse posset.

Sixtus V. de inuentis Sanctis Martyribus fit certior.

Æqui bonique hos calculos facer Antistes fecit: viris grauissimis nomina dantibus ex fide scriptum processum, summo tribunali Romano, quod tum Sixtus V. insidebat, subiecit. Exemplar quoque Philippo II. Hispaniarum Regi ab Archiepiscopo & ciuitate missum. Ego vero vt huic inuentioni auctoritatem ac fidem conciliarem, Exemplaris copiam adipisci, opere summo studui; quod appono, ne nescias vnde petiuerim, quæ in medium affero. Pontifex processum sibi oblatum Cardinalibus, Sacri Concilij Tridentini Interpretibus, dedit, non populari trutina, sed statera expendendum. Factum. Nulla cum parte laborare, perstanctè asseuerarunt. Quocirca Breui Pontifex Apostolico Relationem probauit: reperta ossa ad S. Placidum, eiusdem fratres, sororem, ac socios monachos pertinere; pronunciauit. Sed en tibi litteras ipsius, è quibus multa scitu digna promas.

SIXTVS V. EPISCOPVS,

SERVVS SERVORVM DEI.

Pontifex veneranda lipsana suspicione impostura liberat.

Ad perpetuam rei memoriam.

DOminus Omnipotens, qui suauiter omnia disponit, Pater misericordiarum, ac Deus totius consolationis, inter tempestates & aduersitates mundi non tantum suam voluit defendere Ecclesiam, precioso Sanguine Filij sui vnigeniti acquisitam, & supra petram Apostolica Confessionis fundatam, cum fortitudine sanctorum Martyrum, tanquam propugnatorum & defensorum, sed etiam gloriosis eorum triumphis quotidie ipsam illustrare, nimirum vt Martyres de impijs Christiana fidei persecutoribus victorias reportando, fidem propagarent, atque Ecclesiam augerent; tum vero ad æternam cælestis Patria beatitudinem euecti, pie apud Deum intercedendo, illam vel maxime iuuarent, ac perpetuo iuuent. Vnde non immerito sacra eorum reliquia, & eorundem passionum monumenta in terris relicta, Christianum populum, ad laudandum in ijs diuinam maiestatem, ad illorum salutaria exempla imitanda, ad rerum humanarum, & præsentis huius sæculi despicientiam, ad eorum denique opem & patrocinium in tribulationibus & necessitatibus inuocandum, mirum in modum excitant.

Inter hos vero ipsos, quos Martyrij corona donatos, Catholica inuocat & veneratur Ecclesia, merito insigni honore celebranda est memoria Sanctorum Placidi & sociorum Martyrum, qui Iustiniani Magni Imp. temporibus, cum S. Benedicti, tunc adhuc viuentis, Religionis zelum, & vitæ sanctitatem admirati, sub illius Regula se Dei obsequijs dicauissent, & in Monasterio cum Ecclesia sancti Ioannis Baptistæ, prope muros Messanæ ciuitatis tunc recenter ab ipsomet Placido in paterno fundo extructo & instituto, cui idem Placidus, à S. Benedicto eo missus, tanto Magistro dignus discipulus præerat, gratum altissimo exhiberent famulatum, ad eam perfectionem breui peruenerunt, vt cum eorum sanctimoniæ fama, longe lateq; diffusa, etiam in vrbem Romam peruasisset, impulerit pios ipsius Placidi fratres germanos, Eutychium & Victorinum, & virginem Flauiam eorundem sororem, ad iter suscipiendum, Placidi fratris visendi causa, sed diuina prouidentia factum est, vt cum Messanam venissent, & apud eum vix per paucos dies morati essent, crudelissimi Saracenorum Regis, vel potius Tyranni, Abdallæ classis, Christiano nomini nefarium bellum, Insulæ vero Siciliæ vastitatem, incendia, rapinas, inferens, ad eandem ciuitatem ex improuiso appulerit. Vbi eius classis Dux Manucha cum in Monasterium irrupisset, cœpit mira feritate contra eos omnes, in vincula cōiectos sæuire, & acerbissimis quibusdam cruciatibus, exquisitisque tormentorum generibus conari, si qua ratione posset eos à Christiana Religione dimouere.

Verũ tamen ipsi adiuuante Spiritus sancti

gratia & non modo in Religiosis viris, sed in aliis quoque Placidi fratribus, atque adeo in sexu fragili & virgineo pectore, suam diuinã virtutem mirabiliter ostendente, cuncti in Christianae fidei praeclara confessione fortiter perseuerantes, agonem suum, glorioso Martyrio consummarunt. Cumq; eorum quidẽ animae, triumphalem palmam adeptae, in coelum euolassent, corpora vero multis, vt antiquae testantur historiae, magnisq; miraculis illustria, in Ecclesia S. Ioannis Baptistae Messanae, quae postmodum successu temporis in Prioratum Hospitalis eiusdem S. Ioannis Hierosolymitani fuit erecta, pie sepulta & recondita, temporum iniuria per multa saecula, ita inibi occulta latuissent, vt iam nostra aetate, licet ex pluribus antiquitatis monumentis constaret, ea in praefata Ecclesia S. Ioannis Baptistae sepulta fuisse, tamen certus Ecclesiae locus, vbi sita forent, penitus ignoraretur, placuit tandem diuinae misericordiae sacra nonnullorum ex eis monumenta & reliquias, dum pro fundamentis in reparatione ipsius Ecclesiae iaciendis humus effoderetur, post longum temporis interuallum, in lucem proferre. Quare cum primum ex relatione Venerabilis fratris Antonij Archiepiscopi Messanens. compluribus desuper examinatis testibus ac processu formato, & ad nos transmisso, id nobis significatum fuit, Nos attendentes iuxta antiquissimum Catholicae & Apostolicae Ecclesiae vsum, à primaeuis Christianae Religionis temporibus receptum, sanctorumq; Patrum vnanimem consensionem, & sacrorum Conciliorum, ac nouissime Oecumenici Tridentini decreta, beatorum Martyrum, & aliorum cum Christo in coelis regnantium sancta corpora, per quae multa beneficia à Deo mortalibus praestantur, congruo quidem honore veneranda esse, sed eam adhibendam cautionem in sacrarum Reliquiarum veneratione, vt omnis superstitio tollatur, nec nouas Reliquias recipiendas esse, nisi prius ab Episcopo recognitae & approbatae fuerint: recognitionem processus huiusmodi venerabilibus fratribus nostris, S. R. E. Cardinalibus, super interpretatione dicti Concilij Tridentini deputatis, duximus committendam, qui ipso processu diligenter, prout rei grauitas postulabat, considerato & recognito, nec non vocato & audito eodem Antonio Archiepiscopo, qui & sacras Reliquias & alia complura antiquitatis monumenta in Ecclesia eadem inspexit, & deinde ad nos & Beatorum Apostolorum limina visitanda, in vrbem venit, cum nobis retulissent, satis constare de aliquorum ex dictis Sanctis corporibus inuentione.

Nos primum quidem ingentes Deo omnipotenti gratias egimus, quod inter caetera, quae his calamitosis & turbulentis tẽporibus Christiano populo in dies largitur plurima & maxima beneficia, hoc quoque insigni munere, quasi pretiosissimo thesauro detecto, dignatus sit dictorum Placidi & sociorum Martyrum memoriam renouare. Nunc autem vt pro pastorali nostro officio, quantum in nobis est curemus ne inuictorum Martyrum corpora, diuinae erga nos charitatis pignora, quae viua membra fuerunt Christi, & templa Spiritus sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda & glorificanda, diutius inobscuret vetustas, aut ex animis Christi fidelium deleat obliuio, sed vt potius eis ab omnibus gentibus & saeculis honor, si non pro ipsorum dignitate ac meritis, saltem pro nostra tenuitate tribuatur, simulq; excitentur iidem fideles ad eorum vestigia, pro cuiusq; captu prosequenda, & ad inuocandam opem illorum, quos & ipsius Ecclesiae amantissimos, & propter religiosae vitae professionem & obseruationem, castimoniam, sanctitatem, & constantem Christianae fidei confessionem martyrio consummatam, Deo acceptissimos esse intelligimus, ac demq; vt in eorum veneratione Dei, qui se per os Dauid in Sanctis suis laudari praecipit, immensa bonitas glorificetur, & piae Christi fidelium mentes ad eorum memoriam recolendam, anniuersaria cõmemoratione & celebritate admoneantur, habita praedictorum Cardinalium relatione, de eorum consilio & assensu, auctoritate Apostolica, tenore praesentium praecipimus, vt eorundem SS. Martyrum Placidi & sociorum dies festus, quo ipsi bono certamine pro Christi gloria absoluto, cursu consummato, fide seruata, nobilissima Martyrij corona decorati, ad coelestem patriam migrauerunt, nimirum 3. Non. Octob. in omnibus Christiani orbis partibus, sub officio simplici: in Messanensi vero ciuitate, Dioecesi & prouincia, duplici, & praeterea alter dies festus Inuentionis eorundem pridie Non. Augusti in Ecclesia priuata S. Ioannis Baptistae Messanae duntaxat, sub duplici pariter officio à cunctis personis Ecclesiasticis, saecularibus, ac quorumuis Ordinum Regularibus, de communi plurimorum Martyrum, vbi proprium deerit, perpetuo celebretur. Voluimusq; vt in Calendario, quo nunc vtimur, sicut in Romano Martyrologio, & antea in quibusdã Calendarijs habebatur, ad eum diem eorundem Sanctorum nomina adscribantur, etiamsi in nouissima Missalis & Breuiarij Romani editione, ea fuerint praetermissa. Hortantes vtriusque sexus Christi fideles, ciuitatis Messanensis incolas, vt eorundem Martyrum diem festum pie ac religiose colant & obseruent, & sicuti in reliquis diebus festis de praecepto sanctae matris Ecclesiae moris est, à seruilibus operibus abstineant.

Ac demum ad augendā Christiani populi erga eosdem inclytos Martyres deuotionem, vsque eo frequentius, & ardentiori pietatis studio confluant ad sacra eorum sepulchra, quo vberius cognouerint se per hoc cœlestis gratiæ donu esse refectos, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli, Apostolorum eius, auctoritate confisi, eisdem Christi fidelibus vere pœnitentibus, qui peccata sua sacerdotibus idoneis, ab Ordinarijs locorum approbatis, confessi fuerint, ac sanctissimum Eucharistiæ sacramentum susceperint, & prædicta Inuentionis die festo dictam Ecclesiam, vbi eadem sancta corpora requiescunt, deuote visitauerint, atque inibi pias ad Deum preces fuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionē perpetuo concedimus, & elargimur.

Quocirca mandamus vniuersis & singulis Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, caterisq́; Ecclesiarum Prælatis, vt præsentes litteras in suis quibus Prouincijs, ciuitatibus, & locis solemniter publicari, & ab omnibus personis Ecclesiasticis, sæcularibus & Regularibus, vbique gentium & locorū inuiolate obseruari curent.

Volumus autem vt earundem præsentium exempla, etiam impressa, Notarij publici manu subscripta, & sigillo personæ, in dignitate Ecclesiastica constitutæ, obsignata, eandem prorsus vbique fidem faciant, quam ipsa præsentes facerent, si ostenderentur, vel exhiberentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum præcepti, voluntatis, hortationis, concessionis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli, Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarn. Dominicæ 1588. Id. Nouemb. Pontificatus nostri Anno 4.

Festiua pompa Messanæ instruitur.

Bullam hanc communi applausu excepit Messana. itemq mox eam in sententiam, vt sacra ossa veteribus tumulis eximerentur: loco publico ad cultum exponerentur: festiua dies sumptuose instrueretur. Certe ciuitas ea luce ipsam opulentiam fatigauit, arcubus triumphalibus passim erectis: Poeticæ nationi luculentis præmijs propositis; instructa insuper supplicatione præsigni pompa, quæ splendore pretioq; alias, hac ætate visas, vel æquauerit, vel anteiuerit. In promptu liber est, qui refert singula. Rogatus vt Annalibus meis admiscerem, non annui, cum ne longior iusto forem: tum quod melius proprium in annum differretur, quo etiam miracula exponam, ab inuento S. Placido patrata. Hic aliquid gloriæ ipsius dandum erat, notandusq́; locus, qui tantæ molis thesaurū hucusque absconderat. Nunc autem nobis quærendus est Gordianus, S. Placidi discipulus, quem nauis onusta mercibus Constantinopoli exposuit. Aduentantem Imperator cum Augusta coniuge læti accepere: quos nepotis quidem sui cædes, vltima crudelitate plena, tristitia affecit, causa tamen pulcherrima diluit dolorem, & egregia animi constantia ac fortitudo, quibus tyrannos in triumphum duxit.

Annvs Christi 542. — Annvs S. Benedicti 62.

CAPVT I.

Gordianus aliquid litterarū dat ad S. Maurum. Quædam vaticinia S.P.N. memorantur.

Append. Leon. Ostiens.

DVm Gordianus moras trahit Constantinopoli, epistolā S. Mauro, etiamnum Casini degenti, misit, qua Saracenorum irruptionem: supplicia illata S. Placido ac socijs: Monasterij vastationem: suumq́, de itinere Constantinopolitano consilium ei explicat: qua tamen ego supersedeo, ne crambem repetam: tum etiam quod iam litteræ aliæ ad S. Benedictum, hoc argumenti ferentes è Sicilia fuerint allatæ. Non vero pariter S. Maurum Gordiano respondentem prætereo, qui nomine S.P.N. Benedicti reditum ei imperauit in Siciliam. Epistolæ inscriptio hæc erat.

Gordiano Fratri spirituali, conseruo Iesv *Christi, Maurus indignus Monachus Montis Casini, æterna vita præmium.*

Epistola S. Mauri ad Gordianum.

DE vestro profectu in obseruantia, & in doctrina Magistri nostri, semper ego quidē singulare gaudium habui. Deo igitur gratias ago, qui Monasterio destructo & desolato, te seruauit. Quod vero locum illū omnino deseruerit, nos vniuersos tristitia affecisti. Conueniebat enim vt Messanæ mansisses secundū instructionem, quam in Monte Casino accepisti. Itaque ex parte P. N. Benedicti hisce tibi significo, vt oblata occasione Messanam reuertaris: vt Monasterium readificetur, cures: nec non substantiam fideliter a periculo & interitu vindices. Consentaneum est enim, vt quæ condiscipulus noster Placidus incepit, nos perficiamus: quæ industria ad te proprius pertinet, qui hac de causa Placido socius es additus. Vitam & incolumitatem tibi omnes optamus, vt Deus per te prosequatur, quæ per Placidum inchoauit. Hæc cum ita, sine mora Messanam ad Martyrem redi, quem tantopere amasti, postquam habitum

ab eodem sumpsisti. Illum elegisti; in tribulationibus eius solatio es usui virtutes tanquam à Magistro ab ipso didicisti: quod illum comitari, quod illi seruire velis, in te recepisti. Nos vniuersi, atque imprimis ego, Domino Deo supplicamus, ut ad finem perducere dignetur, quod in vobis & per vos cœpit. Caeterùm ærumnas tuas non secus quam proprias sentimus.

Propter ingen[illegible] ter[illegible]atum marisque spatium, quo Mons Casinus & Constantinopolis disiunguntur, ac rarum litterarum cōmercium, quod Casinatibus cum Constantinopolitanis intercesse[illegible]at, sero sancti Benedicti imperium ad Gordianum perlatum fuit, adeo vt hoc iam ad Superos euecto, & S. Mauro Galliam tenente, primum respondetit epist[illegible]læ, quæ m[illegible]tas terra marique traxerat. Sed hæc al[illegible]bi. nunc S.P.N. Benedicto nauemus operam, accincto ad cœleste iter, anteambulone S. Placido. Igitur per [illegible]tam Italiam omne ferebat punctum glo[illegible]sus hic Pater; & quamuis Gothi, flagellum publicum, miserum in modum prouinciam euerterent, bellaq; gererent multo funestissima, alijs atque alijs Regibus à fortuna acc[illegible]is, nemo tamen, quod constet, S. Benedicto domi vim afferre est ausus, etsi D. Gregorius libris Dialogorum multa incommoda, necnon detrimenta referat, quibus Gothi quamplurima monasteria & Episcopos affecerunt. Hoc anno Totila regnum capessiuit, qui potentia arteque bellica cæterorum regum suæ gentis longe anteiuit, si Theod[illegible]um excipias. M[illegible]norem Italiæ partem [illegible] Sicilia subegit. Ipsa natura elatum & ferocem finxerat, habitusque pro arrogante ac [illegible]solenti fuit, priusquam S. Benedictum [illegible]. Equidem [illegible] hu[illegible] ac crudelitatis docum[illegible] C[illegible] d[illegible]derat, cuius miles cu[illegible] Benedictum, quem D. Gregorius appellat *Iuniorem*, [illegible] monachi negotia agitantem oc[illegible] abitent

D.Gregor. l. 2. Dial. c. 14.

Totila regnum Italiæ adit.

D.Gregor. l. 3. Dial. c. 10.

Dum igitur [illegible] per prouinciam grassatur, S. [illegible] nomen celebrari vagis sermunibus audit: [illegible] vero mul[illegible] maxime extolli e[illegible]s vaticin[illegible] ac [illegible] audem componit vito, quas D. Gregorius potius, quam eg[illegible], exponat. *Totila ad Benedi[illegible] Monasteri[illegible] pergens paulo longius subst[illegible], e[illegible] venturum e[illegible] nunciauit. [illegible] dum [illegible] protinus man[illegible] de Monasterio fuisset ut veniret, ipse [illegible] ut per[illegible] mentis fuit, an vir Dei prophetiæ [illegible] haberet, explorare [illegible] est. Q[illegible] vero eius Spathar[illegible] Ri[illegible] dicebatur, cui cal[illegible]eamenta sua pr[illegible], eumq; indui vestibus regalibus fecit, quem quasi in persona [illegible] pergere ad Dei hominem præcepit. In cuius obsequio tres qui sibi præ cæteris adhærere consueuerant comites misit, scilicet Vultericum, Rudericum, & Blindinum, vt ante serui Dei oculos, ipsum regem Totilam esse simulantes, eius lateribus obambularent, cui alia quoque obsequia, quasi Spatharij præberent, vt tam ex eisdem obsequiis, quam ex purpureis vestibus rex esse putaretur. Cumq; idem Riggo decoratus vestibus obsequentium frequentia comitatus Monasterium fuisset ingressus, vir Dei eminus sedebat. Quē venientem conspiciens, cum iam audiri ab eo potuisset, clamauit dicens: Pone fili, pone; hoc quod portas, non est tuum. Qui Riggo protinus in terram cecidit. Et quia tanto viro illudere præsumpsisset, expauit. omnesque qui cum eo ad hominem Dei veniebant, terra [illegible] sunt. Sur[illegible] autem ad eum pr[illegible] pinquare minime præsumpserunt, sed ad suum regem reuersi [illegible] nunciauerunt trepidi in quanta velocitate fuerant deprehensi. Tunc per se idem Totila ad Dei hominem accessit, quem cum longe sedentem cerneret, non ausus accedere, sese in terram dedit. Cui cum vir Dei bis terue diceret, surge, sed ipse ante eum de terra se erigere nō auderet, Benedictus Christi Iesu famulus, per semetipsum dignatus est accedere ad regem, prostratumq; de terra leuauit, & de suis actibus increpauit, atq; in paucis sermonibus cuncta, quæ illi erant ventura, prænunciauit, dicens: Multa mala facis. multa mala fecisti. iam aliquando ab iniquitate quiesce. Equidē Romam ingressurus es. mare transiturus. nouem annis regnabis, decimo morieris. Quibus auditis rex vehementer territus, oratione petita recessit, atque ex illo iam tempore minus crudelis fuit. & non multo post Romam adijt, ad Siciliam perrexit. Anno autem regni sui decimo, Omnipotentis Dei iudicio regnum cum vita perdidit*, inito prœlio cum Narse, exercitus Iustiniani Imperatoris summo Duce.

D.Gregor. l. 2. Dial. c. 14.

Totila personatus à S. Benedicto e larua excutitur.

Cap. 15

S. Benedicti vaticinia ad Totilam pertinentia.

Præterea Ecclesiæ Camisinæ Antistes, S. Sabinus erat, cuius festina dies in v. Id. Februarij incidit, ad eundem Dei famulum venire consueuerat, quem vir Dei pro vitæ [illegible] merito valde diligebat. Is itaq; dū cum il[illegible] de [illegible] in regis Totila, & Romanæ vrbis p[illegible] colloquiū haberet, dixit: per hunc re[illegible]em ciuitas ista destruetur, vt iam amplius non inhabitetur. Cui vir Domini respond[illegible] Roma a gentibus nō exterminabitur, sed tempestatibus [illegible] coruscis turbinibus [illegible] terra motu [illegible] marcesset in semetipsa. Cuius prophetiæ m[illegible]steria nobis iam facta sunt luce clariora. M[illegible] fertimam vrbis [illegible]rtem Pelagius II. [illegible] D. Gre[illegible]rium a[illegible] suis oculis [illegible]. Multos dies cœl[illegible]

D. Gregor. l. 2. Dial. c. 15. & Homil in Luc. 21.

Quid Romanæ [illegible] de [illegible] nunciat.

non Romæ tantum, sed etiam per reliquum Europæ, non secus, quam si terra nouo diluuio haurienda foret. Tiberis, insulis turgentibus vndis, incumbebat vrbi, ac propemodum absorbebat: deplorata vbiq; iacebant arua; homines vesana fatigabat fames, paulo post certum exitium allatura. Nec aër quidem integer & illustris mansit, sed à densis nebulis inuolutus corruptusque, pestem late circumtulit, qua demum Italia tota vexatâ, ingenti strage cecidit. Roma vero præ alijs vrbibus crebra funera numerauit, vt supremum diem, orbi toti fatalem, imminere creditum sit. Demortuo Pelagio successit Gregorius Magnus, qui præter alias calamitates, quibus Roma conflictabatur, magnam partem à ventis disiectam, procubuisse, litteris prodidit: totque domos, templa, & longo ordine strata mœnia fidem vaticinio sancti Benedicti abunde fecisse.

D. Greg. l. 2. dial. c. 17.

Cladem Monasterio suo imminentem, videt

Nec vero incommoda tantum, alijs impendentia, multo ante prouidit, sed sibi quoque, ac suis euentura. *Vir quidam nobilis*, inquit D. Gregorius, *Theoprobus nomine, eiusdem Benedicti Patris fuerat admonitione conuersus, qui pro vita sua merito magnam apud eum familiaritatis fiduciam habebat. Hic cum quadam die eius cellam fuisset ingressus, hunc amarissime flentem reperit. Cumq; diu subsisteret, eiusq; non finiri lachrymas videret, nec vir Dei consueuerat orando plangere, quænam causa tanti luctus existeret? inquisiuit: cui vir Dei illico respondit: omne hoc Monasterium quod construxi, & cuncta quæ fratribus praparaui, Omnipotentis Dei iudicio gentibus tradita sunt. Vix autem obtinere potui, vt mihi ex hoc loco animæ concederentur.* Incredibile vero dictu est, quanto hinc mœrore sanctus Pater fuerit affectus, qui amantissimis filijs tam sedulo cõsuluerat: sed cum sensim tenderet ad vitæ finem, huiusmodi ærumnis à Bono Deo fuerat depurandus. Cæterum, sub noctem, monachis quietem capientibus, paulo post monasterium inuasere Longobardi, inque prædas ac rapinas effusi, nihil non abstulerunt, sed ex incolis nemo in potestatem venit. *Qua in re*, addit D. Gregorius, *Pauli vicem video tenuisse Benedictum, cuius dum nauis omnium rerum iacturam pertulit, ipse in consolatione vitam omnium, qui cum eo comitabantur, accepit.*

* * *

CAPVT II.

Adsunt è Gallia Legati: a S. Benedicto deposcunt Monachos, qui suo in regno Monasteria condant.

Fama Benedicti peruolat Galliam

HAnc vineam Domini Sabaoth, quæ palmites suos à mari vsque ad mare, perq; totum terrarum orbem diffusura erat, nondum quidem oculis libauerat Gallia, sed tamen auribus hauserat, imbuente fama. Italiam, Siciliam, Hispaniam feliciter iam occupauerat. Verosimile est, rege Theodeberto, anno à Christo nato quingentesimo quadragesimo per Italiam iter habente, comites eius aliquid de vita & miraculis sancti Patris nostri inaudiuisse, tum etiam discipulorum eius. Quamuis autem multos teneret desiderium, surculos ex hac arbore in suos transferre hortos, cæteros tamen studio anteiuit Bertigranus, Cenomannorum Episcopus, ratus se ad Numinis gloriam non aliud maius momentum conferre posse, nec suo de Episcopatu melius mereri, quam si vitæ spiritualis magistros aduocaret, qui regna & prouincias ita latas ad pietatem instruerent, paulo ante ab Ethnicismo infessas, & quod reliquum esset idololatriæ, (erat vero adhuc plurimum) sede pellerent. Igitur sub finem anni quingentesimi quadragesimi secundi Flodegarium Ecclesiæ suæ Archidiaconum & Harderadum, domus suæ Præfectũ, viros grauissimos, misit, qui Galliæ ardentia vota S. Benedicto prolixe exponerent: discipulos efflagitarent. Hi editis Episcopi mandatis legationem suam, qua par erat, diligentia obiuerunt. Sentit sanctus Benedictus voti compotem se fieri, ac iam stare Numen promissis Videlicet cũ paucos ante dies in preces incumberet, misceretq; lachrymas, quod Casinense monasterium à Longobardis vastandum esset, spem ipsi iniecerat Deus (vti solet amara diluere dulcibus) æquatum solo monasterium Casinense in maiorem molem surrecturum; deinde prius noui Ordinis colonias in alia quoq; regna & prouincias ductum iri: ipse interea suos inter discipulos delectum haberet; onus humeris paribus imponeret. Hac reuelatione in memoriam reuocata sanctus Benedictus, facile annuit petitioni Episcopi Bertigrani. Nec enim longa deliberatione opus fuit, cuinam potissimum hanc Prouinciam committeret, quãdo Maurus, vir egregie Apostolicus, iam ab ipso Numine designatus credebatur, qui gloriosi Patris Nostri munus ac onus exciperet, non quidem Abbatem agendo Casini, sed spiritus ipsius hæres (vt quondã Eliæ Eliseus) multa mirabi[illegible]. M[illegible] profecto hæc reue[illegible] fuit, vt sanctus Sene[illegible]

Bertigranus Monachos ex Italia euocat.

S. Faust. vita sancti Mauri.

4. Reg. [illegible]

Maurum à Casino posset auellere. Nec enim audita legatione & nutu gloriosi Patris minus lachrymarum fundebatur à Monasterio, quam si Maurus duceretur suous. Fata sibi instare, & supremum diem, acceperant à sene; incredibili autem mœrori temperabant, quod spes vicina in Mauro esset, atqui spem hanc sibi præcidi, Maurumque simul eripi, ferre non poterant: vulneribus duobus ita palmaribus confici nolebant. Vbi sanctus Pater intellexit omnia in domo misceri luctu, Fratres conuenire iussit: animos lapsos hisce verbis erexit.

S. Faustus. 1. Cor. 13. Mœstos animos S. Benedictus erigit.

Fratres ac filij mei, si affectus naturali habena remittenda sint, quis meum superaneris? At enim cum charitas sit benigna, ut inquit Apostolus, tenemur proximo, qui nostra ope vehementer indiget, subuenire potius, quam nostro sensui aut commodo indulgere. Bene equidem video, meum è vita, & Mauri è Monte Casino discessum, vobis mouere lachrymas, Deus tamen, qui seruorum suorum curam gerit, spiritum suum abundantius impertiri potest ijs, quos mihi satis defuncto suffeceris. Quocirca toto pectore vos complector, unico hoc exposcens, ne dum de salute animi aliena, iacturam faciamus nostra: ne dæmoni ansam præbeamus, ut ex hac intempestiua tristitia nobis alia multa condat mala. Voluntatem Dei manibus tenemus: par est morem gerere. Quid? Cum amor sit animorum vinculum, etiam absentes, etiam morte ablatos arctissime iungit: interiorem hominem è quouis loco adducit: præsentem adstituit. Igitur ut spatium inter nos ingens terrarum intercedat, licebit tamen inuicem videre, amare, frui.

S. Maurū destinat in Gallias.

Hisce detersa monachis dolore, in Diuini Numinis ac pij Patris sententiam è vestigio itum est. Mauro adiuncti socij, Faustus, qui gesta ipsius tabulis retulit: Antonius, Constantinianus, Simplicius. Tum amantissimus Pater, ore in abituros conuerso, Filij, dixit; filij, magni momenti expeditionem suscipitis. Cauete vestris de viribus confidatis: in diuina gratia, vobis fiducia posita sit. Si duri labores, & grauia incommoda vos presserint, ita accipietis, ut singularem Numinis fauorem esse credatis. Par enim labori præmium, par requies erit. Nec vos discruciet, quod breui è vita sim excessurus, quandoquidem apud Superos maiorem vobis operam præstitero. Inde Regulam à se scriptam: pondus panis, mensuramque vini, monachis apponendi, Mauro in manus dedit. Tanti antiquis sanctis Patribus abstinentia fuit, ac rigor, quod his armis vitia debellanda sint: & nisi illa capiantur, hæc gregatim Monasteria irrumpant, dominentur. Hac sarcina instructus Maurus, ad pedes S. Benedicti vna cum socijs se abiecit, quibus amantissimus Pater, bene precatus, & oscula diuidens, altàm sui memoriam impressit. Tum vero etiam cæteri ruere in mutuos amplexus: hærere à migrantium collis: abeuntes prosequi suspirijs.

Annus Christi 543. | Annus S. Benedicti 63.

CAPVT I.

S. Maurus proficiscitur in Galliam. Vbique sanctitatis vestigia facit.

S. Maurus se dat in viam.

SBerrigrani Episcopi Oratores ad finem anni quingentesimi quadragesimi secundi in Montem Casinum delati, sub festa Natalitia negotium suum confecere, pietati simul, & viribus reparandis opera data. Vbi se iam vertere cœpit annus post natum Seruatorem quingētesimus quadragesimu tertius, cum S. Mauro ac socijs in viam se dederunt. Faustus auctor vitæ sancti Mauri, à quo nos omnia petemus, quæ hoc Capite narrabimus, iter ingressus, ait, Sabbato post Epiphaniam. Prima nox ad quoddam Montis Casini prædiolum, in oppido Euquelia situm, iam fessos oppressit, vbi à Probo & Aquino Monachis, hospitio accepti sunt, pridie à S. P. N. Benedicto huius gratia eo missis. Hic omnia facta, quæ debent ex disciplina. *Nec enim habitus facit Monachum, nec locus Monasterium, sed opera.* Dum precibus matutinis rite persolutis ex Oratorio sese producunt, ecce Honoratus, vir grauis, ac felicissimus S. Mauri consobrinus, eique virtute simillimus, adsunt, pij Patris nostri iussu vltimum Vale dicturi proficiscentibus. Fatigantur nouis osculis & amplexibus: ineuntur suauissima colloquia: petuntur mādata: credidisses longissimo temporis spatio non vidisse inuicem. Enimuero etiam hic gratia naturam antecedit. Namque vt magna vis amoris sit, quo parentes ac liberi in se mutuo feruntur, ardent tamen vehementius, qui Christi gratia inuicem amant. Sanctus P. Benedictus tenerrimo amore suos filios prosequebatur: hi vices referebant: & enim hic amor neruus sit boni regiminis, maiorem in modum in sua Regula inculcat Abbati, vt amare velit, & amari curet.

Porro munus tulere Mauro, pyxidem ebore factam, quatria de S. Cruce frustilla: Reliquiæ de Beatissima Virgine, Matre Dei: de SS. Stephano & Martino: nec non epistola breuis, à S. Benedicto data (quam Maurus discipulus etiam sacro suo thesauro ac-

censebat, ideoque secum sepeliri iussit) condebantur. Sed nefas duxi, epistolam verbis non suis edere. Igitur à manu ac stylo sancti Patris eam habe. *Accipe, dilectissime, extrema institutoris tui dona, quæ & longum nostrum testentur amorem: & tibi, ac commilitonibus tuis, contra omnium perpetim munimen præbeant impedimenta malorum. Post expletam enim totam trinam vicenorum decursionem annorum, ex quo Monasterialem adiisti perfectionem, in gaudium Domini tui es introducendus, vt nobis Dominus hesterno die, postquam à nobis digressus es, ostendere est dignatus. Prædico etiam tibi, moram vos in eundo esse passuros, ac cum difficultate habilem locum inuenturos, pro his quæ & Deo ordinante perficientur, & quæ inimicus humani generis, molimine calliditatis suæ, in vos concitabit. Nusquam tamen benignitas misericordiæ Dei vobis deerit, sed potius, differendo licet, ac desiderium animi vestri in longum experiendo, aliorsum quam speraueramus, aptissimam dignabitur largiri mansionem. Iamq; valeas felix in profectione, felicior futurus in peruentione.* Lætus hoc dono Maurus, ac etiam vaticiniis, quod iacula præuisa minus feriant, dimisit Monachos, quibuscum suauissime vixerat, ante alios vero nepotem ad virtutis studium, & S. Regulæ obseruantiam, etiam atque etiam est inhortatus.

S. Benedictus sanctũ Maurum extremum valere iubet.

Die altero cũ sociis in viam se dedit, confectisque milliaribus quatuordecim, die sequenti Vercellas peruentum est, vbi vaticinia S. Benedicti impleri cœperunt. Quidam enim Sacerdotes rogarunt aduenas, inducerent animũ saltem biduum quieti captandæ ibidem subsistere. Factum: interea fabam ignatis cudente dæmone. Ægre namque ferebat hanc Mauri expeditionem; quocirca in omnes se versabat partes, si qua obicem posset ponere. Harderadus è Legatorum numero, per suspensam pergulam inambulabat. Securus autem sui ... idit in dæmonis insidias: pedem impegit: subiectum in solum præceps actus est. de fracto miserum in modum corpore medici conclamarunt. Toleratur tamẽ vita tredecim dies, brachio dextro manuque adeo intumescentibus, vt decreuerint chirurgi postridie ferro adimere. Non potuit æquo ... o hanc tragœdiam spectare Flodegarius Archidiaconus, legationis socius. Ergo ... mane diffluens lachrymis succedit sacello, vbi tum S. Maurus vacabat contemplationi. Aduolutus ipsius pedibus, prensando flendoq; orat, imminens ferrum ab Harderado auerteret. Deum Optimum Max. precaretur veneratione ... vt salutem ægro ... eddat: truncan-

Iter intẽdentibus obicem ponit dæmon.

dum seruaret integrum. Maurus commiseratione sua, alienisque lachrymis impulsus, ac insuper longam moram pertæsus, genibus semet excipiens, multum diuque orauit Numen, nõ desiturus donec exoraret. Cum autem pium opus feruerer maxime, passis brachijs humi se proiecit ipsam ante Numinis Aram. Vbi supplicem libellum suum nõ modo singultibus, verum etiam lachrymis, pondus habituris, diuinæ Maiestati porrexerat, denuo se attollens, surrexit. Inde sacras Reliquias à S. Benedicto sibi transmissas, de altari repetens, in Harderadi cubiculum, sequentibus quatuor Monachis concessit, ibique denuo precibus pulsauit cœlum, suspensus alta contemplatione. Postremo assurgens, in manus capit pyxidem, sacris Reliquijs diuitem, & à summo humero ad imos vsque digitos crucem ducens, *Domine*, dixit; *Domine, qui in vtero Virginis homo fieri, atque moriendo in Cruce animas nostras ab omnibus malis sanare voluisti, tibi humillime supplico, vt per virtutem eiusdem sanctæ Crucis hunc infirmum à malo suo liberare: vitamq; ipsi & salutem largiri digneris.* Non mora, sanies à fœto apostemate tribus locis prorupit: ægrotus periculo defunctus est. Spectator Archidiaconus, obortis lachrymis exclamauit: *Benedictus sit Deus. & Magister quoque, qui huiusmodi educat discipulos.* Factum confestim vulgauit fama. Hinc è vicinia excitus populus confluere, & in virum sanctum ruere, nec vltimam felicitatem existimare, si osculis saltem libare liceret. At is semet subducere: miraculum vero in sacras Reliquias amoliri. *Quid enim*, inquiebat, *à Cruce expectetis, nisi salutem? An vero mors non se auferat conspecto vitæ signo? Non equidem eo inficias, merita Magistri mei Benedicti hic habuisse momentum; atqui ego quid contuli, nisi quod attigi? Quod Crucem formani?* Valetudinis iam compos Harderadus rogauit Maurum, ne in viam se conijceret, priusquam ipse die insequenti totius vrbis templa obiuisset, Numini relaturus gratias.

S. Maurus brachium ab Harderado fractum redintegrat.

Cæterum relictis Vercellis, per Apenninum inbuere iter, non procul monte Iouis, cui hodie à S. Bernardo nomen. Dum igitur longissime terris incumbentes superant alpes, Sergius seruus ex equo defluit: illisus saxo crus frangit: iacetque sparsus mortuo propior, quam viuo. Ingens confidentia quam in Deo sitam habent Sancti, impulit Maurum, vt se admoueret, solo afflictum erecturus. Læua componit fractum pedem: dextera crucem inscribit, addit que verba: *In nomine Dei ... qui potest ac solet ... & captos soluere. Surge, & ipsius qui diuina*

Sergio famulo instaurat integrum pedem.

Ma-

Maiestatis gloriam promouere moliuntur, seruus, officiumq; à Benedicto tibi iniunctum, exequere. Dictum, factum. Surrexit ocyus pede firmus ac celer: officium fecit.

Adit sancti Mauritij Monasterium.

Qua se submittit altus Apenninus, insigne stat Monasterium, S. Mauritio Martyri, Tebanæ legionis duci, dedicatum: à sancto Sigismundo, Burgundiæ Rege, fundatum, vel certe instauratum. Celebre semper erat ac frequens, non autem Ordinis sancti Benedicti: neque tunc Maurus Regulam ipsis tradidit, cui locus nondum erat. Accedit, veteres mores ritusq; ita cito poni haud posse. Maurum eo pertraxerat animus, S. Mauritio deuotus. Quocirca templum vna cum comitibus ingressus, precibus veneratus Numē est, & ecce, dum relegebat templi limen, in viam rediturus, quidam Linus, ortu ab ipso lumine vtroq; cassus, ac stipe viuam tolerans, in foribus se abiecit, inque genua se deponens, *Per ego te Deum*, dixit, *nec non S. Mauritium eiusq; socios, tum etiam per nomen Magistri tui, supplices tibi tendo manus, fac sit vt luce fruar.* Nam vitam miseram exigo.

Cœcum luce donat:

Ora aliquamdiu tenuit Maurus, respectans in cæcum: postea surgere iussum rogauit, apud illud templum quotnam contriuisset annos. Duodecim admodum, subiecit ille, eosque multis ærumnis insignes. Tum Maurus: ergo mi frater, Numini te tuaque ærumnas cómenda: cæcitatem vero æquo fer animo; Nam è re tua si forent lucentes oculi, eos profecto hi Sancti, qui apud Deum quamplurimum possunt, tibi impetrauissent. ipsorum fores pulsa potius, quam meas, qui ope ipsorum non minus indigeo, quam vel tu, vel quisquam alius. Vbi hæc dicta dedit, abijt. At oculis orbus vbi aërem se verberasse sensit, inremto gutture tam lugubres edidit voces, vt omnes eius misertum sit. Quocirca Maurum per vestem duxere comites, vt saltem preces pro misero funderet: aliter circumfusæ turbæ lingvas prouocaturum. Annuit petitioni: cæcum adesse iussit: hic spe bona plenus adijt: in genua subsidit. Narabant caui oculorum recessus lachrymis: & propemodum spe tantum aciem auertebant. Illos Maurus cruce obligans, tum sua lumina in cœlum tollens, *Christus*, dixit, *qui est vera lux, per horum Sanctorum, & Magistri mei Benedicti merita, oculos tuos aperiat, vt lucem ac dicem capiant, tuq; videndo creaturas, laudes Creatorem.* Prorupit illico vis sanguinis: quo demque edito, inclaruere oculi, humi vnctique lucem. Quis iam memoret gaudium quo distentus Linus fuit? Sublata voce Canticum trium puerorum. *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Atque ad ... cecinit. Dum enim annos duodecim egit in templo, magnam Canticorum & Psalterij partem imbiberat, ac recitabat. Porro in mandatis ipsi Maurus dedit, vt suam operam Ecclesiæ sancti Mauritij & sociorum addiceret, cuius iussu etiam, vt fas erat, capessiuit. Etenim Faustus, Montē Casinum repetens, cum illuc è via flexisset, Clericum vidit, grandi ætate fessum.

Mortuo impertit vitam.

Porro Maurus cum socijs hospitabatur proxime quoddā templum Beatissimæ Virginis sacrum, quod statis horis subibant Officium Canonicum faciendi gratia. Iuxta degebat vidua, cuius filius vnicus (in quo ipsi res & spes omnes sitæ) vi aduersæ valetudinis agebatur ad mortem. Diem totum noctisq; dimidium absumpserat eiulando. Cū visus esset efflasse animam, illa se remouit in secretum cubiculum, nec iam erat apud se amplius præ doloris impotentia. Maurus, vt erat in commiserationem suapte ingenio pronus, potiorem noctis partem in templo combusserat, vitam orando moriturо. Deinde paulo ante Matutinum suspenso pede se penetrans in cubiculū, quo Monachi dormiebant, excitatum sensim admodum Simplicium, identidem vellicando secum traxit in templum, ignarum scilicet quid ageretur. Hic Maurus, Miseret me huius viduę, inquit. Supplex Numini fui, salutem ferret ægroto filio: sed age, periclitantem vita adeamus, fors repetita vota flectent Numen. Ergo itur: ad lectum veluti ad capulum venitur. Nam ora tenebat fatalis pallor: spiritus aræ meabat, & per interualla nonnunquam intercepтus, vt iuuenis plane animam euoluere, aut iam egisse, crederetur. Quocirca Maurus lectulo sese admouens, *Christus*, dixit, *Christus noster Dominus, qui solita sua misericordia consolatur afflictos, & qui motus lacrymis viduæ de Naim, filium eius resuscitauit, hac vtatur pietate, tibiq; det salutē.* Nec plura loquutus, cubiculo excessit. domum se retulit fugienti similis, ne quid vanæ gloriæ adhæresceret. At iuuenis, cui mens iam biduum exciderat, & lingua simul, mentem denuo cepit: voceque hausta, *Mater*, ingeminauit: *mea Mater!* Hæc adulat, non ferens moras. ecquid velit? rogat. Tum ille: quidam Dei seruus, inquit, mortuorum numero me orando ex... Sed parum hoc sit. Ante Tribunal ac ... stetı reus: sententia in me inferni lata, & iam in vincula rapiendus eram, sed inde me quoque exemit. Attonita mater, salutem filij Sanctis Monachis, vicinam habitantibus, se debere credidit. Iouenis saluus & incolumis, gratias acturam matrem con... o- culis singulos Monachorum ... vi-

Luc. 7.

soque Mauru, humi prosternit corpus, ait mi Pater, exclamans, tu, tu vitam mihi precibus produxisti. te Patrono sum absolutus: te te peturante, ex tartaro euasi.

Non consistendum hic vltra ratus Maurus, postridie in viam se coniecit, ne caperetur laudibus. Non tamen euasit oscula, quæ multitudo, perculsa miraculo, præcipiti passu affluens, ipsius vestibus certatim imponebat; ac obnitebatur, vt vix iter persequi licuerit. Nomen Eligij huic iuueni indiderant sui parentes, qui postea in Monasterio Lerinensi religiosa vota nuncupauit, vitam concessam non aliter melius se collocaturum credens. Porro, dum Faustus hic Monasterij Lerinensis mentionem facit, contendit Arnoldus Wion ea occasione illatam à Mauro S. Benedicti Regulam. At labitur. (Arn. W. lib. 3. an. 13.) Etsi enim hoc Monasterium longe antiquissimum, cito admodum se sancti Benedicti Regulæ submiserit, hae tamen sancti Mauri expeditione minime factum est. Quippe Monasterium in insulam maris mediterranei remotum, à Mauro tum tritum haud fuit, qui per alpes Apenninas iter suum emensus est. Accedit, quod Faustus, qui singulos itineris dies consignauit litteris, alto silentio insulam, & in ea situm Monasterium prætereat, quod facturus haud fuisset, si Maurus illis Monachis leges sancti Benedicti imposuisset. Spero me alibi scopum huius rei tacturum. Ita etiam narrare differo, quandonam S. Mauritij Monasterium ad huius Patriarchæ Regulam se composuerit.

Hebdomada sancta tandem in ciuitatem Antisiodorensem ventum est. (Antisiodorum venit.) Etenim transuersa via longissime porrigitur: impedita quoque & scrupulosa est, vt alias remoras omittam, quas iam recensuimus. Non fallebat Maurum, Numinis nutu Romanum, qui habitu monastico S. Benedictum olim induerat, ex Italia concessisse in Galliam, positoque Cœnobio in agro consedisse Antisiudorensi. Igitur ductores ad hocce Monasterium præire viam iussit. Feria VI. sacræ hebdomadis primo mane eo delati sunt. Quicquid humanitatis vitius habet, hic impendit. (A S. Romano accipitur hospitio.) Romanus inito cum hospite colloquio, exposuit ordine, quantum beneficiorum cœlitus accepisset in Gallia. Hospes vicissim itineris sui rationem in medium protulit, cui adiecit diem, quo sanctus Benedictus solo verso sidera esset petiturus. Tempus ab ipso Numine suggestum esse. Fore autem diem posterum, quem Sabbatum sanctum appellant. Atqui dum hi de Magistri sui morte verba faciunt, nos in montem Casinum contendere iuuat, S. Benedicti & S. Scholasticæ funera duo, à Cælitibus ducenda, spectandi gratia. Hæc enim IV. Id. Februarij, ille XII. Cal. Aprilis, An. DXLIII. concessit.

CAPVT II.

Quo anno ac die S. P. N. Benedictus, eiusq; soror ad Superos abiuerint.

VNo eodemque anno Maurus in Galliam, S. Benedictus & S. Scholastica in cœlum iter fecere. Nec dubio hic locus est. (Quo anno S. Benedictus sit mortuus, historici certant.) Quotus tamen tunc annus à Christo nato sit circumactus, tam nostri Ordinis historici, quam exteri certant. Vt multis implicita sit difficultatibus historia, cæteras tamen superat temporum ratio. Nimirum ad vnguem signare annum, quo quidlibet acciderit. Non enim hic valent subtiles & argutæ disputationes, sed auctores & testimonia: quando vero interistos non conuenit, impossibile apparet, inueniri posse verum: præsertim si facta ab ætate nostra quam longissime sint remota. Nam res etiam maximæ obnoxiæ sunt obliuioni, lapsuq; sæculorum abolentur.

Multis ægre est, dum historicus anxie putat annos, menses, dies, nec rumpit hoc filum, sed pedetentim sequitur. Sciunt tamen qui emunctæ sunt naris, animam historiæ tempus esse: succum & sanguinem esse. Oportet igitur subinde hic esse longum, nisi potius impingere, & carere naso velimus, quod illis vsuuenit, qui locis, temporibus, cæterisque adiunctis supersedent. Si omnes qui terunt historicos, eandem in metam collimarent, non tantus scribentibus capessendus labor foret. At quidā in manus sumunt ac legunt temporis fallendi, vel animi oblectandi gratia. alij vt lecta suum in commodum vertant: nonnullos inducit domina curiositas: idcirco cibus ad stomachos ita diuersos æque condiri non potest. Vertant igitur folium hoc curiosi, vel qui se operam perdere credunt dinumerando annos, locumque cedant illis, qui fructum è libris legere cupiunt, nec ossibus contenti sunt, verum medullæ insidiantur. Hi certe factum meum probabunt.

Igitur historici quibus præ cæteris apud Romanos erat fides, annos à Consulibus ducebant, quibus res gestas velut hederam implicabant. (Annos Romani Coss. numerabāt.) Hac via Titus Liuius iuit: Polybius: Trogus Pompeius. alij. Scriptis, tabulæ manifestis, hæc nota adijciebatur: *Anno sine die & Consule.* Ita hodie errorem committerent Scribæ, si annum, mensem, diem prætermitterent. Hæc computandi ratio in extremis S. Benedicti annis desideratur.

ratur. Quidam enim Basilius, nobili sanguine ortus, anno quingentesimo quadragesimo primo consulatum gessit; nimirum biennium antequam S. P. N. Benedictus supremum diem obiret. Sed cum nullus postmodū Consul creatus fuisset, historici hunc in modum indicarunt annos: *Biennio postquam Consul renuntiatus fuit Basilius secundo anno consulatus Basilij vicesimo anno postquam consulatu abiuit Basilius.* Intricatus, me iudice, hic computus est: meque adegit vt certo tramite annum, quo Beatis Superis illatus Benedictus est, indagarem. Vti enim qui vela faciunt ad profundos Indos, aciem in polum antarcticū intendunt, qui in conspectum venit, quam primum arcticus facessit, nauimque deserit, ita cum his annis desint Consules, dum eum honorem nemo post Basilium adiuit, aliam ad Cynosuram nobis respiciendum est: nec certior occurrit, quam suprema S. Benedicti dies, à prima, seu ortu eiusdem repetita, quam ego deinceps polum esse volo, constituoque, in hoc monasteriorum, monachorum, annorum, casuumque Oceano.

Nos ducemus à S. Benedicto:

Itaque de anno, quo fatis functus est gloriosus Patriarcha noster, non conuenit inter historicos: sed alij in aliam aguntur sententiam. Marianus Scotus & Sigebertus Gemblacensis vno quidem ore affirmant, sanctum Patrem nonaginta sex annos in humanis fuisse: quo tamen post natum Seruatorem anno viuere desierit, mire dissentiunt. Sigebertus quingentesimo nono mortuum esse: Marianus sexcentesimum tertium attigisse affirmat, cuius sententiam verisimilem esse putat Trithemius. Ego vero me cohibere haud possum, quin obstupescam, errorem ita pinguem à viris sapientissimis iuxtaque doctissimis proficisci potuisse, nec mente præuidisse, quam male consulium itent historiæ. D. Gregorius Magnus libros Dialogorum anno quingentesimo nonagesimo quarto composuit, eosque Reginæ Theodelindæ dedicauit. Atqui si a vero non aberrarunt isti auctores, certe S. Gregorius nō historicus, sed vates seu propheta fuerit. Namque historiam de S. P. N. Benedicto nouem annis ante condiderit, quam is è viuis excesserit. Deinde idem Pontifex libro secundo Dialogorum ita instituit narrationem, vt vel Dauus intelligat non eum de viuo, sed de mortuo verba facere. Quatuor enim sancti Patris discipulos producit, a quibus se accepisse, ait, quæ narraret. Insuper non modo Diuus Gregorius Pontificatum non gessit, superstite sancto Patriarcha, sed neque patinus puer seris ætatem potuit libasse, nisi forte extremam. Ad hæc Pontifex iste

Quem Sigebertus mortuum putat an. 509. Marian. Scot. 603.

Trithem. l. 1. de vir. illust. de S. Bened.

anno sexcentesimo quarto concessit, vt filo nimis crasso telam vitiauerint, qui mortem S.P.N. Benedicti ad annum sexcentesimum tertium retulerunt. Suboluit fœdus hic error Sigeberto, nihilominus prætervectus hunc scopulum, fregit nauim ad alium. Dū enim quid anno quingentesimo nono sit gestum enarrauit, sanctum Benedictum beatam animam efflantem admiscuit. Progressus postea ad annum quingentesimum tricesimum tertium, sententia mutata huic mortem sancti Patris assignauit.

Alij historici medio eunt, & quamuis à meta haud multum aberrent, pauci tamen tangunt. Venerabilis Beda mortuum esse ait anno quingentesimo, vicesimo nono. Testem adducit Victorem, Episcopum Capuanum. In eandem vrnam calculum suum conijcit Paulus Diaconus, quantumuis animaduerterint abire se à regulis computus Astronomici, quod Beda ipse vtcunque fatetur Prologo supra circulos Dionysij monachi. Ad Bedam proxime accedit Raphaël Volaterranus, qui annum quingentesimum vicesimum octauum sancti Benedicti præclara morte insignem facit. Eandem Hugo monachus Floriacensis in annum quingentesimum tricesimum sextum differt. Belforestius duos annos insuper addit, adeoque quingentesimo tricesimo octauo vitam exiisse affirmat. Sed duobus ego argumentis palam faciam, ab omnibus peccatum esse, quotquot sanctum Benedictum ante annum quingentesimum quadragesimum secundū beatam animam edidisse statuerunt. Enimuero sanctus Placidus martyrio affectus est, cum annus quingentesimus quadragesimus primus iam præceps laberetur, quod supra in luce meridiana ostendimus. Atqui sanctus Pater noster Benedictus aliquamdiu post vixit; nam Siculi eum de cæde sancti Placidi certiorem fecere, quam sanctus Pater, coacto cœtu suorum filiorum, exposuit: quæ omnia plane vim faciunt, vt credamus iam agi cœptum esse quingentesimum & quadragesimum secundum annum. Deinde Totila, vti sanctus Gregorius refert, in monte Casino nostrum Patrem sanctum Benedictum visit: certum autem est, etiam Procopio testimonium dicente, regem hunc anno quingentesimo quadragesimo secundo sceptra primum capessiuisse, vt manifestum in errorem sese induant, quotquot sanctum Benedictum ante hoc tempus deponunt.

Beda l. 2. de ætat. mundi an. 529. & Paul. Diaconus.

Volaterrà l. 21. Anthropolog. an 528.

Hugo an. 536.

Belfor. ... Annal An 538.

Tertia sententia, in quam certatim etiam hi dicedunt, S. Benedictum anno quingentesimo quadragesimo secundo vitus exim... Huius sententiæ primus auctor Gordianus fuit eo libello, quo sancti Placidi martyrium

D. Gregor. l. 2. Dial. c. 14. & 15.

Procop. l. 3. de bello Goth.

Gordian. An. 542.

in lucem emisit. Inter eos qui Gordianum sequuntur, antecellunt Leo Ostiensis libro primo Historiæ Casinensis Trithemius libro primo de viris illustribus Ordinis sancti Benedicti: Cæsar Baronius quoque verisimilem censet in Sanctorum Fastis 21. Martij: ac profecto nulla è tribus, abest propius à vero, etsi tem acu non omnino tangas.

Ostiens. l. 2. c. 1. Trithem. l. 1. c. 1.

Baron. an. 542.

At at non fefellit Baronium, iacto hoc fundamento, quædam absurda sequutura. Deprehendit enim Totilam anno quingentesimo quadragesimo secundo regnare cœpisse, nec statim ab eius anni principio, sed aliqua parte iam elapsa. Cum deinde certum sit, sanctum Benedictum mense Martio vitam exuisse, iam breui profecto tempore Totila regni fastigium subire: in Campaniam penetrare: vastitate vbique grassari: S. P. nostrum adire, vaticinantemque audire, haud potuisset. Vt igitur moras Totilæ concederet potiundi regno: obeundi Campaniam, visendi S. Benedicti, eiusdem mortê in annum quinquentesimum & quadragesimum quartum reiecit. Videtur tamen titubare potius, quam in sententia firmare pedem. Quis enim è via magis trita vnius coniectuiæ gratia secedat, præsertim vbi dux nullus apparet?

Porro argumentum Baronij tantum ... dens haud habet, vt propterea mortem sancti Benedicti anno quingentesimo quadragesimo quarto innectere debeamus. Totila enim anno quingentesimo quadragesimo secundo, vt constat, regno inito, facile potuit hoc ipso vere Campaniam obire: multas ciuitates regni Neapolitani in fidem ac ... S. Benedictum, priusquam moreretur anno quingentesimo quadragesimo tertio, inuisere. Crediderim potius iuuenem animosum, moræ omnis impatientem cepisse arma: regnum totum subegisse, quod rationibus D. Gregorij valde conuenit. Narrat enim S. Benedictum Totilæ vaticinatum, nouem annos regnaturum: decimo periturum: euenitque vt anno quinquagesimo tertio animam ebulliret, postquam annos decem sceptra tenuerat, ac vndecimum in regno agere iam cœperat.

Baro... coo... ra labat.

Ex vno autem fonte tam multas, tam varias sententias imbibere Scriptores. Nam refert Faustus, sanctum Benedictum vicesimo primo die Martij, seu XII. Cal. Aprilis, pridie Resurrectionis Dominicæ, quæ tum in vicesimum secundum incidetit, è viuis excessisse. At hic Computus Ecclesiasticus & regulæ Astronomicæ vim pati videntur. Neque enim anno quingentesimo quadragesimo secundo, nec quadragesimo tertio, nec quadragesimo quarto, nec multos annos ante, nec multos post, Resurrectio Domini in vicesimum secundum Martij incidit. Apparet igitur nos operam hactenus lusisse, ac totam machinam, quam extruximus, collabi, ita vt priorum opinionum auctoribus herbam porrigere debeamus. Nam secundū Computum Ecclesiasticum & calculum Astronom...um, anno quingentesimo nono: & anno sexce...esimo primo Pascha in vigesimum secundum diem Martij incidit. Atque hinc Sigeb...us mortem sancti Benedicti ... debito, Marianus serius notauit: sequeque in error... induerunt omnes, quotquot sententias medias inter istas complexi sunt.

Origo tot sent... rum Pascha est quod non vbiq. eodem die celebratur.

Vero simillimum est, obijsse an. 543.

Massæus An. 543.

Quinta sententia, quam ego cæteris antepono, ac veram iudico, gloriosum Patrem nostrum anno quingentesimo, quadragesimo tertio, XII. Calen. Aprilis sanctam animam effudisse, statuit. In hanc Massæus & Genebrardus concedunt, secumque Faustum adducunt, qui tamen hoc non rotunde asserit, sed coniectandi ansam præbet. Etenim S. Benedictus habitu monastico Maurum induit duodennem, labente Christi anno quingentesimo vicesimo tertio: in monte Casino viginti annos transegit: inde dimisso vaticinatus est S. Pa... Benedictus expleturum in O...ine annos sexagi...a, computatis nimirum viginti, quo... ...onsumpserat in monte Casino: & quadr...ginta qui supererant, in Gallia exigendi. Humana autem ab...uit Maurus, vti ex Fausto co...it Massæus, anno qui...ge...esimo octoge...o tertio. vnde si ...uadraginta dem... in G...llia traductos, quingenti quadr...g...nta tres restabunt. Eodem enim anno quo Mau... expeditionem ... ...perat in G...lliam, S. P. N. Benedictus, corporis vincul... solutus, euasit ad Superos. Atqui cum F...stus acta non referat ad annos Christi, sed Mauri, huncque ...uaginta duos annos ... ...me... sum affirmet, septuagesimum vero tertium inchoasse, non certos nos re...d... ...n re præsenti, ... coniecturam aliquid ...ndi suppeditat

Baronius com alio se vertere non posset, negauit s...ripsisse Faustum, S. Benedictum pridie Paschatis vitam cum morte commu...tasse, sed ab aliquo historiæ Fausti attextum id, vel ...sutum. Non tamen sic euadit. Vel enim tota historia hanc censuram subire, ac reijci debet, quantumuis docta, grauis, fide digna: vel nihil ei manu aliena male int...r...tum est. Siquis enim historiam totam penitius examinet: si sancti Mauri iter è monte Casino in ciuitatem Antisiodorensem confectum: Si secessum in ... ...cti Romani mo... ...um hebdomadem ...nctam ibidem ...ige...d... ...si denique eius aduentum.

Baroni...s male censionem ex hi...ria Fausti ta...cit.

tractam ibi moram, discessumque ad calculos vocet, impostura profecto etiam hanc historiæ partem absoluet, ac sanctum Patriarcham, Fausto ipso teste, vicesimo primo beatam animam exhalasse, fatebitur. Si vnicum duntaxat verbum redundaret: si numerus permutatus, aut sinistre positus foret, cũ Baronio starem: huiusmodi enim minutiæ facile irrepunt in libros: sed prolixa narratio, vincta vndique & illigata historiæ, difficulter profecto per imposturam assui vel affingi potest. Accedit, frustum hoc integræ vestis par esse: neque si nux vna frangi non possit, illico centum alias abijciendas. Maior etiam reuerentia debetur antiquæ, graui, ac probatæ toti Ecclesiæ, nec non in Breuiaria admissæ historiæ. Pro certo igitur habeo, Faustum interfuisse, cum Pascha illo anno Martij vicesimo secundo celebraretur, idq; velut oculatũ testem litteris prodidisse. Etsi enim secundum Computum & calculum Dionysij Pascha in eum diem non conuenerit, nihilominus ille liber, quem is de ratione temporis ediderat, ita breui tempore peruulgari, ac in vsum conuerti haud potuit. Enimuero Dionysius castigauit Computum, vt refert Trithemius; & Pascha suum ad diem exegit circa Domini annum quingentesimum quadragesimom. Cui igitur mirum sit, mos antiquus Paschatis celebrandi si tam breui è Gallia extrusus non est: nec errore pulso, calculus Dionysij per omnẽ Galliam, qua patet, circumlatus & receptus? Quocirca ibatur tum in antiquam syluam: & festum hoc subinde agitabatur die noo suo. Immo periti historiæ non ignorant, Pascha diuersis diebus celebratum diuersis in prouincijs, ac huius gratia quotidianas arsisse lites. Græcis non conueniebat cum Latinis: nec Gallis cum Hispanis: contrarias in sententias scindebantur Scoti, Britanni, Angli, nec vno tantũ à die pendebat interuallum, sed à multis. Concilia prouincialia in id serio incubuere, vt certa vbiq; locorum huius festiui diei ratio iniretur, sed cum id quod Dionysius Exiguus assequutus est, consequi non potuissent, errores noui ex veteri errore nati sunt. Vnde credam, cum Faustus asserat, S. Benedictum pridie Paschatis concessisse, hoc festum per totam Galliam tunc fuisse agitatum, etsi Dionysius aliter Ecclesiasticum metiretur annum, iussuque Pontificis Max. propagaret. Hæc cum ita, non quidquam alieni panni assutum historiæ Fausti est: nec ipse extra orbitam euectus: nec errant, qui eam in sententiam eunt, S. Benedictum anno quingentesimo quadragesimo tertio ad Cœlites euolasse. Verumenimuero ne aliquibus araneus videar, qui telam ex se texit,

Trith. de Script. Eccles.

Masei Cameracensis, idonei scriptoris, verba appono: *Noueris ergo*, inquit, *temporibus illis, quo die Pascha celebrandum esset, sæpe fuisse dubitatum, quod nouus Dionysij Cyclus nõ esset receptus ab omnib⁹: & Cyclus Victorij, quo tunc vtebantur, ostenderet diem Paschæ incidere decimo nono Aprilis, & maluisse vigesimo secundo Martij celebrare, & voluisse pro embolismo communem annum obseruare.* Vnde intelligas Paschatis diem varie tunc temporis fuisse designatum, verosimilibus rationibus studia intendentibus, & diem decernentibus, donec Romana Ecclesia Dionysio Exiguo negotium dedit, operi manum adhiberet: Computum Ecclesiasticum lucubraret.

Mas. An. 543.

Quamuis autem ante id laborarent Fasti in Paschatis die designanda, dies tamen Dominicas ac Ferias certo exhibebant. Illas enim litteræ Dominicales indicabant, & has simul. In promptu itaque erat vtrasque cognoscere. Per regulas autem Computi certo deprehendas, anno quingentesimo quadragesimo tertio, litteram Dominicalem fuisse D. vicesimum item secundum Martij fuisse Dominicum, quod mihi sat superq́ue momenti est, ad demonstrandum, S. P. N. Benedictum eo anno relictis terris cœlum subijsse. Asserit enim Faustus, vigesimo primo Martij vitam absoluisse, eumq́ue diem fuisse Sabbatum. Cum igitur nec anno quingentesimo quadragesimo secundo, nec quingentesimo quadragesimo quarto aliqua Dominica sibi vindicare potuerit vicesimum secundum Martij diem, oculis plane ac manibus tenetur, obijsse sanctissimum Patriarcham anno quingentesimo quadragesimo tertio. Nam historia de ipsius morte neque 10 annos proxime præcedentes, nec proxime sequentes, sed tantũ in præsentem quingentesimum quadragesimum tertium conuenit. Quamuis deinde omnes nationes vnum in diem Paschati celebrando conspirare haud solerent, omnes tamen diem Solis deligebant, vitantes consuetudinem hæreticorum. Quarta decimanorum, qui lunam decimam quartam huic festo addixerant, siue ea in diem Lunæ, siue Iouis incidisset. Igitur qui in Gallia tunc Pascha obibant, pridie cuius S. Benedictus effudit vitam, modo scopum tangentes, modo aberrantes, diem vicesimum secundum Martij sibi sumpserunt, quod esset Dominicus. Quapropter sanctum Patrem nostrum vicesimo primo mortuum esse oportet, ac insuper Sabbatho.

Firmum argumentum stabiliendæ nostræ sententię.

Nescio proinde quo pacto accipiam factum Arnoldi Wion, qui cum fidem habere debuisset S. Fausto, vt par erat, affirmanti S. Benedictum decessisse Sabbatho, ipse rem

Wion l. 3. & 21. Mar.

vocat

vocat in dubium, & has nobis exhibet argutias. Si die Veneris mortuus est, viuere desijt anno quingentesimo quadragesimo secundo. Si sabbato, anno quingentesimo quadragesimo tertio. Atqui Faustus non auritus, sed testis oculatus est, non die Veneris vitam à Sancto positam, sed sabbato. Addit, die Veneris Antisiodorum se peruenisse: & hora nona matutina diei sequentis de morte sui Patris cœlitus factos certiores. Faustus bonæ apud omnes notæ est: quæ is affert pro veris, nemo dum pro falsis habuit, adeo vt Baronius ab eodem discessurus, excusauerit breuem clausulam, quasi ab alio historiæ ipsius impositam. Sed Arnoldus cum sua distinctione auctoritatem viri delibat: fidem fide digno adimit: qui singulos in dies coniecit, quod gestum quotidie fuerat: historiam denique grauissimam, Bonifacio III. Pontifici Max. probatam, malam suo vngue notam impressit. *Vincere scis Annibal: victoria vti nescis.* Veritatem Arnoldus vidit: aliqua parte cepit: sed in triumphum non duxit.

Sed tandem relegamus vestigia, vt dubio è labyrintho emergamus, & in patulo campo figamus gradum. Sic igitur de longo certamine statuo. Qui primas in sententias concesserunt, toto cœlo errarunt. Proxime ad verum accesserunt, qui sanctum Patriarcham anno quingentesimo quadragesimo secundo, vel quingentesimo quadragesimo quarto terris excessisse censuerunt. Litem nos sic expedimus. Puram putam veritatem iudicamus, S. P. N. Benedictum anno quadringentesimo octogesimo natum: annis deinde sexaginta duobus exactis, in sexagesimo tertio hæsisse: vitæ suæ clausulam imposuisse. Hunc annum Medici appellant Climactericum, fatalem, terribilem, quod pauci, quibus is labitur, vel tristes morbos, vel sæuam mortem euadant. Mors igitur S Patriarcham, sexagesimum tertium annum agentem inuasit, quod ex Fausto Masseus & Genebrardus docent. Si insuper sabbato demigrauit, eoque anno Pascha in vicesimum secundum Martij incidit, vel certo saltem die Dominico celebratum fuit, alio quopiam anno vicino mortē obire non potuit. Nam non sinit, nō patitur calculus mathematicus. Porro S. Benedictus & S. Scholastica eodem die nati, eodem anno mortui sunt, nisi quod frater quadraginta diebus longius produxerit vitam: Soror sexagesimo tertio proxima, sortem humanam subiuerit. At tu mihi da veniam, Bone Lector, quod te tot per ambages non sine tœdio duxerim. Vitabo deinceps vt licebit, tibiq; fastidienti stomachum sequenti Capite componere studebo.

Sententiæ veræ compendium.

CAPVT III.

S. Scholastica fratrem suum germanum S. Benedictum inuisit. Paulo post extremu de claudit fatum.

S. Scholasticam egisse in Monasterio quodam, Monti Casino admodum vicino, & quoniam via diuisa in quodam prædio Monasterij cōuenisse, supra retulimus. Diem supremum iam exploratum habebat frater, cœlo ipso prodeunte. Quocirca in votis ei erat, sororem visere: extremum salutare. Hæc itineri quoque sese præcingens, pari desiderio ardebat, ambrosiasque delitias vna cum fratre primoribus saltem labris prælibare gestiebat. Conuentum fuit, ac initum colloquium à prioribus diuersum. Nulla iniecta mentio de pœnitentia: & de virtutum progressu nulla. Tempus omne occuparunt æterna gaudia, ad quę adspirabant. Dies, momentum fuit. Sole occidente cibus sumendus erat corporibus, iam laute prolixeque pastis animis. Panis Angelorum primo positus: deinde panis vulgaris: eni tamen eibi cœlestes identidem fuere misti. Dixisses cœlum ac terram eam instruxisse mensam. Sed acrius nobis Gregorius Magnus instat: narrare acta ipsius cœpit. Obsequamur annuenti. *Cum adhuc ad mensam sederent, & inter sacra colloquia tardior se hora protraheret, eadem Sanctimonialis femina, soror eius, eum rogauit, dicens: quæso te vt ista nocte non me deseras, vt vsque mane de cœlestis vitæ gaudijs loquamur. Cui ille respondit: quid est quod loqueris, soror? Manere extra cellam nullatenus possum. Tanta vero erat cœli serenitas, vt nulla in aëre nubes appareret. Sanctimonialis autem femina cum verba fratris negantis audisset, insertas digitis manus super mensam posuit, & caput in manibus, Omnipotentem Dominum rogatura, declinauit. Cumq́; de mensa leuaret caput, tanta coruscationis & tonitrui virtus, tantaq́; inundatio pluuiæ erupit, vt neq́; Venerabilis Benedictus, neq́; fratres qui cum eo aderant, extra loci limen, quo consederant, pedem mouere potuissent. Sanctimonialis quippe femina caput in manibus declinans, lachrymarum fluuium in mensam fuderat, per quas serenitatem aëris ad pluuiam traxit. Tunc vir Dei inter coruscos tonitruos atque ingentis pluuiæ inundationem videns se ad Monasterium non posse remeare, cœpit conqueri contristatus dicens: Parcat tibi omnipotens Deus, soror: quid est quod fecisti?* Atqui iam pridem promiserat Christus, vbicunque duo vel tres congregati essent in nomine ipsius, in eorū medio se futurum. Vtrique hic suggessit, vt vellent;

S. Benedictus & S. Scholastica conueniunt, dulceque ineunt colloquium.

D. Gregor. l. 2. Dial. c. 33.

Soror tabulis clauis signi fiauit.

vellent; è re vtriusque erat: nimirum vt orationi præberetur ansa: tum vero miraculo locus foret. Porro culpata soror, *Mi frater*, dixit; *ecce te rogaui, & audire me noluisti: rogaui Dominum meum, & audiuit me. Modo ergo si potes egredere, & me dimissa, ad Monasterium recede. Ipse autem exire extra tectum non valens, qui remanere sponte noluit in loco, mansit inuitus: sicque factum est, vt totam noctem peruigilem ducerent, atque per sacra spiritualis vitæ colloquia sese vicaria relatione satiarent.* Vt lapis quo propior centro est, vi maiore fertur; ignisque quanto propius à sua sphæra abest, tanto celerius euolat, semetipsum intendens: ita sanctissima Scholastica, vicina cœlo seipsam impellebat, citissime euehi, quamprimum potiri, cupida. Quippe iam eminus odorem ambrosium hauserat: nec in votis amplius hæc vita erat, nisi quatenus momentum conferret ad æternitatem. *Cumque die altero eadem venerabilis femina ad cellam propriam recessisset, vir Dei ad Monasterium rediit. Cum vero post triduum in cella consisteret, eleuatis in aëra oculis, vidit eiusdem sororis suæ animam, de eius corpore egressam, in columbæ specie cæli secreta penetrare: qui tanta eius gloria congaudens, Omnipotenti Deo in hymnis & laudibus gratias reddidit, eiusque obitum fratribus declarauit: quos etiam protinus misit, vt eius corpus in Monasterium deferrent, atque in sepulchro, quod ipse sibi parauerat, ponerent. Quo facto contigit, vt quorum mens vna semper in Deo fuerat, eorum quoque corpora nec sepultura separaret.* Certe vtero materno fuere iuncti: eodem die in auras educti: prope habitarunt: tandem vno sepulchro compositi sunt. Quin etiam sacra ipsorum ossa simul in Gallias deportata, simul redierunt; quasi etiam post fata medullitus inuicem amarent. Locum cellæ S. P. N. Benedicti, Meridiem respicientem & Occidentem, hodie quoque digito monstrant, vbi scitum stat sacellum, cuius longitudo octodecim passus, latitudo septem patet. Venerationem auget fenestra, per quam prospexit Sanctus, cum suæ sororis anima per columbæ speciem: ac olim sancti Germani Episcopi, globo igneo insidens, ad sidera ferrentur.

D Gregor. l. 2. Dial. c. 34. Postridie columbæ specie ad Superos euolat.

CAPVT IV.

S. P. N. Benedictus inter homines agere desinit. Magna pompa in cælum ducitur.

QVanta S. Benedictus perfusus sit lætitia, quod vita periculisque defuncta soror, illata cœlis esset, ipseq; paucos post dies eodem abducendus foret, incredibile dictu est. Quippeni vero? Columba illa paululum præmissa, suo Noë ramum oliuæ tulit, pacis ac serenitatis pignus, qua paucis post diebus frui licuit. Etsi enim benignus Deus pro mantissa gratiarum, quibus S. Benedictum assiduo prosequutus fuit, hanc adiecerit, vt diem obitus sui integrum annum ante compertum haberet, vltimus tamen veluti nuntius, à quo admoneretur, charissima soror fuit, columbæ habitu astra petens. Mensis, ac paulo amplius eo, intercesserat. Ictæ hoc malleo fores sunt non ideo tantum, vt Benedictus se fatis pararet, (hoc enim vnice agebat) sed spem caperet, breui ex ærumnis mortalium euadendi. Absolui enim tristissimis vinculis, & frui Christo tam ardenter cupiebat, vt res ipsa indicaret, tali eum solatio indigere. Quo autem anno sua de morte cœlitus factus est certior, non ita pressit arcanum, quin aliquibus in secretam aurem deponeret; Mauro imprimis, quem illo ipso anno in Galliam dimiserat, Ordinis coloniam deducendi gratia. Huic etiam suggessit signũ, quo sua mors ipsi indicanda foret.

Genes. 8.

S.P.N. fati sui gnarus

Arcanum, Mauro in aurem dixit.

Ergo suprema dies fauente cœlo voluitur, quo Deus Opt. stipendium suo militi numerare, ac emeritum prœmijs afficere decreuit. *Ante sextum sui obitus diem*, inquit Gregorius Magnus, *aperiri sibi sepulchrum iubet.* Recte profecto! Hebdomas enim sancta Seruatoris nostri sanguine tum sudabat, quocirca Numine agente cœlum ac terra patere debebant simul: passisq; brachijs Benedicti animam & corpus excipere. Porro, *mox correptus febribus, acri cœpit ardore fatigari. Cum per dies singulos languor ingrauesceret, sexta die portari se in Oratorium à discipulis fecit, ibique exitum suum Dominici corporis & sanguinis perceptione muniuit: atque inter discipulorum manus imbecilla membra sustentans, erectis in cælum manibus stetit:* pedibus prurientibus, nec non ad Cœlites abeuntibus. Denique filijs, velut Patriarcha Iacob, bene precatus, *vltimum spiritum inter verba orationis efflauit*; corpore discipulis suis, thesauri loco in manibus relicto. Sic Elias, cũ curru igneo attolleretur in cœlum, pallium cessit Eliseo. *Ipsa die duobus de eo fratribus, vni in cella commoranti, alteri autem longius posito, reuelatio vnius atque indissimilis visionis apparuit. Viderunt namque quia strata pallijs atque innumeris corusca lampadibus via, recto Orientis tramite ab eius cella in cælum vsque tendebatur: cui venerando habitu vir desuper clarus assistens, cuius esset via, quam cernerent, inquisiuit. Illi autem se nescire professi sunt. Quibus ipse ait: hæc est via, qua dilectus Domino cæ-*

D. Gregor. l. 2. dial. c. 37.

In cœlum euadit.

Via, qua S.P.N. in cælum est ductus, magni triumphi speciem habuit.

lum Benedictus ascendit. Tunc itaque sancti viri obitū, sicut præsentes discipuli viderunt, ita absentes hoc signo, quod eis prædictum fuerat, agnouerunt. Forte tunc agebatur hora nona matutina Sabbati sancti, & ecce Maurus, orationi incumbens, subito in ecstasin rapitur, non iam sibi, sed cellæ præsens beatissimi Magistri. Postquam ad se rediit, mentemque composuit, tam suos comites, quam Monasterij incolas iungi iussos, nouo nuntio, simulque gaudio summo affecit.

Faust. vit. S. Mauri.

Aimonius, Auctor grauis, longam hanc iuxtaque illustrem pompam diligentius secum expendens atque æstimans, miraculum extra ordinem, appellauit, & penitus nouum, quo Deus S. Benedicti magnitudinem & gloriam voluerit mortalibus affirmare. Nulli Apostolorum, inquit, nulli Martyrum, nulli aliorum Sanctorum (quod pace omnium dixerim) cum ad Superos tenderent, tam pretiosis tapetibus via strata fuit, collucentibus vndique facibus. Cedo enim, quis vnquam talem pompam vidit? Ea vero miracula patrauit S. Benedictus, quæ nisi scripsisset Gregorius Magnus multi haud fuissent credituri. Solo aspectu vinctum soluit: in solis radio totum mundum conspexit: diuite pompa in cœlos euectus est, quibus alios Sanctos plane anteiuit. Quantum apud Cœlites emineat, quantum præstet sanctus Benedictus, luculentum argumentum est, adeo belle, adeo splendide plausum fecisse cœlū aduenienti, quali aliorum Sanctorum nullum accepit. Ingens Numinis gratia est, in cœlum admitti: beneficium summum, nō excludi. At cœlum ipsum effundi: obuiam venire: festiua pompa deducere, hoc aliquid vltra solitum est. Accendere faces, expedire tapetibus vias, nō consueuere ciuitates, nisi magnum aliquē Principem, publica causa & lætitia sic exigente, sint accepturæ. Quocirca ex triumphalis pōpæ magnitudine, Nostro Sanctissimo Patri instructæ, eiusdem merita & virtutes metiri licebit.

Aimon. l. 2. c. 22. hist. Frāc.

Monachi Casinenses S. P. N. funus curant.

Porro, dum Beati Superi animā S. Benedicti ambiunt, prensant, consalutant, nouo hospite gaudēt orbi suo patre Monachi collachrymantur: amantissimi Ducis mortem ægris animis ferunt: spes vna sequendi, pectora mœsta mulcet. Inde funus curati cœprū. Ergo efferunt Maximus Patriarcha monachorū: inter lamenta infertur sepulchro, quo iam cōdita iacebat soror. *Sepultus vero est*, vt Gregorius M. refert, *in Oratorio B. Ioannis Baptistæ, quod destructa Ara Apollinis, ipse construxit.* Decē annos natus, Romam à parētibus est missus, vt ingenuas artes hauriret. Natus quatuordecim, spem parentum & adamantinum mundi vinculum pariter abrumpens, ex vrbe in secretam eremum sese abstulit: quadraginta & tres natus, Maurum & Placidum habitu monastico induit. Quadragesimo nono in Monte Casino sedem cepit, nec mutauit, donec anno Christi quingētesimo quadragesimo tertio, Martij die vicesimo primo, mortem oppetijt, vita ad sexagesimum tertium producta.

Habitus corporis S. Benedicti plenus maiestate: vita vigore.

Fuit autem corpore alto sanctus Pater: membris egregiam in formam conspirantibus: ore ad seueritatem composito, cui se tamen in occasiones accita comitas miscebat: barba & capillo veneranda canitie micantibus. Totam vitam aspere duxit. Quadragesimam vero ita explicauit, vt singulis hebdomadibus, bis tantum placaret famem: semper in aqua sitim deponeret: fuitq; minimi cibi: minimæ potionis. Noctes fere insomnes duxit, oratione, lectione, plerasq; horas absumentibus. Solitudinem plane in delitijs habuit: silentio studuit, quam qui maxime.

Summo opere studuit solitudini.

Prima ætate vitam Ereminicam exercuit. Loca suis monasterijs deserta cepit: nimirū fluctuantes æquore insulas, ægre superandas rupes ac arduos montes; nec pedē inde extulisse historici memorant, nisi vel statuenda noua Cœnobia, vel imbuendi vera fide infideles, è latebris quasi inuitum excussissent. Quamuis autē sibi nihil indulgeret, subditos tamē benigne habuit. Vt officium diligenter exacte, ad amussim facerent, singulis incubuit: laborem hilari tamen suauitate temperauit. Suos monachos plane in sinu tulit, ardentissime amando: & vices quoq; Patri retulerunt non degeneres filij. Hoc præcipue clauo suam is rexit nauim. Itaq; legem tulit Abbatibus, *studerent plus amari quā timeri.* Hoc pacto Monachos in imperia semper promptos habuit, quamuis dura iuberentur. Hospites cuiuscunque sortis aut fortunæ humanissime excipiebat, suamque semper ad mensam adhibebat. Monasterium quidem Sublacense graui paupertate premebatur, at Monti Casino sors melior obtigerat. Immo è re visum S. Benedicto, monasteria possidere bona, ne quotidie instaret egestas, & monachos importune raperet extra limē. *Nō sit Monachis necessitas vagādi foras*, inquit, *quia omnino non expedit animabus eorū.* Opibus, potētia, alios antecelluerunt Monachi S. Benedicti, sed in mediū conferebantur omnia: singuli erant pauperrimi Religiosorū, quippe quibus nec strophiolum, nec calamum absque nutu Abbatis habere, per Regulam liceret. Morem gesserunt S. Paulo: nam ita possederunt omnia, vt nihil proprij haberēt. E scholis sæculariū, exigui temporis auditor magnā eruditionem referre non potuit. Sed

Charitati

S. Reg. c. 64. Hospitalitati

2. Cor. 6

post-

[illegible] ac Monachum [illegible] apud Superos [illegible] Nam ne assiduo [illegible] comparauit doctri- [illegible] tam [illegible] Monachi, cœlo e- [illegible] conciones ha- [illegible] Idolis [illegible] imprimis [illegible] ex Italia pellerent, deni- que [illegible] per discipulos tota Europa exige- rent. Temporis digerendi summus artifex fuit, admodum in id [illegible], vt nulla pars otiosè [illegible]. Partem choro, partem laboribus, magnum sacrarum studio littera- rum [illegible] vnde à primis origine homines doctos in Monte Casino deinde alibi loco- rum eduxit, vt progredie[illegible] Mona- steria [illegible] arcium [illegible] narum essent vniuersitates, nec alibi magis litteris consuleretur. Miracula, quæ patrauit, innu- mera sunt. Etsi Gregorius Magnus multa memoriæ prodiderit, pauca tamen [illegible] cō- pares, ingenue ipse fatetur. Duos mortuos in vitam reuocauit viuus. At postquam cœlos subijt, votis iam damnatis mortales, multo plures, quos [illegible] loco & tempore haud præ- [illegible]us.

[illegible] sacris litteris.

Nec [illegible]tum ipse salutem præsentem ferre poterat ægris, sed etiam qui sacramentum eius acceperant discipuli, nomine Magistri sui interposito, sæpe morbos curabant, nulla ope humana superabiles. SS. Placidus & Maurus, quam multa, quam admiranda e- gerunt! Atqui susceptis votis cum Numen flectere niterentur, plerumque me[illegible] sancti Benedicti obtendebant: precibus Benedi- ctum immiscuerunt, vel nouo, vel raro ex- emplo petita impetrarunt. Ob donum Pro- phetiæ, miracula pene quotidiana, sancti [illegible] adeo omnium aures per [illegible] animos occupauit, vt cum [illegible] armis concurrerent: incen- dia [illegible] terrent a Monaster[illegible] quod S. Pa- ter [illegible]. E [illegible] Cellam con- fluxere. Iustinianus Imperator [illegible] Augu- sta egregie eundem coluit. To[illegible], purpura [illegible] fulgens, Græcorum & Romanorum [illegible] lumen, [illegible] se affixit, seque dedidit. In magno [illegible] posuit, [illegible] Benedicto com- mendari Numini. Omnes ætatis partes trans- egit sine [illegible] semper [illegible]. Nam gra- tia Dei anteiuerat [illegible]. Nec [illegible], Bonifacium S[illegible]netam [illegible] 4. ep. 2[illegible] affirmasse, vtero e[illegible] [illegible] audi- tum. Puer du[illegible]dennis iam [illegible] [illegible]

Placidus & Maurus merita D. Benedicti apud Numen prædicare cō[illegible]uerunt.

nem se fecisse, nemo [illegible]. Cum [illegible] pe- dem in via perfectionis semper proferret, exactis admodum quinquaginta annis in E- remo ac Monasterio, eo tandem sanctitatis peruenit; vt S. Gregorius affirmauerit, *vitam ipsum Angelicam duxisse in terris ac spiritu omnium iustorum plenum fuisse*. M[illegible] quoque crediderunt, proximum ab A- postolis in cœlo S. Benedictum [illegible]. [illegible] que ad Superos [illegible] vi- am nouam ape[illegible] [illegible] quam Angelis vndique [illegible], [illegible] Triumphatorque in cœlum euel[illegible] que inter Virgines & Doctores coronis d[illegible] bus donaretur: inter Apostolos vero [illegible] [illegible] capiens, de duodecim tribubus Israel cognosceret, iudicaretque.

S. Gregor. l. 2. [illegible] 8.

Faust. vita S. Mauri.

CAPVT V.

Multi Auctores S. Benedicti vitam composuere.

IN res à S.P.N. Benedicto gestas multi ariere Scriptores. Quidam sermone so- lutum adhibuerunt: alij numeris impli- cuerunt. Certatum etiam inter nationes, quæ ferret palmam. Apud Italos maxime, Gallos, & Germanos, feruebat opus. Agmen in Italia D. Gregorius duxit. Eum P[illegible]s Diaconus, Petrus Damianus, Anastasius Bi- bliothecarius, Montis Casini [illegible] sunt. Victor III. Pontifex Max. Montis Ca- sini quondam Antistes, multa [illegible] miracula sancti Patris, libris qua[illegible] con- iunxit, quæ suis ipse auribus acceperat. Eun- dem laborem capessiuit Leo Cardinalis O- stiensis, qui Casinatem historiam in lucem extulit. Quot autem miracula [illegible] poste[illegible] profudit? magnu studio lecta ab obliuione vindicata? Idem in opus è Gallis se B[illegible] tius accinxit, Monti Casino [illegible] præfectus, & col[illegible] du, martyrio affe[illegible]us. His [illegible] Petrus Mauricius, alias Petrus Ve[illegible]lis, Abbas Cluniacensis se inseruit [illegible] Adrebaldus M[illegible]hus, & Ad[illegible] M[illegible] t[illegible]uriacensis Al[illegible], quo sancti Be[illegible] [illegible] [illegible]uere perlata. Calamus quoque [illegible] Ay- mone promptius, Aliter[illegible] huius g[illegible] ti- [illegible]o, ac primæ notæ historic[illegible]. E [illegible]nia [illegible] soluit Bruno Monachus S[illegible] E[illegible] opus & qui d in [illegible] Glori[illegible]sus Pater noster Benedictu[illegible] comp[illegible] [illegible] Res etiam ab ou[illegible] propen[illegible] [illegible] Trithe[illegible]ius, A[illegible] [illegible] Fe[illegible] men[illegible] [illegible]ma [illegible] [illegible]

Con[illegible] [illegible] Be- ned[illegible] Ital.

[illegible]al

Ge[illegible]

[illegible] *maletudine illustris.*

[illegible] igitur Sanctissimus Patriarcha tota [illegible] fit, cum non Latinæ tan tum, [illegible] etiam Græcæ Ecclesiæ ore leta tur, Hispani, qui suo idiomate Vitas Sancto rum ediderunt, manum de tabula simul [illegible] D. Gregorio sustulerunt. Nec ab [illegible] contin[illegible] Cæsar [illegible] Commen[illegible] ipse con[illegible] Auctor [illegible] cet[illegible] præpollenti [illegible] egregia facinora, [illegible] furu[illegible] tabulæ ap[illegible] gere[illegible] expedi erunt, [illegible] at iulium Cæsa[illegible] ut corruptis [illegible] Hispani cum [illegible] Magnum sibi hanc prouinciam sumpsisse, ac vitam S. Benedicti, pulcherrimum donum [illegible] sua manu [illegible] multa non attingere, quæ [illegible], quam historiæ tot numeris absolutæ aliquid [illegible] exete.

Hanc Hispanorum [illegible] prudentiam S. Petrus Damianus vehementer probat, du non aliter quam Hispani, calami sui me[illegible] non vanum nobis excusat. *In huius Patris Nostri*, inquit, *præcipua solemnitate totus esset viribus incumbendū, nisi nobilis lingua Gregorij totum eius itinerarium sermone magni[illegible] fico collegisset. Ita enim actus eius & vitam [illegible] vndantis eloquij claritate depinxit, vt [illegible] sententiarum maiestate [illegible] & sententia relucent stylo clariore. Ex abundanti [illegible] est, post vocem tanti [illegible] comparatione nos [illegible] tes sed & mutos [illegible]*

[illegible]

[illegible] Gregorius [illegible] S. Pe[illegible] Hispanis huc [illegible]

[illegible]

[illegible] Serico [illegible] quod [illegible] ore [illegible] Quandoquidem pret ea passim [illegible] Patres vel [illegible] autem [illegible] sit, quemadmodum S. Be[illegible] fuit vitæ, [illegible] Eum ta[illegible] earum per imitatione [illegible] in [illegible] udine [illegible] dium profundam sed vbi commodum fuerit, exponam.

CAPVT VI.

S. Benedictus Montis Casini tutelam gerit.

DVm Sergius ad clauum sedebat Ecclesiæ, Luitprandus autem sceptra Imperij tenebat, magna Saracenorum moles classe aduecta, in Italiam ruit. incredibili eam damno affecit. Rapido agmine petita Roma, [illegible] Hausta e SS. Petri & Pauli Basilicis diuite præda, in Montem Casinum cogitatunt, quod is opulentiæ fama tunc temporis non secus quam Roma celebraretur. Quo circa prædones auri splendore vel [illegible] [illegible] bonis bonis cupide inhiabant [illegible] mo iam spe deuorauerant. Igitur in viam se conijciunt: ingruente quadam nocte perueniunt audurum agmen Monti [illegible] admouent. Inuolare [illegible] nec quidem [illegible] per tenebras. Ad [illegible] totam vero S. Apollinaris, quam diximus, ita xere noctem non procul Aquino. Interea [illegible] damnarunt horas cupidine prædæ; qua [illegible] ad [illegible], adeo cæcas vitæ [illegible] non [illegible] luci. Monasteriū pro fecto nulli [illegible] capturi erant, omni pte sidio ac nullo propugnante destitutum, cæ[illegible] Monachis opimas et ilent prædas: locū [illegible]. Fauebat tempus insuper, & [illegible] amnis, qui modicas tunc vehebat vndas, [illegible] traijci posset à pedite. Mona[illegible] oculis hostem vicinum viui[illegible] eum & excudem trepidi, ad [illegible] teces [illegible], quouis auxilio humano nu[illegible] ped bus dei[illegible] iunt: cine[illegible] fædant, ad S. Benedictum suum [illegible]

[illegible]

[illegible]

Opem S. Apollinaris promittit: esse videmus: vno verbo, *Habemus.* Cui S. Apollinaris: quin ponitis luctum hunc, & temperatis lachrymis? S. N. P. Benedictus, præsentem vobis operam pollicetur. Immo iam tulit, salute vobis à Numine impetrata. Hæc, & quædam alia fatus, astra repetiuit: Bassacius lætissimo nuntio animos filiorum suorum mulcens, omni metu liberauit, qui solo prostrati denuo voces & lachrymas fuderunt, sed ex pectore læto. Hunc fere in modum noctis reliquum transactum fuit. **Numen præstitit.** O Deum, omnium rerum potentem, & promissis sanctissime stantem! sereno cœlo subito nubes coactæ sunt, ingentique tumultu collisæ, intonuere: fœdus deinde æthere toto præcipitatus imber, tanta mole incubuit Carnelo, vt vado amplius superari haud potuerit, nec ripis coërceri. Spe decollati Saraceni, amnem ipsum inuadere, & quæsitis nauibus transmittere nituntur, cupidine prædæ: sed operam ludunt. Manus igitur barbaras quibusdam Prioratibus cis amnem sitis, afferunt: exin graues sarcinis, Italia plenis mare repetunt: classem conscendunt: ingentem gazam cum victoria in Africam vehunt: quibus tamen frui per Numen haud licuit.

S. Petrus & S. Benedictus res à prædonibus cũ vita repetunt. Postquam longiuscule è portu in altum prouecti essent, ita vero vt oculis etiamnum hauriri possent, volucrem cymbam duobus senibus oneratam (annis quidem obsitis, at quibus maiestas inerat) contra se impelli viderunt. Horum alter canitiem per caput spargens, Clerici speciem ferebat: alter ore toto ac habitu Monachus erat. Rogant barbatos, vndenam vela facerent? & quæ causa ipsis onandi? subitus it cœlo clamor: victricia se signa per totam Italiam tulisse: Romam diuisse: omnia ex voto sibi fluxisse, nisi quod à Monte Casino repulsam passi essent. Hoc nimirum cordolium sibi esse. Soluto enim in densissimos imbres cœlo, pedem per obuium amnem (sæpe alias vado facilem) promouere haud potuisse. Prædia tamen aliqua Montis, vim suam sensisse. Vicissim illi quoque vectores cymbæ percunctati sunt, vnde soluissent? quo agerent lembum? quinam homines essent? Torua tuentes senes, sese illos esse, respõderunt, quos ipsi iniuria affecissent: quos ædibus ac fortunis exuissent: nec impune laturos tamen: simulque è medio excesserunt. Non mora, æthere claro remouetur dies: horrifico gemitu miscetur æquor: discordibus ventis fatale micantes tolluntur fluctus: à se ipsa arietatur classis verberibus tussis: non proris, non puppibus, non lateribus dantur induciæ. Vnde nauium quædam incumbentibus vndis haustæ sunt: aliæ versæ: nonnullæ fatiscentes, ac tandem in partes distractę, Noti ac Euri ludibrium passæ sunt. **Sic vos nõ vobis.** Thesauros cum Dominis, idem liquidus tumulus composuit in profundo maris fundo. Fauente autem Numine pauci euaserunt in littus, vt minas à SS. Petro & Benedicto intentatas: deinde persolutas vndis pœnas euulgarent.

S. Benedictus clientum suorum hostibus est hostis. Ferunt Hispani, S. Iacobum rebus Christianorum angustis atque nutantibus sæpenumero turmis se miscuisse, prementemque hostem fudisse. Idem S. Æmilianum, sanctum Georgium, aliosq; multos fecisse. Atqui etiam S. P. N. Benedictus crebro rogam cum sago mutauit, & ruentibus inimicis obstitit, dum amicos suos bello subigi; suamq; fidem implorari sensit. A superiore miraculo argumentum petere licet: quod Leo Cardinalis Ostiensis memoriæ prodidit. **Ostiens. l.1.c.29.** Insuper Petrus Ricordatus Nursiam vehementer S. Benedicto deuotam ait. Hunc quoque ciuibus suis obsidione cinctis, saluteque periclitantibus opem tulisse, per aëra in hostes magna vi ruendo: in fugam eos agendo: quodque mirum videri debeat, cum tot tyranni diuerso tempore Italiam sursum deorsum verterint, ciuitates ceperint, Nursiam (quantumuis si comparetur exiguam) haud vnquam in potestatem venisse, quod pręsentem haberent Diuum tutelarem sanctum Benedictum.

Barletam defendit. Ad hęc, cum nostra ætate Galli Barletam, Campaniæ vrbem, hostilibus armis septam tenerent, miles vero præsidiarius non tantum acriter propugnandi spem non faceret, **M. Anton. Scualscus. Ostiens. Append.** sed potius à bellicoso duce suo plus simplici vice desciscens, discordijs fatisceret, S. Benedictus afflicti herois labantem animum firmauit: spe victoriæ certa impleuit. Septem mensibus hac spe lactatus, defendit vrbem: tandem conserta manu, ingentem exercitum obstupescente Orbe dissipauit, ac triumphauit. Hac victoria Hispaniarum regibus viam in regnum Neapolitanum aperuit: sancto Benedicto vero gratias retulit, omnem lapidem mouendo, vt Mons Casinus Abbatibus Commendatarijs è faucibus eriperetur, & Congregationi sanctæ Iustinæ adiungeretur.

Ostien. l.2. c.72.& 73. Item, cum Nordmanni maiorem Campaniæ partem subegissent, multis iniurijs montem Casinum affecere. Quidam vero ductor militum (Rudolpho nomen erat) bene firmum monasterij locum. (à S. Andrea nomen habuit) graui obsidione premens, miseros incolas in vltimas calamitates coniecit, quibus etiam vicinia tota fuit iactata. Miles præsidiarius vt exitium, quod instabat, exiret, deditionem agitabat; facturus quoq;

certo erat, nisi monachi Casinenses intercessissent, auxilia à S. Benedicto polliciti. Interea ventum est ad manus: sagittæ, saxa, tela quæuis alia in defensores summis viribus torta, tantum in muros ac munimenta inciderunt: quodque vehementius mireris, occulta vi inde excussa, ad sceleris auctores redierunt; eosque, vt officio suo recte fungerentur, è medio sustulerunt. Tanti est, spem in Deo & Sanctis sitam habere.

Tela in Nordmãnos conijcit.

Fert Leo Cardinalis sua adhuc ætate superfuisse, qui verbis grauissimis affirmarint, feruente oppugnatione conspectum monachum, trepidos præsidiarios ad rem fortiter gerendam incitantem: neque alteri victoriam post Numen in acceptis fuisse latam, quam S. Benedicto. Miraculum hoc imprimis latuit, donec inito monachorum numero, certo constitit, id temporis ad vnum omnes fuisse in Monasterio. Insuper duo S. Benedictum sibi visum esse, testati sunt, tendentem ad obsessos.

Idem l. 2. c. 214

Ex Saulo Paulum facit.

Euenit præterea, vt Radelchius bellum in Sicinolphum principẽ summis viribus moueret. Quamuis autem Christianus foret, Mauros nihilominus in arma ciebat, quibus iam ante suam incolendi ditionem fecerat potestatem. Tantum namque miserorum mortalium potest *ira*, vt totis quandoque regnis illius ad aram sit cadendum. Itaque Mauri in agrum Beneuentanum & regnum Neapolitanum infusi, sæuire supra hominẽ: obuia quæque sternere: vrere: radices quoque rerum vellere: nec alibi impotentius, quam vbi in templa vel monasteria incidissent, furere. Rabiem autem maximam in Montem Casinum distulerunt. Sed dum huc ruunt, & spe opimæ prædæ propemodum volant, dux circumacto insano capite, eminus conspexit Monasterium. Proh sanctum Numen! subito mutauit mentem: terribile supercilium posuit, vt eundem esse vix credidisses. Neque statim emissos oculos reuocauit, sed hæsit amantissime, contemplando, quam si votiuum iter ad S. Benedictum suscepisset, sacris Christianis iam pridem iniuriatus. Fac sis, vt Saulus tibi in mentem veniat. Non tamen hic stetit miraculum: sed publica præconis voce militi rapina interdixit: agmen ipse antecedens, portas clausit ne quis iniussus penetraret, rectaque dirueret. Neque hoc prætermittimus, itineris comitem cauem in anseres, proximum pratum carpentes, fecisse irruptionem, vnumque raptim occupatum, sublimi capite attulisse hero. Atqui hunc obuio fuste correpto, quo furi cerebrum diminueret, eundem in fugam coniectum insequutum fuisse, vt prædam eriperet, nec plumam sublegi monasterio passurus. Merito miraculum hoc magni æstimamus, cum animos conuertere maius sit opus, quam integrum Maurorum exercitum formidine implere: agere in mare: vel fundere humi: ac præstent duces qui incruenta victoria potiuntur, quam qui sanguinolenta.

Conferte mores, hodierni Monasteriorum Aduocati.

Anno quo Clemens Papa II. concessit, nobiles Capuani grauem Monti Casino litem intenderunt. Cum causa cecidissent, intemperijs acti acerbas minas iacere: vindictam meditari cœperunt. Sparsa igitur in vulgus fama, facultatibus se suis per summam iniuriam exutos, cognatorum ac militum manum contraxerunt: tum correptis armis noctu se clam in viam coniecerunt, spe freti primo mane peruenturos, ac monachos nihil horum cogitantes oppressuros. Sed Deus, qui ab huiusmodi tyrannis graues nonnunquam pœnas exigit, eosdem aliquando ludos facit. Certe hiantes isti in prædam corui nobiles tota nocte equitando & Casinum petendo combusta, interpositis sępe de Monasterij inuadendi ratione, & insigni rerum abigendarum copia sermonibus, sub albescentem diem eum tenuere locum, vnde pridie cum nox cœlo rueret, profecti erant: nec vnus è tanto numero fuit, qui scopum tetigisset. Perculsi miraculo sustulere manus: S. Benedicto sese dediderunt: & quos Superis ludos præbuissent, gnauiter ipsi euulgarunt.

Ostiens. l. 2. c. 83.

Ludificator imminentes grassatores.

CAPVT VII.

S. Benedictus habitu suo indutos cura habet.

NOn ita sinu suo Montem Casinum Casiniique Montis incolas complectitur S. P. N. Benedictus, vt non se alijs quoque impendat, qui cucullum ipsius sumunt. Magnam equidem beneficiorum segetem cœlitus collatorum in omnibus sacris familijs reperias. Sed nos nostrum agamus negotium, ac tria saltem, exempli loco, narremus.

Cum annus laberetur septuagesimus supra millesimum, ad fati lineam vltimam admotus Angelus, Casinensis Monachus, iam iam candidam animam edebat. Mores autem hominis conuenisse nomini pura. Is itaque dum anhelus fatalẽ depugnat pugnam, & in victoriam incumbens sudat, hem tibi, energumenus per templum se ferens. *Quid Quid vero hoc rei est, Benedicte?* subito exclamat. *Vim mihi præter æquum facere, ante nullo modo pudet? Rationes, quæ mihi cum Angelo sunt, inclinas: Angelum mihi subducis non alia de causa, quam tuum quod hactenus cucullum indutus fuerit.* Cum ore sparso, voceque sonantissima hæc quereretur

Ostiens. l. 3. c. 4.

Quod S Benedictus innolutum cucullo Monachum orco subduxerit, ægre dæmoni facit.

tur energumenus, obstupuere omnes, quotquot tum pijs precibus operam in Ecclesia dabant. Interea funibus æditui injiciunt manus: trahuntur campanæ, ac Ordinis more pulsantur: it rumor simul, Angelum animam efflasse.

Ostiens. l. 3. c. 3.

Hominẽ Gallũ tartaro mergendum seruat.

Eodem anno Gallus quidam sanguine nobilis, sed qui ætatem per omnia flagitia traduxerat (& insuper, quod facinoribus indignis tam familiariter vsus esset, fronte perfricta iactabat) morti proximus mire animo cadere cœpit, ac vitam turpiter actam detestari. Vulgares namque peccatores, culpis quotidianis obnoxij, dum sibi placent atque plaudunt, ægre ad rectam redeunt: sceleribus nefandis graues, fere citius sibi consulunt: plerumque alrius ingemiscunt. Ergo noster hic Gallus Monachos S. Benedicti è vicino acciri iubet: præsentes cucullum flagitat, quem ante induat, quam vitam profundat: preces vberrimis lachrymis imbuit: voti fit compos. Breue quidem spatium temporis indulsit Numen, quo is tamen dolorem de perpetratis à se peccatis tantum concepit, quantum cogitare tu vix potes. Pauci fluxere dies, cum humana absoluit: luctam vero quæ ipsi cum dæmonibus peracta est, Bonus Deus cuidam seruo suo spectabilem fecit. Nimirum, solutam corpore animam in catenas teterrimi diaboli induerunt: & cum causas multas grauesque haberent, in Stygem raptarunt. Quæ dum gerebantur, S. Benedictus concito se gradu admouens, vinculaque scipione verberans, *Apagite*, dixit: *apagite vero nunc tartari profundi monstra: facessite ocyus, inquam.* Illi cornutis capitibus submissis, *Ehodum!* conclamarunt; *ehodum!* à præda orco debita quorsum nos pellis? *Quid tibi adeo venit in mentem, Benedicte? Quot tandem animas nobis e faucibus eripis? vel hunc tu probe nostin? magna ipsi iam inde vsque à pueritia cum pudendis sceleribus familiaritas fuit. Hacne, (cedo) libra Iustitia Dei expenditur? si, postquam meum sumpsit habitum, in se crimen admisit,* subiecit noster pius Pater, *facultas fit ad supplicium æternum ducere: alter, hinc vos mouete sine mora: auferte vos, inquam, è vestigio meo à cliente.* Dæmonibus his dictis in fugam versis, tragœdiæ spectator, quem dixi, dudum præstolans auide, quorsum pugna hæc euasura esset, trepidam eousq; animam, comitante S. Benedicto, sursum ferri, stellisque inferri vidit. Ergo lætus ipse quoque hac victoria, clementissimo Deo gratias habuit ingentes, quod sanguine pretioso sui Filij hunc nobilem peccatorem lustrarit, eiusque flagitia enormia cucullo S. Benedicti permiserit palliati.

Ostiens. sup.

Bolum tertium diabolo eripit.

Ad hos quoque scopulos nauim fregerat Iohannes Visconde, Comitis Iordani filius. Etenim scelus nullum sibi prætermittendum ratus, cœlum atque Deum ne in postremis quidem curis habuit. Tandem in lethalem morbum lapsus, conuasare à medicis iussus est, quod saluum præstare amplius haud possent. Ille ictus hoc fulmine, maiorem in modum rogauit suos, vt è lecto erutum, ad D. Benedicti sepulchrum quoquo modo vectarent. Fit petitionis cōpos: fertur ad beatam vrnam. Quantos hic imo de pectore traxerit gemitus: quam magnā singultuum euoluerit molem: vim quantam profuderit lachrymarum, difficile profecto dictu est. Postquam diu suspirauit, singultiuit, fleuit, ad extremū à Monachis habitum religiosum calidissimis precibus contendit. Non mora, promittitur cucullus: certatim injicitur roganti, & lachrymis natanti: sed nondum bene corpori immobili circumposuere monachi, cum homo extinctus est. Funus curarunt Cœnobitæ non secus, quam fratris. Præter alios adfuerat, cum sepeliretur, quidam colonus, vir bonus, quales ruri nascuntur, atq; victitant. Hic negotio, quod ipsi in Monasterio erat (ac templo quoque cum iusta mortuo persoluerentur) defunctus, sese eiecerat in campum. Delatus ad sacrū D. Seueri templum, loco edito impositum, in diabolum incidit, ore cultuque nigrum: manu scipionem voluentem: qui mox, *Cedo sodes*, eminus clamauit: *cedo, nunc vnde fers pedem?* Ex Monasterio subiecit rusticus. Et diabolus: *Scin' tu quid in Monasterio fit actum?* Quid ego nesciam? obmurmurauit alter morosius. Tū corniger vultu renidenti, *vnum hoc te oro*, inquit, *vt me doceas, quid Iohanne Visconde ibi fit actum?* Ego enimuero facile hoc tibi expediuero, excepit iterum colonus. Induit cucullum, simulque vitam exuit. Confestim cacodemon, ore stygio inepte diducto, ciere lugubres questus: *Heu misero mihi! vel quis me omnium est hodie infelicior? quam diu, quam ego diu hoc saxum volui! siccine operam lusi? Tu vero, Benedicte, hoc supplicium cur de me sumis? Itane tandem est, vt tu mihi meum auferas?* Hos inter vlulatus agnouit alastorem colonus, ac prope in saxum stetit metu. Dæmon doloris impatiens, *Ego vero præmium tibi pro nuncio soluerem*, agitatis cornibus intonuit, nisi ex Monasterio iter haberes; atque panem, cui bene monachi dixerunt, in sinu ferres. Postquam hæc effutijt, terribili casu se ex alto præcipitem egit. Rusticus profecto, vix iam superstes, syluam, rupem ipsam imis radicibus vulsam, trahere ruinā credidit. Vbi animus viro rediit, velis ac remis in Monasterium contendit: rem

rem nuntiauit: quo facto dæmonem vehementius in se concitauit, quod prolixe Ostiensis narrat.

CAPVT VIII.

S. Benedictus clientes suos varijs morbis leuat.

Ostiens. l. 2. c. 47.

Henricus II. à S. Benedicto vapulat.

HEnricus II. (alijs primus) tam virtute quam Imperio augustus, Ordinis nostri etiam atque etiam studiosus, S. Benedictum cultu plane singulari prosequi solebat, quam ob rem beneficijs ab ipso maioribus affectus est, quæ silentio prætereire nefas duco. sed agedum: Cæsarem ipsum audi. Cum aliquando iter facerem nondũ parto imperio, ad Monasterium quoddã Ordinis D. Benedicti diuerti: (sic enim mos ætatis atque principum ferebat.) Aulam vero traxi maiorem, quam à Monasterio capi posset. Ergo. ædes sacras profanasque mei obeunt famuli, vt non sibi tantũ, verum etiam equis consulant. Tandem Capitulum vacuum reperiunt, ac hem! quo Monachi confluere ad culpas expiandas consueuerant, eo ipsi equos ad stabulandum introduxerunt. Non tulit iniuriam S. P. N. Benedictus; sed noctu me, quieti indulgentẽ, adortus, fronte per iram haud vulgarem suspensa, indignum famulorum meorum facinus vehementer reprehendit. Demum scipione impacto latus meum ita afflixit, vt deinceps claudicarem, qui ante id rectus eram. Hac data pœna, didici cautius mercari. Alienam autem culpam se apud S. Patrem nostrum luisse, sæpissime inter amicos memorabat. Nunc vero Cæsar quid in ipso montis Casini Capitulo sit confessus, libet narrare.

Ostiens. l. 2. c. 44.

De eiusdẽ lipsanis fit certior:

Cura Casinensis monasterij promouendi assiduo apud Henricum excubabat, quod amore S. Benedicti, ducis Monachorum, penitus arderet. At postquam Galli in vulgus sparserunt, illius se ossa possidere, adeoque è Monte Casino Floriacum translata esse, animi semper pependit bonus Imperator, vtro ea loco haberentur. Porro, cum vltimam Casinum suscepisset peregrinationem, plerumq; noctis inter grauissimos infestæ arenę dolores traxit, donec cruciatu fractus non in somnum, sed aliquam somni vmbram lapsus est. Sic recubanti propius se applicuit sanctus Pater, *Non me fallit*, inquiens, *ambigere te, vbinam terrarum ac gentium ossa mea acquiescant. Pro certo habe, hic loci, hic hic condita esse: Atque vt hoc te dubio absoluam, velne vana imagine te ludi putes, nocte dimota tres calculos bene magnos cum vrina effundes, qui te hactenus ita miserum in modum lacerarunt: nec amplius ex arena morbo laborabis.* Hæc vbi dixit, iterum terris excessit.

E calculis exoneratur.

Imperator caput cum animo erigens, lætus expectauit lucem: tres lapides, carnifices bene magnos, nocte iam submota emisit: quod precibus S. Benedicti cruciatu incredibili liberatus esset, mille Deo gratias egit. Non mora, Monachis cum Abbate in Capitulum contractis, quam graues præterita nocte dolores perpessus esset, exposuit: à medico tamen præter spem omnem aduentante, salutem sibi allatam fuisse. Nunc vero sententias se singulos rogare, quonam is prœmio videatur afficiendus. Nos equidẽ, excepit Abbas suo cum cœtu, nulli rei parcemus: quicquid in manu nobis est, tibi promptè præstamus, ne indonatus abeat salutatis medicus: quamuis præter munera, quæ à te capiet, etiam hoc in præmio ponere debeat, quod Cæsarem morbo ac morti exemerit. Dictis hunc in modum sententijs, rem omnem Monachis aperuit: Montem Casinum multis opibus auxit, quas Ostiensis prolixe recenset.

Naucler. Gen. 32. an. 1011. Cuspin. in Henrico.

Facti huius fama per totum volauit Orbem, quam historici diligenter excepere: quamuis (vt fit) alij aliter narrent. Nauclerus & Cuspinianus Diuum acuta nouacula corpus Cæsaris aperuisse, ferunt, vt conclusum malum auferret. Erutos deinde calculos Imperatoris in manus deposuisse, crudo vulnere ita coalescente, vt duraret cicatrix. Vt vt factum sit, Henricum à S. Benedicto salutem accepisse, non illud tantum sæculum, sed proxime quoque sublabentia decantarunt. Insigni hoc beneficio (nec non quibusdam alijs) D. Benedicto deuinctus & inflammatus Cæsar, multa Monasteria fundauit: non pauca, Monachis Cluniacensibus immissis, ad veterem normam reuocauit in Germania. Certe quantũ precium huic suo patrono statuerit, vel ex aurea lamina coniicias, quam Beatus Renanus in summo templo Basileæ seruari, & ab Henrico Imp. dono datam affirmat, æstimarique septies mille florenis. Medium spatium Christus, humani generis liberator, tenet. Michael, Gabriel, Raphael, Vriel, Angeli quatuor, à lateribus suum quisque officium faciunt. Vestigia nostri Seruatoris solus occupat Benedictus; infra quem Henricus Imperator cum Chunegunde Imperatrice se demisit. Mirum igitur nemini sit hanc fœminã, marito demortuo, Imperium cum Monasterio commutasse, quando illo adhuc viuente ita dedita S. Benedicto fuit. Quidam arbitrantur, Henricum idem facturum fuisse, si Chunegundi superuixisset. Cæterum hanc tabulam auro conflatam domestico in sacello beati coniuges exponere consueuerant.

Quanti S. Benedictum æstimarit Henricus Imp. præclarũ specimen.

B. Renan. l. 3.

Mira-

Mira[illegible] longe [illegible] R[illegible] [illegible] ipsa m[illegible] [illegible] ores [illegible] omnes [illegible] Q[illegible] si dicat [illegible], qua[illegible] [illegible] Atque S. [illegible] v[illegible] n æqu[illegible] cepto, pannosam mul[illegible] [illegible] pari bene[illegible] [illegible] quæ [illegible] [illegible] q[illegible] hæc plene retulerunt, camp[illegible] iciam [illegible] beunt. Certe in cœlum [illegible] Dei ma[illegible] [illegible], cum [illegible] S. Bene[illegible] ded[illegible] vidi [illegible] prat[illegible], velut in V[illegible] Catt[illegible] Caminnain vsque, Portugaliæ tractum, vbi Parochias, Templa, [illegible] nostro Patri dedicata: [illegible] & per[illegible] ad ædes, ipsi [illegible]. Nec facile d[illegible] est, quam deniq. turbæ in antiquissimum Monasterium Lerez contendan[illegible], quoties communis huius Patris festa peraguntur. Quamuis autem longo terræ spatio nulla subiacet [illegible] currant Ordinis nostri Monasteria, n[illegible] [illegible] ita amanter à S. Benedicto pendent incolæ, vt domi suæ quidam ipsi sedē figant, statua Patris loco decenti collocata, qua[illegible] etiam ad ægrotos, ve[illegible] præ[illegible] me[illegible] cum, deferre solent. Ponteuete[illegible] Monasterium S. Dominici stat tam religione quam D. Benedicti signo celebre. Huc vel rebus lapsis, vel valetudine affli[illegible], [illegible] confugiunt populares. opem, [illegible] q. orant Affixi lecto, sacrum simulach[illegible] de-portari curant. Fuit igitur vt Mart[illegible] Dominguez, Martini de S. R[illegible] vxor, extrema suppl[illegible] calculos [illegible]. [illegible] S. Bene[illegible] li-[illegible] domus limen at-[illegible] lap[illegible] sept[illegible] Sequutus [illegible] [illegible] N[illegible] a[illegible] [illegible] æqu[illegible] [illegible] qu[illegible] pe[illegible]

[illegible] de Mend[illegible] Ferdinandi [illegible] mala ab [illegible] non [illegible] qu[illegible] S. [illegible] C[illegible]

Signum ipsius ad ægros delatum, sanitatem impertit.

Item [illegible] do-[illegible]

g[illegible] p[illegible], [illegible]mus, [illegible] [illegible] qui puteos fodiunt [illegible] [illegible] fontes habeant.

Cum [illegible] millesimus [illegible] [illegible] mo[illegible] [illegible] aut[illegible] quod [illegible] [illegible] leum vel ope[illegible] [illegible] D[illegible] via patres tractus, qu[illegible] marcid[illegible] ctus cœlo d[illegible] S. [illegible] M[illegible] C[illegible] ascendere [illegible] [illegible] rederet. Roga[illegible] Qu[illegible] vel immorta[illegible] esset Benedictum [illegible] M[illegible] Pat[illegible] [illegible] N[illegible] d[illegible]que [illegible] factum dixere [illegible] via [illegible] Aquin[illegible] H[illegible] M[illegible] C[illegible] [illegible] cum S. [illegible] clau[illegible] expediuit pede[illegible] aute M[illegible] A[illegible] erat) ve[illegible] tu[illegible] cur [illegible] perci[illegible]. Membris [illegible] dixit, [illegible] digito monstrans, quem contr[illegible] duxe[illegible] vtque fides nu-[illegible] tacu[illegible] [illegible] sanguinis copia erupit. E[illegible] abunda hominis huius vestigia non Gal-liæ fuisse conspecta, Petrus Diaconus [illegible] E[illegible] R[illegible] legatos G[illegible] tio nem, cum per templum [illegible] expedito meantem spe[illegible]

Eodem ann[illegible] quidam H[illegible] [illegible] M[illegible] C[illegible] [illegible] ox au[illegible] At [illegible] nos [illegible] Pat[illegible] [illegible] & [illegible] M[illegible] O[illegible] M[illegible] [illegible] [illegible] men [illegible] R[illegible] [illegible] M[illegible]

Me[illegible] [illegible] Ber[illegible]

Pet. Dia[illegible]

dem [illegible] præ[illegible] adesse P[illegible] cuius gra[illegible] sacræ æd[illegible] pe[illegible] quud val[illegible] di-nem, qu[illegible]d rem [illegible]iatem ab hoc pa[illegible]o sibi instaurari sciant. M[illegible] ac[illegible] pra [illegible] est, quæ ille hic e[illegible]. [illegible] perlong[illegible] quatuor energumenos [illegible], hospite interno liberatos, die,me[illegible]no, nominibus expressis. Solida quoq; [illegible] [illegible] miracula desc[illegible]bu[illegible], q[illegible] c[illegible] tis ver[illegible] c[illegible]nd[illegible]da [illegible], præter[illegible]s. Ne-[illegible]as [illegible]en putamus, adeo omni[illegible] [illegible]itio in-[illegible]uolue[illegible], quocirca duo saltem ve[illegible] duximus [illegible]da, d[illegible] re-[illegible] [illegible] [illegible] quæ [illegible] ap[illegible] c[illegible]tes p[illegible]s Pater co[illegible]

[illegible] miraculis compensat.

D[illegible]imo [illegible]ptimo Nouembris, An. 1530. Catharina Martin, uxor Iohannis Garcia Villariensis huc venit sine loquela brachio dextero inutili. pedem item dexterum per terram trahens. Persoluto nouenario lingua ipsi, brachium & pes cum salute redierunt. Testimonium in promptu est.

29. Aprilis, An. [illegible]531. ad hoc S. Bened[illegible] Eremitorium Rodericus Lopez Pey[illegible]n, C[illegible]ce-rensis, venit, nouenas persoluendi gratia quod ex febri & schiatica decubuisset, ac insuper membris fuisset captus vt nec pedibus insistere, nec quidquam aliarum rerum conficere potuerit, voto autem suscepto incolumitatem impetrarit. Testimonium in manibus est.

20. Martij An. 1479. ad hanc an[illegible]am Diui Benedicti ædem Petrus Martinus venit de Trenexo, claudus, dextro nimirum crure antrorsum spectante, vt ægre potuerit inniti. Cum autem postremo die nouenas peragent, orationem funderet, salute donatus [illegible], relictoq; [illegible]allo incolumis abijt.

Pauca hæc miracula seleg[illegible] [illegible]ulti[illegible], ad n[illegible]e missis, vt tanquam ex vngue le[illegible]n, æsti-mate li[illegible]eret [illegible]um, [illegible] sanctum Benedictum prosequ[illegible]. Q[illegible] circa Estremaduram & Andaluziam Monaste-[illegible]s vacuas haud fuisse, [illegible]d ante ve[illegible] H[illegible]-[illegible] abundasse, [illegible] hab[illegible]ur. Tur-[illegible]at[illegible] [illegible] Ordine[illegible] [illegible]us Mo[illegible] h[illegible]rum p[illegible], q[illegible] Paro[illegible]ias, & E[illegible]mitoria S. Bene[illegible]to [illegible] [illegible]ata non pauca numerant. D[illegible] & pe[illegible]-[illegible] M[illegible]nasteriorum r[illegible]tq[illegible]as e[illegible]t. [illegible] Or[illegible] Cal[illegible]aue[illegible]sis P[illegible] E[illegible]-n[illegible]orium possidet, [illegible]bi S. Be[illegible] admi-r[illegible]da patrare, fama euulgat. Re[illegible]or certe & [illegible]lle[illegible]ales qui Sal[illegible]ticæ agunt [illegible] [illegible] n[illegible]hi eoru[illegible] [illegible]ulorum fe[illegible]t. [illegible] h[illegible]liq[illegible] pauca, ne peccem in auream mediocrit[illegible]tem.

TI[illegible]VLVS TABVL[illegible] vnde sunt desc[illegible]

In Nomine DEI & Sanct[illegible] MARI[illegible] [illegible] Matris & Domini S. Benedi[illegible] [illegible] hoc [illegible]. Hæc sunt miracula & bene[illegible]ia quæ [illegible]ens [illegible] fecit ad [illegible]tiorem [illegible] ni S. Benedi[illegible], non ita pridem vi[illegible]iter. Nam viderunt & cognouerunt ea [illegible]mnes. [illegible] præsentes fuerunt [illegible] [illegible]no[illegible]re voluerunt ad [illegible] al[illegible] mi[illegible]ulis quæ Deus antea in [illegible] [illegible]ancto loco operari dignatus est.

Imp[illegible]imi[illegible] cum viri ac fæmina hoc in l[illegible]co sancto laborarent, Stephanus Yannez Eremi[illegible]ta Domini [illegible] Bene[illegible] [illegible] adi seruit quantum pote[illegible] [illegible] lampadem accenden-dum Domini S. Be[illegible] [illegible]ed illam inuenit ardentem [illegible] ma[illegible]n[illegible] [illegible] [illegible] dentem [illegible]-[illegible] res[illegible] [illegible]unt multi viri ac fæmina ibidem labo[illegible]antes. Item multi viri ac fæmina, ad vigilandum huc ventilantes, testantur eandem lampadem se vidisse sua sponte ac[illegible]endi[illegible] idq; semel quan[illegible] [illegible]eptimana.

Hunc in modum [illegible] [illegible]decim alia miracula referuntur [illegible]aptim[illegible]. claudis, [illegible]ato proximis, nouenas S. Benedicto pollicentibus, & sanitem recipientibus. Po[illegible]o m[illegible]rac[illegible]s hoc [illegible] st[illegible] [illegible]um est.

Omnibus Christifidelibus, qui hanc chartam viderint, quos Deus seruet a mal[illegible] Paschalis Pe[illegible]ez Vicarius Portus [illegible]. MARIÆ salutem in IESV Christo qui [illegible]eritas [illegible] est. Noueritis quod Step[illegible]anus Yannez P[illegible] [illegible]mator ad[illegible] [illegible] de Porcuna, qui nobis han[illegible] chartam e[illegible] [illegible] huc ad portum venit, ad ind[illegible]andum id, quod [illegible]acro in l[illegible] [illegible]o cont[illegible] [illegible] Domini nostri Archiep[illegible] H[illegible]a[illegible]is. E[illegible]po[illegible]s deinde al[illegible]js miracu[illegible]s [illegible] mul[illegible]s, ne quis fumos vendi cr[illegible]d[illegible]et, sua manu ea[illegible] [illegible]gno[illegible]que co[illegible] u[illegible] [illegible] c[illegible]ta: Multi viri [illegible] [illegible] fæminaq; valetudinem hic recuperarunt. Et cum hæc sint vera, dedi [illegible]co dicto literas istas patentes, meo [illegible] [illegible] munitas in testimonium veritatis. Data apud S. Ma[illegible] de P[illegible], [illegible]imo [illegible]no Mai[illegible] [illegible] m[illegible] [illegible]ma, tre[illegible]ente[illegible] [illegible].

Sc[illegible] tura hæc [illegible]tiqua admodū est. [illegible]m C[illegible] Seruatoris annum n[illegible]simu[illegible] [illegible]um sexag[illegible] [illegible]n, sext[illegible] [illegible] c tre[illegible] qu[illegible]drig[illegible]ta ann[illegible] t[illegible] [illegible]sse op[illegible]tet. Eremitorium vero [illegible] S. Be[illegible]ctum nuncup[illegible], nec non [illegible] ac[illegible]s t[illegible] e[illegible]o tempo[illegible] e[illegible] [illegible]t [illegible] [illegible] [illegible] ta[illegible]la o[illegible]upa[illegible] [illegible] nos p[illegible]-[illegible]es, vt [illegible]ppa[illegible]et referen[illegible]a. Olt[illegible] um esse d[illegible]

Forte Dña Maria de Baeza domi sua texebat, cum membris capta est, ita vt dimidia pars corporis munus exequi haud posset, brachio sinistro ac ore distortis, officiumq; denegantibus. Turba, qua spectauit, testis est. Voto igitur ad Dominũ S. Benedictum emisso, ad sanctum ipsius locum huc veniendi, & vigilando orandoq; nouenas celebrandi, mox sanitatem est cõsequuta. Benedictus sit Deus, & Dominus S. Benedictus. Donum obtulit, & in Confraternitatem recepta fuit.

Quidam adolescens Cordubensis, cui nomẽ Raymundo Gil, agebat in adibus Petri Diaz de Quesada in Iaen, cui adeo lumina adempta fuere, vt nec solem quidem ipsum capere possent. Postquam se sancto huic loco commendauit, addito nouenarum, & seruitij vnius anni voto, visu denuo ac luce potitus est. Benedictus sit Deus, & Dominus S. Benedictus.

Quadam bona Dña de Cannete filiam habebat cacam. Promisit ad hunc sanctum locum se ducturum, fecitq;. Dum hic peregit nouenas, & precibus ac vigilijs munus adiecit, offusa tenebra oculis continuo cesserunt. Benedictus sit Deus, & Dominus S. Benedictus.

Postquam hunc in modum nõ cæcis tantum sed etiam claudis, omnisq; generis morbis conflictantibus pandit viam, & ex miraculo incolumes dimisit, hanc clausulam imposuit: *Etiam Maria filia Doneri Cannetensis tres dies tresque noctes cereum tenens, tandem animam egisse visa fuit. Dum igitur efferri debuit, à parentibus Domino sancto Benedicto commendatur: nec mora: ad se rediit. Omnes quotquot adfuere, suis oculis ipsi miraculum vsurparunt. Matrem illico poposcit panem. Benedictus sit Deus, & Benedictus. Obtulit autem hic munus. Ego Frater Don Garcia Commendator Maior de Calatraua, vidi testimonium istorum miraculorum, qua Deus fecit per amorem Domini S. Benedicti, idq; mea manu, tum etiam Maioris Commendatura sigillo pendente, firmaui. Guillenus Martinez: & Ego Iohannes Perez Iudex de Bercana sum testis, & in testimonium sigillum meum appendi.*

Scriptura hac de ipso Originali traducta est, iussu Domini Fratris Francisci Barreda de Ribera, Vicarij Generalis Ordinis de Calatraua, in ditione Andaluzia. Fidem igitur facit, eam à suo exemplari haud diuersam esse, arbitris ad videndum, comparandum, & corrigendum constitutis, Georgio Serrano, & Antonio de Esquiuel Percunensibus. Gabriel de Aquilera, Clericus, Presbyter, Notarius Apostolicus, facio fidem dictis meo sigillo manuq;.

Frater Franciscus Barreda de Ribera, Licentiatus.

Gabriel de Aquilera Notarius Apostolicus, &c.

CAPVT IX.

Alia miranda opera, quæ D. Benedicti sanctitatem, eiusque in clientes curam affirmant.

ANnus circumagebatur millesimus tricesimus octauus, cum exhausta longis solibus arua vehementer sitirent, oreque multiplici pluuias ab æthere frustra poscerent. (Neque enim à præcipiti Aprili ad vsque 3. Calendas Iulias vel minimam guttulam exprimere poterant hiando.) Itaque agricola quidã collecta raptim messe, ignem leuibus admouit stipulis, steriles astutus glebas, vt sequenti saltem anno spem non modo alerent, sed implerent quoque. Flamma à principio tantum sectos inuasit culmos, summa cacumina lambendo: paulo post tamen (quasi soluta legibus) quoquouersum grassari cœpit, omnem operam inhibentis coloni ludificando, donec in vicinum quoque Monasterium, & proximum hortum progressa, ædibus & arboribus exitium minata est. Vt primum S. Benedictus scintillarum obsidione Cœnobium suum cingi vidit, absque mora opem tulit. Quippe cœlo subito atra se nubes intendens, supraq; locum se librans, imbrem maximum effudit. O Boni Diui! Cõfestim subsidere vndantes flammæ; in fumos abire: incolas metu liberare. Accedit, arua quam, tanto imbre epoto recreata, vberiores fructus suis dominis præstitisse. Adeo beneficia Numinis haud vnquam sine comite ad nos veniunt. Sed vt intelligeres idem Numen consultum ire voluisse Monasterio, nulla extra eius limites gutta prolapsa est.

Ostiens. l.2. c.6.

S. Benedictus à Mõte Casino incẽdium auertit.

Virum solertem alebat Monasterium, pisces decipiendi capiendique peritissimum. Miles quidam gente Nordmannus, operi intentum adortus, vt cymbam ripæ appelleret, sibique piscium copiam faceret, imperare instituit piscator caput quassans, negauit se rem Monasterij cuipiam alieno daturum: neq; adeo sibi esse in manu, peteti vt annat, vel imperanti obsecundet. Miles igneus, victoriæque auidus, stulte perforauit nauim, in qua ipse nauigabat. Nimirum, pertinacem piscatorem medium cõplexus, in mare sparsit: cui tamen cum ipse inter luctandum velut hedera arbori adhæreret, pariter illapsus est, ac præceps abijt ad manes. Piscator æquori sic à socio propinatus, caput madidum extulit vndis, conspectaque ripa, illuc remigio brachiorum sedulo contendens, anhelus peruenit, quo tamen spumantes fluctus exanimem, & pisce magis mutum militem iam extulerant. Vnde cognitum fuit,

Id. sup.

Vitæ naufragium facit miles, dum pisces Casinenses captat.

pœnas eum temeritatis D. Benedicto dedisse. Aliter ignauum cadauer, suopte pondere fundum petens, etsi vndis vtcunque sustentaretur, hominem tamen viuum, velis ac remis, seu manibus pedibusque ad littus contendentem, præuenire haud potuisset.

Pet. Diac. l. 4. c. 60.

Alius in libertatẽ à Diuo vindicatur.

Sed nunc miles obuiam est alius. Hic in Apulia (nescio an culpæ affinis, an vero vacuus) in carceres & vincula coniectus est. Bona spe propemodum destitutus, fidem S. Benedicti assiduo implorauit. Illi igitur noctu apparens Diuus, vt tempus quietis erat, num dormiret? interrogauit. Atqui teterrimus iste carcer, nec non extremum supplicium, à quo prope absum, respondit miser, facile mihi somnum excutiunt. Sed cedo (te obsecro!) quid tu hominis es, qui me ita præter tempus inuisas? Ille ego sum, subiecit sanctus Pater, quem tu precibus hucusque creberrimis pulsasti. Nunc autem bonũ babe animum: patent portæ: egredere: catenas cum in montem Casinum vsque ferre vix posses, ad cellam Othonis, Monachi reclusi, suspende, cui mea Regula maximæ semper curæ fuit. Inde vero in Montem Casinum proficiscere, Liberatori Deo gratias persoluturus. Impotẽs gaudij captiuus quassa vincula rupit: illa ad cellam Othonis, se autem in Montem Casinum tulit: Deo atque D. Benedicto multas gratias habuit.

Stipata turba graue casum illius beneficio exit.

Etsi S. P. N. Benedictus suis clientibus semper consulere soleat, aduerti tamen in Hispania, nunquam alias magis damnare votis supplices eum solere, quam diebus ipsi sacratis. Anni fluxerunt oppido pauci, quod Montforte in Monasterio S. Vincentij de Pino, (hoc nomen ei antiquissima literarum monumenta indiderunt) aliquid prodigio simile, vel prodigio maius euenerit. In templo capitibus confertæ multitudinis horologium cum suis ponderibus imminebat. Non satis comperti habetur, quo hæc pacto funibus præcincta, nodos firmos ac implicitos soluerint, vt elabi possent. Cæterum, elapsa sunt. si ex suo ingenio decidissent tecta, miseram stragem fuissent editura. At vis Numinis excussit transuersim, ita vt neminẽ saltem paruo damno affecerint cadendo. Multi, qui spectarunt, & huic discrimini exempti sunt, etiam hodie spiritum ducunt: Deo gratias babent: S. Benedictum laudibus ferunt.

In oppido Ontiueros, Salmanticam inter & Madritum posito, studio singulari festa S. Benedicti agere consueuerunt, prodeundo cum ipsius signo in supplicationem: instituendo musicam: ad numerum saltando: spectacula dando. Origo tanti cultus bæc est. Circiter annum millesimum, quingentesimum, quinquagesimum, dira pestis oppido grauis fuit, horrendum in modum incolis viduando domos. Dum hoc flagello pulsantur ciues, in commune capiunt consilium propitiandi Numinis. Conuentum fuit in sortes, vt eum sibi patronum deligerent, qui primo suisset ductus. Primus è magno numero exijt S. P. N. Benedictus. Crediderim etiam redijsse, repetitis vicibus. Læti felici sorte incolæ, publicum votum nuncuparunt, sacros D. Benedicto dies celebrandi. Exin pro oppido hic Sanctus stetit, pestis euanuit. Anno millesimo, quingentesimo, septuagesimo nono, 5. Idus Iulij, qua luce translationem gloriosi Patris nostri colimus, res memoratu digna accidit. Accepi ego à publico huius oppidi Notario, cui nomen Leandro Rodriquez. Agebat is in templo S. Cebriani cum Ioanne Baptista Sanctio, oppidi illius ciue, cum F. Augustinus de Soto, Ordinis SS. Trinitatis, preces ab Ecclesia institutas funderet aduersus præcipitem tempestatem. Exitium enim terris imminere videbatur, tanto tumultu desæuiebat cœlum. Qua locus in Galliciam ac oppidum Cisla vergit, immensa nubes, magnum malum ferens, tristi spectaculo mouebatur. Paulo post effusa grando, sensim ea quidem, sed vt nuces æquaret. Tandem dirupto ventre, tantum lapidum ruit in agros, vt explerent sulcos. sic passim aggesta grando, ad minimũ vnum palmum, alibi tres amplius alta erat. Conclamarunt messem oppidani, quam tamen prorsus incolumem per merita S. P. N. Benedicti seruauit Numen. Aucta hoc miraculo deuotio, & tauulia in eum diem instituta. Etsi sanctum Benedictum maiore honore affectum iri putem, si in spectaculum non agantur boues. Dolorem profecto caperent Cœlites (si quis in ipsos dolor caderet) videndo ciuitates Hispaniæ animum penitus induxisse, crudeli huiusmodi lanienæ Sanctos applaudere: Cædi pauperibus ipsorum nomine boues mallent. Nec enim Ethnicorum hæc spectacula probant, nihil corpori conducentia; & animæ nihil.

Ontiueri, sorte patronus dictus S. Benedictus.

Inter cœli iniurias, seruat fruges.

Festorum suorum violatores vlciscitur.

Porro, vti sanctus Benedictus cultores suos beneficijs prosequitur; ita graues pœnas ab illis petit, qui festa ipsius, dum ex voto vel more celebrari debent, temere violant. Huiusmodi vindictæ innumera mihi exempla recitata sunt. Ad S. Iacobum in Gallicia Parochia est, Diuo Benedicto sacta (vti per Hispaniam aliæ quamplurimæ.) Incolis eam diem festiue agentibus, quidam inuitis cæteris concessit in agrum auaritia impellente, secturus messem. Vbi primum supposuit falcem, culmi sinistræ manui, illa dextræ, quasi glutine, adhæserunt. Perculsus animo colonus

nus, in templum trepidus contendit: S. Benedictum veniam orauit, & exorauit. Cum enim rei diuinæ interesset, ac ora precantia lachrymis infunderet, altera manus falcem, altera aristas dimisit. Alius iunctis ad currum bobus euasit in arua, prostratam à messore segetem relaturus domum; sed damnum retulit. Implicati enim boues, mutuo nexu extincti sunt: currus cũ segete subito igne correptus, in vagos cineres abijt. Multi insuper casus narrãtur, præsertim vero horridæ grandinis, & effusorum imbrium, fæcundos campos xr. Iulij depopulantium, qui dies Translationi S. Benedicti est sacer. Quamuis auté tempori hoc dari possit, dies tamen iste apud Hispanos vulgo *morbidus* vocatur, quasi ominosus, quod nemo impune ferat, quisquis violet. At supersedeo exemplis alijs quæ sanctus Benedictus statuit in incautos, quod calamum alliciant miracula sequentia.

CAPVT X.

S. Benedictus it auxilio teneræ ætati.

S. Benedictus teneræ ætatis amans ob innocentiam.

ETsi beati Cœlites rogati à nobis mala quęuis auerruncare soleant, mos tamen in Ecclesia obtinet, certis quibusdã casibus, certos interpellare Sanctos. Qui enim dentibus laborat, S. Apolloniam: qui angina, S. Blasium: qui igne sacro, S. Antonium ciere nomine in auxilium consueuit. Quod nemo S. Benedicto frustra supplex fiat, quocunque tandem prematur malo, miracula superiora persuaserint: in Hispania tamen magis vulgata sunt eius in teneram ætatem beneficia, non tantum obituris mortem præstando incolumitatem, sed etiam vita exutis, vitam restituendo. Iam pridem gloriosus Pater arcto cinxit amplexu innocentes puerulos, cũ eos suauissime receptos ad Ordinem auctorauit: lac Euangelicæ perfectionis instar nutricis instillauit, Christum imitatus, qui arcentes discipulos increpans, *Sinite*, dixit, *paruulos venire ad me: talium est enim regnum Cœlorum*. Cum adhuc in Monte Casino ageret, puerulum Monachum à caduco pariete oppressum, fatoque defunctum, vitæ reddidit: itemq; alium, quem lachrymis fessus parens tentis brachijs offerebat. Nec minus è Cœlo in paruulos propendet, sed magis etiam cordi habet. Multa mihi exempla in promptu sunt, quæ à viris grauissimis ac fide dignissimis accepi. Pauca tamen referam, ne copia te fatigem.

Matth. 18.

D. Gregor. l. 2. Dial. c. 11. & 32.

Puero brachium explicat.

In oppido Montfortensi octennis vel decennis puer manu altera captus erat, stupentibus neruis, & imperium haud accipientibus. Cæterum mos per illos montes tenet, Sanctorum festiuos dies collucentibus candelis celebrare, suumque animum in hunc modum Diuis probare. Ingressi templum, duos, quatuor, pluresue cereos accendunt: postmodum restinguunt: abeunt: vt etiam alijs dent locum, qui confertim aduolant. Ergo meus puer, comes suæ matris, in sancti Vincentij templum se tulit, solito honore sanctum Benedictum affecturus. Mater sine mora negotium gnato dedit, caperet candelas: candelabro quod huic vsui prostabat, defigeret. Puer morem gerens, ad candelabrum contendit, cumque altius illas impressit, ne nutarent, diducti sunt sua sponte nerui: manus & brachium ad officium redierunt.

Alteri crus fractum redintegrat.

Frater Consaluus de Tuy, Discalceatus è Prouincia sancti Iacobi, multis viris grauibus retulit, se adhuc admodum infantem crus fregisse, tum vero à sua matre Caminoam deportatum, quo mortales confluere, ac opem sancti Benedicti implorare, diximus. Vt primum vero templum in conspectum venisset, illico matrem cœpisse suspiria edere, & Sanctum appellare. Nec à Numine fuisse dilatam, sed statim voti compotem factam, tibique prius pedem coaluisse, quam peruenissent ad templum.

Alium à fati limine reuocat.

Doña Thomasa de Borja, Comes Grajalensis, sanguine ac virtutibus perinde illustris, sancto Patriarchæ nostro mire addicta, nunquam spe ac precibus ab eo se frustratam esse, ait. Fuit igitur vt filiolus eius pustulis corriperetur. Acciti Medici, Habet, conclamabant: Vixit. Tum mœstissima parens, medicis valere iussis, sustulit infantem: ad pedes imaginis Patroni sui deposuit domestico in sacello: opem poposcit: ille mox opem tulit.

Haustum puteo expiscatur incolumem.

Anno millesimo, quingentesimo, octogesimo nono, magnum S. Benedictus beneficium apud fæminam quandã Zamorensem collocauit, cuius filius, octo vel nouem annos natus, dum propter puteum, sex orgyas altum, incautos edidit ludos, parenti funestã exhibuit tragœdiam. Pedibus namq; temere promotis, in voraginem incidit; sparsusque fundum petiuit. Et quod obstupescas, hora propemodum lapsa est, antequã misere haustum licuit subducere. Creditum fuit ab omnibus, aqua ebrium, exhalasse animam. Tamen piscantur puerum: capiunt: ex vndis incolumem euoluunt. Circumfusa turba, frontibus suspensis percunctatur madidum, quidnam sit, quod vitam in puteo nondeposuerit? Festiuum sancti Benedicti diem in mentem sibi venisse, respondit; & eundem subitis votis se accersiuisse, nec cribro hausisse aquã: aut oleum, quo tutelarem Diuum vnxisset, perdidisse. Cum enim sorberet pu-

tuum, ac iam in eo esset vt absorberetur, monachum ætate grauem aquæ (hoc est exitio) incumbentem manu iniecta sustinuisse. Post hæc mater in Monasterium contendit: cœleste beneficium Patri Magistro Vanegas, viro per Hispaniam celebrato, exposuit, quod neminem Zamoræ præterit.

Eidem lapsus de ponte vitã debet.

In Gallicia, qua Minio pons ingens, (Paradelam dicunt) impositus est, Eremitorium stat, nostro Patri dicatum. Quædã bona fæmina sedulo id vertere consueuerat. Dum aliquando fluctuantibus scopis emundat pauimentum, nec non telas aranearum deijcit, paruus gnatus ponti se credit; quo pedem rapit curiositas, graditur: periculum adit: è ponte præceps ruit: corpusculum saxis affligit. Perijsse omnes iudicarunt. Hoc funesto casu expectorata mater, collisis palmis identidem S. Benedicto filium commisit. Interea vento citius ad puerum conuolant: raptim attrahunt: supra fidem incolumem ac saluum, attoniti miraculo circumsistunt. Nec solum mihi in Castilia hoc auditum, sed cum iter haberem per Galliciam, quæsiui in factum; idem ore vno omnes affirmarunt. Immo multo plura insuper addiderunt, iactata publice, quæ prætermitto, tantum ne longius teneam. In inclyto Monasterio S. Benedicti Vallisoletano librum habent, què *Benefactorum* dicunt, eo quod omnium illorum nomina indita sint, qui aliquo beneficio Monasterium affecerunt; quæ deinde statis temporibus publice recitantur, ne monachis excidant, Deoque Opt. ab his sedulo commendentur. Ita mos in cæteris etiam Monasterijs obtinet. Memini autem me ex isto libro Vallisoletano aliquoties legi audiuisse, puerum quemdam in ditione Burgensi, qui iam excesserat, à S. Benedicto vitæ fuisse restitutum. Sed libet rem ab ouo repetere, quod fecerunt, qui in librum retulerunt, vt sæculi illius appareat simplex candor, tum etiam diligentia, quam in miraculo litteris consignando posuerunt, ne in dubium trahi possit.

Alteri cuidam effluxerat in vndis anima, quæ corpusculum repetiuit Benedicti beneficio.

Anno millesimo quadringentesimo, nonagesimo primo, post Natiuitatem Domini nostri IESV *Christi, vndecimo die mensis Iulij, festo Translationis S. Benedicti, in loco Rane, prope nobilem ciuitatem Burgensem, multis hominum iuxta fluuium dicti loci stantibus, me Ioanne Garcia, Clerico & parocho dicti loci, nec non Notario Apostolico ac Regio præsente, cum etiam testibus infra scriptis, comparuerunt Diego de Losa, famulus Ioannes de Solorzano, & Ferdinandus de Bustamonte, famulus Ferdinandi Galli, loci huius incola, & dixerunt, testari sese, quod Petrum, filium Petri Fernandez de Rincon, ciuis dicti loci, decennem filium viderint humi iacentem in ripa, suffocatum, quem etiam ego ipse Notarius suffocatum meis oculis vidi. Postea à Domino Deo per merita S. Benedicti hunc in modum resuscitatus est.*

Non procul sylua de Tardajos & Rane, prope pontem veterem, conatus est puer oniculam immittere in aquam, sed lapsus ipse incidit adstante puero alio, circiter decem annos nato, cui nomen Petrus. Erat autem filius Sanctij de Canno. Cucurrit igitur, vt indicaret, socium esse haustum vndis. Obuiam habuit Petrum Marinum, cui retulit infelicem casum, seque credere iam esse suffocatum: rogare vt ocyus secum properaret ad locum. Venitur illuc: & Marinus ingressus est fluuium lumborum tenus, nec potuit sine præsentissimo pereundi periculo submersum eruere. Misit igitur puerum vocatum alios, qui secum instrumenta ferrent, quibus extrahi posset. Puer auolat, & incidit in Bartholomæum Diaz, loci illius incolam: cui quid acciderit, exposuit. Hic correpta è quadam domo hasta, curriculo contendit ad flumen, sed puerum mortuum, ac imo fundo hærentem deprehendit. Marinus autem exspectabat, donec venirent instructi instrumentis, quibus miserum expiscarentur. Bartholomæus interea turbidum gurgitem tentauit lancea, ac reperit cadauer, quod tamen iterum excidit. Ergo secunda vice explorat, figitque, sed prorsus nunquam educeret. O Domine S. Benedicte, dixit, tibi hunc puerum commendo, promittoque extractum ex vndis in Monasterium tuum Vallisoletum me portaturum, ac vnam noctem cum ipso ibidem acturum. Exin erutus & in ripa expositus fuit. Intumuerat vultus: protuberabant oculi, aperti illi ac arena pleni: labia duos digitos crassa erant: color pallidus. Iacuit vero bonam temporis partem, quod enim nemo tollere auderet metu iustitiæ, donec Ioannes de Cuellar præfectus, Ioannes de la Torre, & Consaluus Gil, seruus præfecti: insuper Ioannes Marinus, Sanctius de Canno, Petrus Marin, Ioannes de Ecclesia, Petrus, Petri Fernandez de Rincon famulus, ac alij multi ciues illius loci venerunt, qui forte vna fuerant, quod festum Translationis Domini S. Benedicti agerent. Dum sic puerum circumsistunt, ac Domino S. Benedicto commendant spectantque, quidam inserta manu tentauit pectus, retulitque sibi videri, cor palpitare. Sublatum igitur domum deportarunt, vbi mox cadauer plurimum aquæ effudit. Vnde spes parentibus ac cæteris affulsit, redituram ipsi vitam per merita sancti Benedicti. Ideoque vestibus spoliatum calefactis linteaminibus inuoluerunt. Dum sic stant intenti, puer commouere se incipit, ac tandem

plene

plene viuere, reuocata à Deo anima in corpus, per merita Domini sancti Benedicti. His omnibus ego Iohannes Garcia Clericus, & Parochus loci, Notarius Apostolicus, interfui, ac puerum post aliquot dies iam firmum vna cum Bartholomao Diaz, à quo vndis extractus fuit, Vallisoletū in Monasterium sancti Benedicti duxi, persoluendi voti gratia. In quorum testimonium ego Iohannes Garcia Clericus Apostolicus, Notarius publicus, per auctoritatem Apostolicam, hoc instrumentum publicum scribi curaui: & ne veniret in dubium: sigillo meo consueto muniui.

Ioannes Garcia, Notarius Apostolicus.

Alia multo plura miracula, à S. P. N. edita, mihi in promptu sunt, sed calamum cohibeo, quod malim nos filios in heroicas ipsius virtutes defigere oculos, quam quæ patrauit admiranda suspicere; præsertim cum P. Ioannes Boscus, Congregationis Cœlestinorum Monachus, post me manum tabulæ imposuerit, & Bibliothecam Floriacensem publico dederit, vbi audio lectori prolixe indulget. Quatuor enim libris miracula Floriaci, nec non in alijs Galliæ Monasterijs à S. Patriarcha patrata, ab Adrebaldo autem ac Aimonio (antiquissimis iuxtaque clarissimis Scriptoribus) ne aboletentur literis prodita, exponit, quæ cum meis composita sufficere credidi ad demonstrandum, gloriosissimum Patrem ex eorum Sanctorum numero esse, qui in Ecclesia Dei alios antecelluerunt magnitudine miraculorum. Quæ tamen in hac larga historia occurrent, non committam vt submoueam. Sæpe filijs suis fluitantibus labantibusque præsentem præstabit opem: sæpe dicata sibi Monasteria defendet.

CAPVT XI.

S. Constantinus capit clauum Montis Casini. S. Maurus cœptum iter prosequitur.

S. Benedicto succeßit sanctus Constantinus. POstquam Monachi Casini Montis nostrum Patrem S. Benedictum eodem tumulo cum sua sorore composuerunt, animum ad nouum Abbatem legendum adiecerunt. Frequentes igitur conueniunt: Constantinum ij virtutibus, quas sancta Regula inesse vult Abbati, præditum, Monasterio præficiunt. Trithemius propemodum asserit non electum, sed à sancto Benedicto fuisse designatum, cui nos ægre assentimur. *Trithem. l. 3. de Vir. illust.* Quis enim in animum inducat, sanctum Patrem tam cito suis præbuisse ansam, Caput 64. sacræ Regulæ violandi, quo sancitur, vt *hic constituatur Abbas, quem omnis concors Congregatio secundum timorem Dei; siue etiam pars, quamuis parua, Congregationis sanioris consilio elegerit.* Quod cum ratio ipsa suggerat, & lator legis sancte statuerit, Ius Canonicum sæpissime hunc in modum electiones ineundas decreuit. Quapropter non renunciauit Abbatem, sed Constantinum officio Abbatis egregie functurum indicauit, in quem tot heroicæ virtutes concesserint. Ita quoque multi alij Sancti, Religionis suorum subditorum gnari, Conuentus & Ecclesias orarunt, vt eosdem in locum Abbatis, vel sedem Episcopi attollerent.

Ducebat vitam Constantinus sine labe: ad virtutes alijs præstas exemplum: adeoque dignus erat, qui tanto Patriarchæ succederet. *Magnam propagādi Ordinis rationem habuit.* Sacros libros callebat, vt qui maxime: vt incrementum caperet Ordo, & sancta Regula diffunderetur, vehementer allaborabat. Multos tunc viros vndique præclaros Mons Casinus alebat, vt singularis præstantiæ argumentum sit, cæteris omnibus antepositum fuisse Constantinum, quem ego cum alijs magni virtutum Magistri sancti Benedicti discipulis, toto cœlo notis, dimittam, ac Mauro in Galliam hoc anno tendenti tantisper adhærebo.

Demortuo sanctissimo Patriarcha nostro, Maurus, qui semper maximæ spei fuit, præ alijs Ordinem nobilitauit, auxitque. Relictus à nobis in Monasterio S. Romani est, vbi suum Magistrum beatam animam exhalasse, cœlitus didicit. Etsi vero in delitijs poneret, facta cum Romano inire colloquia, & degere in Monasterio: agere Dominicæ Resurrectionis festa, pauci tamen dies longissima ipsi mora videbantur, & Dauidi accinebat: *Faust. vita S. Mauri.* *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationē: & requiem temporibus meis, donec inueniam locū Domino,* & condam Monasterium, in quo Numen diuinum impigre colatur. *Psal. 131.* Ergo rupta quauis mora, postridie Paschalis in viam se dedit. S. Romanus, longæuus senex, non potuit non ægre ferre discessum praeproperum. Iam enim acceperat astris illatum S. P. N. Benedictum, quocirca dulce ipsi erat frui S Mauro, qui communis Patris virtutes ad viuum exprimebat. Ergo trahit, & retentat, sed frustra: Postquam se operam perdere vidit, mei Patres & fratres, dixit, ô mei Patres & fratres, in summis mihi votis est, vltimam senectutem meam in vestra ponere societate! ac cum votis non annuat Deus, ipsi potius placere credam, vt paucas istas ouiculas custodiam. Idem benignissimus Deus vos comitetur: ac olim annis ac meritis graues in cœlum ferat, æterno præmio afficiendos.

S. Maurus iter prosequitur.

Maurus è fenis complexu extricatus, itineri se eum socijs committens, peruenit Aureliacum, vbi vehementer consternati sunt, audito Bertigranum Episcopum, à quo acciti fuerant, mortem oppetijsse, ac alium suffectum esse. Cadebant subito animis, nec quid consilij caperent, satis certi; nec hominū, nec locorum gnari, ac insuper Patrono destitut. Spes tamen S. Mauro in Deo sita, cui è re visum perculsos hac oratione erigere. Episcopum Bertigranum obijsse, nō immerito dolemus, quod excedere absque aliquo suæ Ecclesiæ detrimento non potuerit. Ad nos quantum attinet, bonum ego omen interpretor, quod tam aduersus casus in ipso nos limine excipiat. Vaticinium Patris nostri Benedicti, obsecro, vobis veniat in mentem! Tam dura, quam dulcia nobis euentura, prędixit. Itaque post tempestatem speremus solem. Nec est cur despondeamus animos, postquam suum ille uobis auxilium pollicitus est. Proinde non in aduersis, sed secundis rebus, hunc ego casum ponendum existimem. Quis porro vestrum nescit, Abrahamum paterna domo exire, & cognatis charissimis vertere terga iussum? Patrem quoque nostrum Benedictum ex vrbe Romana clam omnibus dilapsum, sine duce, sine comite in Eremum penetrasse, vbi in vnius Numinis cultū incumberet? Prior, factus à Deo pater infinitorum credentium: hic Monachorum quamplurimorum dux ab eodem Deo est designatus: nec satis compertum habeo, quis ipsi post SS. Apostolos sit antelatus. Cur igitur tam parum apud nos potest suscepta in Diuinā Maiestatem, & Magistrū nostrum confidentia? vel dicite, num Deus destituat in se sperantes? Hactenus fiducia in mortalē Episcopum collocata, bono animo eramus: & non altius uos erigat spes, in Deum immortalē concepta, cuius negotium agimus? qui licet curæ habeat omnes ac semper, citius tamen & luculentius subuenire consueuit, quando grauiora premunt mala. Hæc cū ita, accipiamus boni successus præsens omen. Episcopo namque sublato, de quo prolixam nobis promittebamus opem, à solo deinceps Deo pendebimus. His dictis animos receperunt. Harderadus indiuiduus comes, quando tam longum iter confecimus, subiecit, missi ab Episcopo demortuo, par est ut legationis nostræ rationem ei exponamus, qui hodie sedem occupat; simulque dispiciamus, quo inclinet, quoue loco res sitæ sint. Interea hic pedem figetis. Nec vltra octiduum spem vestrā trahemus. Tum vero in medium cōsultare licebit, quid factu sit opus. Post hæc magno studio habitationem illis conduxit, templo S. Petri vicinam, viamq; cum socio capessiuit. Delati in Cenomannorum vrbem, adeoq; ad nouum Episcopum, quid in mandatis à Bertigranno accepissent, & quam ex sententia rem confecissent, solide narrant. Hic Episcopus quatere caput, ac terga vertere, nolle se, dictitans, fundamentis ab alio iactis inædificare: veteres potius Ecclesias sibi cordi futuras, quam nouatum moliri. Ad illas multo se nomine teneri. Tum bona spe falsus Harderadus, auersum noui Episcopi animum S. Mauro per sobrinum significauit, orauitque, concederet Andegauum, ibique tempus duceret, donec viam ad cupita aperiret Deus. Ergo sese mouent Aureliaco decimo die postquam appulerant: quinto autem ad castellum perueniunt, quod Restim appellabant, vbi iam biduum eos sua cum familia exspectabat Harderadus. Hic S. Maurus alienum Episcopi animū intellexit, cum etiam locum Monasterio incommodū, etsi à Bertigrano designatum. Ipsum profecto loci nomē *Rumpiacum* (ita enim dicebatur) mali ominis indicium credebatur. Ideoque spes conceptas perrupit, & corrupit. Paulo tamen post, venti spirauerunt secundi.

Nouus Cenomānorum Episcopus à Mauro & socijs alienus.

Recreatum nonnihil ex itinere Maurum seducens Harderadus, mi Pater, dixit, mihi sobrinus est (appellant Florum) inter psucos Regi Theodoberto charus: diues opū: nobilitate vix vlli concedens: ingenio, vt apparet, certe religioso. Nam cum parentibus Rex ipse instituit vrsitque, vxorem vt duceret. Hæc olim prole quidē beauit maritum, ipsa tamen è viuis excessit. Meis auribus egomet vota concipientem aliquoties audiui, vt fortunas suas vertere posset in Monasterium, in quo sumpto habitu vitam ipse cum filio ageret, mundo valere iusso, quē in cute nosset; ideoque fastidiret. Hęc cum ita, eundem per certum hominem suscepti & confecti itineris nostri, nec non de capillata occasione desiderij sui explendi certiorem iam feci: sed age, visamus eius ditionē, donec tabellarius reuertat. S. Maurus iudicia Dei alta mente secum pensitans, suauiter omnia dispensantis suos circa seruos, annuit Harderado, spei plenus, hæc omnia è sententia successura. Cūm Florum lectis literis (excusso etiam nuntio) iam nihil eorum falleret, quæ ad Maurum, sociosque pertinebant, regem Theodebertum, apud quem plurimum poterat, adiuit: vota sua, & occasionem ad tem redigendi, attonito exposuit. Maiora, Flore, sunt tua, in me merita, excepit Rex, quam vt sanctissimo desiderio tuo intercedere velim. Ægre quidem mea in aula te careuero: ancoram tamen ipse tollo: potestatem è mundo in Monasterium secedendi vltro facio. Etiam hoc addo:

Faust.

S. Maurus tenet promontorium bonę spei.

addo: altero tanto mihi te posthac chariorem fore, quod videam me hactenus non fucum, sed virtutem ipsam amasse. Quocirca i cum bono Deo: saluta, bene habe nouos istos hospites: ora meo nomine, vt mihi, meis liberis, & Regno diuinum Numen propitient. Nuncia, facili me, ac sua è sententia vbique viuros, si tamen mores à fama non dissenserint. Opem quoque ac opes nouis Monasterijs struendis quam liberaliter obtul t: tam prono amne fluunt, quæ ad Dei gloriam spectant, si ipse annuet. Rex Flori amore captus erat: ille adhærebat aulæ, crescendi gratia. Coniunx ætate florens, vitam cum morte commutauerat: filius adhuc primam pueritiam agebat: fortunæ erant opimæ: curæ palatij animum perpetuo lancinabant: deserta viduitas cæteris incommodis accesserat, quibus omnibus huc illuc iactatus Florus, fastidire mundum cœpit. Casu hæc euenisse videri poterant, quæ tamen singula struxerat Numen, vt Ordini sancti Benedicti fundamenta iaceret in Gallia.

Ergo ex aula se eijcit Florus, petitque Glanofolium. Forte præcucurrit leuius, qui domini nunciaret. Aduentu Flori audito, S. Maurus & Harderadus ad portam effusi, venientem officiose præstolabantur. Ille veram effigiem virtutis videndi studio iam dudum ardens, auidos oculos vel eminus in S. Maurum coniecit, quem vt vili amictu cōtectum aduertit, se vero cultu festiuo nitentem, subactus verecundia desiluit equo; tum vix interuallum, quod inter vtrumque intercesserat, ter distinguens humi semel abiecit, ac templum Dei viui veneratus est. Prouolutum iam terrâ Maurus inrectis manibus subleuauit. Inde itum in tenaces amplexus: & fixa dulcia oscula, post quæ adeo coaluere animi, vt iam haud mulio secus quam Dauid ac Ionathas nexi viderentur. Diu hoc blandum vinculum vtrumque tenuit, cadentibus lacrymis: nec verba pressæ ab amore fauces expediebant, pectora tamen palpitantia oris munus fungebantur. Florus à sancto Mauro ad cæteros quoque se flexit, singulos saluos esse iussit, conserta deinde cum Mauro dextera, eidem oscula mille imposuit. Demum caput pronum attollens, intentis in hospitem suum oculis, pleni summus gaudio, dixit, quod Deus in hanc terram adeo eximium beneficium conferre voluerit. Nam in beneficio maximo ponimus, quod S. Patris Benedicti discipulis frui liceat, qui fama ad nos peruenit. Gratijs immortalibus hanc gratiam pensamus.

Maurus ac Florus ineunt amicitiam.

1. Reg. 18.

Nec mirum sit Florum ita diffluxisse gaudio, quando aduentus sancti Mauri in tem ipsius fuit. Nimirum in thesaurum absconditum incidit, *quem qui inuenit, vendit vniuersa quæ habet, & emit eum.* Capta per illam noctem quiete, retulit postridie, quid sibi cum Rege actum, seque totum arbitrio sancti Mauri permisit: cui iste, ex aula huc descendere, dixit, & imperio alieno se submittere, aliquid maius homine est. Verbo, donum diuinum est. Cœlum, facinus tuum pulcherrimum probat. Ne tamen erremus, lubet tuam lustrare ditionem, vt locum Monasterio ædificando à turbis remotum capiamus. Quod si porro tibi stat sententia, consulere animæ tuæ, ad Apostolicam perfectionem contendendo, & huius gratia tuas fortunas cupis dicare Deo, oportet eas te *conferre Monasterio facta solennuter donatione*, vt Regula nostra sancit: vel *erogare pauperibus*. At hoc ego maxime in optatis habeo, excepit Florus. Inde conscensis equis triduum obiuere ditionem: mox conditum testamentum fuit, cuiusmodi tabulas vltimas olim *voluntates* appellabant, etiam superstite eo, qui testes instituerat.

Matth. 13.

S. Reg. c. 58.

Florus fortunas suas se abdicat.

Ipsissimo die octennem filium Bertulphum, in tantam spem & gazam natum, Deo obtulit, rogando S. Maurum, vt eundem ad seruitium Numinis auctoraret, cederetque factum ad maiorem Dei gloriam. Acciperet puerum, vti S. Benedicto acceptus ipse fuisset puer. Cupere se suum filium non solum virtutibus imbui, veluti recentem testam, in nouo Monasterio, sed etiam alios anteire. Postremo pius Pater se quoque imposuit aræ, grata diuinæ Maiestati victima. Quippe promisit in S. Mauri potestatem se concessurum, ac Ordini nostro sacramentum dicturum, quamprimum negotia quædam, in aula nondum satis composita, expediuisset. Nam subito filum hoc incisum fuerat.

Filium Numini offert:

Seque simul.

Discessus Flori non tantum operis, nouo Monasterio incumbentibus, obicem non posuit, sed insuper vehementer promouit. Cum enim is Andegauensium Vicecomes esset, multumque per regnum posset, vndique peritos opifices exciuit: ad S. Maurum misit. Locum legerunt planum eum quidem, se à Ligeri & vicino monte interceptum, ideoque arcanum. In sinu quodam abdito, sacellum struxit sanctus Pater, idq; S. Martino sacrum esse voluit, Magistrum suum S. Benedictum imitando, qui primam Ecclesiam in monte Casino erectam, huic Cœlitidedicauit. Ibidem etiam humari voluit, eiusdem Patriarchæ exemplo.

Conditur Monasterium.

Annus Christi 544. Annus S. Benedicti 64.

CAPVT I.

Insignem Mauri sanctitatem miracula aperiunt.

S. Faustus vita S. Mauri.

S. Maurus extinctũ casu Clericum, vita imbuit.

MAgno nisu attollebatur fabrica, nec absque miraculo, vt vel tum constaret, eam ad gloriam Dei surgere, ac supremam expectare manum. Lignei arcus, & pegmata compositis tabulis erigebantur, quibus sublime educti fabri murarij insisterent, operi prosequendo. Aderat aliquando Maurus spectandi gratia; ne quod tamen momentum temporis ipsi elaberetur, manu librum tenens legebat, ac Floro aures admouenti quæ legerat, explicabat. Interea Clericus quidam, gnarus architectonices, ideoque à Floro adductus, in summa euadens, fallente vestigio effusus, subiecto lapidum cumulo afflictus est, ac viuere desijt, sanguine vndique prorumpente. Etiam alij animis ceciderunt, tristi casu perculsi: sed dum circumspiciunt sicubi opportunus esset locus condendo cadaueri, in mandatis dedit Maurus, vt ad fores sacelli S. Martini tantisper deportarent exanime cadauer: is vero secedens, Numen in vota vocauit solo porrectus: precibus fluminique lachrymarum singultus miscuit. His fere arietibus euerberauit cœlum, quoties opem extra ordinem flagitabat. Perfunctus oratione, pedetentim se tulit ad fractum cadauer, & Langise, dixit, (Clericum nomine ciens, simulque crucem vngue describens) Langise, in nomine Dei, qui corpus hominis formauit de puluere terræ, eique animam ac vitam dedit, surge: surge; opus perfice. Ad illius enim gloriam est. Clericus sensim sese erexit; tum quasi profundo somno sepultus fuisset, conniuentes oculos circumquaque tulit, identidem rogitans, quandonam, quoue casu ad illas fores depositus fuisset? Non tuis pedibus, sed alienis manibus huc venisti, subiecit sanctus Maurus: sed age te ad opus, ne moram propter te patiatur. Florus hæc eminus hucusque hauriebat oculis cum S. Simplicio, iam autem miraculi magnitudine incitatus, procurrit, seq; ad pedes sancti Mauri abijciens, O Pater, exclamauit, tenera appares S. Benedicti filium te ac discipulum esse. Talia enim eum facere solitum, audiuimus. Etiam alia adiecit, quæ nos prætermittimus. Inde vero tanti semper sanctum Patrem fecit, vt nunquam propius admouere se auderet, quod metu aliquo & reuerentia coërceretur. Ita sacra inuitare, simulque nos prohibere con-suenerunt. Necessitas impellit, repellit reuerentia.

Proscinditur maledictis.

Vt omnium linguas meruerit hocce miracolum, fuerunt tamé ex operarijs, qui maledictis differrent. Videlicet, Maurum ex Italia venisse, cupiditatis explendæ, ac vanæ auræ apud exteros captandæ gratia, ob miracula, quæ patraret. Pepigisse virum cum diabolo: fraudibus adhibere incantamenta. Multis horrendisque sceleribus quotidie appetitur bonus Deus, ac patitur. At si quis amicos ipsius adoriatur, vt ludibrio habeat, graues plerumque pœnas luit. Necdum maledicendi finem fecerant miseri, cum dæmon Iusti Numinis lictor atque carnifex, Flodegiso (hoc infelici nomen erat) subito compressis faucibus animam elisit: duos alios autem in eam rabiem egit, vt dentibus sua ipsi membra inuaderent: manus mordicus lacesserent: etiam linguas in frusta carperent. S. Maurum pereuntium misertum est. Iterum Diui Martini sacellum subiuit; nec alias plus lachrymarum & precum miraculis edendis impendit.

Maledici puniuntur.

Etenim horis non minus tribus iratum Numen bona verba, & oculorum imbrea promendo, exorare nisus est quasi obstinate: perinde quam si cœlo responsum redderetur, vt olim Samueli factum: *non te contempserunt, sed me.* Diuinæ nihilominus misericordiæ pergnarus; quodam insuper cœlesti nutu inductus (vt euenit Sanctis miranda edituris) prosilit ad infessos cacodæmone; terque crucem formans, Iesvs *Christus,* dixit, *filius Dei, qui suis discipulis potestatem dedit tollendi serpentes, calcandi scorpiones, & omnem vim inimici euertendi, vos hoc tormento diaboli liberare dignetur.* At cœlo surdo verba fecit vir sanctus: nihil promouit: adeo difficulter flectitur Numen vt contumelias remittat, in quempiam seruorum suorum iactas. Verum insequendi pertinacia, capit fetam: vultque Deus amicos suos perdurare orando, ac sperando. Conserit manum cum dæmonibus S. Maurus, vt olim Dauid cum leone, quem rictu immane diducto sustulit. Enimuero digitos in obsessorum ora inseruit; illi sine mora ingenti tumultu foras proruperunt, imperio morem gerere compulsi. Hospitio deserto, aërem grauι fœtore corruperunt. Scilicet ne Arabiam apud orcum esse putares. Iam autem oppidum aliud Mauro expugnandum supererat. Tertius enim horum vita omnino exciderat. Casus autem Deo reseruatus est, mortuos in vitam restituere: nec adeo liberalis hic esse solet. Accedit, hac gratia Maurum paulo ante donatum fuisse, cum lucem impetrasset extincto Clerico. Vnde merito

1. Reg. 8.

Marc. vlt.

1. Reg. 17.

Venia & salute donantur.

tergum versabat. Postremo stetit sententia, periculum facere, iterumq; adoriri clementissimum Deum, ac supplicem fieri, vt Flodegisum vellet viuere, quem sua causa ita grauem pœnam dedisse, plurimum dolebat. Igitur noctem insomnem transegit luctando cum Numine haud secus, quam Iacob Patriarcha cum Angelo. Primo mane accersiuit Simplicium, itineris socium: vt sacrum faceret pro demortuo, iussit. Dictum, factū. Sumpta iam diuina hostia, ambo se ad exanime cadauer contulerunt, vbi sanctus Maurus, *Domine*, dixit; *Domine, qui Lazarum quatriduanum resuscitasti, & per preces Elia vitam filio vidua reddidisti, exaudi orationes & lachrymas serui tui cum consueta misericordia tua, & animam in hoc corpus reuerti manda, quam dæmon expulit.* Hic confestim cadauer vltro sese intendere: longas oscitationes ducere: oculos aperire atque voluere: ad summam, viuere. Mox suggessit Maurus, illinc se auferret: alias terras peteret: quid se factum esset, silentio premeret: aliter vita secundo priuatum iri. Nec vito Dei causa fuit alia, quam insita humilitas. Timeuit Sancti superbiam: timent vanam gloriam, etiam subacto animose toto mundo, & triumphato diabolo. Ante id multū terræ obiuerat S. Maurus, celebri nomine vbique parto: ista miracula tamen ita singularia, ita raro quauis ætate visa vel audita, breui temporis spatio per omnes eum prouincias insignem fecerunt, ac notum, vt si quando in publicum prodijsset, aut aliquo concessisset, intento digito monstraretur. Hunc in modum benignissimus Deus Ordini nondum adulto beneuolentiam cum auctoritate conciliauit.

Genes. 32.

CAPVT II.

Florus aulam exuit, & Monachum induit, inspectante Rege Theodoberto.

Faust. vita S. Mauri.

Avlæ iam impatiens erat Florus: curas sæculares ex animo penitus exigere cupiebat. Quippe non sic ferrum magnete imbutum auide in Septentrionem se conuertit, vt anima de cœlo tacta in Deum rapitur, donec terram vsq; ad tenuem puluisculum excusserit, seque suo Conditori intime coninnxerit. Voluptates, gaudia, aloë ac tormenta putat. Non ad stomachum amici faciunt dies vnus, annus est: quicquid mūdum olet, nauseam mouet. Hinc Florus secedendi ex aula copiam poposcit Regem. Momordit Regis animum petitio: imperauit, paucos dies adhuc in aula duceret, vt de quibusdam rebus ab eo doceretur. Præter alia, quodnam vitæ institutum esset horum Monachorum? rogauit: quem numerum explerent? an bene inter ipsos conueniret? ac alia quæ huc spectant. Facile sensit Florus, Regē incensum desiderio videndi Mauri: cupere insuper adesse, dum ipse, posito nitenti ac diuite cultu, vilem cucullum sumeret. Aula excedentem magna nobilium appendix in Monasterium vsque sequuta fuit, vbi S. Mauro desiderium Theodoberti exposuerunt. Is, vt erat comitate plenus, inter maxima beneficia Regis præsentiam se habiturum, respondit.

Florus missionē ex aula petit.

A Rege accipit.

Igitur Theodobertus in viam se dat stipante aula. Aduentantem S. Maurus cum suis Monachis (quadraginta amplius tum numerabat) sese ad fores templi obuiam effundens, submisso capite ac animo accepit: deinde gratias humanitati infinitas egit. Hoc vero admiratione dignum est, Theodobertum corona, sceptro, regio paludamento fulgentem, maiestatis oblitū, tractis per terram vestibus, ad vestigia S. Mauri procubuisse: vt Numen pro se interpellaret, supplicem rogasse. Non se cohibuit Pater, quin iacentem ocyus attolleret; qui necdum satur aspectu, Fama S. Benedicti, inquit, tam dudum hæc regna adijt, vnde non absque summo gaudio discipulos video, ipsi, vt appatet, simillimos. Nisi omnia me fallant, Deo faciente, bene de Francia merebuntur. Cum porro nosse vellet, quos ex Italia secum adduxisset, sanctus Maurus ab alijs secedere iussit. Rex singulos auidis obiuit oculis, quod nomen cuique esset, vnumquemq; rogauit. Mox salutauit omnes ore tenus, etiam nuper admissos. In oculos inciderat Bertulphus admodum puer, ideoque mouetat sui admirationem, quem Rex, audito gnatum esse Flori, ad se trahens, pectori appressit: sancto Mauro etiam atq; etiam commēdauit. Cellas postea frequentans, à commoda structura laudauit: inde in templum, S. Petro dedicatū, se tetulit. Proprium hoc primorum Monachorum in Hispanis, Anglia, Germania, ac alibi gentium fuit, primas Ecclesias huic Diuo consecrare. Idem ergo factum in Gallia. Semper enim Monachi S. Benedicti Ecclesiæ Romanæ ita studuerunt, vt eius filios singulares esse apparuerit. Hac de causa, prima vbiuis locorum templa Principi Apostolorum posuerunt. In ista proinde S. Petri Basilica Theodobertus fiscum regium, qui Boscus appellabatur, cum omnibus villis atque reditibus donauit nouo Monasterio; Ansibaldum vero omnia referre iussit in tabulas, in modum testamenti, vt regio eas signo contra iniurias temporum, hominumq; muniret. Idem robur litteris Flori, quibus fortunas suas Glanofolio transcripserat, adhibe

Theodobertus rex S. Maurū ac socios amplexatur, fouet, osculatur.

Facultatibus auget Monasterium.

habitum. Hoc autem ætatis tam in Francia quam Hispania mos obtinebat, huiusmodi donationum tabulas appellare testamenta, quamuis qui condidissent, adhuc in viuis essent; vt omnes intelligerent, quam ratas eas haberi vellent scripturas: quanto animo, quanta pietate fortunas suas transtulissent in Monasteria, alendis seruis Dei: denique ne vnquam locus daretur mutationi, litteris huiusmodi violatis, quemadmodum nec vltimæ voluntates mutari possent, vita defunctorum. Magis tamen hoc nominis conuenit in donatione, qua rem Monasterio confert Nouitius Monachus, Religionis vota nuncupaturus. Dum enim nuntium mittit mundo, deinceps victurus soli Deo, aliquo pacto moritur. Non satis Regi fuit, hisce duobus beneficijs affecisse Cœnobium, sed insuper ad summam aram progressus, maximi pretij pallium ì auro conflatam crucem ac gemmis vndique distinctam, imposuit. Præterea copiam adeundi Mauro fecit, quoties cunque libuisset, id quod in magna beneuolentia deputandum erat. Mos enim Regum Galliæ antiquorum ferebat, publico abstinere, & facili accessu neutiquam maiestatem prodere. Etiam pro fratre recipi, & albo Religiosorum illius Monasterij inseri postulauit, quando reuera animo talis esset. Vltimo, filium Theobaldum commendauit S. Mauro, vt hic commendaret Deo; pietatemque vultu ferens, Tu vero gnate, dixit, venerare hunc religiosum cœtum: ama, defende hos Patres. Circumfusa multitudo in gaudium euecta, vehementer probauit Regis sui virtutem: non enim solos rapiunt oculos Principum exempla, sed præterea animos quoq; capiunt, & voluntatem trahunt.

Monachorum Albo nomen suum indi rogat.

Posthæc consedit Rex cinctus Palatinis. In Florum omnes erant conuersi, mundo amicitiam penitus penitusque renunciantem præsente Diuino Numine, ac vestes auro ditites eum funebri sacco commutantem, quo olim post longa ieiunia, paupertatem, obedientiam, solitudinem, perpetuam orationem ac pœnitentiam inuoluendus esset; quo spectaculo mire tenebantur. Spectaculo, inquam, quando D. Hieronymus de amico suo Bonoso mentionem injiciens, omnibus miraculis tam Græcorum, quam Latinorum silentium imperat, quod maius longe sit opus, hominem vnum, qui peccatis affinem se fecit, ad frugem renocari à Deo, quam cœlum & terram condi. Huiusmodi vero actus heroici, gratiæ singulari debentur, vt merito S. Bernhardus *Legi*, dixerit, *Non multos nobiles, non multos sapientes, non multos potentes elegit Deus; at nunc præter Regulam mira Dei potentia talium conuertitur multitudo.*

S. Hieron. tom. 2. ad Rufin.

S. Bern. ep. 109.

Velesicu gloria prasens: iuuentutis flos conculcatur: non reputatur generositas: sapientia mundi stultitia iudicatur: non acquiescitur carni & sanguini: parentum & charorum affectibus: fauores & honores, & dignitates reputantur vt stercora, vt Christus lucrifiat. Ergo nil mirum fecit potentissimus Rex, si videri voluit id, quod suis oculis nunquam vsurpauerit mundus; & quidem ea ætate, qua lex Euangelica peruulgata haud erat. Porro Florus non modo prædia, terras, & hoc genus possessionis omnes contulit Monasterio, sed insuper aurum, argentum, gemmas, & quicquid acus Attica potest, adiecit, in templi ornamentum. Viginti seruos manu misit, donatos prius quo vitam commode tolerarent. Cum enim ipse mundi seruituti exijsset, nefas putabat mancipia sua non asserere in libertatem. Quicquid vero hucusque dederat, alienum videri poterat, insidijs mortis aliquando excipiendum. Debebat igitur se quoque mancipare Monasterio. Quapropter aram ante sacrā posuit pallium: exemptum è vagina gladium: balteum: insignia militiæ, cœlo dedicauit. Inde in genua sese deposuit, qui cœlo in coronam capellamento, S. Petri exemplum, & maiorum institutum expleuit. Imo Rex etiam, rogatu Mauri, correpta forfice partem abscidit. Idem fecerunt, qui inter Palatinos eminebant. At Theodobertus vltimum beneficium in Florum collaturus, nepotem ex fratre in eius locum sufficit. Ille iam ad Ordinem S. Benedicti auctoratus, è conspectu se cum Conuentu abstulit, nonnullis inuidentibus: omnibus admiratione suspensis.

Florus Monachū profitetur

Maurus, qui tam prolixe iniuerat Regis gratiam, eundē inuitauit in triclinium, quasi reliquam fabricam iam omnem vidisset. Sequitur Theodebertus: pedem pede premit, mox relaturus, & discessurus. Vix bene in locum penetrauerat, cum ecce vir Dei corpus humi prosternit: ad Regis vestigia procubiturus: quod vbi hic animaduertit, manum iniecit, se petitionis compotem factorum pollicitus, modo quid fieri vellet, exponeret: cui Maurus, Oro, dixit, vt cæteris beneficijs, quæ apud nos hodie collocasti, hanc mantissam adijcias, quos appar auimus cibos, sumere velis. Excusanti Regi, Ebbo à consilijs intercessit: annuetet rogātibus: quippe amicos esse Dei: ideo vereri sese, ne ipse quoque à Numine aliquando repulsam ferat, si quid petat. Prudenter dictū; quandoquidem Deus eum seruis suis honorem haber, vt seu bene seu male illis facias, ipse soluat. Hisce adduci se permisit, vt discumberet in Monachorū triclinio. Exempta

Rex cum Monachis prandet.

fame,

fame, quamuis tenui menſa, acciri iuſſit Florum, extremum vale ei dicturus. Vocatur: venit: adeſt Florus, quem vt Rex cultu Monaſtico amictum vidit, caput denudans, Gratias ago Numini, dixit, quod religioſo te habitu induium conſpiciam. Cum adhuc pars meæ aulæ non vltima eſſes, ſedulam mihi operam nauaſti: Par eſt idem te facere, ac amplius quoque, poſtquam te Numinis familiæ inſeruiſti.

S. Maurus iacentem paralyticũ erigit.

Altero die profectionem ſuſcepit Maurus, vt ſuis oculis luſtraret oppidum, fortunasque alias, quibus Rex donauerat Monaſterium. Non fefellit aduentus eius iocolas, qui paralyticum ipſi obtulerunt, ſeptem annis omnibus membris captum, cui vir ſanctus ducta cruce ocyus incolumitatem impertiuit. Adeo iam nullo fere negotio miracula patrabat. Capta poſſeſſione, poſt biduum reuertir in Monaſterium, vbi quod in rem ſubditorum erat, diligentiſſime præſtitit, innumeris exemplis illos ad virtutem impellendo: conciones habendo: rudes publice priuatimque inſtituendo: nec ſurdis cecinit fabulam. Vnde Angeli, non homines in eo Monaſterio colere videbantur.

Hoc pacto magnus Ordini honos, magna auctoritas parta fuit. Quocirca filij principum, procerum, nobilium, ceterarum nomina dedere. Multi parentum maiorem in modum orarunt Maurum, vt paruos ſuos liberos in Monaſterij ſinum admitteret, ibidem educendos, quod tum conſuetudo ferebat. Cœtus fauente Numine, viginti ſex annorum ſpatio adeo fuit auctus, vt centũ & quadraginta numerarentur. Par fortunis erat numerus, indice S. Mauro, qui etiam lege cauit, ne quiſquam Abbatum deinceps pauciores aleret: nec numero adijceret. Culpa enim grauis haud vacaturum credidit eum, qui excluderet, quibus alendis ſufficerent Monaſterij facultates: nec alterum fore immunem, qui multitudine obrueret, vt ſubacti neceſſitate Monachi cogerentur cellis relictis rem foris quærere. Qui igitur fores pulſabant, ſtato numero iam expleto, in alia Cœnobia dimittebantur. Ipſo enim ſuperſtite, multa per Galliam fundata fuerant, in quibus annos quadraginta & aliquot dies exegit. Primis octo ſtruxit Glanofolium, atque

Ædificat Glanofolium.

ſupremam ei manum impoſuit, vbi Abbatis munus obiuit. Nonnulli Andegauenſe nuncupant, quod Andegano vicinum ſit, cuius Epiſcopus Eutropius templum, quod turris quadratæ ſpeciem præbens, ingredientes excipiebat, S. Michaëli: alterum minus S. Seuerino: tertium S. Martino: quartum vero, quod magnitudine cætera anteibat, S. Petro conſecrauit. Vltimum hoc chorum præſtabat, nunquam vacuum. Nam Monachis diuinæ laudes totas dies, noctesque in ore erant. Tantum officinarum erat, quantum ſufficeret ita copioſo Conuentui. Suppellex mediocris, Religioſos decens: Eccleſia tamen fulgebat, etiam à ſolo Floro diues.

Quãplurimi pulſant iam ſanctas fores.

Atqui Sanctitas, quo nomine Monaſteriũ vere celebrabatur, præ quauis gaza habebatur. Quocirca homines ſanguine illuſtres aduolabant, & cum mundo amicitiam renuntiaſſent, pertinaciter in hoc Monaſterium penetrare conabantur. Tantum potuit pulcherrimum facinus Flori. Virtus quidem etſi in quauis anima ſedem figat, plebeiam tamen nobili poſtponit: in hac altiores radices agit: oculos intuentium magis perſtringit. Ita Smaragdus auro puto puto imponi cupit. Si in humiles cellas ſe remoueant qui ab alto ſtẽmate ducunt genus, nemo non ſuſpendit frontem, demiratur, laudat; gaudet, prurienti pede ſequi geſtit; atque tales non ſoli eunt, ſed longam appendicem trahunt. Quapropter Florus ſuo de Monaſterio vel hoc maxime bene meritus eſt, quod viam ad illud aperuerit, quam poſtea tanta nobilium turba triuit. Nec à Numine indonatus abiuit. Ad magnam enim ſanctitatem euectus, decennium ſuperuixit, & ix. Cal. Octobris, mire compoſitus, egit animam, cœlo deinceps gauiſuram. Antequam vitæ filum ipſi incidiſſent fata, Theodobertus inductus amore viri, ſummis beneficijs Monaſterium obruit, quæ Numen ipſi maniſeſto & ad vnguem cõpenſauit. Etſi enim florente iuuenta à recta ſubinde deflecteret, hortatu tamen S. Nicetij Treuirenſis Epiſcopi, & familiari vſu S. Mauri multa emendauit. Nam habenas regni adduxit vel laxauit ex æquo & bono: Ordini Eccleſiaſtico quæ oportebat, indulſit. Quocirca prolixe eum Gregorius Turonenſis laudat, quod omnibus virtutibus fuerit preclare præditus: quod iuſtitiæ apprime ſtuduerit: Sacerdotes reueritus ſit: pauperibus opem tulerit. Vt paucis abſoluam, omnibus benefecit: beneficia dulci comitate condiuit. Etiam Concilium Aruernenſe extollit egregium Regem, quod oppreſſam à Patre ſuo Theodorico Eccleſiam, vindicarit in libertatem. Ita Bonus Deus præmia etiamnum luce fruentibus perſoluit, qui de Templis, Monaſterijs, Religionibus, bene ſunt meriti. At nunc pedem referamus in Italiam, viſendi ſtudio, quas res agant alij Diui Benedicti diſcipuli.

Gregor. Turon l.3. c.25. de Geſt. Fran.

Concil. Aruernum tẽp. Theodeberti celebr.

***

Annvs Christi 545. Annvs S. Benedicti 65.

CAPVT I.

Gordianus Conſtantino Abbati Caſinenſi epiſtolam mittit. Multi S. Benedicti diſcipuli in theatrum producuntur.

ERe facturum me credidi, ſi hoc loco epiſtolam recitarem, circa annũ quingenteſimum quadrageſimũ quintum à Gordiano, Cõſtantinopoli tunc temporis agente, ac vitam S. Placidi lucubrante, Conſtantino Caſinenſi Abbati (à glorioſo Patre noſtro proximo) miſſam. Appendix Leonis Oſtienſis totam exponit: tu à me ſummam cape.

Gordianus litteras mittit Caſinum.

Reuerendiſſimo Patri Conſtantino Abbati, & fratribus ac ſocijs, Simplicio, Gregorio, Vitali, Theodoro, Specioſo, Bonoſo, Valentiniano, Feliciſſimo, Probo, Seuero, Honorato, Aquino, Peregrino, Auguſtino, omnibusq; Monachis Caſini Montis, Gordianus peccator, diſcipulus S. Benedicti, & per eius mandatum ſocius quondam S. Placidi.

Etſi epiſtolam Mauri, qui Dei voluntate, nec non Magiſtri noſtri S. Benedicti imperio, in Gallia hodie rem agit, tardius acceperim, incredibili nihilominus lætitia me affecit. Neque alterius poſt S. Placidum litteras, mandato noſtri Patris ſcriptas, pluris ego facturus fuiſſem. Ipſi proinde, quantumuis longiſſime abſenti, ac vobis quoque ſummas ago gratias, quod mei non modo memores ſitis, verumetiam me Numini commendetis. Cæterum quod in Siciliam reuerti iubeor, pro certo habetote in me moram fore vllam. Atqui nauis & venti expectandi erunt. In præſens id ago, vt vitam ac martyrium S. Placidi litteris Græcis memoria prodam, quod negotium mihi Imperator dedit. Itaque primo quoque tempore in viam me dabo, quod præter obedientiam alas mihi Monaſterium ipſum addat, iam olim quidem pro paradiſo à me habitum, nunc autem multo magis, poſtquam lapidibus ita precioſis ſtratum fuit, cœpitque in eo fons vitæ ebullire perennis. Nolo tamen, vt quiſquam Caſinum Montem poſtponere me putet. Quin potius profiteor, in duobus iſtis Monaſterijs, inq; Sanctis Benedicto atque Placido ſpem mihi & rem omnem ſitam eſſe. Cura mihi denique erit, vt vos de mea in Siciliam profectione quam diligentiſſime faciam certiores.

Alteras litteras dat in Siciliam.

Nactus deinde latorem, epiſtolam aliam ad Meſſallinum, Tertulli & S. Placidi amicum, atque ad Pompeium Tilium, præfectum poſſeſſionum Monaſterij, dedit, qua vehementer vtrumque rogat, vt S. Placidi ſepulchrum inuiſere, ſeq; triumphanti Martyri commendare velint. Porro, ex imperio maiorum rediturum ſe in Siciliam: quod ſi properanti iniiceretur mora, ipſi tamen officium facerent in Monaſterium, veluti ſancto Benedicto multum deuincti. Hinc apparet nexus, quo Monaſterium S. Iohannis Monti Caſino, ceu filia matri, iuncta fuit, vt ab hoc etiam regeretur, quod non cum omnibus Monaſterijs tum erectis viſitur. Sat fuerit in præſens, te non fugere, haud omnia Monaſteria, quæ fundabantur, Monti Caſino fuiſſe ſubdita: Meſſanenſe tamen ob cauſas ſingulares, filiæ loco olim habitam. Meminit epiſtola Gordiani quorundam S. Benedicti diſcipulorum, qui tunc temporis vitam in Monte Caſino ducebant. Iuuat hos, & alios, quos ipſe præterit, tantum obiter oſtẽdere, alibi prolixius oculis ſubijciendos.

Diſcipuli S. Benedicti fuere. S. Simplicius. S. Vitalis. S. Bonitus. S. Valentinianus.

Simplicius, Vitalis, & Bonitus, quos primo loco ponit Gordianus, poſt S. P. N. Benedictum & Conſtantinum, Abbatis munus obiuerunt. Valentinianus, æque Sanctus, poſt illos quidem ad clauum ſedit, ſed in Monaſterio Lateranenſi, vbi multis annis rebus præfuit, eo quod Longobardi Montem Caſinum ſurſum deorſum vertiſſent. Mentionem eius D. Gregorius facit, nimirum: *Venerabilis viri Benedicti omnia geſta non didici, ſed pauca quæ narro, quatuor diſcipulis eius referentibus didici: Conſtantino ſcilicet, reuerendiſſimo valde viro, qui ei in Monaſterij regimine ſucceſſit.* Valentiniano, qui annis multis Lateranenſi Monaſterio præfuit.

D. Gregor. prol in 2. l. Dial.

S. Gregor.

Gregorius, quem ſalutat Gordianus, non ille magnus eſt, in faſtigium Pontificium euectus. Hic enim in Monaſterio S. Andreæ, Romæ ſito, monachum induerat: alter vero, præſtanti etiam ſanctitate, Monte Caſinum coluerat, quẽ Petrus Diaconus à Tarracina, nobili vrbe, magnis honoribus affici ſcripſit, veluti miraculis clarũ. Nobis perſuademus, eum eſſe hunc Gregoriũ, de quo Magnus ille memorat, vidiſſe animã fratris ſui Specioſi, vinculis corporis abſolutã, ad aſtra ſubuehi. Sed Magnus rẽ nobis ſuis verbis aperiat. *Duo nobiles viri, atque exterioribus ſtudijs eruditi, germani fratres, quorum vnus Specioſus, alter Gregorius dicebatur, eius ſe Regula in ſancta conuerſatione tradiderunt: quos idem Pater venerabilis in Monaſterio quod iuxta Tarracinenſem vrbem conſtruxerat, fecit habitare. Qui multas quidem pecunias in hoc mundo poſſederant, ſed cuncta pauperibus, pro animarum ſuarum redemptione, largiti ſunt & in eodem Monaſterio permanſerunt:*

Pet. Diac. l. 8.

D. Gregor. l. 4. dial. c. 8.

S. Specioſus.

quo-

quorum vnus, scilicet Speciosus, dum pro vtilitate Monasterij iuxta Capuanam vrbem missus fuisset, die quadam frater eius Gregorius cum fratribus ad mensam sedens, atque cenoscens, per spiritum sublenatus aspexit & vidit Speciosi germani sui animam iam longe à se positi, de corpore exire: quod mox fratribus indicauit, & cucurrit, iamque eundem fratrem suum sepultum reperit, quem hera, ea, qua viderat, exijsse de corpore inuenit. In Catalogo Abbatum Lateranensium locum tertium obtinet S. Gregorius. Forcasse hic ipse S. Speciosi frater, in hæc tempora produxit vitam, vti etiam Theodorus, æque S. Benedicti discipulus.

S. Theodorus. Abbatem hic in Monasterio Lateranensi quartum egit, eximie sanctus, & etiamnum superstes Fausto è Gallia reuertente: nec alij longius è discipulis, erepto glorioso Patre N. S. Benedicto, in humanis fuerunt, quam isti duo. Feruntur enim annum attigisse sexcentesimum octauom, quod singulare Opt. Max. Dei beneficium fuit. Quemadmodom enim primi mortalium in longum æuum extenderunt annos, Numine id agente, vt hominum genus tanto citius augeretur: ita quibusdam è nostris largam indulsit vitam, vt supecessent oculati testes admirandorum operum, quæ patrarat sanctus Benedictus: vnde recens excitata Religio quam maximom caperet incrementum.

S. Honoratus. Honoratus in primo S. Benedicti monasterio Sublacensi clauum tenuerat: à quo D. Gregorius gloriosi Patriarchæ vitam & miracula se accepisse, ait, vti à tribus alijs, Constantino, Valentiniano, Simplicio.

Pet. Diac. de Sanct. Montis Casini c. 5. S. Felicissimus. Felicissimus (quem Petrus Diaconus inter Sanctos numerat) S. Mauri cognatus, & illustri Aniciorum domo ortus fuit, per quem S. P. N. Benedictus suam mortem paulo ante, quam excederet, Mauro significauit. Paucis annis post S. Benedictum è viuis abijt, vel hoc nomine Felicissimus, quod breui tempore eos in virtutibus fecerit progressus, vt quodam compendio ad suum peruenerit ducem.

S. Augustinus. Etiam S. Augustinus, quem Gordianus epistolæ suæ inseruit, è discipulis S. Benedicti fuit, qui cum S. Paulino præclaro socio, circa annum partæ salutis millesimum centesimum tertium, fauente cœlo inuentus fuit, cum Mons Casinus S. Stephano sacellum moliretur. Luce cuiuque dignissima ossa Deus miraculo detexit, quod Petrus Diaconus recenset. (Pet. Diac. l. 4. c. 24.) Videlicet cum Paulini & Augustini, discipulorum sancti Benedicti, nec non aliorum duorum condiscipulorum corpora fuissent reperta, ecce tibi, energumenus quidem sublata sępeq; repita voce, *Paulinus & Augustinus*, clamauit, *discipuli Benedicti, cum duobus socijs huc me miserunt.* Dum is hoc carmine sine fine intendit guttur, sanguinem & dæmonem simul effudit. Hæc autem sacra ossa Oderisius, Montis Casini Abbas, loco splendidiore collocauit.

CAPVT II.

Producuntur alij S. P. N. Benedicti discipuli, magna Ordinis sacri nomina & lumina.

HIsce annis, virtutem Monachi etiam alij, S. P. N. discipuli, fatigabant, quos Gordianus silentio inuoluit, quod forsan domo abessent, vel admodũ iuuenes essent. Eos ego non multis equidem referam, cum id solum hic agam, vt passim constet, quinam è schola sanctissimi Patris prodierint, & vel hac causa maximi fiant.

S. Antoninus, S. Herculanus, Dionysius Exiguus, Cassiodorus. Sunt autem S. Antoninus Abbas Surrentinus, cuius festum Ecclesia XVI. Cal. Martij celebrat. S. Herculanus, Episcopus Perusinus, cuius Martyrium anno sequenti recensebo. Dionysius Exiguus, Ecclesiastici Computi inuentor. Magnus Cassiodorus, sæculi sui Magister, omnibus deinceps sæculis laudatus. Hoc tempore Sancti isti colebant in Italia, præter SS Maurum, Faustum, Romanum; & quosdam alios, qui tum Galliam imbuebant; sed in suum locum sunt differendi.

Nefas tamen fuerit duos discipulos sancti Benedicti hic præterire, qui sese in Eremitoria submouerant. Mihi enim consilium fuit, omnes condiscipulos in hunc annum adducere, etiam in deserto latitantes, quo viuente S. Benedicto frequẽter secedere solebant. (Benedictus iunior.) Vnum, Benedictum iuniorem appellabant, insigni sanctitate virum, quam Deus miraculo fere inaudito testatam fecit. Sed eius narrandi Gregorius magnus capiat prouinciam. (D. Gregor. l. 3. Dial. c. 18.)

Fuit quidam in Campania partibus intra quadragesimum Romanæ vrbis milliarium, nomine Benedictus, qui quidem ætate iuuenis, sed moribus grandæuus, & in sancta Conuersationis Regula se fortiter stringens. quem Totilæ regis tempore cum Gothi reperissent, hunc incendere cum sua cella moliti sunt. (Nihil in hunc ausus est ignis.) *Ignem namque posuerunt, sed in circuitu arserunt omnia, Cella vero illius igne cõburi non potuit. Quod videntes Gothi, magisque sæuientes, atq; hunc e suo habitaculo trahentes, non longe aspexerunt succensum clibanum, qui coquendis panibus parabatur, eumque in illum proiecerunt. clibanumque clauserunt. Sed die altero ita illæsus inuentus est, vt nõ solum eius caro ab ignibus. sed neque extrema vllo modo cremarentur.* An Deus exemplar veteris miraculi edere voluit, quo tres pueros Babylone in (Daniel. 3.)

ne in fornacem flammis vndantem, coniectos, iocolumes ac saluos præstitit, adeo, vt ignis edax nec vestes inuadere, nec capillos vel minimum lambere ausus sit?

Eremiticam insuper vitam hac ætate sectabatur alius in Campania, quem nonnulli Martinum, D. Gregorius vero Martium appellat, cui parum fuit, viam alijs communem terere, ideoque facinore nouo cæteros antecessit. *Nam cum primum se in Montem Marsicum contulit*, inquit Gregorius Magnus, *necdum clauso specu habitaret, catena sibi ferrea pedem ligauit, eamq́, saxo ex parte altera affixit, ne ei vltra liceret progredi, quã catena eiusdem quantitas tendebatur. Quod vir vitæ venerabilis Benedictus audiens, ei per discipulum suum mandare curauit: Si seruus Dei es, non te teneat catena ferri, sed catena Christi. Ad quam vocem Martius protinus eandem compedem soluit: sed nunquam postmodum solutum extendit pedem vltra locum, quo hunc tenere ligatum consueuerat: atq́, in tanto se spatio sine catena coërcuit, in quanto & antea ligatus mansit.* Hanc sui ipsius circumscriptionem probari Deo, multis miraculis constitit. *Certe ex petra eadem, quæ in semetipsa concaua, angustum specum fecerat,* **aqua stilla** *prorupit, quæ Martio Dei famulo, in vsu quotidiano sufficeret, nec plus adesset, nec necessitati deesset. Qua in re ostendit Omnipotens Deus, quantam famuli sui curam gereret, cui vetusto miraculo potum in solitudine, ex petra duritia ministraret. Sed antiquus hostis, humani generis inimicus, eius virtutibus inuidens, hunc vsitata arte pellere ex eo specu molitus est. Nam amicam sibi bestiam, serpentem scilicet, ingressus, hunc ab eadem habitatione eijcere, facto terrore conatus est. Cœpit etenim serpens in speluncam venire solus cum solo, eoque orante se ante illum sternere: & cum cubante pariter cubare. Sed vir sanctus omnino imperterritus, eius ori manum, vel pedem extendebat dicens: si licentiam accepisti vt feriat, ego non prohibeo. Cumq́, hoc quotidie per triennium gereretur, die quadam antiquus hostis, tanta hac eius fortitudine victus, infremuit, seque per deuexum latus montis in præcipitium serpens dedit, omniaque arbusta loci illius flamma ex se exeunte, concremauit.*

Præterea vir iste venerabilis inclusionis suæ tempore primo decreuerat, vt vltra mulierem non videret, non quia aspernabatur sexum, sed ex contemplata specie tentationis incurrere metuebat vitium. Quod quadam mulier audiens, audacter ascendit montem, atque ad eius specum impudenter prorupit. At ille paulo longius intuens, & venientis ad se muliebria indumenta conspiciens, sese in orationem dedit: in terram faciem depressit, & eousque prostratus iacuit, quo impudens mulier a fenestra cellula fatigata recederet, qua die eadem mox vt de monte descendit, vitam finiuit, vt ex morte eius sententia daretur intelligi, quia valde Omnipotenti Deo displicuit, quod eius famulum ausu improbo cõtristauit. Sed voluptati est, etiam alia tria miracula à Gregorio Magno accipere.

Cum multi religiosa voce concurrerent, atq́, arcta esset semita, quæ in deuexo montis latere ad eius cellulam properantes ducebat, puer paruulus incaute gradiens ex eodem monte cecidit, & vsque ad vallem corruit, quæ sub monte eodem sita, quasi ex profundo conspicitur. In loco quippe eodem tanta mons ipse altitudine excreuit, vt arbusta ingentia, quæ ex eadem valle prodeunt, ex monte aspicientibus quasi fruteta esse videantur. Perturbati itaque sunt cuncti, qui veniebant, summaq́, cura quæsitum est, sicubi corpus elapsi pueri potuisset inueniri. Quis enim aliud nisi extinctum crederet? quis vel corpus ad terram integrum peruenisse suspicaretur, dum interpositis vbique scopulis in partes discerpi potuisset? sed requisitus puer in valle inuenitur, non solum viuus, sed etiam incolumis. Tunc cunctis patenter innotuit, quod ideo lædi nõ potuit, quia hunc in casu suo Martij oratio portauit. Ad hac, in specu illius magna desuper rupes eminebat, quæ cum ex parte exigua monti videretur affixa, Martij cella, prominens casum suum quotidie, & illius interitum ruitura minabatur. Ad hunc Mascatus, illustris vir, Armentarij nepos, cum magna rusticorum multitudine veniens, precabatur vt vir Dei de specu eodem dignaretur exire, quatenus ipse ruituram rupem ex monte potuisset euellere, atque in specu suo Dei famulus iam securus habitaret. Cumq́, vir Dei nequaquam acquiesceret, ei quod posset, vt faceret, præcepit, & ipse in cella sua remotiorem se partem contulit, si tamen moles rueret, dubium non erat, quod simul & specũ destrueret, & Martium necaret. Itaque dum ea, quæ venerat, multitudo conaretur, si posset, sine periculo viri Dei ingens illud, quod desuper incubuerat, saxum leuare, cunctis videntibus repente res valde admirabilis contigit; quia moles ipsa, quam conabantur euellere, subito ab eisdem laborantibus euulsa, ne speluncam Martij tectum tangeret, saltũ dedit, & quasi serui Dei læsionem fugiens, longius cecidit.

Dum se postmodum in eiusdem loci specu conclusisset, cœpit etiam discipulos habere, quo ab eius specu seorsim habitantes, ad vsum vitæ aquam de puteo haurire consueuerant. Sed funis, in quo ad hauriendum aquam situla dependebat, crebro rumpebatur. Vnde factum est

Marginalia (left): D. Gregor. l. 3. dial. c. 16. — Martius in vincula pedẽ coniicit, ne qua exire liceat. — Exod. 17. — A fœminis sibi timet, & cauet.

Marginalia (right): Præcipitẽ ex alto puerum seruat. — Rupes diu in casum prona, ruit innoxia.

est, vt eandem catenam, quã ex pede suo Vir Domini soluerat, eius discipuli peterent, eamque funi adiungerent, atque in illam situlam ligarent. Ex quo iam tempore contigit, vt idem funis & quotidie tingeretur aqua, & nullo modo rumperetur. Quia enim catenam viri Dei funis ille contigit, ipse quoq; ad tolerandã aquam, ferri in se fortitudinẽ traxit.

Tot miracula & virtutes, multos D. Benedicto peperere discipulos. Beatam animam in cœlo efflauit 9. Cal. Nouemb. Sanctorũ Albo ab Ecclesia inditus. Petrus Diaconus eondem Sanctis è Monte Casino addit. Quamuis enim vitam Eremiticam traxerit, connexus tamen Casino erat, indeque imperia accipiebat. Ergo hi sunt discipuli S. Benedicti, Patriarchæ Monachorum, qui famæ magis in ore fuerunt, & à Scriptoribus præ cæteris proditi litteris. Multi quidẽ alij in diuersas prouincias ab ipso sparsi, rem Ecclesiæ egregie quidem promouerunt, historici tamen, vt illius temporis ingenium erat, nomina propria non expresserunt. Neque solum in Hispania, sed alibi quoq, gentiom hæc incuria fuit admissa, qoo Monachos sancti Benedicti penetrasse: Cœnobia struxisse: Regulam intulisse, certo constat. Nomina sepeliuit obliuio, non secus qnam humus corpora. Vita S. Disibodi, à S. Hildegarda Numine reuelante composita, loculentum mihi suppeditat argumentum. Episcopatui præerat vir hic in Hibernia. Pulsus inde per idololatras, hæreticos, ac nauci Christianos, solum omne vertens, se contulit in Germaniam. Cum igitor nostri Patres varia obirent regna & prouincias, quibus Regulam S. Benedicti (paulo ante è viuis exempti) diuidebant, patria ibi S. Disibodo Ordinis nostri notitia fuit. Nõ mora: ad se accersit: locũ monasterio capit, erigit, quod prolixe S. Hildegardis oobis narrauerit. *Agẽte Spiritu sancto, omne animi sui studium & voluntatem ad vitam & doctrinam S. Benedicti, qui iam ad Deum transierat, & quosdã beatos viros, sanctæ institutionis suæ fideles administros, ijs temporibus adhuc superstites reliquerat, appulit, & ad longinqua loca, vbi ea institutio religiose & sancte colebatur, nuntios misit, supplices preces offerens, vt quidam ad ipsum venirent, vineam Domini Sabaoth ad præscriptum doctrinæ Beati Benedicti plantaturi. Is enim S. Pater Benedictus Regulam, quæ spiritualibus hominibus esset accommodata, & sanctis Viris, sancto Spiritu docente & ostendente condiderat. Ita ergo quamplurimos Beatus Disibodus eiusmodi instituti & conuersationis viros religiosos ad se adduxit, quibus etiam oratorium & congrua domicilia in montis supercilio, propter difficilem & arduum accessum, contra Orientem construenda curauit, ne aduentantis populi strepitu interturbarentur, & feruor atque rigor instituti quotidiana eo confluentium visitatione dissolutus, & eneruatus, in desidiem & segnitiem abiret. Porro ipse solitarius permansit in domicilio & oratorio illo, quod in montis descensu ad Orientem structum erat, vt ad occursantia omnia paratus esset, & superuenientibus pro cuiusq; ratione & conditione, opportuna posset responsa dare. Ea vero fratrum congregatio tam pietate erga Deum, quam habitatorum in numero crescebat, cunctaq; agenda & habenda imperio S. Disibodi subiacebant, communisq; ab illis vita, secundum B. Benedicti institutionem, exercebatur. Dabat autem operam sanctus Pater, vt congregatio illa consuetudine ipsi præscripta Regulæ in tantum confirmaretur, & coalesceret, vt diabolus vitia in ea parturire non posset, neque suis eam iaculis configere, aut fratres alios ab alijs separare. Atq; hac ratione effectum est, vt beata illa Congregatio annis duodecim, ad quinquagesimum vsque perfectorum fratrum numerum excreuerit. Illa enim tempestate pauci huius instituti homines visebantur, neq; quisquam viam hanc nisi probatus, aggrediebatur: Sed Spiritus sanctus, qui Congregationem hanc plãtauerat, etiam rigauit eam, perinde vt ros solet in pingue solum decidens, ita vt fratres in ea sub Monastica disciplina viuentes, de virtute in virtutem proficiscerentur.*

Igitur dubitari non potest, demortuo S. Benedicto sedolos discipulos hanc capessiuisse curã, vt Regulam longe lateq; circumferrent, ne qood regnum vel prouincia eius expers esset. Quamuis autem nemo nesciat, in culmen perfectionis eos euasisse, & per rigorem à vulgi moribus longissime se abduxisse, non tamen viuendi modus perinde nobis est compertus, cum sanctissimis viris etiam propria oomina illud sæculum inuiderit. Multum S. Disibodo debet nostra Religio. Nam audito, leges à S. Benedicto latas, vitæ recte instituendæ imprimis accommodatas esse, discipulos eius exciuit: sementem Ordinis in Germania fecit, qui paulo post vastissimam, qua patet, terram occupauit, adeoq; frugi fuit, vt nõ Monasteriorum multitudine, non illostrium virorum nnmero, vlli aliarum nationum concesserit palmam. Ab istis fundamentis, à S. Disibodo iactis, nec non nouis nouisque cultoribus Ordiois, qui egregijs laboribus accincti manus attulerunt, ad tantam magnitudinem idem Ordo prouectus est in Germania, vt hæc sola aliquot sæculis plus oobis negotij sit creanita, quam fere Europa reliqua.

Pet. Diac. de SS. Casinens. c. 4.

Surius 8. Iuly.

S. Disibodus Ordini S. Benedicti fundamẽta iacit in Germania.

CAPVT III.

Postquam S. P. N. Benedictus humana absoluit, in Monasteria Ordini condenda incubuit Europa.

SVpra fidem est, quantum incrementum sumpserit Ordo, in astra sublato Diuo Benedicto. Enimuero eius discipuli, & alij ab istis educti, tantam operam in hoc nouo viuendi modo late propagando posuerunt, vt innumeris Monasterijs impleuerint mundum. *Mortuo Patriarcha Ioseph, filij Israel creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt.* Multa equidem Cœnobia viuente sancto Patre nostro fundata sunt, quæ tamen pauca fuisse putes, si ad ea compares, quæ post ipsius mortem excitata sunt. Superis enim insertus, suppetias cœlitus tulit, vnde sanctissimus Ordo labentibus sęculis tam longe tetendit brachia, vt Ecclesiam vniuersam sit complexus; ac Folengius litteris prodiderit, eum vno tempore triginta septem millia Abbatiarum numerasse: quatuordecim millia Prioratuum: quindecim millia Collegiorum sacratarum Virginum. In eundem fere censum Genebrardus concedit. Quamuis autem Scriptores isti auctoritate multum polleant, lectores tamen suspendunt admiratione, & in varias sententias diducunt, quasi à verò aberrassent. Et fidem non mereri videbuntur, obiter tantum numerum intuenti: si quis autem animum ad radicem, & causam diligenter aduerterit, nec non Monasteriorum fundandorum occasiones ad amussim expenderit, obstupescere desinet, vtroque fidem habebit.

Exod. 1.

Foleng. Psal. 112.

Genebr. An. 524.

Imprimis enim, nullum locum, nullam tunc gentem occuparant Ordines mendicantes, longe post excitati. Raræ etiam aliæ Religiones erant, quæ mendicando victum non parant. Gallia certe & Germania, ac aliæ Europæ prouinciæ, Trithemio teste, solos nouerant sancti Benedicti Monachos; adeoque hodiernam Religionum ac Monasteriorum multitudinem Ordo hauserat vnicus S. Benedicti. In quibusdam ciuitatibus triginta, quadraginta, quinquaginta Religiosas domos numeres, quas diuersæ Clericorum Regularium, Monachorum, Fratrum familiæ hodie colunt. Totidem olim in nonnullis amplissimis vrbibus possedit Diuus Benedictus. Viennæ in Gallia, nobili quidem, sed non primi nominis vrbe, inq; vicinia, non minus sexaginta Monachorum & Monialium stetisse Ordinis nostri Monasteria, pleraque magnifica, auctor est Surius in vita S. Clari Abbatis.

Numerus Monasteriorū nonnorum ... ere ... nerus fu... quia a... Ordi... es non... om ex... tati. Trithem. hron. Hirsaug.

...rius 1. ...

Deinde vt Folengio & Genebrardo credam, me adducit modus, quem nostri in Euangelio diffundendo non tantum in Hispania, Mauris exactis recuperata, sed etiam per Germaniam, Gothiam, Sueciam, Daniam, denique Septentrionem aliasque prouincias, adhibuerunt. E Clericis pauci erant, qui gentilibus & paganis, hoc est lupis, cum certo exitio sese offerebant. Hanc igitur conuertendi Orbis curam in se susceperat Ordo sancti Benedicti, qui non solum in id incubuit, vt miseros mortales erroribus exueret, sed hoc etiam sedulo cauit, ne olim irent in antiquam syluam (vt sunt ingenia hominum) veteresque compedes denuo inducerent. Quapropter vt parta tuerentur Monachi, inter Christianos recens ad fidem perductos, sedem figebant: munera Parochorum obibant, alios confirmando, alios instituendo: idolis etiamnum adhærentes, laboriose auellendo: sacris vndis infantes lustrando, cæteraq; sacramenta sedulo impertiendo. Hæc cum ita, vbique fere locorum opus Monachis erat. Quibusdam in vrbibus Monasteria condita fuerunt multo amplissima, vt aliorum plantaria vel seminaria forent: alibi vero domus frequentissimæ habitabantur Monachis, vt ouiculis suis hunc in modum mixti, præsenté semper opem ferre possent. Vt vero tanto rectius teneam viam, quam in excolendo agro dominico triuerunt, eorūdem vestigia per Hispanię archiua sectabor. Apparebit profecto cuiuis Monasterio amplo viginti olim, triginta, aut quadraginta fuisse connexa, tanquam Parochias illius, ac domus in animarum curam intentas, promptasque: vbi vero penitus deleto paganismo, & hostibus fidei sub suaue iugum Euangelij missis, huiusmodi excubijs non amplius fuit opus, proceres ac Reges Domicilia hæc maioribus Monasterijs inseruisse. Latius in loco argumentum hoc tractauero, multis Monasterijs in testimonium adductis; veluti eo, quod Mauris in Hispania rerum dominis Cordubæ stetit: quæ deinde S. Rupertus Episcopus Salisburgensis, cum Bauariam: S. Bonifacius, cum Frisiam ac Batauiam: S. Anscharius, cum Daniam, Sueciam, Gothiam, lustrarent, ædificarunt.

E Clero pauci se lupis obijciebant.

Accedit, Ordinem S. Benedicti non vna clusum fuisse prouincia, vel duabus, vt quædam aliæ religiosæ familiæ. Hieronymiani vltra Hispaniam fines non proferunt: seruitus fere capit Italia: Grandimontenses Gallia se tenent: alij alio sinu contenti sunt: at sancti Benedicti Ordo quoquouersum effusus, mundum impleuit. Benedictus XII. sanciuit Constitutiones, ad

Non vnā prouinciam, sed Orbem Ordini nostro designauit Numen.

quas

quas se totus Ordo S. Benedicti componeret. Cum enim animaduertisset, quot, quantaque Monasteria numeraret, nullo tamen nexu mutuo coniuncta, ideoque nec ijsdem ritibus vientia, legem triginta septem prouincijs dixit, ne cæremonijs dissentirent, sed inter omnia Monasteria conueniret. Quas autem ille vocat prouincias, regna sunt, & diuersę nationes, nimirum Bohemia, Dania, Suecia. Quod si igitur hasce triginta septem prouincias aliorum Ordinum more diuidamus, redundabit multitudo, & quemuis rapiet in admirationem. Prouinciæ tendebantur ad Episcopatus, quorum aliqui Cœnobijs frequentes & quasi sparsi erant. Moguntinensem centum & viginti quatuor suo fouisse complexu, præter decem, iam tum ab Ordine auulsa, auctor est Trithemius.

Trithem. de Viris illust. l. 1

Denique hoc non prætereundum, è Monasterijs passim per Orbem positis, quędam fuisse libera, nullique subdita (Hispani claustralia appellant) alia subiecta Congregationibus, quarum nonnullæ ita præpollebant, vt plura Monasteria numerarent, quam hodie aliquot Ordines simul iuncti. Cluniacensis Congregatio bis mille amplius Abbatiarum, ac Prioratuum numerabat: quibus innumerum numerum Prioratuum minorum, quos cellas dixere, haud adiecero. Et sunt qui ferant Congregationem Cisterciensem (seu Diui Bernardi) quatuor millia Monasteriorum virorum, & sex millia sacrarum Virginum possedisse. Quod si igitur hoc pacto subducamus rationes, recensendo nimirum huius Ordinis Congregationes (supra viginti olim habuit, etsi alias minus copiosas) addendo insuper infinita Monasteria libera, nulli Congregationi addicta, quorum numerus priorem illum ingenti mole superat. Perpendendo etiam Ordinem S. Benedicti non longe post Ecclesiam primitiuam fuisse excitarū, Christianis nondum frigentibus, sed quando seruis Dei benefacere, seq; miscere, in summis votis erat, & pectora cœli studio ardebāt: nec alius Ordo per Europam (pręsertim Septentriunem) signa circumferebat, ac ille solus negotijs obuiam ibat, ac in se suscipiebat, quæ hodie cæteri exequuntur Religiosi, atque Clerici. Cogitando deniq; non in angustum aliquē angulum hunc Ordinem fuisse coniectum, sed in longe lateque patentia regna deductum: vni prouinciæ, quasi conditis colonijs, quam plurima Monasteria imposita fuisse: dabimus profecto manus, tot victi grauissimis argumentis & momentis, Folenginm & Genebrardum non Milesiam nobis fabulam cecinisse, sed calculum Cœnobiorum ex vero edidisse. Ego tamen certam ad summam ea redigere nolim; causam vero alibi promam. Itaq; animus solū hucusque fuit, auctores istos extra orbitam non se temere mouisse, sed vero similia attulisse, ostendere.

Congregatio Cluniacensis supra 2000. Cistertiensis 10000. Monasteriorū numerasse fertur.

A Monasteriorum multitudine, haud difficulter coniecturam de infinito Monachorum numero ducas, nec ementiens superiectio fuerit si dixero, vnum S. Benedicti Ordinem plures aliquando Religiosos eodem tempore numerasse, quam hodie omnes sacræ familiæ simul. Vt enim nihil dicamus de incredibili sęculorū illorum feruore, quo omnis ætas excusso mundo sine numero ferebatur in Monasteria: vt deinde prætermittamus Monasteriorum ingentē copiam, quæ paulo ante putauimus; ac id quoq; silentio inuoluamus, pleraq; in Europa Regulæ S. Benedicti operā nauasse, hoc profecto magnum apud quosuis pōdus habere debet, Monasteria tunc fuisse capacissima, ac vastæ amplitudinis: incolarum autem numerum adeo superasse hodiernum, vt comparationi nullus sit locus. Nec multitudinem intendo ædibus Parochiarū adiectis, quę vt frequentes erant, ita paucos capessebant. Monasterium S. Petri de Cardenna ducētos coluisse, iam ante confirmaui. Monasterium S. Petri Arlanzæ, ducentos quadraginta numerasse, archiuum memorati neq; hęc tamen præcipua fuere Castiliæ Asceteria. Quam densos erga Cœtus opulenta Hispaniæ Monasteria insedisse putas, veluti Sahagunense S. Æmiliani? Onnense? Cellanouēse? Alcobacense nongentos nonaginta nouem aluisse, litterarum monumenta testantur. Vienna Galliæ cū vicinia, sexaginta Monasteria habuit, auctore Surio: è quibus aliqua quingentos aut sexcentos Monachos numerasse, idē docet. Claraualli vastissimo suo sinu septingentos fouit, duce D. Bernardo, eosq; non per Prioratus ac prædia dispersos, sed iunctos, & in Decanias secundum S. Regulam digestos. Monasterium Dunense in Belgio trecentos sexaginta Monachos & Donatos vidit simul, Meyero affirmante: Poblerense in Catalonia, Congregationis Cisterriensis, quingentos complectebatur. Monasterium Luxouiense, viuente S. Columbano, trecentis amplius Monachis habitabatur: sed numerum S. Eustasius, eius discipulus, ad sexcentos extendit. Monasterium Gemeticense in Nordmandia numerum ad nongentos produxit, pręter mille quingentos famulos, qui ita seruitij saxum voluebant, vt simul vitam religiosam agitarent. Neque virorum tantum, sed etiam sacrarū Virginum multitudinem ingētem nobis obijciunt historiæ. Monasterium S. Salabergę Leone situm, tre-

Monachorum multitudo ferme fidem superat.

Bristol. l. 1. c. 22.

Surius 1. Ian. vita S. Clari.

Meyerus an. 1392. Ionas in Columbano & Eustasio.

mum irrupisse, & centum ac sesdecim monachos cuntrucidasse. Fuit etiam, vt pitatæ in Hiberniam vela intenderent, captoque Monasterio Benchor scelerato ferro nongentos monachos è medio tollerent, id quod etiam S. Bernardus confirmat. Danos Gemiticensi Monasterio in Gallia intecisse ignem, eoque totidem alios (hoc est, nongentos) fuisse absumptos, memorat Matthæus Westmonasteriensis. Anno octingentesimo, octogesimo secundo Saraceni, æquato solo S. Vincentij Monasterio prope Vulturnum, infinitos monachos occiderunt. Nec enim alium numerum esprimit historia Montis Casini. Baronius autem infinitos redigit ad nongentos. Bis quoque Monasterium Nonalicense ab infidelibus versum fuit, cæsis vtraque vice quamplurimis monachis, quod Philibertus Pingonius asserit. Mauri, qui monasterium S. Petri de Cardenna inuaserunt, ducentos monachos supplicijs ac martyrijs affecerunt. Monasterium Cantuariense Ordinis fuisse S. Benedicti, in loco demonstrauero. Nunc vero, id solū tango, impegisse quosdam Scriptores, illud ad Cannonicos Regulares alterius Ordinis trahentes: peccasse etiam, qui decies mille vno in Capitulo generali mortem oppetijsse prodiderunt Nam primum à vero abhorret: alterum, nec fieri quidem potuit. Facile tamen damus, ingentem numerum occubuisse. Tū enim martyrium subierunt Monachi maioris Ecclesiæ Cantuariensis: ac omnes insuper, qui ad Capitulum generale confluxerant, quos Regulæ S. Benedicti fuisse addictos, pro certo habeo. Ita per alia quoque Monasteria quam plutima ab infidelibus in ruinam tracta, incolis pro fide occisis, calculum circumferre liceret.

D. Bern. vita S. Malach.

Matth. West. an. 882.

Hist. Casinens. lib. 1. Baron. ann. 882.

Philiber. Pingon. in Augusta Taurinē. si. an. 575.

Trullus l. 1. c. 7.

Confessores.

Iam vero si Martyribus addamus cuiusque Monasterij Confessores, numerū in immensum producemus. Monasterium ædificatum à S. Gallo (immo Luxouiense, erectū à S. Columbano) quadringentos monachos vastissimo sinu fouisse, omnesq; Diuis inseruisse (præter Ebroinum, Regum Franciæ maiorem domus, quem infelix fatum sepulchro condidit) auctor est Viterbiensis, auctor, inquam, idoneus. Quæ de Monasterio Gimesiensi seu Gimeticensi, Fulbertus refert, paulo supra admirationem sunt. Et quamuis alio properem, ideoq; ianuam adducere cupiam, facere tamen haud possum, vt rem nouam ac inauditam prætereeam. Nongentorū monachorum hoc Monasterium erat, quot etiam incendio, per Danos, aliquando excitato, haustos, atq; ad sidera elapsos esse, narrauimus. Tā copiosæ familiæ cum imperio S. Aichardus præerat. Effusa enim sanctissimi Abbatis religione, homines è remotis etiam terris illo, veluti apes ad aluearium, conuolabant. Obrutus igitur tanta multitudine, præterquā quod annis etiam grauis esset, consilium secum agitare cœpit, an officio se abdicaret, quod quidam suadebant: an potius ingentem cœtum ad pauciores redigeret, quod suggerebant alij. Igitur incertus animi, fluctuabat, egone sarcinā ponam, dictitans, antequam ad metam pertingam? At non caput solum, sed caudam quoque offerri Deo, lex antiqua iubet. Nec animus est, numerū imminuere, ne nouem Angelorum Choris vim facere videamur. Sint ergo nongenti monachi in Cœnobio: nec de numero quisquā vel vnum detrahat, præter Deum: Hæc inter efflusit dies: Monachi quietem capturi, concessere in dormitorium, quos cum Venerabilis Pater sancta cruce muniuisset, ipse quoque super stratum seris horridū incubuit; infestas tamen diei curas abigere nō potuit, donec coi pusculo es aspero cubili correpto, indulsit psalmodiæ. Tum enim Angelus sese viro Dei obijciens, Age, dixit, Aicharde, primo mane edic Fratribus, vt fatis se parent: scilicet conscia pectora confessione expient, reliquum temporis pœnitentia absumant. Inde S. Eucharistia animas reficiant: stent in procinctu: media enim pars obibit mortem, Numineq; inuitante cœlos subibit. Ne autem S. Aichardum fugerent abituri, per dormitorium se ferens Angelus, contactu virgæ singulos designauit. Fratres sopore ita tenebantur, vt quidam templum ingredi sibi viderentur, incredibili cultu, eoque paschali, instructum: nonnulli vero socios suos ad cœnam summi Principis inuitari audirent, quos cum presso pede sequi vellent, probiberi, se sentiebāt, nec ante admissum iri, donec olim à principe nominatim cierentur. Somno deinde solutos peruigil Abbas conuocauit: quid à Numine ageretur, quid porro ipsis agendum, exposuit. Superi, quā perculsi his nouis subito animi! quantum pœnarum de se vnusquisq; sine commiseratione sumpsit! nudabantur tergora: flagris sæue cedebantur: humi fusa corpora, lacbrymis natabant: miserabili vere culpæ, etiam minimæ, damnatæ. Quin lectulos quoque simplices excutiebant, ne turpe factum ignaiæ paleæ occulerent, idque tanto studio & cura fiebat, vt vel pilum cilicinum deprebensum sine mora eximerent, atque in medium proferrent. Nec reus impune ferebat. Ad hæc toto triduo nihil cibi sumptum fuit. Quarta iam lux aspergebatur altis montibus, supinisque terris, cum ad Sacrum confluerent vniuersi, atque à

Lexit. 5.

Godefrid. Viterbien. an. 585.

Vit. S. Aichard. apud Sur. 15. Sept.

solicito Patre rite lustrati, diuinum ferculum hiantibus amore pectoribus caperent. Viatico iam instructis, oscula Pacis data & repetita sunt. Itum hinc in Capitulum, pio Patre subsequente; vbi se collocarunt Cœli candidati, astra petituri cum primum appellarentur. Singulis additus custos, qui excubaret, ac intentis oculis supremum suspirium obseruaret. Quod si quis fessam ceruicem inflecteret, vitamque ponere inciperet, fugientē ipse animam Psalmis prosequeretur. O sanctum Numen! O spectaculum ante hunc diem inauditum, nec aliquando visum in tanto Cœtu! antequam finem rumpebant ad Cœlites auolaturi, ore toto incredibilem splendorem fundebant, ne dubitares in Beatorum Album iam tam referendos esse. Sub horam tertiam pars vna non secus quam placido somno soluta, sic vita defuncta fuit. Hora sexta pars altera ad migrandum excitata, oculis manibusque in cœlum intentis, se Numini commendanit, paulumque hærens concessit. Pars tertia, hora nona extincta est: reliquos serus vesper extulit, vnoque die Monasterio ex vno quadringenti quinquaginta Monachi sidera adierunt.

Albū Sanctorū Casini montis. *Pet. Diac. l. sing. de SS. Casin.* *Ricord. Wion, l. 1. c. 2.*

Mons Casinus Catalogum quinquies mille Sanctorum producit, qui vel in Monasterio, vel locis subditis vitam cœlo dignam extraxerunt; qui numerus non vni tantum Cœnobio, sed multis Ordinibus insigne decus conciliare possit. Si liberet grauius incumbere lectori, facile CœtusOrdinis nostri adducerem, centenis, ac millenis Sanctis stipatos. Cluniacum profecto & Cistertium dum numeros ineunt, millesimo computant. At nolo huic argumento longius indulgere; satis sit ostendisse, quinquagies quinque mille Sanctos pro paucis habendos, post tantam multitudinem à me telatam. Nec reperias hodie, nisi ægre, monasteriū, in quo non tibi Martyres aut Confessores digito monstrent incolæ, aliquando vnum, aliquando plures, etiam vsque ad centenos ac millenos; qui omnes, si summam ad vnam cogantur, id solum conficietur, vt certo constet, numerum certum iniri non posse: allatum vero, iusto minorem esse. Animo sedet tantisper sustinere calculum, ac imitari eos, qui rationes supputant. Imprimis enim singulas rationum partes exponunt, atq; digerunt; deinde subigunt, ac summam in vnam colligunt. Ita ego mecum constitui, fauente Numine obire prius Ordinis Monasteria: scrutari sacras vrnas: vestigare Martyres, Confessores, Virgines: demum immenso opere ad finem perducto, aliquem Sanctorum numerum, veluti supremam manum addere. Quamuis me quoque littus araturum videam, si infinitam multitudinem, soli Deo notam & descriptam, vel immjnuere, vel etiam omnino numerare velim. Si in censum Sanctorum admittendi tantū essent, quos Summi Pontifices intulerunt, forte rem acu tetigissent auctores, quorū rationes attulimus & examinauimus: atqui olim in hanc messem quilibet Episcopus sua in Diœcesi ferebat falcem, corpora Sanctorum è tumulis eruendo, & cultui exponendo, Ecclesia factum probante. Vnde operam ludit, qui in Beatos, Sanctosque, Cœlitum numero ritu solenni adscriptos, quos vocant canonizatos, inquirit. Pro certo habe, numerum esse incertum. Ergo S.P.N. Benedictus vtrobiq; affectus est præmia. Hic enim mūdus, in solis radio contractus, ei obiectus est, tot tamq; opulentis Monasterijs refertus, vt iudice Trithemio, tertiam Christianitatis partem hodie essent æquatura. In cœlo autem gloriæ eius essentiali, qua fruitur, ingens altera accedit; nec ipsa satis exprimenda verbis. Filiorum enim & discipulorum suorum immensis agminibus circumfusus, caput circumuectat, gestiens lætitia: cumque illis in diuinos vultus pariter raptus, in æterna gaudia & cantus eliquescit.

In Diuos referre olim Episcopi solebant. *Trithem. l. 1. de Vir. illust. c. 2.*

Annus Christi 546. | Annus S. Benedicti 66.

Caput I.

Romanus Benedicti Magister, demum discipulus.

Annus quingētesimus quadragesimus sextus morte S. Romani, & Martyrio S. Herculani, vtroque discipulo Magni Benedicti, nobis insignis est. Gesserat hic Episcopatum Perusij, quem Totilæ barbara rabies è sede eulsum supplicio pro fide affecit mense Nouembri. Ille terras cum cœlo commutauit mense Maio, cui proinde primū concedemus locum, quem etiam suo quodam iure sibi vindicat, cum ætate Ordinem nostrum antecesserit. Iam enim annis erat prouectus, cum Benedictum quatuordecennem cōsilio iuuit, & habitu monastico induit. Noster vero Pater humanis exemptus est sexaginta tres annos natus; vnde S. Romanum longissime vitam produxisse, & ad ipsos humanæ vitæ terminos venisse oportet, quippe triennium à nostro Patre superstitem.

Non vltimus inter amicos Dei Romanus hic fuit, virtutum cumulo inter paucos gra-

uis,quippe qui plurimos vixerit años, eosq; omnes traduxerit in Religione. Cum adhuc ætatis poneret tyrocinium, pensum sibi piarum precum præscribebat, reddebatque: tum vigilias agere, continuisq; ieiunijs carnem vexare, summis in delitijs numerabat. Adhuc admodum adolescens tollebat in humeros ac ferebat cruces, etiam robustis lacertis futuras oneri, vt alios felices ausus prætermittamus. Nec satis ipsi erat semet intendere, ac vitatis vitijs ad virtutem grassari, nisi alijs quoque facem præferret, ac tarde in vestigia euntibus stimulos admoueret. Hinc cum Monachum profiteretur in quodam Monasterio, Simbruinis montibus imposito, Sublacui vicino, Benedicto puero operam nauauit, multis hominum millibus vitæ sanctioris, futuro auctori. Non hic meminero charitatis, qua Benedictum accepit: neque de industria fecero mentionem, qua eidem laboranti subuenit: denique silentio quoque premam facinus, quo annonam sibi subduxit, vt nouitio Eremitæ agrestem mensem instrueret, Diabolo frustra lapides mouente: hoc solum promo, quod pleri que è nostris historicis, qui S. Benedicti res composuerunt, narrant, beatissimum senem pueri illius ante id ducem & Magistrum, labentibus annis eidem sedidisse in disciplinam: scilicet perculsum & inductum tata percelebrataque ipsius sanctitate, à quo non exiguo interuallo post tergum relictus esset. Nec est cur somnia narrare videar, dum S. Romanum vicescũ S. Benedicto mutasse dico, quando exemplum Palæmon Abbas iam pridem præiuit in Eremo. Instituerat magnum Dei seruum Pachomium, cui cum angelo ferente missa esset Regula, ille nihil cunctatus se subiecit, quantumuis ætate propemodum exacta. Atqui Regulam S. Benedicto cœlitus fuisse suggestam, ideoque omnibus numeris absolutam, dudum docuimus. Potuit igitur iure S. Romanum, vt à Theodato Abbate ad S. P. N. Benedictum transiret. Quot autem annos in huius castris contriuerit, nõ perinde compertũ habemus. Affirmat Faustus, à Numine excitatum non procul vrbe Antisiodorensi cepisse locum, ibique struxisse Monasterium: admissos Religionis candidatos arte imbuisse seruiendi Deo, quam ipse omnium optime calluisset, vt pat erat veteranum Magistrum. Duxit igitur vitam exempli plenam: vicìniam obiuit cõcionando, vbique infestus vitijs: vnde multas animas iam Orco sacras, funestis vinculis expediuit. Fons Rogus Monasterio nomen erat, quod exiguum ab initio magna incrementa temporis progressu cepit. Dum enim sanctus Pater admonendo, suadendo, malis bellum mouit, quamplurimi sese ad frugem receperunt, eiq; nomina dederunt. S. Maurum in Gallias penetrantem hospitio accepit: intellecto autem paulo post S. Benedictum, suum quondam discipulum, indeque Magistrum, ad Superos euasisse, ardẽter cœpit anhelus senex sequendi desiderio; hinc semet ipse incitans onera senectuti grauia subiuit, vt tanto maiorem in mortis confinio à Deo iniret gratiam. Tandem annorum & meritorũ iuxta plenus XI. Cal. Iunij. beatam efflauit animam, quem Ecclesia Romana Sanctorum Catalogo addidit.

Amantissimum Patrem condiderunt sui filij in eodem Monasterio, iacuitq; aliquot annos terra obrutus, donec incolis & accolis religio incessit, virum iam olim miraculis clarum, nunc etiam è sepulchro patrantem, obscuro loco decumbere & in cineres abire, ipsis conniuentibus. Sociata igitur opera & impensa tumulum aperiunt: Sanctum virum eximunt: Antisiodorum conuectant: & in templum S. Amatoris exculto Mausoleo reponunt. Insigne nobis hac vrbe stat Monasterium, cui S. Germani nomen inditum: sed ne errorem obijciat Monasterium alterum Parisijs situm, eidem Diuo sacrum, hoc S. Germanum Antisiodorensem appellant. Celebrem ei famam peperit cum religio, tum bonarum artium & scientiarum publica sedes. Enimuero Academiæ quondam ibi locus fuit. Præter virorum egregie doctorum copiam, famam auxerant sacræ reliquiæ ac opes. Vertentibus annis è re tam Sancti, quam sua se facturos crediderunt ciues, si à S. Amatore auulsum, Ordini redderent, ideoque sancti Germani nobilissimo Monasterio illatum, recondiderunt. Perplacere sibi facinus, grandibus miraculis eodem die prodidit.

Hæc autem è Gregorij Magni, S. Fausti, & Claudij hortis mihi lecta sunt. Fere eadẽ refert Bibliotheca Floriacẽsis, nisi quod bis insuper S. Romanum translatum memoret: videlicet in Monasterium Vallislilliorũ: deinde in suburbium ciuitatis Sens, hicque venerandum senem stabilem sedem fixisse, ac etiam hodie quiescere. Et quidem Ioannes Boscus, istius Bibliothecæ auctor, duos consũmit libros in vitam, translationes & miracula S. Romani, à Gisleberto lucubratos, quorum alter nouemdecim Capitibus miracula modo singula, modo plura subijcit, vt Deum merita ipsi pensare voluisse, appareat. Densa claudorum, cæcorum, à dæmone infessorum, membris captorum turba, in sanctitatis testimonium cieri potest: immo liber ille adducit.

Claudius de Rota 217. Gislebertus de vita & mirac. S. Romani. Romani sanctioris vitæ rudimenta.

Suo se submittit discipulo.

Vit. PP. in Pachomio.

Faust. vit. S. Mauri.

Condit Monasterium.

Moritur.

Martyrol. 22. May.

E terra & tenebris in locem producitur.

Duos Romanos Monachos habuit Gallia. Hinc quidam historici imponũt vni, quod fecit alter

Cæterum Romani duo bearunt Galliam: Abbates ambo: Ordinis S. Benedicti ambo: miraculis inclyti, & in Gallia sepulti ambo. Adde, eodem quoque sæculo floruisse. Huius rei ignari quidam historici, facta vtriusque miscent. Nec opus tamen scalpere aures, cum in promptu sit alium ab altero dignoscere. Hic enim, quo de agimus, domo fuit Italus: Fontis Rogi Antistes: anno quingentesimo quadragesimo sexto, fatiscente senectute, mortuus: vicesimo secundo Maij Ecclesiæ celebris. Alter sanguine Gallus erat: Abbas Condatiscenensis: S. Lupicini frater: vltimo Februarij in fastis notatus. In multa per Hispaniam templa incidas, S. Romano dedicatas: nonnunquam Martyri ac ciui Antiocheno, qui pro fide vltimis supplicijs confectus est: alias S. Romano Abbati consecrata. Nostri autem Ordinis duo Prioratus sunt, S. Romani Nomine insignes, quorum vnus Monasterio S. Benedicti Vallisoletano, alter S. Zoilo Cauione subditus est, amplissimæ aliquando Abbatiæ. Ad vtrum vero Romanum honos hic pertineat, non expedio.

Templũ Ornisgæ S. Romano monacho conditũ fuit.

In S. Romani Prioratu Ornisgæ, qui Monasterio Vallisoletano insitus est, marmor incumbens aræ, Reliquias Sanctorum inclusas exponit, ac præter cæteros sanctum Romanum monachum, B. MARIAM Virginem, SS. Martinum Episcopum, Petrum Apostolum, & Iohannem Baptistam indicat. Quod autem incolæ decimum octauum Nouembris diem festiue ducant, diem S. Romano martyri debitum, inde est, quod animum haud aduertant, templum ac altare S. Romano monacho fuisse dedicata. Eorum enim Sanctorum reliquiæ aris committi cõsueuerunt, quorum honori ponuntur. Par igitur erat, vicesimo secundo Maij festum agi, ne populum fugeret, meritum cultum se Monacho de Ordine S. Benedicti persoluere, qui rebus gestis ac miraculis multos anteiuit. Templum enim cum altari S. Romano Italo, Benedicti pueri Magistro, stare verosimilius est, quam S. Romano Abbati Gallo. Sed demus tamen huic destinatum esse, à scopo non magnopere aberraret mysta, de Confessore rem diuinam faciendo. At dum sacrum de Martyre hoc die loco que obit, toto, quod aiunt, cœlo errat. Quis enim nescit, templa & altaria illis Diuorum structa, quorum nomina primo loco obijceret dedicationis inscriptio? Certe mos temporum id obtinuit.

* *
*

CAPVT II.

S. Herculanus, Ordinis S. Benedicti Monachus & Martyr.

S. Herculanus monachus Episcopatũ Perusinum gerit.

SHerculanus patria Italus fuit: Todij vero, non ignobili quondam vrbe, nomen Ordini S. Benedicti dedit. Adeo ad Regulam se composuit, vt in viuis etiamnum agente nostro Patre, Episcupus Perusinus sit renunciatus. Annos quibus hoc muneris gessit, notauit nemo: fertur tamen prudenter, vriliter, ac sancte præfuisse. Vtinam D. Gregorius, quemadmodũ mortem, ita vitam quoque ipsius memoriæ prudidisset: nihil profecto esset, quod desiderare possemus. Immo mihi etiam satisfecit saltem extrema vitæ attingendo eum miraculis post martyrium patratis, quæ summam viri sanctitatem sat superque produnt. Sed nunc oculos, aures, ac fidem habeamus Magno Pontifici. *Vir sanctissimus Herculanus Perusinæ ciuitatis Episcopus fuit, ex conuersatione Monasterij ad sacerdotalis Ordinis gratiam deductus. Totila autem perfidæ regis temporibus, eandem vrbem annis septem continuis Gothorum exercitus obsedit, ex qua multi ciuium fugerunt, qui famis periculum ferre non poterant. Anno vero septimo nondum finito, obsessam vrbem Gothorum exercitus intrauit. Tunc Comes, qui eidem exercitui præerat, ad regem Totilam nuntios misit, exquirens quid de Episcopo vel populo fieri iuberet? Cui ille præcepit dicens: Episcopo prius à vertice capitis vsque ad calcaneum corrigiam tolle, & tunc caput eius amputa. Omnem vero populum, qui illic inuentus est, gladio extingue. Tunc idem Comes venerabilem virum Herculanum Episcopum super vrbis murum deductum capite truncauit, eiusque cutem a vertice vsque ad calcaneum incidit, vt ex eius corpore corrigia sublata videretur: moxque corpus illius extra muros proiecit. Tunc quidam humanitatis pietate compulsi, abscissum caput ceruici apponentes, cum vno paruulo infante, qui illic extinctus inuentus est, iuxta murum corpus Episcopi sepulturæ tradiderunt. Cumq́, post eandẽ cadem die quadragesimo Rex Totila iussisset, vt ciues vrbis illius, qui quolibet dispersi essent, ad eam sine aliqua trepidatione remearent, hi qui prius famẽ fugerant, viuẽdi licentia accepta reuersi sunt: sed cuius vita eorũ Episcopus cognitus fuerat memores, vbi sepultum esset corpus illius, quæsierunt, vt hoc iuxta honorem debitum in Ecclesia Beati Petri Apostoli humarent. Cumq́, itum esset ad sepulchrum, effossa terra inuenerunt corpus pueri pariter humati, vtpote iam die quadragesimo, tabe*

D. Gregor. l. 3. Dial, c. 13.

Totila ludit in alieno corio.

corruptum, & vermibus plenum. Corpus vero Episcopi ac si die eodē esset sepultum. Et quod est adhuc magna admiratione venerandum, quia ita caput eius unitū fuerat corpori, ac si nequaquam fuisset abscissum, sic videlicet, vt nulla vestigia sectionis apparerent. Cūq; hoc & in terga verterent, exquirentes si quod signum, vel de alia monstrari incisione potuisset, ita sanum atque intemeratum omne corpus inuentum est, ac si nulla hoc incisio ferri tetigisset. Festum huius Sancti VII. Id. Nouemb. celebrat Ecclesia; quamuis enim facti quidam fasti Calendis Martij eius meminerint, non tamen mortis, sed translationis ducunt rationem. Asserit Baronius visum sibi librum, miraculis à S. Herculano patratis plenum, vnde raræ sanctitatis argumentum capias, dignumque fuisse eredas, qui primitiarum decus ferret, quas tum Diuus Benedictus Ecclesiæ persoluebat. Primo extra mœnia sepultum fuisse, aiunt: vertentibus vero annis à Rogerio Episcopo ingenti applausu populi, indicto prius ieiunio ac supplicationibus, in templum S. Laurentij fuisse translatum, ac edita illo die quam plurima per Sanctum miracula.

Baron. Martyrol. 7. Nouem.

Trithemius Herculanum nostrum timide (vt videtur) viris illustribus Ordinis sancti Benedicti admiscuit, quod suo Patriarchæ fuerit coæuus: at pondus nō habet iste scrupulus. Nec enim certo constat quibus annis Episcopatum capessiuerit atque gesserit: deinde S. Benedictus circa annum quingētesimum quadragesimum tertium: S. Herculanus circa quadragesimum sextum humana absoluit. Deinde quid à ratione (dicam etiam more) alienum factum, si D. Benedictus cum suis discipulis vitam religiosissime instituit? si sanctitatis fama per totam Italiam volauit? si Mons Casinus aliaque monasteria omnibus in ore fuerunt? Quid, inquam, noui aut miri factum, si non vnus sed multi monachi in sede, qua digni erant, fuerunt collocati? Inter præmia potius, quæ gloriosus Patriarcha in terris tulit, ego potuero, non prius conditos ipsius esse oculos, quam sua in familia multos vidisset Martyres, virosque doctrina nobiles, honoribus insignes. Ita quoque D. Bernhardus carpsit fructus ex arboribus, sua manu satis, dum nonnollos suorum Episcopali, quosdam vero Archiepiscopali infula redimitos, atque pro coronide, Eugenium III. in sublimem S. Petri cathedram euectū conspexit. Quin hoc plerumque vsu venit, vt Religionum Conditores adhuc viui habeant viros, prudentia ac sanctitate singulares, atque ad operam Ecclesiæ laboranti nauandam aptissimos. Hæc cum ita, non intelligo quonam obice impeditus S. Herculanus, sacros honores adire nequiuerit, eius Ordinis monachus, ex quo tanta multitudo Episcopales, Archiepiscopales, demum Pontificios honores gessit. Itaque nec mihi, nec cuiquam alteri probabitur, quod ætatem S. Benedicti vixerit, ea gratia è Monachorum Benedictinorum Albo expungendum.

Trithem. l. 3. de Vir. illust. c. 14. Eximitur scrupulus Trithemio.

CAPVT III.

Duo Concilia inita in Hispania, attollunt S. Benedicti Ordinem.

DVo Concilia hoc anno habita in Hispania: Leridæ vnum, alterum Valentiæ. Etsi vero colonosiam pridem eo misisset S. Benedictus, eorum tamen parua ratio in Concilijs ducta fuit. At deinceps omnia statuerunt quidpiam, quod Ordinem promouisset. Valentianum Cap. 4. sancit, ne Clerici & sæculares monasteriorum fortunis rapaces iniicerent manus, quod ipsorum maiores illas contulissent: aliter ab Ecclesia, ceu corrupta membra, submouendos. *Credant tales, qui hoc tentauerint, tam graue peccatum se incurrisse, quam si occidissent & mactassent pauperes*, inquiunt Patres. Possint hæc coërcere cupidos, ne Monachorum possessionibus oculos adijciant, neue admoliantur manus.

Ann. 546.

Burchard. l. 3. c. 10.

Concilia in Hispania rem S. Benedicti promouent.

Concilij Leridani Canon tertius valde ad rem Monachorum facit, quo etiam Gratianus vtitur. Iuuat totum producere, quod aliquas antiquitates, è memoria remotas, in eandem reuocet. *De Monachis vero id obseruare placuit, quod Synodus Agathensis, vel Aurelianensis noscitur decreuisse. Hoc tantum modo adijciendum, vt pro Ecclesiæ vtilitate, quos Episcopus probauerit in Clericatus officio, cum Abbatis voluntate debeant ordinari: ea vero quæ in iure Monasterij de facultatibus offeruntur, nulla diœcesana lege ab Episcopis contingantur. Si autem ex laicis quisquam à se factam basilicam consecrari desiderat, nequaquam sub Monasterij specie, vbi Congregatio non colligitur, à diœcesana lege audeat segregare.* Aduertendum igitur S. Benedictum Monasteria sua in sinu Episcoporum deposuisse, quod vel ita mos illius temporis ferret; vel tunc Ordini conduceret. Factum approbarunt & confirmarunt Ecclesiæ decreta. Verum enimuero cū postea quidam Episcopi Iurisdictionis modum non haberent, sed metam præteruecti, rebus sese amplius miscerent, quam S. Pater noster Benedictus cupiuisset, aut ratio permitteret, eos Concilia coërcuerunt, & ne maiorem iusto vel æquo iurisdictionem in Monachos sibi vsurparent, aut horum facultates

16. q. 1. c. pro vtilitate.

10. q. 1. Si ex laicis.

S. Regul. c. 64.

Et Episcopos Monasteriorum fortunis imminentes coërcent.

culta-

cultates acciderent, constituerunt. Itaque Leridense hoc Concilium, ne Monachi initiarentur sacris, Abbatibus non annuentibus, edixit; neque Episcopo fas esse, soluere disciplinam, aut vim inferre Monasterio, sacerdotes auellendo, imponendoque Patochijs. Per speciem quoque *visitandi* nonnunquam ad se rectionem atque reditus flectebant, Visitatorum nomine, facti Rerum Domini. Curæ igitur hisce Patribus fuit, multorum Episcoporum auidas abstinere manus; vtque S. Benedicti Regula, & Decretis Ecclesiæ starent, præcipere.

Multi Fūdatores Monasteria sua soli Pontifici Rom. crediderunt, ne quid detrimenti ab Episcopis caperent.

Quamuis autem Concilia multum in hoc incubuerint, vt Monasterijs sua iura salua præstarent, fuerunt nihilominus, qui Decretis morem non gererent, sed Monachos eorumque fortunas vexarent. Quocirca Reges & Principes Cœnobiorum Fundatores, vt incolis & rebus quam optime consulerent, iurisdictioni Episcoporum alicubi exemerunt, ac soli Pontifici Max. subiecta esse voluerunt. Exemplis plenæ sunt omnes nationes. Ex vnica Hispania permagnum numerum dabo. Atque huiusmodi Monasteriorum insignem curā gerere solebat summus Orbis Antistes, tegimen ad prudentiæ normam instituendo: Visitatores, qui omnia ad limam exigerent, destinando: lectos Abbates confirmando: ipsa Monasteria Ecclesiæ Romanæ filios appellando Hinc *Abbatia*, quas vocant *Camerales*, principium duxere, quibus nouis beneficijs & priuilegijs consultum iuere Pontifices, illorum negotia & causas sibi sumendo: vtque absoluam, filiorum loco habendo.

Sancit etiam hoc Concilium Leridanum, ne sæculares Ecclesijs à se structis Monasterij nomen imponant, si monachis vacent. Sed vt nucleum hunc tibi penitus eximam, quatuor (ne nescias) verorum Monasteriorum Ordinis S. Benedicti genera primis fuere sæculis. Vnum sedi Apostolicæ erat subditum, quod modo expediuimus. Alterum pendebat ab Episcopis. Tertium, paruarum Abbatiarum erat, quæ Monasterijs magnis subiectæ, leges ab ijsdem accipiebant. Vltimum, appellabant Cellas quas hodiernis Prioratibus componere licuerit, quo monachi, exercitati, solitudinis studio, se submouere consueuerant. Porro Ecclesiæ simia turpis dęmon cœtibus coactis excitauit domos alias, quibus Monasteriorum titulus sinistre inditus. Idcirco Concilium in mandatis dedit sæcularibus, vt ne Ecclesias à se excitatas, palliarent Monasteriorum nomine, hoc pacto Episcoporum iurisdictionem quibusdam in rebus euasuras.

Multos dies in anchoris hæsi, quod expedire non possem, quænam Monasteria fuerint hæc? quasnam leges rogatint? quas vicissim abrogarint? quid fecerint, aut quid tulerint? tandem cepi vrsam legendo librum, charactere Gothico scriptum, in antiquissimo Monasterio Aslanzæ à me inuentum, fronte hoc titulo imbutus erat: *Regula Patrum*. Etiam hodie mihi in manibus est, exhiberque SS. Macharij, Pachomij, Cassiani, Basilij, Isidori, Augustini, Benedicti, & Fructuosi Episcopi Regulas. Postremam ante eum diem nunquam videram. Mihi interpretatio visa est eius Regulæ, quam S. P. N. Benedictus condidit, multaque complectitur, scitu digna, locis idoneis à me afferenda.

Nouum Monasteriorū genus mille artifex diabolus fabricauit.

Es S. Fructuosus scite depinxit.

A principio S. Fructuosus multos errores exponit, in Monasterijs constituendis admissos. Exin leges fert, ac monachos adigit. Sed iuuat primum & alterum Caput extremis labris libare.

Nullus præsumat, inquit magnus Pater S. Fructuosus, *in suo arbitrio Monasteria facere, nisi communem collationem consuluerit, Et hoc Episcopus per Canones & regulas confirmauerit. Solent enim plerique ob metum gehenna in suas sibi domos Monasteria componere, cum vxoribus & filijs & seruulis, & vicinis, cum sacramento cōditionis, in vnum se copulare, in suas sibi, vt diximus, villas, ex nomine Martyrum Ecclesias consecrare, & eas falso nomine Monasteria nuncupare. Nos autem hac non dicimus Monasteria, sed animarum perditionem, & Ecclesiarum subuersionem. Inde surrexit hæresis & schisma, & grandis per Monasteria controuersia, & inde dicta hæresis, eo quod habens quisque, quod suo placuerit arbitrio, eligat; & quod elegerit, sanctum sibi hoc putet, & verbis mendacibus defendat. Hos tales cum videritis, non Monachos, sed hypocritas esse credatis.* Capite 2. ista refert. *Solent nonnulli presbyteri simulare sanctitatem, & non pro vita æterna hoc facere, sed more mercenariorum, Ecclesia deseruire, & sub prætextu sanctitatis, diuitiarum emolumenta sectari, & non à Christi amore prouocari: sed à populo & à vulgo incitati dum formidant suas Ecclesias pro decimis, aut cætera lucra relinquere, conantur quasi Monasteria ædificare: & non more Apostolorum hoc faciunt, sed ad instar Ananiæ & Saphira. Cum Episcopis sæcularibus, principibus terræ, vel populorum, communem regulam seruant, & vt Antichristi discipuli contra Ecclesiam latrant, & quibus machinamentis eam disrumpant pariter fabricant: & cum inter nos venerint, demisso capite & gressu tenui sanctitatem simulant. Hi sunt hypocritæ, quia aliud sunt, & aliud esse videntur.*

dentur. Ex his lineamentis à S. Fructuoso ductis, facile de Presbyterorum & sæcularium Monasterijs statueris. Nulli Regulæ parebant, suo sed genio indulgebant, sine auctore & duce. Canoni igitur hoc anno Leridæ lato, per S. Fructuosum aspersa lux est, nobisque digito monstrata quatuor veterum Monasteriorum genera; quibus hypocrisis duo adiecit: alterum sæcularium connubio iunctorum: alterum Cleticorum. Nec tantum fumi & fuliginis in istis errabat, quantum in illis. In lucra quidem intenti, plus æquo loculos curabant: cumque animaduerterent Religiosos multis gaudere priuilegijs, nec decimas partes facultatum pendere, Monasterij nomine asciro, in eandem se libertatem asserere nitebantur: interea nec ad virtutes aspirabant: nec lectioni, orationi, aut pœnitentiæ operam dabant, exercitijs ita Monasteriorum proprijs. Atqui munera Ecclesiastica fungebantur, quippe ad ea auctorati. Monasteria vero sæcularium pestis Reipub. censeri poterant. Præter næuos enim cum Clericis communes, referebant proprios. Res namque Ecclesiasticas indecenter admodum tractabant, sumptaque sanctitatis persona mirifice alijs imponebant. Monasteriorum nomine profanata templa: sæcularibus mixta religiosa: promiscuum in vsum versa sacra: quoties ad res diuidendas ventum erat, etiam ad lites ventum fuit.

Hęc presbyterorū & sæcularīū Monasteria cito procubuerūt, quod areuæ essent imposita.

Huiusmodi Monasteria nostro forte sæculo portentis similia videbantur, ideoque ratissima fuisse crederentur, cum hodie plane nullum supersit: verum archiua Ecclesiastica his in regnis scrutanti, vbique occurrunt tabulæ, quibus huiusmodi Monasteriorum fortunæ in frusta carpuntur, dum vnus dimidium Monasterij, alius quartam partem, ex hæreditate sibi debitam, testamento addicit. Fieri igitur nō poterat, quin funis contentiosus vi summa traheretur. Pro numero enim liberorum, in partes distrahi solebat Monasterium. Nulli Regulæ sanctorum Patrum operam dabant. Quo enim pacto Discordiæ conueniat cū Regulis? aut quis indigestum chaos componat, ac subigat in Ordinem? Quædam tamen hoc genus Monasteria bono consilio fuere ædificata: nec vbique mel in fel versum, sed studebant Regulæ S. Augustini, S. Basilij, vel S. Benedicti, quoad fieri poterat. Si quandoque pater plures suscepisset liberos, quam alendis esset, vel certe infra familiæ gradum premendi forent, sibi susque consultum ibat, domi templum ædificando, dedicando, Monasterij nomen ponendo, cultum sæcularem pariter exuendo, filiabus caput velo obnubentibus: filijs sacros Ordines capessentibus. Honestum hocce pallium in collum inopiæ coniectum sæpe fuit: nonnunquam Deo seruiendi desiderio bonæ animæ in hanc viuendi formam concessecunt. Nisi tamen oculorum ludibrium patiar, è vitro conflata erant hæc Monasteria. Quippe splendebant ac rapiebant oculos, dum parentibus vita superfuit; quibus extinctis, solo confestim affligebantur, frangebātur, & recta via peribant. Fratres namque germani hereditatem certatim adibant, Monasterio suas singuli manus afferebant, trahebant, vt nec nomen quidem relinquerent. Hinc oriebantur insana iurgia, in quæ tantopere S. Fructuosus inuectus est, & Concilium Canonem seu legem tulit, ne sæculares deinceps Ecclesijs à se structis Monasterij nomen inderent.

Annus Christi 549. — Annus S. Benedicti 69.

Quorundam Regum Hispaniæ sors breuis.

Breui tres Reges Hispaniæ è medio sublati.

ANNO quadragesimo octauo Rex Theudis, Dominæ Sanctiæ, quæ Monasterium S. Petri Cardennæ condidit, coniunx, fato concessit. Anno sequenti mortem quoque oppetijt Theudiselo, qui regnum post Theudem capessiuerat. Eodem anno admotus regno Agila. Adeo Gothi moras nectere non solebant Reges vel salutando, vel premendo. Omnibus tribus vis allata. Inde sceptro potitus Atanagildus, quem præterire non debemus, quod eo regnante noster Ordo Sanctis Æmiliano & Martino Dumiensi fuerit illustris. Hoc etiam anno percelebratum toto terrarum orbe Templum S. Sophiæ Constantinopoli molitus est Imperator Iustinianus, quod noster Hermannus contractus refert. Id Euagrius describit, & depingit ad vnguem. Quidam aiunt templum Rauennense S. Vitali sacrum, eodem tempore à Iustiniano positum fuisse, quod vt mole concedebat *S. Sophiæ*, ita rebus alijs simile erat: factum deinde munus nostri Ordinis, adiuncto insigni Monasterio, quod tamen hic loci prætermitto, quando fere pro certo habeo, alio tempore fuisse structum. Nam hoc anno Gothi Rauennam tenebant, quos apud Imperator tantum auri collocaturus haud fuisset. Iuuat igitur hanc basilicam eum in annum differre, quo nostra esse cœpit.

Herman. Contr. an. 549. Euagr. l. 4. c. 30.

* * *

ANNVS CHRISTI 550. ANNVS S. BENEDICTI 70.

CAPVT I.

Dionysius Romanus, Abbas, Computi Ecclesiastici auctor.

INter Monachos, qui S. P. N. Benedictum assequuti sunt, ac lumen Ordini nondum adulto intulerunt, Dionysius Romanus, vulgo Exiguus, & Magnus Cassiodorus, merito suo numerantur. In Monasterio Viuariensi vna vixerant: vna bonas artes & scientias docuerant. Quamuis autem Cassiodoro ætas ad Pelagium vsque profluxerit, Pontificem Max. ac anno quingentesimo septuagesimo adhuc vitæ telam texuerit, iungere tamen hæc duo lumina consilium fuit, ne cramben repetere cogerer. Accedit etiam, ex Dionysio Exiguo Magnum Cassiodorum longe melius cognosci posse.

Dionysius Roman. gente Scytha. Ille ex Scythia oriundus erat, barbara terra, quæ tamen nihil feritatis ei aspersit, cum eloquentia, cæterisque artibus & scientijs foret excultissimus. Verbo quidem Exiguus erat, re Magnus. Quod enim in libris ac epistolis suis Exigui nomen, velut proprium, sibi vindicaret, ideo Exiguum dixere: quæ animi submissio summo titulo dignum præstitit. Quando vel vbi habitum Monasticum induerit, nõ perinde compertum habemus. Quibusdam coniecturis inducimur vt credamus, tyrocinium posuisse in vno è Sublacensibus, à S. P. N. Benedicto constructis Ascetērijs. Famam deinde, quæ claudi non potest, passim ei fecisse nomen: ideoque eruisse inde, vt Cyclum Paschalem ad certam rationem redigeret, ac totum Computum Ecclesiasticum componeret. Ea enim ætate varie trahebatur Pascha, sententijs diuersis cum erroribus de celebrando, in Ecclesiam Dei irrumpentibus. Cæterum nostro de Dionysio nemo pluribus agit, quam S. Cassiodorus: nec quisquam potuit verius. Nam in eadem naui multos annos nauigarunt: simul temos duxerunt, Dialectica & alijs bonis artibus atque scientijs Monachos imbuendo. Igitur libro de diuinis lectionibus, è nomine Exiguo in magnos eum titulos euoluit, quos summatim cape. (Cassiod. c. 23.) Fuit ætate nostra Dionysius, Monachus professione, gente Scytha, moribus Romanus, Græcæ & Latinæ linguæ iuxta doctus. (Dionysij Exigui breue cõpendium.) Sacra volumina ita calluit, vt difficillimos nodos promptissime solueret. Mecum docuit Dialecticam: plurimosque vitam in annos produxit, boni semper exempli facem præ-lucens. Sed ruborem mihi exprimo, dum verba de Dionysio facio. quanto enim interuallo ego sequar, video. Summa viri sapientia, simplicitate: admiranda eruditio, submissione: copiosissima eloquentia moderatione, conditæ erant. Dignus amicitia Regum, pro seruo se gerebat. Græca multa Latine vertit, vnde Ecclesia haud exiguum cepit fructum. Vtriusq; vero idiomatis tam fuit peritus, vt oblatum quemuis librũ Græcum facillime explicaret Latine, & Latinum Græce: quodque obstupescas, adeo nullibi hærebat, vt eum non interpretari, sed tantummodo legere crederes. Multarum ego rerum tantum hic summam facio, ne te longius morer. Inter virtutes ipsius, hanc, fateor, maximi duxi, quod cum Deo esset intimis sensibus deditus, sæcularium tamen congressus non auersaretur. Castitatis fundamenta tam alte iecerat, vt inuiolata staret; nec ventis nec flabellis vel minimum libata, quamuis crebro sæminæ adirent, & colloquerentur. Neque serenũ viri animum turbare vnquam potuere turbæ. Si quis leues in medium attulisset iocos aut nugas, illico in lacrymas soluebatur. Dum ieiunauit, vultu ac fronte declarauit sibi nõn displicere comedentes. Implicatas quæstiones accumbentibus insigni comitate expediebat. In instructas nonnunquã mensas incidens, eos quidem cibos sumebat, qui cæteris positi fuerant, sed parce. Temperãtiem profecto eum esse oportet, qui potest inter delicias habere modum, ac sibi imperare. Recte fidei tenacissimus erat, vt nec vestigium à maioribus discederet. Huc accedit commemoranda quædam & diuina vis ingenij, quod iure communem bibliothecam dixisses. Fuerunt tamen, qui tanto nomini maculam imponerent, rati futurum vt ipsi nitterent, si Dionysio lutum aspersissent. sed is voluntate Boni Numinis ex mundo hoc immundo iam euasit. Corpore in Ecclesia sepulto animam ad Superos euolasse non ausim dubitare.

Finem laudandi facit Cassiodorus, sed ita vt intelligas, pharetram adhuc esse refertam; suum tamen officium esse putauit potius viam prosequi, quam illam penitus exhaurire. In hoc autem teste desiderare nihil possumus. Oculatus, grauis, doctus, plenus fidei est.

Multos sibi labores pro Ecclesia cepit Dionysius, varios ingenij partus edendo: multos etiam libros græcos latine exprimẽdo, veluti vitam Pachomij Abbatis, partem operum Gregorij Nisseni, & Proterij Episcopi Alexandrini. Item Canones SS. Apostolorum, multaq; Conciliorum Græcorum (Multos libros lucubrauit.)

Decre-

Decreta, quorum aliqua etsi fuerant latine iam ante verſa, adeo rudi tamen inuitaque Minerua, vt non modo operæ pretium, ſed inſuper neceſſarium fuerit, eadem ad incudē reuocare. Vnde primos inter auctores numeratur, qui Concilia in ſummam redegerunt. Eum autem librum ſe Stephano, Epiſcopo Salonitano, miſiſſe ipſe affirmat, poteſtque videri oſtendere voluiſſe poſteris ſui Ordinis, quo modo Conciliorum Decreta iungerent: cuius diligētiæ ac induſtriæ Martinus Dumienſis, Burchardus, Gratianus cū alijs, documenta dederunt. Parta hinc fama Dionyſio, ſed maior à Cyclo magno, & libro alio, de celebrādo Paſchate, edito. Multū gloriæ vtriq; operi tunc inerat, quod ſententijs vehementer certaretur, & laboris ſui fructum, hoc eſt, laudem, etiam hodie inde fert Dionyſius. Vt vero tanto melius intelligatur operæ pretium, quod apud Eccleſiam collocarat, neceſſitatem Computi, quo tum Eccleſia laborabat, paucis expediam. Imperauit hanc operam Pontifex Max. Dionyſio, quod ſciret Mathematicæ, & linguæ Græcæ præter latinā doctum eſſe. Nam Latini Græcis litem de Paſchate celebrando intenderant, vt opus fuerit homine docto vtriuſque idiomatis, qui Orientem & Occidentē, pronos pendentes in ſentētias diuerſas, metam ad vnam ageret, litemq; cōponeret ſeruetorem. Alia Paſchati celebrando lunam capiebat decimam quartam, rata ſe magiſtrum ſequi S. Iohannem Euangeliſtam, auctoremq; Chriſtum Seruatorem. Roma alio clauum torſit, & Paſcha in diem ſolis, à luna decima quarta proximum, reiecit, eo quod Chriſtus tali die corpus ſuū è ſepulchro eximere voluerit; deinde quod Eccleſiæ in eundem remum cum Iudæis, qui Paſcha luna decima quarta agunt, incumbendū non eſſet. Hanc in ſententiam omnes demū Catholici conceſſerunt; ſed enim ſolis diem reperire, *hoc opus, hic labor erat*, non modo quod anni ſolares à lunaribus ſunt diuerſi (nam illi menſe Ianuario, iſti Martio oriuntur) verū etiam quod ipſos inter menſes diſcrimen intercedat, dum nos Solaribus vtimur, lunares autē cum lunæ periodo abſoluuntur. Quocirca ſæpe peccatum fuit, antequā dies vera, certa, ſtata deprehenderetur. Quoties enim iuſto ſerius aut citius Paſcha celebratū eſt! Vnde Cōcilij Nicæni Patres, expeditis fidei negotijs, contra quā impie tunc graſſabatur Arius cum aſſeclis, ampliſſimo ſuo conſeſſu dignū iudicarunt, de Paſchate celebrando ſuſcipere curam. Ne vero ad hunc ſcopulum adhæreſcere cogerentur, ipſi, qui tanto numero confluxerant, Eccleſiam Alexandrinā curam iſtam capeſſere iuſſerunt, eo quod dudum aperta ibi Academia eſſet, Ægyptij deinde arte Mathematica omnes gentes anteirent. Ergo viri longe doctiſſimi conueniunt: in medium cōſulunt: multos dies impendunt, donec Computum Eccleſiaſticum conficiunt: Paſchati Dominicū diem addicunt, poſt lunam XIV. primo occurrentem. Sed vt Orienti ſatisfecerunt, non tamen toti Occidenti, multis multa abnuentibus, quibus ſuperſedeo. Quocirca Victor, ex Aquitania oriundus, tabulæ impoſuit manū, deſignato Paſchati die. Contra hunc ſine mora ſe accinxit Victor Capuanus, litteris & ſanctitate nobilis: tandem totus mundus in partes ſeceſſit, ita vt diuerſas per prouincias diebus diuerſis ageretur Paſcha; nimirum ex incolarum arbitrio, quod ſupra monui, cum annum quingenteſimum quadrageſimū tertium euoluerem, veſtigando annum quo S. P. N. Benedictus viuere deſijſſet, vbi multæ mihi difficultates exhauriendæ erant, dum multi non aduerterunt animum, quod inter prouincias hac ſuper re non conuenerit. Iuſſus igitur à Pontifice Dionyſius Exiguus dirimere veterem litem, & tot diſcordia regna ac prouincias componere, cui oneri pares humeros habere videbatur, quod non modo litteratus, ſed etiam vtriuſque linguæ gnarus eſſet. Subiuit molem vir ſanctus, tamque prudenter, ſcite, cauteque geſſit, vt ſemper in ipſius iretur ſententiam, quam demque ſummus Pontifex toti Orbi impoſuit ferendam.

E quibus vnus de Cyclo magno, ac alter de celebrando Paſchate præcipuā famam habent.

Studia in contraria ſciſſus orbis ob Paſchatis celebrandi incertum diem.

Litem diremit Dionyſius

Præter Computum ad incudem reuocatum & conſtitutum Paſchati diem, aliud quoque beneficium inſigne Dionyſio Exiguo debemus. Scilicet filo diuerſo annorum tela texebatur, dum alij per Olympiadas, quidam per Conſules, nonnulli per Maximianum & Diocletianum, temporis ſeriem diſponebant, magna profecto arrogantia; nimirum vt obiectis vbique hiſce nominibus, Chriſtiani, qui à Chriſto vero principio annos ducere maluiſſent, ne hiſcere quidem auderent. Hunc putandi morem aboleuit Dionyſius. Namque edito ab ipſo Computo, alicubi annorum ſeries ab Incarnatione, alibi à Paſſione Chriſti deduci cœpit. Aliquid hoc erat, ſed non ex omni parte beatum. Temporis enim rationem nihilominus laboraſſe, vides. Tandem principium à principio, id eſt à Chriſto nato cœptum vbique eſt.

Annos à nato Chriſto primus duxit.

Atqui in Hiſpania altiores radices egerat Era Cæſaris, durauitque ad Iohannem I. Regem, Monaſterij Valliſoletani multo celeberrimi Fundatorem. Fere enim ſimul hoc Aſceterium ſtruebatur, & Era in annos à Chriſto nato repertos, tranſibat, ha-

O bira

bita ratione Computi à Dionysio vulgati. Quo autem anno vir iste doctrina & sanctitate iuxta egregius, concesserit, haud promptū est tradere, nisi quod anno quingentesimo, sexagesimo secundo inter viuos haud amplius fuerit. Hinc illæ lachrymæ, à Cassiodoro paulo ante fusæ; sibique imponit suo, qui anno quingentesimo septuagesimo secundo adhuc superfuisse asserit. Longius tamen à scopo Genebrardus aberrat, qui in sæculum præcedens eum remouet, ac anno quadringentesimo quinquagesimo, Leone I. Pontifice Max. in humanis fuisse contendit. At si Cassiodorus eius æqualis & collega fuit: vitam deinde ac mortem litteris mandauit, fides profecto his auctoribus abroganda fuerit, quorum alter addendo peccat, alter demendo.

Ino Chrō.

Genebr. 450.

CAPVT II.

Magnus Cassiodorus, & fundamenta Monasterij Vinariensis, promuntur.

Viris magnis, quos Italia Ecclesiæ Catholicæ intulit, merito Cassiodorum accensemus, domo Calabrum, vrbe Scyllacensem. Hæc vero incumbit promontorio, qua Scilla Charybdi aduersa, in cœlum minatur, naufragijs infamis. Si quis sanguinem Cassiodori sibi expediri cupit, nobilissimus fuit, quando maiores ipsius non tantum magistratus, sed etiam Imperia & Romæ & Constantinopoli gesserunt. Patri Aurelio Candido, & auo Cassiodoro nomen fuit, vnde filius Aurelius Cassiodorus dictus est. Porro, auus bello egregius, Calabriam & Siciliam defendit, Attila Hunnorū Rege Italiam vastante. Noster vero Aurelius Cassiodorus litteris vacauit à teneris annis, quibus adeo excelluit, vt quemuis lectorem admiratione sui huc vsque rapuerit. Cum enim non vnam tantum atq; alteram artem liberalem aut scientiam attigisset, verum omnes ad vnguem imbibisset, plenusq. esset, epistolis suis, quarum magna copia, vbique eruditioné singularem, veluti flosculos, aspersit. Satis superq; duodecim libri epistolarum, quas varia occasione prouocatus ad varios dedit, cultissimum viri ingenium prodiderint, quæ præter rar[illegible]m doctrinam, etiam munera quibus est functus; æquam & iniquam fortunam, quibus ipse agitatus & patria, exposuunt. Tam bono vero is animo fortiq; fuit, vt non modo malis non cesserit, sed à fortuna palmam retulerit, q[illegible]amuis r[illegible]gnum frequen[illegible]ssime abdicarer Reges, aliosque adl[illegible]terer.

Cassiodorus alto sanguine ortus.

Eundē in del[illegible]s h[illegible]bu[illegible]t à principio Herulorum Rex Od[illegible]ace[illegible], qui Cassiodoro pri mā æ[illegible]te[illegible] agente in bona & sanguine Ital[illegible]

Regi Odoacris delicium:

læuijt; demum orbis caput Romam subegit. Hunc Theodoricus Rex Ostrogothorū triumphauit, adeo vt omnia quæ fortuna in illum contulerat, is in suam redegerit potestatem. E re visum Cassiodoro, operam victori addicere, apud quem prudētia, industria, & in negotijs explicandis dexteritate tantā sibi gratiā peperit, vt in arcana admissus sit. Hác prouinciam cum diligentissime obiret, eos ad honores gradatim euasit, qui summi illa tempestate habebantur, nō gratia sed meritis viam sternentibus. Hæc omnia cōfirmat epistola, à rege Theodorico senatui Romano scripta, qua Cassiodoro sacco toto (quod aiunt) seritur. Postquam Regi aliquamdiu à secretis fuerat, nec non senatoré egerat Rauennæ, diuersos in palatio honores adiuit. Exin præfectus, seu prorex Siciliæ, tum Calabriæ quoq; fuit renunciatus, quam veteres magnā Græciam dixere. Postmodum titulo Patritij auctus est, quem ætas illa tanti faciebat, vt Carolus Magnus, priusquā crearetur Imperator, eundem cæteris suis titulis & insignibus admisceret. Fuit insuper regio ærario, palatio, & prætorio præfectus, qui vltimus honor eum à Rege proximum constituerat, quod belli pacisq; momenta ab ipso dependerent. Sed hæc munera eleganter euoluit & exprimit ipse Cassiodorus, dumq; præfectum prætorij producit, Iosephum Ægyptium, cum eodem componit, cui Rex Pharao præter se omnia subiecit. Deniq; in honorum apicem euectus, consulatu potitus est, in quo nō superbe, sæueque, sed modeste, comiterq; egit. Omnes autem hi magistratus tanquā gradus erāt, quibus attolleretur à principibus. Nā ita gerebat singulos, vt semper dignus fieret alio altiore. Vox ab Atalarico, Theodorici nepote, fusa est oēs honores publicos, quibus affect[illegible] fuisset Cassiodorus, meritis ipsius inferiores extitisse.

Postea Theodorici.

Cassiod l 1. & 4. Var

Creatur senator Rauen[illegible] Prorex Siciliæ: [illegible] fectus ærarij palatij prætorij.

Cassiod. 6. Variar

Gen. c. 41.

Consul renunciatur.

Cassi[illegible] 9. ep. [illegible] 4

Cuncti reges Gothi, quibus operam suam dabat ac probabat, singularibus eum beneficijs sunt prosequuti videlicet Rex Theodoricus · eius filia Amalasuntha: nepos Atalaricus: Rex Vitigis, cui aliquot epistolas scripsit, eo quod Regibus Gothis esset à secretis. Vbi se honoribus abdicauit, Vitigis mox regno exutus est, victus a Belisario & captus; inde Cōstantinopolim vectus, ac more Romano in triumphum ductus. Vno ore ferunt Scriptores, Theodoricum Regem, cui res è sententia fluxere, magnam felicitatis suæ partem debuisse C[illegible]ssiodoro, latus perpetuo st[illegible]an[illegible], & consi[illegible]a sapientiss[illegible]m[illegible] [illegible] tenti. Fac[illegible] [illegible] profecto est, omnia R[illegible]gibus G[illegible]thi[illegible] prospere successisse, dum pars [illegible]ulæ Ca[illegible]d[illegible]rus fuit: retro rel[illegible]psa om[illegible], vbi is habenas non effudit, sed penitus

miss[illegible]s

missis fecit. Tantum potest vir vnus in Rep. quo præsente cuncta stant immota haud secus, quam cautes Marpesia: eo vero tergum vertente, luxantur & in exitiu ruunt vniuersa. Integrũ igitur à casu Cassiodorum Deus Opt. præstitit, vt hoc pacto cõsuleretur Ordini, etiamnu adolescenti. Nam Gothi Italia exacti tandem aliquando meritas pœnas luerunt, Cassiodoro ipsis subducto, & in castra S. Benedicti translato. Sic solet benignum Numen Religionibus, à lacte nondum depulsis, de viris magnis prospicere, qui basium ac fundamentorum vices agant, incumbentem molem, à se imponendam, firmiter sustinendo. Exemplis plena sunt omnium Ordinum Annales.

Omnibus honoribus antefert cucullum.

Trithem. l. 2. c. 3. de vir. illust.

Quod autẽ è palatio in Monasterium se duxerit, Trithemius à fama S. Benedicti atq; Ordinis: tum etiam à Deo impulsum fuisse, asserit. Habitu mutato, studia quoq; mutasse, diuinisq; voluminibus eo fructu operam nauasse, vt illa ætate nemo cũ ipso potuerit comparari. Præterea orationi, cõpunctioni, lachrymis adeo prolixe indulgere solitũ, vt à conscijs plane pro sancto habitus sit. Eundẽ charitate arsisse: humilitatis castitatisq; amantissimum: paucorum verborum verorumq; fuisse: meditationis, ac imprimis sacrorum librorum perquam studiosum, vnde vitia carnis (D. Hieronymi vox est) non amauerit. Denique sua doctrina vitaque integerrima multos induxisse, vt è mundo in Cœnobium se traijcerent.

Idem l. 3. c. 6.

Hinc intelligas Cassiodorum summa cura, opera, diligentia, Regum suorum negotia cõfecisse: postquã vero se Regi regum Deo deuouisset, maius adhuc studiũ adhibuisse. Nam magna ingenia vbiq; feruent, quouis apta sunt: cumq; Numini se dicarunt, mundũ penitus exuunt, voluptates pedibus proterunt, offerentes calcibus petunt, solis amplexibus diuinis misceri concupiscunt.

Multos sententia tenuit Cassiodorũ Rauennæ induisse Monachũ, vbi primos olim obtinerat honores, sed falluntur; neq; hac in re vlli maior debetur fides, quã ipsi Cassiodoro. Is autem suum Monasterium appellat Viuarium seu Viuariense, quod propinquũ erat vrbi Scyllacensi, cuius modo meminimus. Facem quoque tenebris istis accendit D. Gregorius. Etsi enim non de Viuariensi, sed Castellensi Monasterio, cui castrũ Scyllatinum erat subditũ, verba faciat, pro vno tamen Monasterio habitum est. Nam S. Benedictum, vitata frequentia, recessibus studuisse, & loca solitaria vbi Monasteria desigeret, curiose legisse, è quibus in proximam Eremum digrederentur exercitati, plus simplici vice memoraui. Imitatus Magistrum

Cassiodor. de diuinis lect. c. 29.

D. Gregor. l. 7. ep. 33.

suum Cassiodorus, Ascetériũ excitauit propter Pelenam, riuum mediocrem, ... aquarũ veheret Monachis, nec alueum suum quãdoq; indignatus, erumperet in campos. Adhæc, vt terræ marisq; cõmodis gaudere valeret, eo loci posuit, vbi Pelena mare subit. Intra rupes viuaria (mirum quã artificiose) molitus est, natitanda vagis piscibus tam marinis, quam fluuiatilibus. Ab his cauernis seu viuarijs inditum nomen Monasterio. In iugo montis domum erexit alteram, quo senes sese reciperent, post ætatẽ in monasterio inferiore exactam, illiq; nomen posuit Castelli. Monti enim non secus quam Castellũ vel specula incumbebat. Nõ tamẽ pro duobus, sed pro vno Monasterio capiebantur.

Cassiodor. de diuin. lect. c. 29.

Monasterium Viuariense condit.

Politices præclara specimina per aulas dederat Cassiodorus; œconomices in Monasterio dedit, omnia scite, recte, vtiliter disponendo, S. Regulæ amussim sequutus, quæ officinas necessarias intra Monasterium esse iubet, eo quod frequentes egressiones intercedant cõtemplationi. Vt vero Monasterij machina omne tulerit punctum architectonicæ, antecelluit tamen Bibliotheca, librorũ magna pro tempore copia instructa, in qua prolixam operã posuerat. Nam Catalogum ipse cõfecit; cumq; artes ingenuas & scientias perquam calleret, quicquid librorum ad stomachum & farinã faciebat, compararat.

Præclara illius Bibliotheca.

Quid? Parũ Cassiodoro erat didicisse, nisi monachos suos etiam litteras docuisset. Cũ deinde nõ nesciret, Dionysium Exiguum viris doctis palmam iam dudum præripuisse, ad se illexit; quo capto, simul subierunt docendi onus. Nobile par Magistrorum profecto, quibus illa ætas neminem antepósuit. Porro, lucernã inuenit, fecit, ac effecit, quæ suggestum oleum imbibens diutissime ardebat, monachis prælucendo; nec facile oleum absumebat, magno commodo crumenæ. Dixisses vnũ Cassiodorum nec oleum, nec operam perdidisse, quod paruo starent hi lychni. Insuper clepsydram fabricauit, in qua tempus, non defluentes arenæ, sed aqua metiretur. Ita rei domesticæ consuluit Cassiodorus, ac etiam diuinæ, vt certis horis cuncta persoluerentur.

Lucernã inuenit quæ non perderet oleum.

Quamuis autem legendo, scribendo, agendo, tantum laboris hausisset, ad centesimum nihilominus annum, vel quod cõtendunt alij, nonagesimum tertium prouectus est, ac in virum ex omni parte magnũ euasit, quod longam ætatem non modo in litteris profanis (quas diu coluerat) verum etiam diuinis egisset. Sed lubet huc referre eius lucubrationes, quæ mihi in promptu sunt.

Epistolæ scriptæ ad diuersos, in duodecim libros digestæ.

Syllabus librorum quos cõposuit

De Anima liber vnus.
Institutionum diuinarũ lectionum libri duo.
Instructionis humanitatis libri octo.
Vita multorum Sanctorum, libris nouem comprehensa.

Item historiam tripartitam, quam Epiphanius ex Sozomeno, Theodoreto, & Socrate collegerat, latio donauit.

Lucubrauit etiam libros de *Etymologijs.*
De officio Sacerdotis.
De figuris & tropis.
De Consulibus Romanis.
Septem libros de Artibus liberalibus. & Compendium Mathematices, nuper Parisijs impressum.
De Computo & Cyclo Paschali.
De Orthographia, annum nonagesimum tertium terens.

In sacram Scripturam multa præclare dictauit, veluti:
In Cantica, librum vnum.
In Acta Apostolorum, librum vnum.
In Apocalypsin, librum vnum.

In Prophetis, Psalmis, Epistolis Canonicis, plus laboris sumpsit. Sed ipsum Cassiodorum de se fatentem audiamus. (Prol. lib. de diuin. inst.) *Quamuis omnis Scriptura diuina superna luce resplendeat, & in eâ virtus Spiritus sancti irradiet euidenter, in Psalterio tamen, & Prophetis, & Epistolis Apostolorum, maximum studium laboris impendi, quoniam mihi visi sunt profundiorem abyssum cõmouere, & quasi arcem totius Scripturæ diuinæ atque altitudinẽ gloriosissimam continere.* (Nullo viri labo-rant.) Sed cum tot libros ediderit Cassiodorus, per argumenta tam diuersa ingenium circumagendo, interim vel Regum negotijs implicitus, vel Monasterio abditus, nihil maiorẽ admirationem Hieronymo Rubeo alijsq; conciet, quam nullum ei verbum excidisse, quod Ecclesia Catholica nõ probasset. Atqui sponte se offert Cassiodorus, & ora hæc in verba explicat: (Cassiod. l. 2. ep. 5. ad Ioh. Pont.) *Sum quidẽ iudex Palatinus, sed vester non desinam esse discipulus: nam tunc ista recte gerimus, si a vestris regulis minime discedamus.* Immo ne qua hæresis cõflari, aut sincera fides corrumpi posset, auctor Agapeto, Põtifici Max. (Præfat. diu. lect.) fuit, vt publicas in Italia aperiret Academias, Alexandrinæ, aliarumq; exemplo, in quibus S. Scriptura traderetur; & hos quidẽ stimulos Papæ admouit adhuc c[...]uis mundi. Voto potiri tamen nõ licuit per bella, quibus agitabatur Itali[a]: nec per Regũ ac imperãtium coronas & sceptra, quæ per[p]etuo huc illuc voluebantur, cum quiete ac pace bonæ artes indigeant. A[n]gustum igitur agellum colere (Ludũ litterarium in Monasterio aperuit.) instituit, cum Italiam vniuersam non posset; docuitq; domi suæ vna cũ Dionysio collega, Exorsus telam nunquã satis l[a]udatam, quam longis deinde sæculis Ordo texuit, litteras publice in Monasterijs profitendo, cui decori non hic i[n]dulsero, cum sæpe recurrat.

Ætate fessum oportet Abbatiæ onus posuisse, nam cap. 32. diuinarum lectionum ad Calcedonium & Gerontium, quibus superũ & inferum Monasterium commiserat, flectit orationẽ, eos erudiendo quo pacto nõ tantum monachos, sed etiam subditos seculares haberent. Sanctis antè huiusinodi operibus mictus, lapsis per lõgissimos annos viribus, à Numine conuasare iussus, abijt, multorum opinione ad Superos. Sunt etiam nõ pauci, qui eum Cęlitibus aperte miscent, & S. Cassiodorum appellant. An id etiam aliquando ab Ecclesia factum, ignoramus. Facinora ipsius heroica fuere: scripta, supra comparationem, vt in astra euasisse præmia capturum, nil dubitemus.

CAPVT III.

Cassiodorus fuit Monachus Ordinis S. P. N. Benedicti.

Litem Ordini mouet Baronius super Cassiodoro in & Iohannẽ Trithemium, virum doctum, clarum, vbique gentium celebrem, ardentius inuehitur, quod illũ familię D. Benedicti inferat. (Baronius Cassiodorum Ordine S. Benedicti mouet.) Ego vero pedem non promouero, donec Trithemium à vero stare monstrauero. Cardinalis primam Patris nostri ætatẽ excipiens, ecce sibi, ad annũ Christi quadringentesimum nonagesimum quartum mirifice extollit viros sanctitate & doctrina præstantes, quibus Ordo S. Patriarchę nobilis est. (Baron. 494.) Addit, cum tanta eorum fuerit multitudo, nulla necessitate agi S. Benedictum, adsciscendi filios, à se nõ sublatos, sed ab alijs expositos. Fęminis male fœcundis equidẽ vitio verti nõ posse (immo laudandum) si liberos non suos nutriant. Quod si copiosam ipsæ numerent sobolẽ, culpæ manifesto affines se facere, si vberis nectar proli instillent alienæ, propriam vero prętereant. Hic autem capillaram occasionẽ se nactum ratus, in ius Iohannem Trithemium rapit, quod S. Benedicti familiæ multos filios imposuerit, ab eo non susceptos. Cæsarium, ac Faustum Episcopum Rhegiensem, ante sanctum Patrem nostrum floruisse: Abbatem Eugippium fuisse S. Seuerini monachũ, priusquam S. Benedictus habitum monasticum induisset. Calore tum pręferuido Trithemij lapsus augens, nec non coloribus Rhetorum grauiter intendens, pro mantissa Cassiodorum, iactat, eadem temeritate S. Benedicti fami[li]æ ab eo additum.

Mihi vero ægre facit, immensum huius Historiæ æquor aranti necessitatem quandoque imponi, viris cum grauibus ii[...]ate- (Errare humanũ est, non tantũ Trithemiarum)

nam descendendi, pugnandique. Omnium vero ægerrime clypeum aduersus Baronium capio, & tela ab ipso intorta excutio. Purpuram illustrissimi Cardinalis deueneror: sacræ fimbriæ osculum imprimo: pro sæculi sui phœnice habeo: ab historia tamẽ, quam scribendam suscepi, subigor conferre pedem. Nec vbique tamen Trithemium Orbi excusauero, præsertim vbi Monachos Græcos (veluti Anastasium cum socijs, quos S. Basilius sibi verius, me iudice, vindicarit) in Album Monachorum S. Benedicti refert. At at dum Sanctos Ecclesiæ Latinæ, quorum meminimus, in numero ponit, exiguam subinde culpam admittit: nonnunquam etiam culpa penitus vacat. Cæsarium, Episcopum Arelatensem, Catalogo Benedictinorum addidit; verum Cæsarius ipse sermone tertio ad Monachos scripto, S. Benedictum suum Patrem appellauit: eius Regulã Monachos sequi ac seruare imperauit: quæ verba Trithemio ansam præbuere, virum S. Benedicto accensendi. Cui autem vel maxime oculato hæc verba non imposuissent? Non enim adeo promptum est, partus auctorum veros à suppositis dignoscere. Atqui cum historicum oporteat esse Argum, qui oculeus totus fuit: cumque temporum imprimis rationem ducere debeat, in quibus cardo veritatis vt plurimum versatur, causam Trithemij nõ peroro hic, sed potius desero, & candide fateor, pomum è quercu decussisse, ac inicere cucullum Benedictinum Cesario circumdedisse. Quã facilis tamen fuerit lapsus, ostendi. Historijs quidẽ tum temporis multi ingenia impenderunt, at chronologia nõdum subierat limam, vt hodie, accuratam. Neq; casas ædificauit idem Trithemius, dum Eugippum Ordini nostro asseruit. Hic enim Abbas S. Benedictum viuendo est cõsequutus: eundem se nouisse ait Cassiodorus. Ac faciamus Monachum fuisse ante S. Benedictum, potuit tamen in ipsius Regulam concedere post modum scriptam, multorum in Italia Monachorum exemplo, qui leges suas priuatas cum Regula S. Benedicti, quæ plus ponderis è cœlo habebat, commutarunt. Si enim S. Romanus, viam ad solitariam vitam affectanti Benedictu habitum induens, eidem se postea in disciplinam dedit, ac alijs ianuam patefecit, cur non sequi & ingredi potuerit Eugippus? nõ tamen victoriam me hinc referre ouans exclamo, cũ animus mihi tantum fuerit ostendere, Trithemium non omnino mente excidisse, nec piscatum in aëre, nec meruisse censoriam virgulam, à Baronio commoto impactam. Igitur fide ac fama apud alios hac gratia laborare non debet historicus insignis, cui applaudit orbis, & quem Onuphrius multa in suos fastos deriuans, vocat illustrem.

Trithem. l. 2. c. 16 & l. 3. c. 02. de vir. ill.

Cassiodor. de diuinis lect. c. 23.

Onuphr. an. 1409.

Quod Faustum, Episcopũ Rhegiensem, Monachis S. Benedicti adiunxerit, quasi ad implẽdum vacuum, male obelisco notatur. Libros ipsius, de viris illustrib. compositus, magno studio volui ac reuolui, innocentem demum absolui. Secundo libro atq; tertio fert quendam Faustum Monachos inter Benedictinos, quem ipse Baronius Monachum S. Benedicti fuisse cõfitetur: nec orbis it inficias. Illis enim locis illo cum Fausto negotium intercessit Trithemio, qui S. Maurum iter in Gallias intendentẽ, est prosequutus, viæ comes, vitæ scriptor. Sed vt magis appareat quid Trithemius de Fausto Rhegiensi senserit, libro de scriptorib. Ecclesiasticis eius mentionem faciens, anno quadringẽtesimo nonagesimo floruisse affirmat, nimirũ cum S. Benedictus annum ageret decimum. Adducit deinde anno sexcentesimo Faustum alterum, S. Benedicti discipulum, cuius habitum septennis puer in Monte Casino induerat. Hunc autem viros inter illustres Ordinis Trithemius numerauit; nec moueri loco à Baronio potest, qui à sancto Benedicto eductum & imbutum fuisse, non raro ipse asserit. Collyrium igitur Baronij, alteri cuipiam adhibendum fuerit.

Absoluitur Trithemius.

Trithem. l. 2. c. 2. & l. 3. c. 3. de vir. illust.

Sed paulo sum longior, quã institueram, impulsus veritatis vestigandæ studio. Nunc vero in causas huius dissidij quæramus. Libuit Cardinali contra sententiam, in quã tot retro sæcula iuerant, argutari, capta ansa è Cassiodori libro de diuinis lectionibus, vbi situ Monasterij Viuariensis perquam amœno exposito, Monachos à loci delitiis auersos, in cœlũ ac Deum oculos animosq; attollere iubet, subiungitq; simul: *Cassianum Presbyterũ, qui scripsit de institutione fidelium Monachorum, sedulo legitẽ, & libẽter audite; qui inter ipsa initia sancti propositi octo principalia vitia dicit esse fugienda. Qui tamen de libero arbitrio a B. Prospero iure culpatus est. Vnde monemus, vt in rebus talibus excedentẽ sub cautela legere debeatis, cuius dicta Victor Martyritanus, ita Domino iuuante purgauit, & quæ minus erant, addidit, vt ei rerũ istarum palma merito conferatur.* Hinc Baronius iam satis certum indicat, Cassiodori nomen è syllabo Monachorum S. Benedicti abolendum. Alias quando is Viuariensi Monasterio egregie depicto. Monachos suos ad perfectionis studiũ incitauit, auctorq; fuit, vt Cassianum sedulo tererent, potius Regulam S. Benedicti in manus sumere iussurus fuisset, quippe quam profiterentur. Atqui si nõ plus peccauit Trithemius, quam hic conuincitur, nec in Areopago quidem condem-

Cassiodor de diuin. lect. c. 29.

Argumentum Baronij, quo vult conficere Cassiodorum non fuisse alumnum S. Benedicti.

Argumentum claudicat.

nari potest. Etenim, quæ vis inest argumento! Nec præterit Cardinalem Baronium, huiusmodi negationes, pede claudo sequi conclusionem. Atqui conficiamus enthymema in exemplum. *Cassiodorus suos Monachos non iussit seruare S. P. N. Benedicti Regulam; igitur eam non seruarunt.* Vitium etiam Dauus intelligat. Deinde causam non minus, quam enthymema vacillare, res ipsa indicat. Nota enim, consueta, quotidiana, de nouo imperare non solemus. Vel cedo, qui tam ridiculum quicquam in mentem venire cuiquam mortalium possit, quam militi belligeraturo suadere, arma capessat: aut mercatori ad nundinas tendenti, suggerere, nummis vt crumenam instruat? aut litterarum studioso autem vellere, sibi vt libros paret? Probe namque sciunt, quod sibi consulere debeant: inertis autem in sinum manibus nihil agi. Quorsum igitur Cassiodorus suis incubuisset Monachis, vt lectionem Regulæ S. Benedicti inter prima haberent, cum eo die quo vota tyrones nûcupant, lecturos se ac seruaturos sancte spondeant, tenerique, omnibus certum & perspectum sit? quo autem pacto illam ad normam vitam instituerent, nisi viderent atque legerent? Ex hac fidelia etiam alium licet dealbare parietem: colligere, inquam, licebit Cardinali Baronio, S. Benedictum suis iussisse Monachis ad Diui Basilij Regulam se componere, sua neglecta: quia Capite postremo filios suos ad legendum Regulam Diui Patris Basilij, & Collationes Patrum, à Cassiano compositas, inhortatur, quas Cassiodorus tanti æstimarat, idq; merito. Dignæ enim sunt, quæ sæpius terantur, præsertim à tyronibus, quod insidias à dæmonibus collocatas sapientissime detegant. Verum enimuero dum S. Benedictus & Cassiodorus harum lectionem suis discipulis inculcarunt, non simul alios libros è manibus excutere voluerunt: neque hoc argumento confici potest, ad aliam ipsis Regulam viuendum haud fuisse, quam quæ tum commendabatur.

Refutatur à simili.

Porro nobis iam causæ inueniendę sunt, ob quas Cassiodorus à suis haberi voluit Cassianum. Prima sit, quia Cassianus magnum pondus addebat dictis, quæ tum Cassiodorus suis Religiosis inculcabat. Ideoq; in medium citabatur, ac laudabatur. Altera, quod de lima, à Prospero & Victore ipsi adhibita, commonefaciendi viderentur, ne quæ de libero arbitrio temere is effuderat, sui incaute imbiberent. Non igitur (mea quidem sententia) id agebat Cassiodorus, vt suis discipulis præscriberet, quos maxime libros legi vellet. Nam Vitas Patrum, Regulas SS. Pachomij, Basilij, Augustini, Benedicti obtulisset. Sed solum à laudato Cassiano sibi vt cauerent, monere voluit, qua parte liberum arbitrium sinistre tractasset. Ego vero suffusus fuissem ora rubore, si Cassiodorus hanc in nauim etiam S. P. N. Benedictum imposuisset, cuius doctrina erroris pura, integra est, nec vlla parte laborat. Quod igitur eius non sit facta mentio cum Cassiano, causæ nostræ vehementer conducit; obest vero Baronio, teueta vineta sua per Cassiodorum cædenti. Non est proinde quod castigantem vnguem imprimat insonti Truhemio, qui Cassiodorum Ordini S. Benedicti vindicando non modo nullam designauit culpam, sed potius non vltimi specimen historici dedit, in Religione sua propugnanda haud fumos, sed splendidum ignem venditando.

Habitum Monasticum Cassiodorus sumpsit anno quingentesimo trigesimo octauo, aut nono, celeri fama S. Benedictum per totam Italiam circumferente. Hic anno quingentesimo quadragesimo tertio diem obijt: ille quingentesimum septuagesimum attigit, cum S. Regula per Italiam altas iam egisset radices, ac Ordini non vetera tantum accederent Monasteria, sed etiam construerentur noua. Quidam ferunt Cassiodorum Monachum fuisse Rauennatem, sed falluntur. Etenim in Calabria, quæ regni Neapolitani pars est, Ordini nomen dedit. Eodem in regno Montem Casinum rerum natura posuit. Quod si Hispania & Gallia ad S. Benedictum miserunt legatos, petitum discipulos, somnio profecto simile est in Calabria, regni Neapolitani prouincia, tunc temporis nouum erectum fuisse Monasterium alia Regula (si Dijs placet) quam S. Benedicti vsurum, cû eam antiqua etiam Cœnobia auide ad se traherent. Sed hanc rem infra curauero, cum annum quingentesimum septuagesimum sextum exigam, quo fidem faciam, Regulam S. P. N. Benedicti anno quingentesimo sexagesimo in luce, fama, vsu, per totam Italiam fuisse, iam tertio Abbate ad clauum Montis Casini sedente. Quando igitur Casiodorus anno quingentesimo septuagesimo secundo humanis exemptus nondum fuit, quis non animum induxerit, Monachum S. Benedicti fuisse? Credet, qui Cassiodori lucubrationes legerit. Ad Regulam enim S. Benedicti totum disponit Monasterium. Rude donatos in vita Cœnobitica, amittit in Eremum: pro carnibus pisces ponit: officinas intra Monasterium contrahit, ne vel prætextus necessitatis, vel causa, extra limen Monachos euocet, vt alia multa prætereamus.

Cassiodorum Ordinis S. Benedicti Monachû fuisse cõfirmatur.

Qui

Wion l. 3. c. 11.

Quid, quod Monasterium Vinariense deinceps Ordinis S. Benedicti appellatum, ac insuper Caput quoque Congregationis eius Ordinis fuerit, quam Castellensem dixere? quæ omnia Trithemium non modo culpæ eximunt, sed etiam prudentis & sagacis historici partes expleuisse, demonstrant. Neque Cardinalis Baronij officium erat, ita penitus in promptu habere, Ordinis S. Benedicti monachos, ipsis præsertim semet nō venditantibus, aut palam indicantibus. Ad nos vero, quorum interest, qui eodem habitu vtimur, qui S. Regulam quotidie voluimus, qui singula propius inspicimus & excutimus, ad nos, inquam, spectat, diligenter animaduertere, quemnam viuendi modum habuerint Monasteria, tum ædificata; ac deprehensō quod leges à S.P.N. Benedicto latas sectata sint, Ordini S. Benedicti nulla iniuria asserere. Hoc nomine autem Monasterium Viuariense in eius familiam venit: Cassiodorus vero, qui illud extruxit, Monachis Benedictinis accensendus est. In veterem hanc, & peruulgatam sententiam nuper etiam inierunt Gabriel Varrius, de S. Francisci Ordine: Hieronymus Platus è Societate, & noster Arnoldus Wion.

Varr. hist. Calabriæ l. 3. Platus l. 2. c. 32. Wion l. 2. c. 62.

Non quærimus viros illustres: at quos habemus, eripi nobis haud patimur.

Denique in tota hac historia morem Baronio gessero, non accersendo, non admittendo in Diui Benedicti Ordinem, qui ductum & auspicium sanctissimi Monachorum Patriarchæ sequuti non sunt. Quin singulis Centurijs in spongiam incumbam, nomina eorum abolendo, qui nomen Nostro Patri ac Duci nunquam dederunt. Cum enim Ordini S. Benedicti, fatente Baronio, non tantum sat Sanctorum sit, sed etiam superet, non est cur viros illustres beatosq; aliunde asciscat. Nec enim cornicula est, vt in cultum sui, plumis se vestiat non suis. Vtroqueuersum tamen ingenium intendam, ea libertate curaque vsurus in nostris vindicandis, qua vtar in alienis submouendis. Non enim constitui, vt myropolæ, multa loqui, sed vera.

Annus Christi 552. Annus S. Benedicti 72.

CAPVT I.

S. Maurus Ordinem extendit per Galliam.

Svperioribus annis S. Benedicti discipulos, fidei & Religionis Satores primos, in theatrum dedi, præsertim quos Italia eduxerat. Nunc operæ pretium fuerit, quid sanctus Maurus moliatur in Gallia, dispicere. Et profecto quoquouersum se mouens, omnia fecit hactenus, vt quam plurima per Prouincias Monasteria excitarentur: vnde viri olim insignes prodierunt, qui deinde Britanniæ ac Germaniæ magnam operam dedere. Rex Theodobertus S. Maurum ac Ordinem insigni amore prosequebatur, cū ob insitam pietatem, qua in sacerdotes & Ecclesias vltro ferebatur: tum sui quoque Flori gratia, iam pridem in amicitiam prinatam admissi. Postquam annos quatuordecim regnarat, alta pace gauisus, hoc anno vitam exuit, subditis collachrymantibus, relicto eximio sui desiderio. Sceptra post Theodobertum capessiuit Theobaldus, nō tam regni paterni, quam virtutis ac studij in sanctum Maurum & Ordinem nostrum heres, cuius passim fundamenta iaciebantur per Galliam. Aderat ante id Floro, aulam & res secundas in Monasterio Glanofoliensi deponenti, & Monachum induenti: vnde captus loci amore, duas ei villas, quarum vni Fabrensi, alteri Vosdæ nomen, contulit; daturus plura, nisi inopina mors iuuenem occupasset. Agathias, auctor Græcus, duos duntaxat annos in regno egisse, ait. Gregorius Turonensis septem: cui velut incolæ plus fidei habendum est. Qua de causa Theobaldi fatum in annum quingentesimum quinquagesimū octauum differemus.

Theodebertus rex moritur.

S. Faustus vita sancti Mauri.

Gregor. Turon. l. 4. c. 9.

Theodeberto & Theobaldo Regibus nihil amore, studio, beneficijs in Ordinem S. Benedicti concessit Clodouęi domus, quasi certamine cum prioribus inito, quis multitudine ac magnitudine vinceret. Patentes, liberi, nepotes, cognati, famuli, ædificatis nouis Monasterijs, iugum vitæ monasticæ subierunt. Quamuis autem Galliam quam plurimi habitarent Christiani, Catholica fide iam late pridem diffusa, nihilominus vbi Franci, Germaniæ populus, ingruerunt, veteri cum nomine fides quoque pessum iuit. Nam Francia deinceps dicta fuit. Cumque vero noui rerum domini colerent idola, illico pulsa sincera religione, suis sceleribus incolas imbuere. In hoc luto multis annis regnum hæsit, donec Clodouæus Rex sancti Remigij meritis, tum etiam suæ coniugis Chrotildæ, è Burgundia oriundæ, precibus, aquis lustralibus rite expiatus, ad partes Catholicorū transijt. Decus suæ nationis nostriq; Ordinis hæc Regina fuit, cui regnum debetur ad fidem conuersum. Vltimos vitæ annos, dato nomine S. Benedicto, in Monasterio duxit. Hinc Francia tam prona in Ordinem est: quippe cum lacte fidei Catholicæ, deuotionem se & Christianas virtutes aliquando imbibisse meminit, instillantibus primis S. Benedicti Monachis.

Clodouęi domus Ordinis S. Benedicti amantissima.

Quamuis igitur tempestiue ad Ecclesiam accesserit Gallia, successit tamen iterum in-

uari poteſt. Etenim, quæ vis ineſt argumento! Nec præterit Cardinalem Baronium, huiuſmodi negationes, pede claudo ſequi concluſionem. Atqui conficiamus enthymema in exemplum. *Caſſiodorus ſuos Monachos non iuſſit ſeruare S. P. N. Benedicti Regulam; igitur eam non ſeruarunt.* Vitium etiam Dauus intelligat. Deinde cauſam non minus, quam enthymema vacillare, res ipſa indicat. Nota enim, conſueta, quotidiana, de nouo imperare non ſolemus. Vel cedo, qui tam ridiculum quicquam in mentem venire cuiquam mortalium poſſit, quam militi belligeraturo ſuadere, arma capeſſat: aut mercatori ad nundinas tendenti, ſuggerere, nummis vt crumenam inſtruat? aut litterarum ſtudioſo aurem vellere, ſibi vt libros paret? Probe namque ſciunt, quod ſibi conſulere debeant: inertis autem in ſinum manibus nihil agi. Quorſum igitur Caſſiodorus ſuis incubuiſſet Monachis, vt lectionem Regulæ S. Benedicti inter prima haberent, cum eo die quo vota tyrones nũcupant, lecturos ſe ac ſeruaturos ſancte ſpondeant, tenerique, omnibus certum & perſpectum ſit? quo autem pacto illam ad normam vitam inſtituerent, niſi viderent atque legerent? Ex hac fidelia etiam alium licet dealbare parietem: colligere, inquam, licebit Cardinali Baronio, S. Benedictum ſuis iuſſiſſe Monachis ad Diui Baſilij Regulam ſe componere, ſua neglecta: quia Capite poſtremo filios ſuos ad legendum Regulam Diui Patris Baſilij, & Collationes Patrum, à Caſſiano compoſitas, inhortatur, quas Caſſiodorus tanti æſtimarat, idq; merito. Dignæ enim ſunt, quæ ſæpius terantur, præſertim à tyronibus, quod inſidias à dæmonibus collocatas ſapientiſſime detegant. Verum enimuero dum S. Benedictus & Caſſiodorus horum lectionem ſuis diſcipulis inculcarunt, non ſimul alios libros è manibus excutere voluerunt: neque hoc argumento confici poteſt, ad aliam ipſis Regulam viuendum haud fuiſſe, quam quæ tum commendabatur.

Refutatur a ſimili.

Porro nobis iam cauſæ inueniendę ſunt, ob quas Caſſiodorus à ſuis haberi voluit Caſſianum. Prima ſit, quia Caſſianus magnum pondus addebat dictis, quæ tum Caſſiodorus ſuis Religioſis inculcabat. Ideoq; in medium citabatur, ac laudabatur. Altera, quod de lima, à Proſpero & Victore ipſi adhibita, commonefaciendi viderentur, ne quæ de libero arbitrio temere is effuderat, ſui incaute imbiberent. Non igitur (mea quidem ſententia) id agebat Caſſiodorus, vt ſuis diſcipulis præſcriberet, quos maxime libros legi vellet. Nam Vitas Patrum, Regulas SS. Pachomij, Baſilij, Auguſtini, Benedicti obtuliſſet. Sed ſolum à laudato Caſſiano ſibi vt cauerent, monere voluit, qua parte liberum arbitrium ſiniſtre tractaſſet. Ego vero ſuffuſurus fuiſſem ora rubore, ſi Caſſiodorus hanc in naeuum enam S. P. N. Benedictum impoſuiſſet, cuius doctrina erroris pura, integra eſt, nec vlla parte laborat. Quod igitur eius non ſit facta mentio cum Caſſiano, cauſæ noſtræ vehementer conducit; obeſt vero Baronio, tenera vineta ſua per Caſſiodorum cædenti. Non eſt proinde quod caſtigantem vnguem imprimat inſonti Trithemio, qui Caſſiodorum Ordini S. Benedicti vindicando non modo nullam deſignauit culpam, ſed potius non vltimi ſpecimen hiſtorici dedit, in Religione ſua propugnanda haud fumos, ſed ſplendidum ignem vendirando.

Habitum Monaſticum Caſſiodorus ſumpſit anno quingenteſimo trigeſimo octauo, aut nono, celeri fama S. Benedictum per totam Italiam circumferente. Hic anno quingenteſimo quadrageſimo tertio diem obijt: ille quingenteſimum ſeptuageſimum attigit, cum S. Regula per Italiam altas iam egiſſet radices, ac Ordini non vetera tantum accederent Monaſteria, ſed etiam conſtruerentur noua. Quidam ferunt Caſſiodorum Monachum fuiſſe Rauennatem, ſed falluntur. Etenim in Calabria, quæ regni Neapolitani pars eſt, Ordini nomen dedit. Eodem in regno Montem Caſinum rerum natura poſuit. Quod ſi Hiſpania & Gallia ad S. Benedictum miſerunt legatos, petitum diſcipulos, ſomnio profecto ſimile eſt in Calabria, regni Neapolitani prouincia, tunc temporis nouum erectum fuiſſe Monaſterium alia Regula (ſi Dijs placet) quam S. Benedicti vſurum, cũ eam antiqua etiam Cœnobia auide ad ſe traherent. Sed hanc rem infra curauero, cum annum quingenteſimum ſeptuageſimum ſextum exigam, quo fidem faciam, Regulam S.P.N. Benedicti anno quingenteſimo ſexageſimo in luce, fama, vſu, per totam Italiam fuiſſe, iam tertio Abbate ad clauum Montis Caſini ſedente. Quando igitur Caſſiodorus anno quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo humanis exemptus nondum fuit, quis non animum induxerit, Monachum S. Benedicti fuiſſe? Credet, qui Caſſiodori lucubrationes legerit. Ad Regulam enim S. Benedicti totum diſponit Monaſterium. Rude donatos in vita Cœnobitica, amittit in Eremum: pro carnibus piſces ponit: officinas intra Monaſterium contrahit, ne vel prætextus neceſſitatis, vel cauſa, extra limen Monachos euocet, vt alia multa prætereamus.

Caſſiodorum Ordinis S. Benedicti Monachũ fuiſſe cõfirmatur.

Qui

Wion l. 5. c. 11.

Quid, quod Monaſterium Viuarienſe deinceps Ordinis S. Benedicti appellatum, ac inſuper Caput quoque Congregationis eius Ordinis fuerit, quam Caſtellenſem dixere? quæ omnia Trithemium non modo culpæ eximunt, ſed etiam prudentis & ſagacis hiſtorici partes expleuiſſe, demonſtrant. Neque Cardinalis Baronij officium erat, ita penitus in promptu habere, Ordinis S. Benedicti monachos, ipſis præſertim ſemet nõ venditantibus, aut palam indicantibus. Ad nos vero, quorum intereſt, qui eodem habitu vtimur, qui S. Regulam quotidie voluimus, qui ſingula propius inſpicimus & excutimus, ad nos, inquam, ſpectat, diligenter animaduertere, quemnam viuendi modum habuerint Monaſteria, tum ædificata; ac deprehenſo quod leges à S.P.N. Benedicto latas ſectata ſint, Ordini S. Benedicti nulla iniuria afferere. Hoc nomine autem Monaſterium Viuarienſe in eius familiam venit: Caſſiodorus vero, qui illud extruxit, Monachis Benedictinis accenſendus eſt. In veterem hanc, & peruulgatam ſententiam nuper etiam iuerunt Gabriel Varrius, de S. Franciſci Ordine: Hieronymus Platus è Societate, & noſter Arnoldus Wion.

Varr. hiſt. Calabria l. 3. Platus l. 2. c. 32. Wion l. 2. c. 62.

Denique in tota hac hiſtoria morem Baronio geſſero, non accerſendo, non admittendo in Diui Benedicti Ordinem, qui ductum & auſpicium ſanctiſſimi Monachorum Patriarchæ ſequuti non ſunt. Quin ſingulis Centurijs in ſpongiam incumbam, nomina eorum abolendo, qui nomen Noſtro Patri ac Duci nunquam dederunt. Cum enim Ordini S. Benedicti, fatente Baronio, non tantum ſat Sanctorum ſit, ſed etiam ſuperet, non eſt cur viros illuſtres beatosq; aliunde aſciſcat. Nec enim cornicula eſt, vt in cultum ſui, plumis ſe veſtiat non ſuis. Vtroqueuerſum tamen ingenium intendam, ea libertate curaque vſurus in noſtris vindicandis, qua vtar in alienis ſubmouendis. Non enim conſtitui, vt myropolæ, multa loqui, ſed vera.

Non quærimus viros illuſtres: at quos habemus, eripi nobis haud patimur.

ANNVS CHRISTI 552. ANNVS S. BENEDICTI 72.

CAPVT I.

S. Maurus Ordinem extendit per Galliam.

SVperioribus annis S. Benedicti diſcipulos, fidei & Religionis Satores primos, in theatrum dedi, præſertim quos Italia eduxerat. Nunc operæ pretium fuerit, quid ſanctus Maurus moliatur in Gallia, diſpicere. Et profecto quoquouerſum ſe mouens, omnia fecit hactenus, vt quam plurima per Prouincias Monaſteria excitarentur: vnde viri olim inſignes prodierunt, qui deinde Britanniæ ac Germaniæ magnam operam dedere. Rex Theodobertus S. Maurum ac Ordinem inſigni amore proſequebatur, cũ ob inſitam pietatem, qua in ſacerdotes & Eccleſias vltro ferebatur: tum ſui quoque Floti gratia, iam pridem in amicitiam priuatam admiſſi. Poſtquam annos quatuordecim regnarat, alta pace gauiſus, hoc anno vitam exuit, ſubditis collachrymantibus, relicto eximio ſui deſiderio. Sceptra poſt Theodobertum capeſſiuit Theobaldus, nõ tam regni paterni, quam virtutis ac ſtudij in ſanctum Maurum & Ordinem noſtrum hęres, cuius paſſim ſundamenta iaciebantur per Galliam. Aderat ante id Floro, aulam & res ſecundas in Monaſterio Glanofolienſi deponenti, & monachum induenti: vnde captus loci amore, duas ei villas, quarum vni Fabrenſi, alteri Voſdæ nomen, contulit; daturus plura, niſi inopina mors iuuenem occupaſſet. Agathias, auctor Græcus, duos duntaxat annos in regno egiſſe, ait. Gregorius Turonenſis ſeptem: cui velut incolæ plus fidei habendum eſt. Qua de cauſa Theobaldi fatum in annum quingenteſimum quinquageſimũ octauum differemus.

Theodebertus rex moritur.

S. Fauſtus vita ſancti Mauri.

Gregor. Turon. l. 4. c. 9.

Theodeberto & Theobaldo Regibus nihil amore, ſtudio, beneficijs in Ordinem S. Benedicti conceſſit Clodouęi domus, quaſi certamine cum prioribus inito, quis multitudine ac magnitudine vinceret. Parentes, liberi, nepotes, cognati, famuli, ædificatis nouis Monaſterijs, iugum vitæ monaſticæ ſubierunt. Quamuis autem Galliam quam plurimi habitarent Chriſtiani, Catholica fide iam late pridem diffuſa, nihilominus vbi Franci, Germaniæ populus, ingruerunt, veteri cum nomine fides quoque peſſum iuit. Nam Francia deinceps dicta fuit. Cumque vero noui rerum domini colerent idola, illico pulſa ſincera religione, ſuis ſceleribus incolas imbuere. In hoc luto multis annis regnum hæſit, donec Clodouæus Rex ſancti Remigij meritis, tum etiam ſuæ coniugis Chrotildæ, è Burgundia oriundæ, precibus, aquis luſtralibus rite expiatus, ad partes Catholicorũ tranſijt. Decus ſuæ nationis noſtriq; Ordinis hæc Regina fuit, cui regnum debetur ad fidem conuerſum. Vltimos vitæ annos, dato nomine S. Benedicto, in Monaſterio duxit. Hinc Francia tam prona in Ordinem eſt: quippe cum lacte fidei Catholicæ, deuotionem ſe & Chriſtianas virtutes aliquando imbibiſſe meminit, inſtillantibus primis S. Benedicti Monachis.

Clodouęi domus Ordinis S. Benedicti amantiſſima.

Quamuis igitur tempeſtiue ad Eccleſiam acceſſerit Gallia, ſuccreuit tamen iterum in-

Monachi infelix lolium euellunt ex Gallia.

felix lolium; quamobrem terra denuo subigenda erat. Semen etiam nouum cœlo delapsum, quod tempore non multo tantum fecit incrementum, vt vicina quoque regna fructibus tam diuinis redundarint. Vnus S. Maurus centum sexaginta Monasteria erexisse fertur, quæ deinde docti, graues, atque ad virtutem accensi monachi incoluerunt. Præterea Monasteria antiqua, priuatis ante id legibus vtentia, magna ex parte in Regulam S. Benedicti iurarunt, communem iam & vulgatam, prudentia plenam, virtutibus parandis accommodatam: denique cœlo in acceptis ferendam. Idem aliquando factum in Italia. Noua autem, eidem S. Benedicto condebantur, quod auctor vitæ sancti Maioli hisce confirmat. *Post S. Benedicti ex hac vita migrationem, per B. Maurum illius discipulum, omnis pene Gallia eius institutionis & Religionis instituta suscepit, atque per eundem Maurum, eosq́, quos ille ad institiam erudiuit, per longa temporum spatia eadem Religio ad perfectionis culmen excreuit.*

Surius 11. May.

Monasteriis mirifice augentur.

Tanta profectò hic Ordo incrementa sumpsit in Gallia, vt anno septingentesimo quadragesimo secūdo, Zacharia Pontifice Max. negotium dante (Carolomanno suum quoque momentum adferente) Bonifacius Germaniæ Apostolus, Concilium contraxerit, in quo Patres Regulam S. Benedicti Monasterijs imposuere. Sed hæc suo loco: interea sitim, si quæ vrit, diluerit Nauclerus. Idem plane fecit Concilium Aquisgranense Ludonico pio imperante. Hæc sacra Comitia, in Germania acta & Gallia, non alius Regulæ, non alterius Ordinis, quam S. Benedicti meminerunt, quocirca immensis auctibus creuit, semet intendens per sanctitatem ac litteras, quas diuitiæ, potentia, decus & gloria excepere. Hinc Ludouicus XII. Rex Galliæ vocem istam admiratione dignam edidit: *S. Maurum maiorem potentiam consequutum esse Breuiario, quam se suosq́ maiores armis:* quasi sanctus Pater opibus tum fuisset potior. Litteris atauero, si omnia Monasteria ad calculum vocare connisus fuero: cæteris tamen palmam præripuere, Turonense, S. Germani Parisiense, S. Medardi, Sennonense.

Io. Naucl. Gen. 25.

CAPVT II.

Monasterium Turonense, quod vulgo vocant, maius.

QVando mihi multis cum Monasterijs Galliæ, deinceps negotium est futurū, sedet animo à Turonensi S. Martini ducere principium, euius me cum excellentia, tum antiquitas impellit. Multo quidem ante S. Benedictum extructum fuit; illis tamen adnumerari debet, quæ primo sacramentum à glorioso Patre nostro acceperunt, habitu & Regulis commutatis: atque etiamnum hodie stipendia sub hoc Monachorum duce facit. Vrbs vero Turonensis ad Ligeris ripam tenditur, frequens ac populosa, quod fœcundum vsque solum magnam annonæ copiam infundat. Non tamen tumidum flu nium, vel Cornucopiæ Turonum iactat, sed sacrum Diui Martini corpus; qui licet ex Vngaria oriundus fuerit, studijs tamen certantes Galli eum sibi vindicant, ac Turonensem nominant, quod hac in ciuitate gesserit Pontificatum. Itaque sancto viro ciuitas addidit cognomen; quod is abunde compensauit, ciuitati comparando gloriam. Monasterium dimidio milliari abest ab vrbe: appellatur autem maius, eo quod sancto Martino innumera templa & monasteria per Galliam sint posita, hoc autem cæteris antecelleret. Huc etiam accedit, multa circum Monasteria, ei tanquam capiti primas partes detulisse. Adeo enim Gallorum animos tenuerat S. Martinus, vt magnifico & ingenti templo, à Perpetuo Episcopo vasta mole educto, multa alia Monasteria monachorum, sacrarum Virginum, Cellas Reclusorū, & in pœnitentiam incumbentium, adiunxerint, Israëlitarum exemplo, qui circum arcam fusi sedem figebant, cum bella gererent. Diues iuxtaque felix sibi videbatur, vnius palmi possessor, quo se Diui Martini sepulchro poterat admouere. Cum igitur Monasterium illud tot alia cingerent Asceteria, nomen maioris incolæ imposuerunt.

Monasterium Turonense antiquissimum, Ordini nostro accessit.

Perpetuus Episcopus sanctissimi Præsulis amore incensus, tum etiam miraculis, quæ frequenter patrabat, inductus, anno quadringentesimo octogesimo vastū templum posuit: quod Gregorius Turonensis memorat. Cum vero multitudinem, tot admirandis beneficijs excitam, non caperet locus, quo sacræ reliquiæ contumulatæ erant, ingens illis spatium à Perpetuo destinatum fuit; quod pariter Monasterij nomen poterat augere. Sed oculos ac aures impleat Sidonius Apollinaris, Poëta pro illo sæculo non inconditus; qui cum Salomonis templo illud componit.

Templū Perpetuus Episcopus condidit.

Gregor. Turon. l. 2. c. 14.

Qua Salomoniaco potis est, confligere templo,
Septima quæ mundo fabrica mira fuit.
Nam gemmis, auro, argento, si splendidus illud;
Istud transgreditur cuncta metalla fide.
Liuor abi mordax, absoluanturq́, priores;
Nil monet, aut addat garrula posteritas.

Sidon.

Dum-

Dumijs venit Christus, populos qui ſuſcitat omnes,
Perpetuo durent culmina Perpetui.

Durauit vſque ad S. Gregorij Turonenſis ætatem, innumeris ſæculis digna Eccleſia, Monaſterijs tunc temporis vndique ſepta, in quibus degebant ſerui Dei modeſtia, animi ſubmiſſione, diuinis obſequijs pulchra æmulatione certantes; corporibus quoque in varios cruciatus actis & attritis. Etiam hodie, dum iſta ſcribo, egregium hoc in Aſceterio virtuti & doctrinæ pretium eſt.

Prope Monaſterium S. Martini multa excitata Aſceteria.

Chrotilda, Regina & mater Regum Chriſtianorum Galliæ, manum imprimis admouit operi, excitato propter ſepulchrũ S. Martini Monaſterio, in quo ſenectutem ſancte conſumpſit. Engeltruda Regis Chlotarij filia, proxime portam templi excitauit alterum. S. Monegunda poſuit tertium: S. Radegunda Regis Chlotarij coniunx, quartum. Vindicarunt hæc tempora etiam S. Leobardum ab obliuione, qui ſe in cellam quampiam Monaſterij Maioris abdiderat, immeritas à corpore pœnas exigens: deinde SS. Syluium ac Venantium, quos poſtea compendio dabo. Diuina munera in hæc Monaſteria totamque viciniam profecta, crebra fuere, namque augentur animarum bona, per frequentem cum hominibus Deo dicatis penitusque deditis, conſuetudinem, & ſociata ſtudia. Sanctus Martinus ſuum reddebat penſum, edendo miracula, quatuor libris à Gregorio Turonenſi condita, quæ Eccleſia affirmat fuiſſe innumera. Circumfuſa Seruorum Dei & S. Martini turba, ſymbolum ſuum conferebant, ſancte vitam exequendo, ſimulque miranda patrando; vnde magnum decus, magna auctoritas conciliata Monaſterio. Mox priuilegia Reges addiderunt: Pontifices Bullas: cæteri mortalium opes, ita vt cuncta alia Galliæ monaſteria viderentur inferiora.

Tam prona autẽ pietate in Diuum Martinum Gallia fuit, vt compoſitis agminibus ad eius ſepulchrum confluerer populus. Immo aliunde quoque frequentabatur à peregrinis, veluti ſepulchrum Domini: Limina Apoſtolorum: Compoſtella. Prætereа per regnum Monaſteria quatuor ſtabant, quo ſceleribus affines, aut ſuſpicione criminis laborantes rapiebantur, ad edendum publica iuramenta, dexteris ſupra ſepulchris Sanctorum depoſitis. Periurium haud impune ferebant. Deſignata vero huic ritui Monaſteria S. Germani Pariſijs, S. Medardi, S. Carilephi, S. Martini. Poſtremum præter alia decora, *aſylum* erat, vnde grauiſſimi flagitij reum (etiamſi maieſtatem læſiſſet) auellere non licebat. Piaculum enim

Papir. Maſſon. Vet. Pontif.

Aimon. l. 3. c. 21.

cenſebatur, à ſepulchro ſancti Martini deuotum caput abſtrahere. Quid opus eſt verbis, cum hoc affirmare liceat exemplis? Merobeus inuito Patre & Rege Chilperico domum duxerat vxorem: arma deinde contra eundem ſumpſit: rebus denique deſperatis, ad ſanctum Martinum confugit: euaſit. Sed priuilegia Pontificibus conceſſa autem me fatigauerint nimia multitudine, quam enumerauero; quo me onere Renatus Choppinus liberauit, Bullas à Lucio III. Vrbano, Innocentio III. Gregorio IX. Innocentio IV. Vrbano IV. Gregorio X. ac alijs acceptas proferendo. Idem affirmat Cœnobium hoc, *nullius Diœceſis*, ac ſumma in ſubditos poteſtate præditum eſſe; nec non Abbates Epiſcoporum loco à Pontificibus habitos. Maſonius Bullam oppido antiquam producit, à me in Appendicem reiectam, quæ dicta confirmat: etſi Abbates ad Epiſcopalem mitram pariter auctoratos fuiſſe, non perinde oſtendat.

Sepulchrum S. Martini publicum Aſylum.

Choppin. l. 2. tit. 5. n. 15.

Script. 11. Append.

Multos per annos ſua huic Monaſterio ſanctitas ac fortuna ſtetit, donec monachos dementia haud parua cepit, quæ caro ipſis ſtetit. Nam inde vela turgentia cadere, omnia retro relabi; videlicet, pertæſi humilem monachi titulum, cum Canonicorum ſæcularium temere commutarunt. Hoc facinore S. Martinus, Monaſterij Fundator, laceſſitus, qui cum fuiſſet monachus, vitam degere inter monachos: ſepeliri inter monachos: honore ac beneficijs afficere Monachos eouſque voluit, ecce tibi pœnas inſaniæ grauiſſimas experiuit, quas elata capita perſoluerunt Numini vindicanti. Eas Robertus Gaguinus in Carolo Caluo refert, quo ſceptra tenente fatalis tragœdia peracta eſt. Nimirum, dira peſtis toto Monaſterio ſic graſſata fuit, vt omnes monachos è medio ſuſtulerit; ſolum vnum ſanctum monachum prætеriuerit, cui Vedaſto nomen. Virum Eccleſia Cœlitibus olim intulit, qui etiamnum hodie ſacello colitur ſingulari in Monaſterio. Vt ne Canonicũ ſui pœniteat: vt deinde Monachus cucullum ſuum ac Ordinem pro magno ducat, Dei ſententia eſt, huiuſmodi leuitatum acerrimi vltoris. Neque enim tam triſte, ſupplicium in ſola Monaſterij capita ſtatuit, (quod aliquãdo ſummi belli duces faciunt, exercitu in rebellionem diducto) ſed omnes fato miſerando confecit, alios ſuffecturus. Quando integer cœtus compage ſua luxatus eſt, fere operam ludit, qui remedium adhibet, niſi ſubmouendo. Ambitioſis igitur hunc in modum extinctis, mox alij monachi è Monaſterijs S. Benedicti, tenacibus diſciplinæ, eo confluxerunt, nec multo poſt Regula inſtaurata

Turonenſes Monachi cum cucullo vitã exuerunt.

Monasterium à Nordmānis euersum.

Odo Cluniac. epist. ad Fulcon.

S. Martini ossa periculo subducta.

Antisiodori capitur hospitium.

redijt ad pristinum decus Cœnobium, sancto Vedasto facem præferente. Etenim ad centum quinquaginta numerus est progressus: clades tamen noua afflixit. Nordmanni, gens Septemtrionalis, non raro ingentibus damnis Galliam affecerunt, per amnes nauigiorum patientes inuecti, agros, pagos, vrbes depopulando. Etiam Ligeris infestum exercitum Turonum detulit; vnde tamen repulsam passi sunt. Atqui Monasterium maius, quod prostabat extra mœnia, solo æquarunt. E Monachis vero, ad S. Martini sacram Vrnam excubias agentibus, centum viginti sex (dignæ cœlo hostiæ) cæsi, quod Odo, Abbas Cluniacensis, memoriæ prodidit. Cæteri, qui in occultas latebras se abdidere, thesaurum Monasterij cum S. Martini lipsanis, mutilis barbatis, auri sacra fame ad hanc expeditionem impulsis, non secus quam bolum è faucibus eripuerunt. Hebernus Afceterij Antistes, vt cuncta sursum deorsum ferri conspexit, fuga sibi consuluit, sed frustra. Nam crudi milites deprehensum, retractumque quæstioni subiecere, adactis crudelibus tormentis diuitem gazam expressuri, sed aërem verberarunt, nihil edente Heberno. Spe igitur penitus decollati, & dilaniatum Abbatem efflasse spiritum rati, in viam se coniecerunt. Tum vero, quasi acerbissima tempestate defuncti, soleque reducto, è rimis prodiere monachi: suum Patrem paulo ante inter sacrum & saxum stantem, complexi, mutua solatia impertiuere. Non tamen ausi sunt vltra pedem ibi figere, quod barbari late Campaniam insiderent: Idcirco S. Martini Reliquijs onusti, tutiora Galliæ petiuere, prosequentibus duodecim Ecclesiæ summæ Canonicis ac totidem sæcularibus à ciuitate designatis, qui Patrono ac tutelari suo Diuo obsequiose adhærerent, quocunque is iter intendisset.

Postquam igitur vitabundi per longinqua & auia errarunt, vltimo Antisiodorum delati sunt. Hic loci insigne Monasterium S. Germani D. Martinum extorrem, vna cum Heberno Abbate & viginti quatuor Monachis, fugæ comitibus, hospitio excepit. Incolæ enim eodem Patre S. Benedicto prognati erant. Arcam, qua S. Martini ossa condebantur, Arcæ Domini similem esse, dixi: neque dicti pœnitet. Postquam enim iste Præsul maxima beneficia posuerat apud Turonenses, mutato deinde hospitio haud parua contulit in Antisiodorenses, quibus excitati ciues ac vicini turmatim aduolarunt, communi Patri opulenta dona pro beneficijs reponentes, vt calida etiam quæstio domesticos inter ac aduenas Mona-

S.Germanus cedit S. Martino

Monachi se & locū Martinomreferunt domum.

Vinc. Bel. l.24.c.44

Gaguin. Lud.XI. Dem. de S. Missa. l.3.c.1

Hund. t.2. Salt.

chos orta fuerit, illis miracula S. Germano in acceptis ferentibus, istis sancto suo Martino. Dubium intenderunt, quod eu in templo nec inaudita, nec inuisa huiusmodi auxilia essent. Litem diremit Numen. Loco vnio, sed Arcis duabus prostabant Sancti. Forte morbis eo venerat, educi lepra detritus, pertiturus salutem. Spatio recipitur inter arcas vacuo: horas orando traducit: & hoc opere plerumque noctis exigit. Primo mane adsunt, qui ad hunc Lydium lapidem experiri miraculorum auctorem pridie instituerant: cutem leprosi auide iuxtaque curiose examinant: latus S. Martino proximum discussa lepra purum deprehenduntur: S. Germano obuersum alterum, squamis, vt ante, luridum. Exin hoc quoque latus Turonensi Pontifici admotum, ac pariter repurgatum est, quasi S. Germanus hunc hospiti honorem concederet. Triginta vnum annos non solum sancti isti Præsules, verum etiam Monachi suauissime cohæserunt; tandem dilapsis vndiq; inimicis, domū reuerterunt, S. Martino loca, quæ adierat, beneficijs solito maioribus afficiente, quæ Odo calamo excepit, vt subtraheret obliuioni. Reduces ab exilio, instaurare numerū studuerunt. Nec indonati abiuerunt, quod à S. Martino nec latum vnguem auelli se passi sint. Omnes enim honoribus Ecclesiasticis aucti sunt, quos Vincentius Beluacensis refert. Multis inde calamitatibus vexatum fuit Monasterium. Anno millesimo centesimo vigesimo tertio, magna pars incendio hausta fuit. Anno millesimo centesimo nonagesimo quarto, cum Anglia sumpsisset arma aduersus Galliam, in prædam militi cessit: celebrem nihilominus famam, & nomen Maius, adimere nulla vis potuit. Certa res est, Regē Ludouicum XI. sanctissimo Episcopo arcam auro gemmisque interstinctam, conflasse, cuius pretium communem liberalitatis modum excessit. Hinc Gallorum pietatem in S. Martinum conijcias, qui nunc suas diuitias tantum, sed etiam Peruanas ac Potosinas, amantissimi Pontificis templo impensuri fuissent, illas si in manu habuissent.

Breuis esse soleo; Turonis tamen longus fui. Nam sunt, quibus ita mens hebet, vt post edita tot miracula, Monasterium nobilissimo thesauro exuant. Hac in arena W'igulcus Hundius stat: & inspectemus quæ brachia iactet, quos cæstus intendat. *Herolphus, Comes de Sheuren, inquit, factus Archiepiscopus Anno 943. imperante Othone I. filio Henrici Aucupis. Per hunc Præsulem corpus S. Martini Iunauium deuenit hac occasione. Otho Imperator in Hispaniam cum*

Hundius ... Martinum relicta Gallia in Germaniam, absque ... vero ... esse credit.

cum magno apparatu profectus, Turonorum ciuitatem hospitij gratia ingressus, per aliquot dies ibi commoratus, corpus Beati Martini auro & argento latenter comparauit. Corruptis enim custodibus, ijsq; datis qua pepigit, recepit Sancti corpus, idq; furtim in patriam festinus deportauit, & Herolpho, cui maxime fidebat, asseruandum commendarat, donec reposceret. Episcopus latus accipit: Innauium transfert: cryptam, in quam illud abscondit, nomini eius consecrat. Modico post tempore Episcopus vocatus ab Othone & de deposito interpellatus, respondit, se illud in locum abscondisse, vnde amoueri non po[...]t. Otho irascitur: Episcopus aufugit: tunc Henricus Dux, frater Imperatoris, illum per quinque milites, qui & ipsi inimici Episcopi erant, captum excæcauit prope Muldorff: ipse Dux eodem anno moritur; sic neque ille corpus S. Martini reddidit: neque Imperator recuperauit. Sed quid sibi vult Hundius, auctor hodiernus? cui iniurius non est, qui fidem abrogat, eo quod è triuatis vel maioribus testem nullum adducat. Etiam hoc moneo, Othonem I. nunquam sese in Hispaniam traiecisse: pium quoque Imperatorem (qualem depingunt) sacrilegium in se admissurum haud fuisse: nec beneficia & obsequia Turonensium maleficio pensaturum. Difficile denique creditu, Archiepiscopum non reddidisse Imperatori depositum apud se thesaurum. Nemo igitur, quasi de improuiso Turonensi Monasterio S. Martinum eripiat, quem habuit, ac habet. Sed crebro Gallis cum Germanis lis intercessit, præsertim de Sanctorum corporibus. Ita etiamnum hodie persuasum illis est, S. Dionysium Areopagitam à Monasterio S. Emmerani, Ordinis D. Benedicti Ratisbonæ sito, opera Arnolphi Imperatoris possideri, Gallis sibi sublectum esse negantibus, & pernegantibus; atque in sinu Monasterij S. Dionysij esse, conclamantibus. Quocirca non; huiusmodi opiniones pondus apud lectorem habere non debent: nec ita facile auctori priuato furta narranti fides habenda.

Rem magnam à præstat. si fidem facit.

Cum ista iam in chartam profudissem, certior sum factus de quadam barbara Caluinistarum rabie, nec non graui pœna, quam Gallia vindici Deo dedit. Illa igitur vltima monstrosæ hereseos exempla [...] immo de tartaro edita, anno [mi]ll[es]imo, quingentesimo, sexagesimo [s]ecundo furijs infernalibus acta, fuerunt in Monasterium Maius: temploque fœde vastato, Apostolici viri S. Martini veneranda lipsana [c]oncremarunt. Ioannes Boscus inuisum scelus multis recenset eo Bibliothecæ Floriacensis libro, quo sancti Patris nostri Benedicti ossa flagitio subtracta commemorat.

Caluinistæ in[...] [...]um nomen! Sacra D. Martini ossa impijs flammis exurunt.

Tria alia decora huius Monasterij supersunt, à nobis haud prætereunda. Nam imprimis Academia fuit, & quidem inter præcipuas totius Galliæ habita. Quamuis autem disciplina integerrima altis semper radicibus ibi hæserit, postquã tamen Carolus Magnus Alcuinum seu Albinum ad clauum admouit, litterarum quoq; præclarissimum et nomen partum est. Hic vir hic est, qui Vniuersitatis Parisiensis fundamenta iecit; & cum ipse omnibus omnino artibus liberalibus & scientijs instructus esset, Academiam secum vbique circumferebat. Quod ipsius opera ac studio etiam Turonensis aperta fuerit, de qua modo feci mentionem, Trithemius mecum sentire videtur. *Trithem. Chron. Hirsaug. in Dietb. Abbate 6.* Insuper Monasterium hoc Caput Congregationis est, quam Turonensem, vel Monasterij maioris appellant. Quippe Gallia in tres Congregationes fama celebres distincta est: videlicet Cluniacensem, penes quam ingens olim nomen ac innumera Monasteria, cui hodie aliquid ex antiquo superest quidem, at Monasterijs olim subditis vehementer fuit imminuta. Deinde Casalensem, Casinensi in Italia, & Vallisoletanæ in Hispania similem. Denique Turonensem, qua de agimus.

Tres Congregationes in Gallia.

Auctore Chopino centum viginti sex Monasteria huic Congregationi subiecta sunt; quæ nonnunquam comitia celebrant, & S. Martino tributa pendunt. *Chop. l. 2. t. 1. n. 11. Idem l. 3. tit. 28. n. 2.* Ornamentum tertium accedit, Reges Galliæ Abbatis Turonensis nomen sibi asciscere: & ab ingredientibus Monasterium, peti iuramentum, in quod Abbates adigi solent, dum capiunt possessionem: quod ego ita accipio, vt hunc morem inoleuisse credam, postquam Reges Galliæ nonnullas Ordinis Abbatias ad se traxerunt, sibique habuere commendatas. Sed hæc missa faciamus, donec ad Monasterium S. Germani Parisios ventum fuerit. Nunc Abbas verus illi Monasterio præfici consueuit; titulus autem Regem & ornat, & incitat, vt cura singulari Monasterium defendat. Numini igitur, deinde S. Martino in acceptis referendum, tot inter bella, & diras hæreses, quibus Gallia misere iactata fuit, durasse Cœnobium, stareque per gratiam Regum hodie quoque, nec non caput ad fastigium propemodum antiquum efferre, quo etiam euasurum fuisset, nisi hæreticorum tyrannis obicem posuisset.

Amice lector est quod te volo. Duo quondam Monasteria apud Turones numerauit S. P. N. Benedictus quorum vnum in vrbe situm ad Canonicos abiuit: alterum medi-

milliari inde remotum: vulgo Maius dictum, quod originem suam ad S. Martinum refert. Yepesius errore lapsus quædam tribuit Monasterio posteriori, quæ plane debentur priori. Quid verbis opus est? in hoc non in illo conditus S. Martinus fuit. facile tamen excusabis errorem, cum nonnunquã bonus dormitet Homerus. tertio Tomo erroris sui lectores admonet sub calcem, spondetque reperita impressione emendationem.

CAPVT III.

S. Chrotilda, Regina Galliæ, ac Ordinis S. Benedicti Monialis.

Depicta Monasterij Turonensis ac vicinarum domorum idea, eductaque fabrica, incolas in publicum producere libet. Primus locus Chrotildæ debetur, non vno profecto nomine. Regio sanguine orta fuit: Galliam fœda idololatria magnam partem exonerauit: Ordinem nostrum vacillantē adhuc, & in origine sua nutantē, prouexit. Patria S. Feminæ Burgundia fuit: pater Chulpericus, frater Gondobaudi Regis Burgundię, qui genus ipse suum extinxit, quod regnum non capiat duos. Sublatis S. Chrotildæ parentibus, sororem ipsius toto regno exegit. Cæterum Chrotildam neque è vita sustulit, neque è patria submouit, sed in palatio haud secus quam filiam eduxit, quod Deus ad res magnas genendas, eam destinasset, quam si diligentius obseruasses, forma erat præstanti: affabilis dictu, quibus rebus facile animos sibi conciliarat. Libidine dominandi latius, & inexplebili hiatu terminos G illus Burgundum bello petierat, & per saturi vitissim: tandem pertæsi arma, pacis consilia sufceperunt. Cludouæus, qui Galliam imperio tenebat, animosus ac fortis, Aurelianum, in paucis charum, miserat, qui capita pacis cũ Gondobaudo Burgundiæ Rege transigeret. Dum negotia belli pacisque, quorum gratia venerat, explicauit, aliquoties Chrotildam oculis hauserat; sæpius auribus, palatinis pulcherrimas eius virtutes narrantibus. Pace cõ fecta, domum reuertit: pactæ amicitiæ rationes Clodouæo exposuit: simul Chrotildæ mentione iniecta, forma ipsius & morum elegantia incomparabili, non tantum aures, verumetiam pectus iuuenis Regis imbuit, vt amore certe captus sit. Inde meditari nuptias: clam Gondobaudo regiæ Virginis animum explorare. Subornatur Aurelianus: mutatur Oratoris seu Legati cultus, centone sumpto: reditur in Burgundiam. Ibi occasione callide captata, cimelia à rege missa suggerit Chrotildæ, additq; opportuna verba: inde se subducit. Illa si respiceret ad Clodouæum, intuitaret flos ætatis, corona, opes, potentia; ferunt tamen historici attonitam hæsisse ac incertam, eo quod Rex Christianis sacris initiatus haud esset: hunc tamen obicem bonus Deus è medio sustulit, fecitque ne Clodouæus sanctissima coniuge excideret, magno infinitarum animarum bono. Vbi illa annuit, in viam è vestigio se conicent Aurelianus: læto nuncio affecit Regem. Non mora, petitur à patruo. Hic in omnem partem versat pectus, conscientia sceleris agitatus, quo parentes Virginis vita priuarat: lætitiam tamen vultu simulans, dat nuptui, ac mittit in Galliam diuite gaza, & cimelijs instructam, illustri comitatu prosequente.

Remorum Archiepiscopus id ætatis sanctus Remigius erat, qui allato nuncio Regem connubio sibi iunctũrum Chrotildam Christianam, cœlestis præ gaudio manibus, id agere cœpit, vt sua opera conficeret. Non alia lux liquidius fulsit Galliæ: nam Chrotilda, summæ prudentiæ fæmina, non hoc solum à Rege impetrauit, vt sibi liceret esse Christianæ, sed etiam vt quem primo suscepissent filium, sacris vndis lustrari pateretur. Nascitur ergo filius: sacro fonti admouetur: Hingomeri nomen imponitur: sed paucos post dies excedit. Ægre casum hunc tulit Clodouæus; læta interim matre, primum fructum se intulisse astris: nihil etiam potius habebat, quam inducere maritum, vt accederet Christianis; nouo tamen clauo inopina mors filij affixit idolis iam inclinantem partem. Interea filium tollit alterum, iterumque exoratus, ritu Christiano salutari flumine perfundi permittit, nomenque Clodomiri ponit. Huius etiam vita re nui filo pependit à principio, vt Rex culpa in Baptismũ relata, damnaret suum factum. Indignationem absterfit pia coniunx, vitam & salutem soboli cœlitus impetrando. Euanuerat etiam altus dolor, à præcipiti fato primi filij patris pectus diu tenens: lucem tamen Euangelij capessere, nondum sedebat animo. Propter hanc rem bona Chrotilda maiorem in modum anxia, cœlum precibus pulsabat, annitente etiam S. Remigio, vt Rex erroribus aliquando exiret, Deo duce; ac idola missa faceret. Quid fit? Forte euenit, vt Rex Alemannorum ingentem exercitum ciens, signa inferret Galliæ. Clodouæus Regno consulturus suas quoque vires contra rapit: protumpunt in arenam: confligunt in campis Tolbiacensibus: ense Alemanno vbique hauriuntur Galli, vt non tam

Aimon L. 1. c. 3.

Chrotildę genus, patria, mores.

Gregor. Turon. L. de gest. Fran. c. 77

Collocatur Clodouæo Galliæ Regi: S. Remigius connubio tungit.

Suscitatur proles, ac moritur

iam [illegible] esset. Clodoueus in [illegible] stans, supplex suis Dijs [illegible] belli aleam ne regni ac [illegible] ea pugna faceret surdis [illegible] & plures quam ante, cadebant. Tum memoriam subijt Deus, quem colebat Chrotilda, & continuo in spem erectus: *Iesu Christe, dixit, quem Chrotilda [illegible] appellat, & laborantibus opem ferre [illegible] mihi in extrema hac linea [illegible] subueneris promitto Christianorum Baptismati caput submissurum; ac alijs [illegible] ad eundem auctorem [illegible].* Confestim auxilio diuino pugnę alea mutata est: Clodoueus paulo ante propemodom triumphatus, latam stragem edidit, ac alas adeo Germanorum [illegible] incidit, vt multis deinceps sæculis haud quiuerint subuolare. Parta victoria regiam lætus ac triumphans repetiuit: [illegible] vota [illegible] nuncupasset, quibus periculis defunctus [illegible], charæ coniugi exposuit. Hæc non esse apud se præ gaudio: immortales Numini persoluere gratias: nulla [illegible] de Regis animo [illegible], ne [illegible] tempus traheretur [illegible] ardor. Accepta [illegible] bon[illegible] Præsul, illico aduoluit capiti C[illegible] fide Regem edocuit [illegible] Hæc inter, res ad [illegible] quam ex [illegible] maio, Ordinis S. Benedicti Monachi, deinde Rheinorum Archiepiscopi narraueto & à [illegible] repetiuero: *[illegible] sacrosanctis Euangelijs & cruce [illegible] cum hymnis [illegible] spiritualibus atque litanijs Sanctorum [illegible] nominibus acclamatis, sanctus [illegible] Re[illegible] à domo regia [illegible] baptisterium [illegible] regina ac populo. [illegible] autem simul pergerent, Rex [illegible] Patrone, est [illegible] regnum Dei [illegible] mihi promisisti? Cui [illegible] illud [illegible] num, [illegible] via per [illegible] ad illud. Cum [illegible] Clericus [illegible] ter [illegible] vt ad [illegible] atque autem [illegible] diuino Chri[illegible] & quia [illegible] populi [illegible] Ecclesia [illegible] P[illegible] culum [illegible] orare cum [illegible] lumina nine candi[illegible] ampull[illegible] [illegible] pus in fontem sacratum.* Ampollam cœlo allatam etiamnum Rhemis in S. Remigij Monasterio haberi, aiunt. Adstat solenni huic lustrationi S. Vedastus Episcopus, cuius miraculis (nam multa tunc patrabat:) S. Remigij exhortationibus & S. Chrotildæ diligentia impulsi proceres, Deos fictiles cum vero Deo commutarunt, annisque non ita multis idola, templis disiectis, inanissimis simulachris sursum deorsum versis, omne solum Galliæ verterunt. Ponebantur vero templa ac Monasteria quamplurima: debiti honores diuinis inferebantur aris: tanta bona in regnum inuehente Chrotilda, quæ multum ætatis cum Clodouco consompsit, in fidem Catholicam & Ordinem propagandum simul cum coniuge intenta. Vnum Asceterium condiderunt Parisijs, & S. Petro dicarunt, quod postea a S. Genouefa nomen accepit; à Rege ossa.

Idola toto regno pulsa.

Clodoueus in Monasterio S. Genouefæ sepultus.

Soluta marito Chrotilda, nullum genus pietatis prætermisit, annosque thalami expers degit non minus quadraginta superstes cum annus quingentesimus quinquagesimus secundus verteretur: immo ad quinquagesimum quartum prouecta. Longam vitam multa incommoda vexare solent: Chrotildam plane oppresserunt. Clodomirus, Theodoricus, Clotarius, Childebertus, quatuor filij, bonæ matri pectus huc illuc verberabant, dum patre [illegible] subito, vel [illegible] aduersis [illegible] adiere. Si enim [illegible] sæpe [illegible] est, quid in opulentissimo regno factum censes? Igitur hos inter fratres nunquam conuenit, animis in odia & arma [illegible] diductis. Quorsum se verteret pia fœmina, tot malis fessa? secessit in Monasterium, extra mœnia Turonensium, ibique vitæ reliquum exegit. Quo anno [illegible] non equidem [illegible] com[illegible] Monacho S. Benedicti [illegible] vestius auctor illius rem potius idoneum affirmat. Forte S. Mauro [illegible] iam steterit [illegible] fœmina [illegible] Regula [illegible] Benedicti C[illegible] ntelata & [illegible] fuit. Mihi [illegible] est, sanctam fœminam, [illegible] Galliæ ma[illegible] pars [illegible] M[illegible] vt ad Reg[illegible] Cœnobia componere, & [illegible] m nostrum [illegible] ex B[illegible] x [illegible] P [illegible] Monasterium S. Pe[illegible] P[illegible] T[illegible] S. P[illegible] nomen [illegible] con[illegible] R[illegible] A[illegible]

Chrotilda se abdit in Monasterium.

Belf. vest. l. c. 18.

Sacras ædes con[illegible]it.

etiam Principi Apostolorum sacrum. Re[illegible]s, quoque, vbi Clodoueus suus coniun[illegible], sacris vndis tinctus fuerat, templum ere[illegible]t, pariterq; Apostolorum Capiti addixit. Cum enim ipsa primam Christianæ fidei petram posuisset in Gallia sancto Petro, Ecclesiæ Dei fundamento primo, vehementer d[illegible]ta fuit. Item Chrotildæ opus est Calense Monasterium prope Parisios; magnum in Ordine S. Benedicti nomen: quo tamen redibimus ac insi[illegible]s, cum de B[illegible]a, & Regina & Moniali agemus.

Guillel. Paradin. de antiq. Burgund.

Liber his miscere miraculum è mul[illegible]s vnum, à S. Chrotilda edi[illegible]m, cum ex [illegible]nico discere licet, q[illegible] ul[illegible]m gratia potuerit apud Numen. F[illegible] labor[illegible] e[illegible]s supra meminimus. Cum C[illegible]ldeberto dextram coniunxit Theodebertus, Clodouei nepos, Theodorici filius, inito fœdere aduersus Clotarium, qui toto demum Galliæ regno potitus est. In partes agitur populus: feruntur arma facesque, & iam nudo ferro stat dig[illegible]sta vtraque acies, in signum intenta. Bona mater audito in ex[illegible]um rapi miserum regnum, am[illegible]tione conflant[illegible] bellum, ab imo pectore indoluit, profusaque ad sancti Martini sepulchrum precibus noctem traxit, flebiles quest[illegible]s [illegible]ens, [illegible]t Diuus prohiberet nefas: conciliar[illegible]t auer[illegible]os animos: pacem componeret. Non male triuit tempus. Childebertus & Theodebertus, loco & numero superiores, victoriam spe iam deuorauerant, at frustrati sunt. Nam cœlum atra nube subtextum, repente abstulit diem: fulgura, tonitrua, toto e[illegible]abant & mugiebant æthere. cadebant h[illegible]ifica fulm[illegible]a c[illegible]sa [illegible]pos obtuebat grando, vt diu[illegible] spar[illegible]q[illegible]e putasses. Vt paucis e[illegible] pedi[illegible]m adeo detæuijt tempestas huc in Childeberti exercitum, vt terris incubar[illegible] humo tentoria ventis ludibria v[illegible]rent lac[illegible]a si gna. nihil non qual[illegible]um [illegible]ut [illegible]actum superesset. Ipsi etiam equi [illegible]idam fugam effusi, sessores ca[illegible] ibi[illegible] circumferebant. Ad[illegible]s Childebertum & Theodebertum sibi vi[illegible] fulmine tact[illegible]s. Cum [illegible] sensi[illegible]ent, cœlo irato [illegible] hocce bellum p[illegible]tis od[illegible]js, [illegible]uere [illegible] C[illegible], [illegible]en [illegible] circumt[illegible]at, [illegible] uiter à grandine diuerberatum, [illegible]ut nimbo asper[illegible]in. Tanta vis [illegible] S. C[illegible]tildæ [illegible] qua [illegible] miracula [illegible] Sancto[illegible] [illegible]em inserta. Vid[illegible] in Monaste[illegible] Petri [illegible] um [illegible] S. M[illegible] H[illegible]

Greg. Turon. l. 3. c. 28.

Amorem inter filios redintegrat.

no[illegible] ta præt[illegible]e [illegible] vbi [illegible] tel quum ca[illegible] te solebant, [illegible]nunqua[illegible]umpto [illegible] l[illegible] altis [illegible], & [illegible]a o[illegible]cia sedulo frequentando. Exem[illegible] a [illegible] numero decessit. Quamuis aut[illegible] cta vidua e[illegible] fecit Tur[illegible]ni, eff[illegible] [illegible]le & P[illegible] t[illegible]pl[illegible] S. P[illegible] o[illegible] Mausoleo cum mari[illegible] C[illegible] voluit componi. I[illegible]um tumul[illegible]e [illegible] e di[illegible]to certo [illegible], cor[illegible]us [illegible] sum[illegible] [illegible]lat[illegible]in e[illegible] [illegible] supplices palmas tendit.

CAPVT IV

SS. Monegunda, Venantius, Leopardus a[illegible]ue quos hæc [illegible]tas tulit, producuntur.

HOc in Monasterio Moni[illegible]s alia, cui Monegundæ nomen, degit vitam, sanguine quidem Chrotilda inferior; virtutibus autem ita sin[illegible]s, vt [illegible] n[illegible] [illegible]sse solet. Ciuis fuerat Carnotensis. Ibidem nuptui data, duarum filiarum parens facta est, in quas omne gaudium consumpsit: Numen tamen sustulit, vt solus c[illegible] occupar[illegible]. Priuata [illegible] charissimis pignoribus, familiam, fortunas, animi remissiones, omnia exuit: & cum mariti pace in paruam cellam Carnoti se subduxit, c[illegible] a[illegible]ea pro[illegible]a in hortum ex[illegible], [illegible]onem suppe[illegible]at. Amplis d[illegible]bus unquã [illegible] qu[illegible]quam inter[illegible]cebat præ[illegible] pau[illegible] luni farinæ hord[illegible], [illegible] addebat [illegible] b[illegible]t, e[illegible] n[illegible] ca[illegible] ex [illegible]ullo h[illegible]tulo. Ne[illegible] dia v[illegible]l cœnæ. [illegible] vi[illegible]u [illegible] n[illegible]s cun[illegible]la[illegible]o. N[illegible] c[illegible] tib[illegible] dulgebat [illegible] op[illegible] d[illegible] vi[illegible] tegere [illegible] ci la fa[illegible] [illegible]elit, & [illegible] quod Monegunda c[illegible] Ad [illegible] redacta [illegible] N[illegible], [illegible] ter. O B[illegible] S[illegible] uium e[illegible] exprimere [illegible] tuerit Monegunda. [illegible] viridarium [illegible] [illegible]otem d[illegible] ind[illegible]s ac [illegible] sed no[illegible] [illegible]

Greg. Turon. [illegible]

ducta, illico voti compotem fecit. Paulo post fore pi auit etiam alius, auribus captus, cui Monegunda, multorum precibus euicta, pariter opem tulit: quod cum rumor vbique vulgasset, negotium viduę facessere cœpit prouincia; vnde solum mutare cogitauit, verita ne quid detrimenti caperet, si frequentia cum hominibus sæcularibus colloquia iniret: vel certe edendo miracula, humilitatis iacturam pateretur. Conuasauit igitur, seq; in viam dedit, iter ad sanctum Martinum intendens, excita fama tam miraculorum, quam vitæ religiosæ, quæ ad sepulchrum gloriosi Præsulis agebatur. Admiranda, quæ patrauit eundo, ac etiam vbi peruenit, à Gregorio Turonensi petet lector, quando mihi cardo non vertitur in miraculis. Cæterum Monegunda iam hospes, antiquum obtinuit, orando, ieiunando, pœnas sibi persoluendo. Editis continuo miraculis, ac vitæ asperę quotidianis exemplis, effusus denuo rumor, partaque noua gloria est; vnde cupido Carnotenses incessit suæ ciuis reuocandæ, vt potius vrbi suæ conciliaret decus, quam alienæ. Sic à S. Martino ægre auulsa, domum reuertitur, animo tamen Turonensibus affixa continuo cellulam suspirabat, contemplationi admodum idoneam, in quam illic reclusa erat. Qua de causa [illegible] suam fastidiens, breui Turonum se retulit. Multa hic in promptu sunt, quæ tunc contigerunt: at mihi hærere non licet. Postquam altera se vice in cellam recondidit, seque Diuo Martino addixit, maritum, & sanguine coniunctos prorsus à se remouit. Ad sanctiorem vitam quamplurimas fœminas induxit, quæ tantis exemplis inuitatæ, angustæ vitæ se pariter commiserunt. Fuerunt etiam, quæ Monegundæ se adiungerent, cuius industria, nec non piorum collata ope, paulatim excitatum ibi Monasterium fuit, quod sanctissimæ Antistitis, tum etiam subditarum meritis mirifice creuit. Limen quotidie terebant miseri, salutem poscentes: & quamuis ad S. Martinum remitterentur, proxime diuersantem, perstabant tamen. Quocirca Monegunda nonnunquam victa precibus, alias importunis expugnata interpellationibus, cæcus, à Dæmone subactos, aliosque salute impertiuit.

Turones petit.

Gregor. Turon. de Vit. PP. c. 19.

M[illegible] ad a[illegible]tam [illegible] [illegible]cundam a[illegible] est.

Hæc inter effluxit vita. Morte imminente, ingentes questus ciuerunt Moniales, cum quod tam bona mater sibi è complexu eriperetur: tum quod timerent Monasterio, ne tam celebri Antistite orbum, nominis ac rerum periculum adiret. Remedium doluri adhibuit Monegunda, è cœlo plus auxilij se laturam, dictitans: deinde Monasterium S. Martino semper curæ futurum. Immo vt etiam miraculis deinceps locus foret, salem & acetum, ante ora poni iussit, strictaque in crucem dextera ijsdem impertiuit salutem, cum ægris communicandam. Nec facile dixerim, quot eam post fata piæ matris acceperint. Exempla Gregorius Turonensis luci dedit, è quibus vnum excerpam. Ad vrnam S. Monegundæ cæcus pedetentim se admouit, tetenditque manus, petendo lucem. Dormienti se obiecit Diua, oculi vnius compotem fore ad suum sepulchrum, promittens: pro obtinendo altero, ad sanctu Martini tumulum se ageret: hoc pacto Turonensi Præsuli suum animũ etiam post fata affirmans. Vbi è somno emersit, oculo vno tota natabat dies. Ergo promissi certus ad S. Martini reliquias præcipitat gradum: prensat sepulchrum: altero pariter potitur. Ecclesia illius memoriam VI. Nonas Iulij celebrat.

Moritura ægrotis prospicit.

Martyrol. 2. Iulij.

Porro S. Venantius patria Bituricensis erat. Puerum adhuc iam nuptijs imbuere parentes. Hinc conuiuia, risus, iocus, gaudia, & non sine luxu vestes. Sic desponsus, forte se Turonum ad S. Martinum tulit, vbi tactus diuino Numine, nuptias vna cum mundo (mirabile dictu) exhalauit anhelo pectore: Sylnio Abbati cuiusdam Monasterij è vicinis se subdidit: habitũ monasticum sumpsit: & tempore non ita longo tantos profectus in virtutibus fecit, vt Syluio demortuo Antistes lectus sit. Officio non tantum ad hominum vota, sed etiam diuinam amussim fungebatur, qua de causa multorum arcanorum cœlestium factus est particeps. Eius miracula Gregorius Turonensis litteris prodidit. Flecti autem facillime solebat ab ijs, qui ardebant ac laborabãt quartana. Vt enim diuersis muneribus & officijs conseruatur Orbis, sic Ecclesia Sanctis innititur, gratijs non ijsdem instructi; vnde tamen pulcherrima oriatur harmonia, ac Deo laus immortalis conficitur. Martyrologium III. Idus Octobris S. Venantij meminit.

S. Venantij patria & pueritia.

Greg. Turon. de vitis PP. c. 16. & de gloria Conf. c. 25. Trithem. de vir. ill. l. 3. c. 33

Martyrol. 13. Octob.

Prope idem S. Martini Turonense Monasterium paucis annis ante, coluerat ac floruerat S. Leopardus, & S. Venantij similis, quando prius etiam nuptijs destinatus fuerat, quam Monachum induisset. Nec diu quo se verteret, hæsit ambiguus, sed sponsæ, parentum, amicorum, fortunarum, vincula abrumpens, ad sanctum Martinum aduolauit, magnaque contentione eius auxilium implorauit, incertus adhuc cui potissimum vitæ sese dederet. Vltimo arrisit solitudo, quapropter Ligerim traijciens, in cellam se abdidit, quam prius Al[illegible]cus, Dei seruus, habitauerat. Multos hic [illegible]no

Greg. Turon. de Vit. PP. c. vlt.

Cœli studium ero Leopardi in cellam rapit.

asperrime duxerat. Preterquam enim, quod sæpe psalleret: multum oraret: sacros libros assiduo tereret (id quod vnicum & cęlo donatum Eremitis asylum est) varie subigebat obluctantem carnem: scribebat libros: agebatque alia: demum nullas sibi ferias cōcedens, rupem quoque suæ cellæ, qua poterat, cædebat. Quis satis capi mat, quam sibi ipse diminuerit noctes? quam vires fregerit longa inedia? Gregorius Turonensis tota prouincia celebrem fuisse affirmans, aliquot eius miracula refert. Hunc autem Sanctum iuuenis est consecutus. Vita gloriose defunctum, io sua cella sepeliuerunt, quem Fasti

Martyrol. 18. Ian. Sanctorum ad xv. Cal. Februar. exhibent.

Quosdam pietate iosignes viros, qui ad Diui Martini sacra lipsana vitam traduxerunt, prætereo, quod Regula S. Benedicti nondum introducta excesserint: alios, veluti S. Amandum, qui etiam aliquantū temporis hic loci traxit, S. Gregorium Turonensem, Hebernum Abbatem, eiusque socios Martyres, Alcuinum huius Monasterij Antistitem, suos in annos differo.

CAPVT V.

Theodechilda, & S. Clodoaldi gesta: simulq; Monasterij Senonensis fundamenta.

Procop. Gregor. Turon. de gest. Fran. l. 3. c. 10.

ALiquot filiarum mater S. Chrotilda fuit, sanctitate sibi similium, è quibus vna (cui etiam Chrotildæ nomen erat) Amalarico in Hispania Regi data nuptui fuit. Sed cum ille Arium sectaretur, hæc Catholica esset, discordia fidei etiam animos diduxit, ac male habita Regina, horrendo bello, quod postea Gallos inter ac Hispanos exarsit, ansam præbuit. Theodechilda, seu Quindechilda (vtrumque enim nomen ei indunt historici) vitam secundum Regulam D. Benedicti professa est in Monasterio à se erecto, & Sanctis Petro ac Paulo dedicato, quod vulgo S. Petrum viuum, vel S. Petrum Senonensem appellat. Pręclaram

Chopin. monast. l. 1. tit. 3. n. 19. Append. script. 12.

huic Cœnobio facem accendit Chopinus, priuilegium edendo, quo non antiquius alterum ex Monasterio Ordinis nostri vidi. Visum est hic summa capita oculis subijcere, integro exemplo in Appendicem remoto. Concessum id fuerat Theodechildæ à Rege Clodoueo patre. Enimuero amabilē virginitatem Christo nuncupauerat; vnde curas intendebat qua sæculū euaderet. Suo

Theodechilda cōdit monasterium.

fit supplex genitori, dotis vel hæreditatis partem in nouum Monasterium vertere liceret, honori Diui Petri consecrandū. Clodoueus pietate filiæ perculsus, eas possessiones illico assignauit, quæ quondam ad Chrotildam matrem pertinebant, à Chilperico patre, Burgundiæ rege, ad ipsam delatas. Addidit insuper aliquot Ecclesias Monasterio, ac festiuo SS. Petri & Pauli die liberas nundinas institui permisit. Idipsum in suam recepit tutelā, & tributis exemit. Postremo, *Trado etiam illi*, inquit, *Basolum Ducem* (Aquitaniæ,) *quem catenatum teneo, cum hæreditate sua: cum castellis, vicis, terris, & Ecclesijs, & reliquas possessiones suas.* Hinc apparet, multa Monasteria fuisse fundata, priusquam Regula S. Benedicti Galliæ inferretur, io quam tamē postea iurarunt, quemadmodum hoc, quo de agimus, fecit. Indictio enim priuilegio adiuncta prodit fabricam erectam, priusquā S. Maurus venisset in Galliam, ante cuius aduentum Clodoueus è viuis excesserat. Sequentibus autē sæculis semper inter Monasteria Ordinis S. Benedicti habitum fuit, cuius gratia etiam Catalogum Abbatum instaurauero. Insuper ad hanc limam corrigūtur historici, qui regiam filiam appellauere Quindechildam, cui Theodechildæ nomen à patre ponitur, fitq; palam id Monasterium non tam Monialibus quam Monachis fuisse constructum. Etsi autē vitam religiosam ab ea ductā nemo ambigat, est tamen qui pugnet, alio in Monasterio id factum. Mihi tamē haud facit fidem, quandoquidem me non preterit, vnam olim Ecclesiam Monachis ac Monialibus more diuisam fuisse, cōmunem quidem ambobus, & tamen ita distinctam, vt illi ab istis longe coërcerentur. Alicubi Abbas præerat vtrisque: alibi Abbatissæ: reginæ præsertim, & regiæ filiæ, sed Theodechildis infra suum gradum sese deprimens, Monasterium excitauit Monachis, in quo tamen sibi etiam ac suis locum cepit; & sumpto habitu, virtutes adeo omnes est emesa, vt in Sanctorum Album sit relata. *Sumitque ipsa habitum Religi[o]sum.* Sed nunc miraculum afferamus vnum, vnde Virginis sanctitatē discas. Cum Monasterio abunde prospectum esset,

Robert. Cenal. Perioch. 12.

templiq; ingens moles staret, Etarium Episcopum Senonensem, ac alios Præsules, ad dedicandum inuitauit. Mos autē vetus obtinuerat, sacras excubias in templis agere illis noctibus, quæ dedicationem anteirent; quod etiam hic factum. Atq; dum trahunt insomnes horas, dulcissima melodia attonitis allabitur auribus, cœlestes voces fundentibus Angelis. Prima luce forte in altare maximum conuersi, in quatuor angulis totidem cruces expressas viderunt, omnino ex more ac ritu templa sacrandi. Episcopi intellecto quod res erat, non ausi sunt denuo admouere m[a]nus, ne cœlum in se prouocarent.

A Cœl[esti]bus dedicatur templum.

Prædia p[o]ssessiones, opes, fabricam,

am-

ampl... recenlere, ... o-... lis. Vera Cæ...otum diuitiæ Monachi sunt, sanctitate ac litteris insignes; namque in his decus & gloria sita sunt. E Senonensis isto gremio aliquot breuiter accipe: n... eorum res gestas alibi pluribus exponemus. Anno sexcentesimo quinquagesimo præclaram famam meruit S. Ebbo Senonensis Archiepiscopus. Nongentesimo, trigesimo tertio Guilielmus, eiusdem ciuitatis Archiepiscopus. Millesimo trecentesimo Nortranus Abbas huius Monasterij, & Episcopus. Eruditionis nomine tolluntur laudibus Odoranus historicus: & Reinardus Abbas Senonensis, quem Trithemius non modo monasterij fabricam, vetustate procumbentem, sed insuper lapsam quoque disciplinam instaurasse, ait. Item apertis in Monasterio scholis, litteras qua humanas, qua diuinas, è loco superiore publice tradidisse. Quapropter huc Asceterium ob regiam Fundationem: ingentes opes: viros sanctos: ac tandem ob publicas prælectiones: nobili famæ incubuit. Quid si etiam viros inter illustres, qui coluere hoc Monasterium, Basoli, Aquitaniæ Ducis, habeamus rationem, Theodechildi à patre dono datum? Pectore enim ictus diuina virgula, fastum exuit, colla suaui iugo Christi submisit: habitum Monasticum sumpsit: demum proximus à primo Abbas est lectus.

Monasterij Senonensis præclara nomina. S. Ebbo Archiepisc. Guilielmus Archiep. Nortran' Abbas: Odoranus: Reinardus. Trithem. Chron. Hirsaug. Basolus.

Alium quoq; hæc ætas Basolū tulit, cuius festum Ecclesia Idib. Octob. agit, diuersum à nostro Aquitaniæ Duce. Nam patria Limogensis erat, qui teneris annis innocenter traductis, ad solitudinem maxime adspirabat, ac montem prope Remos studio contemplationis insidens, quadraginta annos, adeoque reliquam vitam in eo posuit, gratusque meritis ad Superos euasit, miraculis clarus. Nomen Sanctorum Albo insitum est. An idem nostro cunctigeri Basolo, equidem ignoro, de quo tamen Vincentius Beluacensis ac Trithemius plura narrant.

Martyrol. 15. Octob. Beluacens. l. 21. c. 116. Trithem. de vir. ill. l. 3. c. 41.

Chrotildæ quoque neptis erat Religiosa, cui Engelrudi nomen Clotarij Regis filia; quæ ad sepulchrum S. Martini Monasterium sacris Virginibus excitauerat, cuius Gregorius Turonensis meminit; ad nostram vero historiam nihil attinent, quæ affert. Nepos eidem Clodoaldus fuit, cui rara sanctitas summam gloriam peperit. Ecclesia vero septimum ipsi diem Septembris in Menologio Sanctorum assignauit. Genitorem hic habuit Clodomirum Burgundiæ & Aquitaniæ Regem, auum Clodouæum. Susceperat vero Clodomirus præter Clodoaldū duos adhuc filios, sed omnes tres regno excidebant paterno. Childebertus namq; & Clotarius Reges auenti accepiti cupidine capti per vltimum flagitium duos è sobrinis suis mactarunt, nefas grande pauidis oculis haurriente Chrotilda, cuius tutelæ commissi erant. Quid magis historiam incestare possit? Narrat Gregorius Turonensis: Scriptores Galli, qui Gregorium sequuntur, scelus infandum abominantur, & Clotarium præ Childeberto reum faciunt, quod sanguine cognato suas ipse manus imbuerit, cædi operando. Cruentæ carnificinæ Clodoaldus à Numine subtractus est, operam nauantibus amicis atque subditis.

Gregor. Turon. l. 9. hist. Franc. Turonens. l. 3. c. 18.

Hac igitur necessitate subactus, capillum (quo Reges & Principes Galliæ à reliquo populo discernebantur) sibi resecuit: regno deinde ac mundo longum valere iussis, opimas opes cum paupertate: sericam vestem ac regiam purpuram cum aspero cilicio & cucullo: plumeum thorum duro cum solo mutauit. Ita diriter profecto delicatum corpus accipere consueuit, vt omnibus inijceret admirationem, qui ad spes maximas, nimirum ad diadema & sceptrum, educi olim videtur.

S. Clodoaldus purpurā cucullo mutat.

Vbi studia patriæ ac laudes subolescit Clodoaldus, fugam adornauit, Peronam se proripiens, quasi ieiunia ac alia quæ corpus vexant, intendere liceret ignoto: Nec latuit tamen, miseris vndiq; viam ad ipsum corripientibus, nec operam ludentibus. Illuc sese trahebant claudi, cæci, surdi, à styge infesti & salute donati abibant: quibus memorandis indulgere non possumus, eo quod immensi horti flores infinitos nemo mortalium carpere queat. Proinde obiter libasse, sat fuerit. Heroica Clodoaldi facta calamis suis excepere Vincentius Beluacensis, & Petrus de Natalibus. Vnum nihilominus miraculum ab ipso patratum narrauero, cuius ductu deprehendas Monachum fuisse, quantumuis nonnulli Clodoaldum presbyterum appellando, in dubium lectores inducant. Amor & cura pauperum, si quemq; iam alium, magnopere tenuere nostrum Clodoaldum. Circumfusus igitur mendicorum turba, diuidere solebat, quæ sancti cliens suo veniri, quæ deinde non bene vestis ... corpori detraxisset. Forte ad incitas iam redactum ipsum adoritur mendicabulum: tendit palmas, oratque stipem. Is in omnem se partem versans quærendo, dum nihil inuenit, caput ocyus euoluens, caputium dat egeno. (Quando antem caputia sunt Monachorum propria, quis inficias ierit, hunc Monachum fuisse?) Cæterū mendicus vertecem inuoluit suum, tectumque subiuit viri honesti, pernoctandi ergo: & hem, quo cunque se agebat per casam, vel vbi unque pedem.

Intendit fugam, ne capiatur vana gloria. Beluac. l. 21. c. 60. Petrus de Natal. l. 8. c. 30. Mendico caputio suo donat. Quod lucule... flammas domi alicui ... tat.

pedem dirigebat (visu mirabile) lucem præclarissimam fundebat. Obstupuere omnes: causa, ob quam in centone pauper splendescet, fallebat omnes. Instant homini, rogant, urgent, ediceret vnde tantum lucis promeret? Ille à Clodoaldo caputium id sibi intectum, fassus ac professus est. Nouum hocce miraculum existimationem nouam seruo Dei conflauit, adeo nullibi famam vitare potuit. Sed quo pacto latere queat is, qui solem vult occulere, cum se ipse spargat, prodatque? Igitur, Parisios vela vertere, ac patrios lares visere: ibi facem ad virtutes alijs præferre constituit. Quandoq; Sancti præclara sua opera oculis subducunt, ne sublati efferat supercilium, sibimet plaudendo. Aliquando in oculos incurrere student, vt tacti spectatores, etiam frugi esse velint. Plurima gratulatione ab vrbe exceptus, tum etiam Sacerdotio initiatus fuit. Iam ante statuerat non sibi deinceps vni consulere, verum ad alios quoque iuuandos curas vertere, qua de causa Monasterium prope Parisios posuit, quod Nouogentum appellauit. Huc Monachi magno numero confluxere, fluentibus admiscuit, quibuscum ipse vitæ spatium reliquum ita pie emensus est, vt in Sanctorum Album fuerit relatus. Credam ego Monachum fuisse, antequam S. Maurus peregrinum pedem imposuerat Galliæ. Quod si deinde Ordini S. Benedicti nomen dedit, vt putat Wion, post reditum in patriam factum oportuit. Vero namque simillimum est, nouum Monasterium ad Chrotildæ auiæ (à qua eductus fuit) nutum ac normam ab eo conditum: illa vero in Monasterium à se constructū S. Benedicti Monachos introduxit. Teste supra adductimos Belforestium. Quāta enim celeritate S. Regulam ac virtutem per Gallias hic Ordo extenderit, anno quingentesimo, quinquagesimo quinto expediemus: nunc alia in regna carpimus viam.

Arnold. Wion. l. 4. c. 24.

Potuit fuisse Monachus S. Benedicti.

Annus Christi 553. | Annus S. Benedicti 73.

CAPVT I.

Gordianus martyrium S. Placidi & Sociorum eius componit & confirmat.

Ostiens. Append.

Gordian vit. Sancti Placidi.

Iam dudum est quod à Gordiano, negotijs S. Placidi implicito, Constantinopoli discessimus: Veniente hoc anno quingentesimo quinquagesimo tertio Leo Cardinalis Ostiensis mentionem eius facit. Cogitauerat is quidem diu in Siciliam, quo demum etiam delatus est, nec prius deserunt quam vitam; sero tamen voti compos factus singulari Numinis nutu, videlicet vt interea historiæ S. Placidi à se compositæ fidem & auctoritatem conciliaret maiorem. Nam anno hoc quingentesimo quinquagesimo tertio, (quo à martyrio S. Placidi iam duodecim effluxerant) Vigilius Pontifex Max. Constantinopolim venerat; etsi per sequentibus hæreticis captiuus ductus, nihilominus Concilium centum & quinquaginta Episcoporum indixit ac confirmauit, quod inter Generalia quintum locum obtinet. Gordianus vbi caput Ecclesiæ cū eiusdem luminibus & columnis coniunctum vidit, haud passus est occasionem hanc historiæ suæ fulciendæ è manibus sibi elabi, sed omnem operam dedit, vt fide Concilio facta, S. Placidus deinceps vna cum socijs à tota Ecclesia percoleretur. Huc etiam magnum momentum contulisse fertur Iustinianus Imperator, (nam sanctissimum Martyrem sanguine contingebat) rogatu Gordiani litteras dando, in Concilio publice recitandas, quas ad Vigilium Pontificem & Episcopos Petrus Patritius palatij præfectus: Cethegus Patritius, & Theodorus Patritius, tulere. Rem paucis habe.

Vigilius PP. Constantinopoli sacra Comitia habet.

In nomine Domini & Dei nostri Iesv Christi, Flauius Iustinianus Imp. Alemanorum, Gothorum, Alanorum, Vandalorum, Afrorum, pius, felix, inclytus, victoriosus, triumphator, semper augustus, sanctissimo & beatissimo Papæ Romano Vigilio, & beatissimis Episcopis & Patriarchis, Eutychio Constantinopolitano, Apollinari, Alexandro, Eustasio Archiepiscopo, & Patriarcha Hierosolymitano, cæterisque Episcopis religiosissimis in hac ciuitate congregatis. Quamuis nostra tam pacis quam belli negotia plurima sint, ea nihilominus semper negotijs alijs, ad Dei honorem spectantibus postponere solemus. Quapropter vobis notum facimus id, quod an nis præteritis cum amantissimo & nobilissimo cognato nostro Placido contigit, vt tota Synodus sciat, Deumque laudet. Hic igitur cū suis fratribus ac subditis propter fidem Catholicam confessionem multa verbera, ignem, fumos, contumelias passus est, cui pagani etiam linguam præsciderunt. denique omnibus capita amputarunt propter Christum, qui nostrum verum caput est. Quocirca ne tam illustre martyrium aliquando è memoria deleretur, negotium Gordiano Monacho, S. Placidi quondam comiti ac seruo. dedi, vt historiam & victoriam hanc litteris Græcis mandaret, quam ego nunc Sanctitati vestræ mitto, vt curet quatenus à tota Ecclesia recipiatur & in archiuis reponatur atque cum ego solus haud sufficiam ad celebrandum ipsius mar-

Append. bist. Cass.

Cui Imp. Iustinianus victoriā S. Placidi commendat.

martyrium & triumphum, omnes Catholici ad id faciendum incitentur. Nam animo profecto inuincibili tam dira tormenta subiuit, vicitque, armis verbi Dei instructus. Alter fuisse Dauid videri potest, qui Manuchã (Goliathum alterum) superarit. Loricam fidei indutus, & scutum salutis in manus sumens, prodijt in arenam, non obluctando vel tormentis resistendo, sed potius se humiliando, caputque ferro submittendo. Hoc nimirum ictu petijt ac ferijt tyranni frontem, fide non signatam, sed nudam; ideoque viribus omnibus exuit. Hæc cum ita, par est, beatissimi Patres, applaudere vos & gratulari Domui Imperatoriæ, ex qua S. Placidus prodijt, cuius victoria satis depradicari nõ potest. Contristentur infideles quidem, at fideles illius gloria congaudeant. Dominus noster Sanctitatem vestram seruet cum beatissimis Patribus, Data IV. Maij Constantinopoli, seu in noua Roma; missaque per Cethegum patritium, Petrum patritium Maiorem Domus nostræ, & Theodorum patritium, Imperij nostri anno XXVI. Consulatus Basilij anno X.

Gordiani rem S. Placidi apud Vigilium Pontif. agit.

Gordianus quoque, osculo pedibus Vigilij imposito, supplicem ei libellum porrexit, quo tamen supersedebimus, cum quod longo filo textus sit: tum quod nihil noui à Iustiniano afferat. summã si vis, cape. Obsequijs verborum persolutis, acta & martyrium S. Placidi se composuisse affirmat ex vero, quippe testem oculatum: cauere voluisse ne tantorum factorum fama abolesceret; tum vero maxime vt Romæ innotescerent, quæ meridianam ipse in lucem extulisset. Videri Iustiniano Imperatori: virtutes illius ac gesta silẽtio prætereunda haud esse, etiamsi pro fide cæsus nõ fuisset. Quin more potius & exemplo aliarum nationum, honore & cultu à Romanis prosequenda. Conditam vero à se historiam (in domo Aniciorum hactenus seruatam) offerendam ipsi visam, vt albo lapillo notata, in Pontificio archiuo reponeretur. Denique adiecit, Eutychium Archiepiscopum & cæteros Episcopos totam rei seriem edoctos. Facturum illum, vt nouo Martyri Oriente toto meriti honores instituerentur. Quid Gordianus responsi tulerit à Pontifice, nobis non constat: hoc tamen Iustinianus Imperator tulit.

Pontifex Imperatori respondet.

Leo Ostien. Append.

Serenissimo & piissimo victori, triumphatori Flauio Iustiniano Imperatori Augusto, Vigilius Sedis Apostolicæ Romanæ Episcopus, cum cæteris centum quinquaginta quinque Episcopis Constantinopoli congregatis, contra hostes victoriam. Gratias Deo nostro infinitas agimus, Regi Regum, qui cum terræ imperium tibi dederit, regnum quoque cælorum (vti speramus) tibi daturus est. Et plane apparet hoc te regnum quærere, quandoquidem Sanctos studiose colis: & ne ex hominum memoria excidant, curas. Qua de causa in Dei laudes effusi, vt imperium tibi diuturnum ac felicissimum præstet, eundem oramus, cuius tu honorem ac cultum tanta solicitudine promoues. Hæc encomia publica: hæc memoria perpetua: hæ preces tibi iure merito debentur, vt Deus colla inimicorum tuorum humiliet, tuoque imperio subijciat, in quo vt optata felicitate fruaris, donec æternam assequaris, omnes vouemus. Hoc autem pro certo habe, tuam maiestatẽ à cultu Martyrum & aliorum Sanctorum vel maxime augeri posse. Cæterum historiam inuictissimi Martyris Placidi non absq; ingenti lætitia accepimus, nobisq; curæ erit, vt in Ecclesijs perpetuo legatur. Vicissim maiestati tuæ supplicamus, vt eiusdem S. Placidi amore Casinense Monasterium protegere semper velis, quod sanctus Benedictus fundauit, suoq; de patrimonio ædificauit: nimirum vt ibi degentes Monachi assidue Deum laudarent: pro tua incolumitate, Imperijq; conseruatione orent. Diuina gratia per merita sancti Placidi Imperium tuum semper defendat: nec nõ Theodoram Augustam vna cum liberis protegat: tuos autem inimicos pedibus tuis subijciat, Imperator Clementissime, semper Auguste.

Allatæ litteræ non omnino vacant errore. Quosdam Patres ponunt, diuersos ab ijs, qui Concilio interfuerunt. Deinde non conueniunt anni, quibus datæ sunt, qua de causa constitueram penitus eas præterire. Ne tamen quis putaret, incuria id à me factum, neglecta Appendice, in hunc annum quingentesimum quinquagesimum tertium conieci, quo Vigilius Pontifex Constantinopoli sacra Comitia habuit. Hoc vertebatur vicesimus septimus Imperij Iustiniani, & duodecimus Basilij Consulatus. At litteris Imperatoris ad Pontificem annus Imperij Iustiniani vicesimus tertius in Appẽdice subijcitur: nonus vero Consulatus Basilij. Hic iam quis non intelligat, typographos errori locum dedisse? Cum enim in supplici libello Gordiani, recte expressi sint anni; Iustiniani vero litteræ eodem tempore sint scriptæ, anni diuersi poni non debebant. Error etiam alter ijsdem obrepsit, numerantibus annum Basilij & Belisarij duodecimum absque tabulis & testibus; prætérquam quod hi duo Consulatũ vna haud gesserint, quando litteræ fuerunt datæ. Cuperem proinde vehementer ipsum archiuum à Casinensibus diligenter ex[illegible], & monumenta euolui inque lucem proferri, vt has ad limas non hæ tantum litteræ, sed multo plures castigari

possent, ne typographi diutius imponerent historiæ. Dignus profecto labor, quem viri doctissimi, quales Casino nunquam defuere, susciperent.

Exuperius: Adelphius: Ausicius: Helladius.

S. Iustus. Richila.

Sextum locũ S. Iusto cedimus, cuius mores nomini simillimi erant. Richilę septimũ. Hic cum Abbatis munere se abdicare vellet, S. Iustus datis litteris cohibuit virum, quem sciebat oneri parem esse. Non potuit ille nõ morẽ gerere. Nec memori æuo eximendus Deodatus, Abbas octauus; felix successore, & nominis proprij indicio venerandus.

Deodatus.

Abbas nonus S. Ildephonsus fuit, quem etiam Cathedra Archiepiscopalis Toletana accepit, cuius virtutibus & egregijs factis pleni sunt libri; Nos in Tomum secundum remonimus. Post hos Concilio XI. regnante Bamba celebrato, subscripsit *Auila Abbas Monasterij Agaliensis S. Iuliani*. Etiam Chixilam suis Abbatibus adnumerant, qui anno septingentesimo sexagesimo sexto floruit: res gestas S. Ildephonsi litteris mandauit: Maurisq; regnum obtinentibus in sedē Archiepiscopalē euasit. Vltimus quærenti occurrit Argericus, Froila imperante Antistitem agens. Sed Mauris Christianos nimium quantum vexantibus, suis cū monachis concessit in Galliciam, Monasteriumque S. Iuliano erexit alterum. Hos Abbates solos ex antiquitatis memoria eruere licuit. In Monachorum vero cœtu eminuit sanctus Eugenius, sancti Helladij discipulus. Deinde Toletanus Archiepiscopus, quem S. Iustus antecesserat. Sextum is & septimum Concilium Toletanum cōfirmauit. Eugenium II. vocant, vt à primo Eugenio, Toletano Apostolo distinguatur: nec non ab Eugenio III. qui vt monachum Ordinis S. Benedicti professus fuerit, non tamen Agaliensi sancti Iuliani, sed S. Engratiæ Monasterio Saragozano debetur.

Auila.

Chixila.

Argericus.

Virtute etiam hic loci emicuerunt S. Eugenius:

Monachorum illustrium Catalogo Agaliensi S. Maximum quoq;, Archiepiscopum Saraguzæ (cuius iam sæpe iniecta mentio est) vna cum Ioanne Abbate in Valleclara, viro insigni, deinde Episcopo Gironensi, inscribunt. Sanctitate, litteris, historiæ nonnullis reliquijs, ambo nobiles. Mauri capta Hispania non penitus diruere hoc Monasteriū, vti nec alia, sed intra se colere passi sunt, donec Froila sceptrum versante, barbaros in se concitarunt monachi, fidem Christianam inculcantes, adeo vt vicinos habere iam nemo vellet, sed pro se quisque submoueret. Rebus igitur compositis, terras Christianorum petiuerunt, relicto Monasterio; quod etsi viris sanctissimis, iuxtaq; doctissimis suffultum esset, breui tamen concidit. Sub Gothis & Mauris annos omnino trecentos haud durauit. Quamdiu vero stetit incolume, quoquouersum per Hispanias lucem luculentam sparsit, vt pro equo Troiano haberetur, è cuius cauo fœcundoq; ventre, tot cohortes virorum magnorum prodirent. Cæterum, arcto nexu Toletum ac Ordinem S. Benedicti mutua deuinxerunt beneficia. Locum vrbs tot nobilissimis monasterijs cessit: locum Ordo Helladijs, Eugenijs, Ildephonsis, alijsque viris clarissimis iuxtaq; sanctissimis vrbi compensauit. Immo si propius animum aduertas & oculos admoueas Toleto, opera maxima, facinora præstantissima, summaq; decora nostræ debet Religioni. Namque Archiepiscopos, in SS. Album relatos, hinc accepit. Regem Wambam posita corona in Monasterio S. Vincentij Pampliegæ Diuo Benedicto nomen dedisse: postea Arlanzæ ad S. Petri vitam monasticam degisse, tam norunt historici Hispani, quam digitos suos. Quam bene autem de vrbe meritus est, Superi! Pace, collatis gratijs & priuilegijs onera ademit; vel ne imponerentur, intercessit. Bello, ne qua penetrare posset hostis, mœnibus cinxit, quæ hos adhuc versus fundunt:

S. Maximus: Iohannes de Valleclara.

Mutuus Toletum inter & S. Benedictū nexus.

Wamba Rex: factus Monachus;

Toleto mœnia circumdedit.

Erexit, fautore Deo, rex inclytus vrbem
Wamba, suæ celebrem protendens gentis honorem.

In editis turribus mœnia distinguentibus, Sanctorum signa, obsequioso saxo expressa, collocauit, quibus Toletum hoc carmine commendauit:

Vos Domini Sancti, quorum hic præsentia fulget,
Hanc vrbem, & plebem solito seruate fauore.

Moneta ab ipso cusa in promptu est, cuius vna pars Regis refert imaginem: altera crucem oculis obijcit, duoque verba: *Toleto pius.* Iam nunc ad liberatorem vrbis gradum promoueamus.

Vrbem à Mauris sub iugum missam, in libertatem vindicauit Alphonsus VI. cui à manu perforata nomen posuerunt: Monachus Nouitius Monasterij Sahagun: qui tanto sacri habitus amore tenebatur, vt obedientiam, & certo limite æstimatam submissionem Abbati Cluniacensi spopondérit. Cumque Rex esset Hispaniæ, in familiam Ordinis sancti Benedicti se demittens, inter Donatos haberi voluit. Hic Alphonsus, tot nominibus noster, postquam Toletum, & qua patebat regnum, in potestatem redegit, consulturus quamprimum Ecclesiæ, præstanti virtute & doctrina virum Bernardum, Monachum Cluniacensem, id temporis Abbatem Sahagunensem, capessere Archiepiscopalem sedem iussit, qui cum apud Gregorium VII. Vrbanum II. Paschalem II. Pontifices Maximos, è Monasterijs Religionis nostræ in Palatium Vaticanum tractos, plurimum valeret, multa priuilegia obtinuit: Ius supremum, quod ante id in Ecclesias alias Toletum exercebat, dominantibus vero Mauris delituerat, adeo vt his pulsis Episcopi litem illi mouerint, eidem restituit. Dum in negotia Bernhardus grauiter incumbebat in Italia, Monachorum Ordinis sancti Benedicti opera, quos è Monasterio Sahagunensi exciuerat,

Alphonsus VI. in Ordinem S. Benedicti se intulit.

Bernhardum Monachum Archiep. mitra Toletana ornauit.

in Ecclesia sua Cathedrali visus est, qui Canonicorum munere fungerentur: vel Canonici ipsimet aliquot annis erant. Neminem profecto fugit, hinc *fraternitatem*, quæ hodie quoq; inter S. Ecclesiam Toletanam, & Monasterium Sahagun intercedit, duxisse originem. Si enim Monachus Sahagunensis degat Toleti & diuina officia cum Canonicis persoluat, idam cum illis præmium capit. Abbas vero pari honore afficitur cū illis, qui in eadem Ecclesia dignitate eminent. Dixisses summum in fastigium hanc Cathedrā euasisse, Bernardo & Raymundo (etiam Monacho nostro) sub Archiepiscopali mitra desudantibus. Nam plerisq; per Hispaniam Ecclesijs Cathedralibus Episcopos Toletum dabat; vt præteream alios quoq; dignitatum gradus, qui à nutu Archiepiscoporum, tanquam Legatorum à latere, pendebant. Etenim his quoq; prospicere solebat. Verum vt è priscis sæculis ad præsens saltu aliquo nos iaciamus, Toleto hoc etiam laudi verti potest, quod Martinum de Vargas nouū Monasterium, ac insuper nouā Reformationem Congregationis Cisterciensis molientē, iuuerit, quod nō procul vrbe positum, S. Mariam de Monte Sion appellant. Huc veluti ad caput, se tulere cetera membra, nullo hodie labante. Igitur *de Sion exiuit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Nam Monasteriū Sion reliquis tulit leges, ad quas sanctissime se componunt: Toletum vires suggessit, quibus instructum se tam late per Hispaniam extendere posset. Hęc cum ita, magnis profecto beneficijs (fatendum est enim) Toletum gloriosus P. N. S. Benedictus affecit, vt merito spes nos tenere debeat, nobilem vrbem laxatutam aliquando sinum, & meritorum memorem Monasterium nouum, postquam vetera desierunt, Maximo Patrono suo conditurum.

Ecclesiæ Toletanę auxilio, Cisterciensis Cōgregatio veterem disciplinā reuocauit.

CAPVT VI.

Structis Monasterijs Ordinem S. Benedicti attollit Gallia.

Reges inter ac Principes, de Ordine nostro prolixe meritos, locum iure capessit Childebertus, Clodouei & S. Crotildæ filius. In mote tunc temporis positum erat in Gallia, regnum pro hæredum numero diuidere. Quatuor autē filios susceperat Clodoueus, è quib⁹ Childeberto Parisij obtigerunt. Poterat cupidum animum explere quod adierat regnum, nisi oculos ad fraternam hæreditatem adiecisset, atq; vt rem suam augeret, illis bellum intulisset. Vnde maculā nomini imposuit; cætera eius facta historicis laude] digna sunt visa, præsertim S. Gregorio Turonensi, qui fortem, pruden-

Greg. Turon. hist. Franc.

tem, pacis & belli artibus clarum deprædicauit. Pietati deditū fuisse, tot adduci possunt testes, quot olim eius liberalitate ac beneficio steterunt Ordinis S. Benedicti Monasteria, è quibus tria maxime eminebant: Arelatense, ipsa in vrbe exstructum: Aninsula, cui hoc nomen à proximo fluuio Aninsula indiderunt. (Etiam S. Carilephum appellant, quod is Abbatis munia primus sit hic exequutus.) Deniq; Monasteriū S. Vincentij in suburbio Parisiorum situm, quod dum ad splendorem prouexit, regiam munificentiam plane fatigauit. Nam vitam in eo egit; qua exacta ibidem condi voluit. Posuerunt illi nomen posteri à S. Germano, Episcopo Parisiensi, ibi sepulto. Arelatēse ad hunc annū pertinet; reliqua duo anni alij accipient. Priuilegio quodā à Vigilio Pontifice Max. donatū fuit, cuius D. Gregorius mentionem facit in Registro. Tot lapsa inde sæcula memoriam rerum Monasterij deleuerunt, nisi quod Childebertus magnas opes in id effuderit. Bulla quidē Vigilij in promptu haud est: epistola tamen habetur Gregorij Magni, quæ illius vices obiuerit, quam libet exhibere.

Rex Childebertus fundauit Monasterium Arelatense: Aninsulā: S. Vincentij: quod hodie S. Germani vocant.

Greg. l. 7. epist. 116.

Gregorius Virgilio Episcopo Arelatensi.

Cum pia desiderium voluntatis, & laudanda deuotionis intentio Sacerdotalibus sit semper studijs adiuuanda, cura solitudinis adhibenda est, vt ea quæ pro quiete Monachorum religiosaq; conuersationis fuerint ordinata, nec dissimulatio negligere, nec quadam valeat præsumptio perturbare. Sed sicut hoc, quod ratio exigebat vtilitatis oportuit definiri: ita quod definitum est (nisi forte vbi maior est auctoritas) non debet violari. Igitur gloriosæ memoriæ Childebertus, Francorum Rex, Catholicæ religionis amore succensus, intra muros Arelatensis ciuitatis Monasterium virorum (vt scripto reperimus) pro sua mercede constituens, quædam ibidem pro habitantium sustentatione concessit: cuiusne voluntas vnquam duceretur in irritum, & ea quæ pro quiete Monachorum disposita fuerant, turbarentur, quaque contulit, in iure eiusdem Monasterij, epistolis suis Apostolicæ potijt auctoritate firmari: Hoc quoque petitioni suæ subiungens, vt eidem Monasterio tam in dispositione rerum, quam in ordinatione Abbatis, quædam pariter priuilegia largerentur. Sciens quippe eam Apostolicæ Sedis reuerentiam à fidelibus exhiberi, vt quæ eius decreto fuissent disposita, nullius deinceps illicita vsurpationis molestia quaterentur. Vnde quia effectum, & regia voluntas, & rei valde desiderata poscebat à Prædeces-

sore

sore nostro Vigilio, Romanæ Sedis Antistite, ad Prædecessorem vestrum Aurelium scripta, transmissa sunt, vbi omnia, quæ amplectendæ voluntatis studium deposcebat, Apostolicæ auctoritatis annisu libenter firmata sunt: quia difficultatem pati non potuit huiusmodi res petita. Sed vt fraternitas vestra, quæ fuerant tempore illo decreta, cognoscat, antedicti prædecessoris nostri scripta his prævidimus scriptis adiungi. Quibus lectione percursis, hortamur vt omnia Sacerdotali, sicut decet, studio inuiolata conserues, nihilque illi de indebitis, nihil permittas de illicitis irrogari, nec ea quadam patiaris vsurpatione conuelli. Nam licet ea, quæ semel Apostolicæ Sedis auctoritate sancita sunt, nil egeant firmitatis, ex abundantia tamen nostra cuncta, quæ pro rei huius quiete à Prædecessore nostro statuta sunt, nostra iterum auctoritate in omnibus roboramus. Fraternitas ergo vestra ita se in custodiendis eis exhibeat, quatenus & omnem occasionem inquietudinis excludat, & aliis hæc operari suadeat, dum se in custodienda defuncti piissima voluntate sollicitam, vt decet, exhibuerit & deuotam. Ergo Childebertus Monasterio consultum iuit, litteris Apostolicis contra turbatores id muniendo; simulq; sequututis Regibus & Principibus viam aperuit ad Monachos defendendos: Summis Pontificibus igniculos iniecit, ad eosdem in sinu souendos. Sed nunc ad alia Monasteria, posterius fundata, pedem promoueamus.

Annvs Christi 555. — Annvs S. Benedicti 75.

Monasterium & vita S. Carilephi eduntur.

ALterum Monasterium è præcipuis, quæ Rex Childebertus construxit, Episcopatum Cenomanensem prope Aninsulam flumium (à quo nomen primū traxit) occupabat. Papirus Masonus ripas ledi tenuisse, asserit, quem amnem mutasse nomen oportet: olim tamen Aninsulam vocatum affirmat auctor vitæ S. Carilephi apud Surium. Porro Monasteriū veteri verbo exuto S. Carilephi hodie præfert, quod primus ibi prouinciam Abbatis obiuerit. Sed eius res gestas enumeremus prius, vt tanto altius causa constet, ob quam Childebertus in hoc opus incubuit. Carilephus in Aquitania parentibus Christianis, ac nobilibus ortus est, qui puerum magna cura ad pietatē instituerunt; vnde nec iocis, nec ludis, quibus hæc ætas duci solet, capiebatur; sed in res pias intendens curas, vix aliud, nisi quod eo pertineret, in ore habebat: ægre negotia alia suscipiebat: quapropter Monachorum fidei

Mason. hist. Frāc. in Childeberto.

Sur. tom. 4. 1. Iulij.

Carilephus in fontem pueritiam ducit.

commissus fuit, vt recentissima testa his magistris virtute imbueretur. Maiores pro ætate progressus breui fecit. Iussa prompte & ad vnguem exequebatur: vigilandi & orandi industria alios anteire: ieiuniis longe productis corpusculum exhaurire imprimis studebat. Spectata virtus Carilepho breui famam, hæc admirationem & cultum peperit: quibus vt se subduceret nonnullis è condiscipulis ad vitam magis asperam secum amplectendam auctor fuit: nec perdidit verba. Nam præter alios se adiunxit Auitus, postea in Sanctorum numerum relatus, Monasterij Carnotensis conditor. Item Daumerus & Gallus, indiuidui comites, & Monasterij Aninsulæ prima fundamenta. Mos autem illius temporis ferebat, annuente Abbate ex Cœnobio secedere in Eremum. Diuersi igitur terram pererrarunt, vt loco, in quo durius viueretur, circumlatis oculis deprehenso, illuc omnes cōfluerent.

S. Benedicto dat nomen.

Grandia molitur peranus.

Cum Ecclesia Gallica etiamnum adolesceret, Episcopi in sacris sæpe cœtibus prope templa, degebant vitam: immo templa ipsa erant Monasteria. Id temporis Arelati Maximus Episcopus habitabat, vir longe clarissimus, qui Monasterium condiderat, pietatis ac disciplinæ religiosæ ipsissimam sedem. Huc se igitur, fama vocante tulerunt incerti laris hospites. Facile suboluit sancto Antistiti, quid agitarent animis æstimataque illorum virtute, ad Sacerdotium inuitauit. Carilephus & Auitus sacris initiati sunt. Sed cum ad solitudinem adspirarent, in portum vero expetitum inuectos se nondum cernerent, ab Episcopo dimissi in desertum immensum penetrarunt. Tandem in locum inciderunt, cui Piriaco nomen, qui voti compotes fecit. Opere subito excitarunt Ecclesiam, quam posteri Cellam S. Auiti dixere. Carilephus autem reperit fontem, in quo sitim extinguerent, cui postea inuentoris nomen hæsit. Sed frustra tam caute vitarunt famam. Vago namque rumore per viciniam vulgato, aduenisse illuc homines nouos, & consedisse, virtutibus mirifice ornatos, feruere illico cœpit limen Monasterij visitantium atq; prensantium frequentia. Nihil ad oleas Carilephi faciebat intempestiuus hic cultus, quocirca rebus S. Auito relictis, ipse cum Gallo & Daumero vela alio intendens, ad Aninsulam fluuium se promouens, locum mortalibus infrequentem, feris tantū & auibus adeundum colendūq;. Quocirca humi fusus integres Numini gratias habuit, quod ipsius ductu eo peruenisset: nouas etiam secū iniji rationes, noua in sede cœlum demerendi. Viri enim sancti postquam in fastigium virtutis euaserunt,

Ad S ará inauguratur.

Pedem ac sedem in deserto cum socijs figit.

Mox inde ad Aninsulam se agit.

Eius opera surgit nouum Monasterium.

adhuc in basi hætere sibi videntur. Ergo manus oratorio, tugurio, geniali horto admouentur, quibus omnes Carilephi opes componebantur. Hoc in deserto errabat bubalus, qui feritate posita nonnunquam inuisit suos ciues: quoties autē ad sanctum Patrem se ferebat, cornutum caput submittebat, ac si rogaret vt sibi benediceret. Manus blandientis & fricantis tam erat patiens, quam si vrbana in casa ad humanitatem eductus fuisset. Vnde Carilephus edito vaticinio, accipio omen, dixit: animal hoc mansuerū è fero, portendit venturum huc mortalem, in nos primo durum, asperum, inhumanum; qui animum deinde auersum exuens, benigne nos accipiat. Aliquantulum temporis extraxerant in Eremo, cum Childebertus Cenomanni diuertens, bubalum audiuit inusitatæ magnitudinis per desertum se agere, & tanta subinde velocitate intendere cursum, vt ventos aut volucres æquare videatur. Cupido incessit Regem prendi animal. Ergo petitur vetusta sylua: taptantur sagaces canes cum mordacibus molossis: disponuntur insidiæ: tollitur ad sidera clamor: ruunt per auia præcipites venatores. Infesto hoc canum hominumq; agmine excitatus bubalus, vastum caput efferens, agnouit sonitum, ideoq; de sua pelle agi ratus, in fugam se coniecit, & supplex ad limina S. Carilephi venit, similis imploranti fidem, non alia via certius discrimen exiturus. Nec spes decollauit. Nam Carilephus sine mora anhelis venatoribus, feramque elapsam figere connixis, se obijciens, periculum propulsauit. Illi multum indignati rapido cursu feruntur ad Regem; quo pacto sibi consuluisset bubalus, ordine exponunt, simulque ita illius animū accendunt, quempiam audere imminentes feris venatores regios sic ludos facere. Ardens igitur ac percitus furore, conscendit equum: ducentibus venatoribus Eremitorium petit: ibi verbis grauissimis in S. Carilephum inuectus, è vestigio solum vertere iubet, aliter sese in ipsum densissimis flagris editurū exemplum. Atqui Sanctis semper magna fiducia, animi submissio singularis, eum summa prudentia adest. Mundo se terga vertisse cum socijs, subiecit Carilephus, illicque sedem posuisse, vt cœlo tanto propius frui sibi liceret. Multa ille quidem hoc de argumento effuderat: insuper vt Regis furorem subigeret, tecto succedere, & syluestrem mensam libare rogitauit, sed auras verberauit. Nā Childebertus oculis contemptim in virum reiectis abnuens, calcaria admouit equo, habenis domum flexis. Vbi nihil sese promouere animaduertit, altius stimulos adegit, vt

Childebertus bubalo casses tendit.

Trepidū animal ad notum asylum se recipit.

Rex insequitur:

sanguis proruperit: at sonipes vestigijs obstinatis nil moratus fodientia calcaria, perstabat, quasso iubato capite.

Et à Carilepho capitur.

Perculsus re insolita Childebertus, præsertim è comitibus quoppiam suggerente, mirum videri nō debere, si Deus seruorum suorum gratia, moras inijciat equo, quando solem quoque à cursu olim inhibuisset. His seria existimatione perpensis, suopte ingenio pronus in pietatem Rex, in colloquium poposcit Carilephum, ita prorsus discussa. Vbi obuiam processit, ille equo desilire: ad vestigia Sancti se abijcere: iræ prætentæ veniam petere. Carilephus confestim inuasit brachia, Regem iacentem attollere connitens: deinde erectum amplexus pace impertiuit: quam posthac rationem & sui, & subditos regendi iniret, edocuit, magno docilis discipuli emolumento. Colloquio soluto, vinum prompsit, quod cum Rex vna cum suis aliquamdiu duxisset, poculum tamen plenum perpetuo fuit, ac si nec guttulam inde traxissent. Ictus miraculo Childebertus, intelligo, dixit, non mihi verba esse data, sed te Numinis supremi nutu sedem hic cepisse. Sunt mihi reditus in pago Modoalensi, quos vobis cedo. Enimuero moliri Monasterium vos cupio, in quo serui Dei quamplurimi degant, diuinam Maiestatem mihi meisque subditis propitiaturi. Sumptus, addidit, se facturum ex ipsorum arbitrio. Inde in viam se dedit, suspensus miraculorum admiratione. Domi vero Vltrogodæ coniugis aures tam inauditis nouis prolixe imbuit, quæ mox capta pietate in virum sanctum, multis postea beneficijs eum affecit. Tantis muneribus onustus Carilephus cum socijs, non modo de rigore pristino nil remisit, sed ieiunia, orationis & vigiliarum spatia extendit, ne minus propitio vterentur Deo aspirante iam fortuna secunda, quam cum iactarentur aduersa. Præter vitam, quam is agebat sanctissimam, frequentissima quoque miracula virum sublimem tulere. Ægrotis iniecta manu pristinas reddebat vires. Cacodęmones fusis precibus & lachrymis in fugam agebat. Ea tamen cura, quam animis adhibebat, lunge maiori admiratione digna erat. Diuinam lucem, qua fulgebat ipse, accedentibus ita aspergebat, vt mali agnito errore ad frugem redirent: boni vero extra orbitam non se ferrent. Quam ob rem ingens candidatorum numerus ad Monasterium confluebat, quibus accipiendis nec plurimæ cellæ, nec amplissima ædificia sufficiebant. Multum quidem argenti Rex Childebertus contulerat, struendo Monasterio, sed ecce! dum operæ templi ponunt fundamenta, in thesaurum

Inexhausta illius lageoula bona mēte Childebertū imbuit.

Morbo affecti, salutem à viro Dei accipiūt. Auctor eius vitæ.

Aurum educit è fundamento.

saurum incidunt, partem educendæ amplæ fabricæ, & egestati pauperum leuandæ.

Quantus autem sanctissimorum Monachorum numerus hic loci consedit, boni Superi! à tam perito Magistro docti ad virtutem! Qui res à S. Carilepho gestas composuit, nouum hic iterum condit Catalogum, ac si nondum hactenus manum tabulæ imposuisset. Cum Christo, ait, simul eum cruci affixum, reiecisse quicquid sensus mulcere, aut volupe esse potuisset. Corpus à capite vsque ad calcem in horridum cilicium induisse: humi fusum cepisse somnum, cineribus vertice parumper effulto. Pedes nunquam muniuisse, nec quidem contra sæua frigora, vel altas niues. Porro si mensam spectasses, à S. P. N. Benedicto, vel S. Mauro instructam esse, quam primum intellexisses. Etenim ieiunio verno haud accumbebat, nisi postquam duos vel tres dies inedia duxisset. Oluscula aut legumina vexanti stomacho ingerebat, sed non ita copiose, vt is non amplius satiaret, vel fames eximeretur. Aridam sitim in aqua deponebat, quod à vino non secus, quam à veneno abhorreret. Parum igitur curabat cutem: nihil indulgebat pelli, quamuis labores perpetui aliquid exigere viderentur. Vel enim in opus externum intendebat vires: vel orabat: vel meditationi, quam in delitijs habebat, operam dabat. Asperam vitæ rationem comitate & prudentia condiebat, durus in semetipsum & parcus, sed mire blandus in pauperes, peregrinos, hospites, ac liberalis. Legem sanciuerat, nequa mulier Monasterio vnquam inferret pedem. Nec vllam ob causam deinceps huic vim facere licebat. Vnde Reginam Vltrogodam videndi Monasterij & Antistitis acre desiderium incessit, quod fama indies augebat. Per certum igitur hominem significauit Carilepho, venturam se, si per ipsum liceret. Noua etiam prædia pollicita est, vt Monasterium non tantum incolis, verumetiam opibus augeretur: (an vero quod captaret hunc in modum Carilephi beneuolentiam, ne sibi obicem poneret?) vehementer enim cupiebat cum seruis Dei serere sermones, & oculis suis lustrare Asceterium. Nuntium summa humanitate excepit sanctus Pater: benigne habuit: cum autem dimitteret, refer Reginæ, dixit, nec monachis multis reditibus opus esse, nec ipsi mea benedictione. Quam autem sibi impertiri cupit à meis fratribus, melius domi suæ petituram à Deo, certius impetraturam. Nobis enim immobilis stat sententia, fœminam nullam admittere.

Secū agit velut cū hoste.

Vt fæminas in Monasterium admittat, flecti nequit.

Supremum diem tam sancte obijt, quam reliquam ætatem. De morte enim à Numine certior factus, etiam certos suos fecit discipulos. Destitutus igitur viribus ac fato proximus, iamque ad cœleste iter præcinctus, vltimum spiritum in hymnis duxit: & Psalmis, excessitq; Cal. Iulij, filijs tam pium Patrem tenentibus & collachrymantibus. Iusta ipsi rite persoluta, funusque conditum prope Aram maximam. Ex hominum consortio sic semotus, de hominibus tamen bene mereri non desijt, multis miraculis etiam è tumulo patratis, qui plane lapis Lydius censeri poterat, adeo virtutem atq; virium, mala bonaque consilia palam facere solebat. *Ad eius sacratissimum tumulum*, inquit vitæ ipsius auctor, *dæmoniaci veniunt, & liberantur: periuri veniunt, & vexantur: languidi veniunt, & curantur: rapaces veniunt, & vinciuntur: atque ita fit, vt qui fideliter eo accedunt, salute potiantur: qui vero infideliter, iuxta Doctoris gentium vocem, tradantur in interitum carnis, vt spiritus salui fiant.* Nunc animus est miraculo, à Vincentio Beluacensi & S. Antonino litteris prodito, hæc experiri: vnde mos quoque à maioribus inductus constabit, ad Sanctorum sepulchra edendi iuramenta. Fæmina curiositate acta, secum exegit rationes, quibus monachis imponeret: per claustra penetraret. Principio fusum ardua per colla capillum resecuit: cultum inde virilem sumpsit, vulnifico ense latus cinxit: & scipione in manu collocato, quam si fecisset iter, intro promouit gradum. Quid fit? Dum huc illucq; ardentes oculos voluit, eorum iacturam fecit. Neque tantum duxere caliginem, sed caua fronte exciderunt, humique extincta sunt chara lumina. Quid deinde? corpus subiuit malus genius: iactauit, excussit, illisit, vt plenis buccis spumantem curiositas sanguinem vomeret. Quo denique malum euaserit, Vincentius Beluacensis & S. Antoninus non exponunt. At qui vitam sancti Carilephi memoriæ prodidit, simili curiositate fæminam quampiam refert, similesque persoluisse pœnas, sed precibus viri Dei incolumem abiuisse.

Humana absoluit.

Martyrol. 1. Iulij.

Vincent. Bel. l. 21. c. 44.

S. Anton. tit 12. c. 8.

Curiositas fœminea S. Carilepho dat pœnas.

Quatuor in Gallia Ordinis S. P. N. Benedicti stabant Monasteria, in quibus de scelere patrato periculum fieri solebat, si rei pernegassent. Vti enim hodie manus inijciunt Euangelijs, ita olim imponebant sanctorum Martyrum & Confessorum Reliquijs. Atque vt rem teneas, hoc genus hominum ad S. Martinum Turonensem: ad S. Carilephum: ad S. Germanum Parisiensem: ad S. Medardum, ducebatur. Neque mos hic tantum in Gallia vigebat, sed per Italiam quoque & Hispaniam sparsus erat. Vnde Diuus Gregorius datis ad Castorium

Vetus ritus edendi iuramenta.

D. Gregor. l. 1. ep. 33. & l. 7. ep. 8.

Notarium litteris, *Veniant ante corpus S. Apollinaris*, scripsit, *& tacto eius sepulchro iurent.* Hic autem thesaurus in Monasterio Classensi, Ordinis S. Benedicti, conditus erat. Hispani Aulam petere, ac huiusmodi iuramenta ad sepulchrum Sanctorum Vincentij, Sabinæ & Christetæ nuncupare consueuerant. Idem Burgis factum ad lipsana S. Gadeæ, vbi non pauci pœnas periurij luerunt. Insuper Alphonsus VI. vt proceribus regni fidem faceret, necis Regis Sanctij ad Zamoram auctorē se non fuisse, nec crimen proditi Bellidi de Olfos admisisse, præstito iam semel iuramento, etiam Burgos proficisci, in templum S. Gadeæ se ferre: ad Aram maximam, dextra super sacrosancta Euangelia deposita, in concepta verba iurare debuit. Cid animosior reperiuit iuramentum. Verum vbi Rex Ferdinandus & Isabella intellexerunt, multos temere adire periculum, nec corpora solum, sed etiam animas discrimini obijcere, morem hunc lege sustulit. Porro pietas & sancita solitudinis clausuræque perpetuæ non rumpenda lex, post Carilephum, diu in sancto hoc Monasterio perdurarunt, ex quo præter alios Giramus Abbas in Sanctorum numerū venit, cuius meminit Molanus. Is prius nobilem fæminam duxerat, ex qua filium Sibiardum susceperat. Demortua vxore, ad Monasterium S. Carilephi animum adiecit. Postquam se immisit, tanta vbiq; prudētiæ singularis documenta dedit, vt Antistitem olim agere sit iussus. Filius vt in vestigia patris iret, eodē se intulit: habitum religiosum induit: habenas quoq; Monasterij post patrem capessiuit: eumq; se gessit, vt Galliæ magno ornamento esset. Annus sexcentesimus ipso insignis fuit. In ore ferebatur, quod doctrina polleret: orationi mirifice se dederet: vitam in summo rigore traheret: quod ædes & incolas auxisset: quodq; rerum caput est, Numinis cultū ad fastigium eduxisset. Sanctis additus est ad Cal. Martias. Multo plura Surius affert: ego multis Lectorem tenere nō debeo, cum innumerus sit numerus eorum, qui ex Ordine nostro Superis sunt illati. Aliquando Monasteria tantum attingo, in quibus versati sunt: vel noto annum, quo floruerunt.

Don Rodrigo l. 6. c. 21. Hist. general. p. 4. c. 3.

Morem hunc aboleuit Ferdinandus Rex.

Molan. ad dit. ad Martyrol. Vsuardi. 14. Decem.

SS. Giramus & Sibiardus Cœlitib⁹ adscripti.

Surius tom. 2. 1. Mart.

Merobeus Regis Chilperici filius, etsi habitum Monasticum hic loci induxerit, ægre tamen in Monachorum numerum admittā, quod non sua sponte, sed vi subactus sacro iugo submiserit colla. Nimirum connubio sibi iunxerat Reginam Brunechildem, Sigiberti cognati sui vxorem, inuito ac aduerso patre, qui proinde Ordini eundem & Monasterio S. Carilephi addixit: vnde coniicias Regularis obseruantię curam hic adhibitam fuisse singularē; quod etiam S. Domnolus, Episcopus Cenomanēsis persuadeat, vir raræ sanctitatis. Etsi enim multa condiderit Monasteria, nihilominus quotannis diebus estiualibus huc secedere, ac Monachis S. Carilephi se miscere consueuerat. Sed vt nihil rebus in humanis perdurat, labente anno septingētesimo decimo octauo tanta premebatur penuria, vt Dagobertus II. Rex id Ecclesiæ maiori Cenomanensi adiunxerit. Regnante vero Carolo Caluo, denuo cępit attollere caput, vires colligere, seq; intendere, memor pristinę magnitudinis atq; virtutis. Postremo Nicolai I. Pontificis Max. Regisq; opera Ecclesiæ maiori subductum, sibiq; restitutum fuit. Vbi vero Carolus Caluus Imperium Romanum adeptus est, cordi imprimis hoc Monasterium habuit, vt non tantum egestate haud amplius laboraret, sed indies caperet incrementum. Sed ne longo te sermone trahamus, Epistolæ Papæ compendium damus.

Habitus non facit monachū: vnde Merobeus è syllabo expungendus.

Surius 6. May in vita S. Domnoli.

Monasteriū S. Carilephi ad paupertatem adductum. *Chopin. Monast. Politian. lib. 1. n. 11. Script. 13.*

Robertus Episcopus Cenomanensis S. Carilephi Monasterio manū iniecerat, pleraque pro suo arbitrio disponendo: etiam Abbatem præficiendo. Ægre iniuriam tulere Monachi. Lite ad Pontificē delata, certior is de omnibus fieri voluit, vt iustam sententiam ferre posset. Literas ipsius Tomus 3. Decretalium exhibet. Etiam Regi ipsi negotium dedit, vt quid ageretur Episcopum inter ac Monasterium, se edoceret. Morem gessit Carolus, omnium gnarus. Quocirca Pontifex damnata Episcopi causa, Monasterium in veterem libertatem asseruit, vnaque epistola priuilegia multa, quibus olim gaudebat, confirmauit. Regem vero laudibus prosequutus est, quod pro Monasterio steterit: imminentem nimis Episcopum Cenomanensem represserit: Adonem Episcopum Beluacensem, Romam miserit, qui causam S. Carilephi apud Sedem Apostolicā ageret. Ope igitur Nicolai I. & Caroli Calui, priuilegia cū pristinis fortunis, à Regibus & Principibus concessis, ad Monasterium redierunt. Insuper iurisdictioni id Roberti Episcopi & successorum simul ademptum fuit, affirmante Pontifice non noua se beneficia apud Monachos collocare, sed olim à Clodoueo & Childeberto accepta, postmodum erepta, reddere. Idcirco potestatem ferendi suffragia pro nouis Abbatibus, remoto Episcopo, Monachis fecit. *Neq; in eius electione*, inquit, *Episcopi Cenomanici recipiant constitutionem, aut dispositionem, sed quemcunque dignum vita, moribus atque doctrina perspexerint, pastorali officio, & sibi vtilē, & aptum dispensatorē esse, ipsum eligant, Regisq; in notitiam deferant, vt eius & concessione & con-*

In veterē gradum emersit auxilio Nicolai I. & Caroli Calui.

Tom. 3. Decret. ep. 60. 61. 62. Script. 14.

Epist. 62. Nicol. I.

consensu potestatem regiminis accipiat. Item, Cum multi per prauorum hominum insidias seruis sæpe Dei fabricentur doli, decernimus, vt ordinatus deponi non possit, nisi criminalis eum causa monstrauerit reum. Quod si fuerit infamia calumnijs notatus, ex regali prouidentia Episcoporum habeatur non minus quam sex conuentus, quorum de numero Cenomanicus constituatur Episcopus, & eorum iudicio secundum Canones, illius causa discussa, non aliter deponi possit, nisi reus manifestis certisq; patuerit indicijs. Postremo si Episcopus Cenomanicus hæc iussa pensi nō haberet: intra vel rem Monasterij inuaderet, aut vexaret: Abbas Metropolitani Turonensis opem imploraret. Adeo Nicolaus I. Monasterium S. Carilephi vndique contra iniurias muniuit.

ANNVS CHRISTI 556. ANNVS S. BENEDICTI 76.

CAPVT I.

Rex Childebertus in Suburbio Parisiorum Monasterium ponit, quod olim S. Vincentij, hodie S. Germani dicunt.

Iaciuntur fundamēta Monasterio S. Vincētij.

NOn in Monasterio S. Carilephi amor Childeberti & liberalitas aduersus Ordinem S. Benedicti stetit, sed suopte ingenio ad beneficia collocanda pronus, tam grande opus in suburbio Parisiensi molitus est, Vt Aninsulam cū Arelatensi Aicetetio longo post se interuallo reliquerit. Diu quippe animi Rex pendebat, vbinā ædificaret Monasterium, quod sua post mortem ossa reconderet. Nullus arrisit locus, donec Lutetia eius in potestatē venit. Cum enim Clodoueus & S. Crotilda regnum diuiderent, ager Parisiensis Chereberto filio obtigerat; quem cum fata paucos post annos abstulissent, Childebertus & Clotarius fratres hereditatem adierunt, cessitq; illi Lutetia, quæ mite animum eius cepit, etsi ad hodiernum splendorē perducta haud esset. Ergo in suburbio templum magnificum exstruxit, quod S. Vincentio Martyri dedicauit. Quo anno id factum, non conuenit inter historicos. Quidam quingentesimum quadragesimum secundum ponunt, quo Childebertus insignem victoriam à Gothis, Hispaniam insidentibus, retulit, voluntque Deo Opt. Max. gratum Regem, hoc templo reddidisse gratias. Alij quingentesimum sexagesimū primū obtrudunt, ex archiuo Monasterij proferentes magni ponderis priuilegium, hoc ipso anno consignatū. Via nos ferimur media, & in annum præsentem, seu quingentesimum quinquagesimum sextū conijcimus, quandoquidem Abbas primus, cui Auctario nomē, hoc tempore habenas capessiuit. Fatemur equidem anno quingentesimo quadragesimo secundo iacta fuisse templi fundamenta; Monachi tamen ante Auctarium nulli incoluere. Nec abnuimus Childebertum parta victoria mox operi manū admouisse, sed cum moles, quam agebat, esset ingens, lapsos profecto aliquot annos oportet, donec absolueret, ac Monachos induceret. Hi vnde acciti sint, narrabimus, cum prius causam vestigabimus, ob quam Rex Gallus è suis Monasterijs præcipuum dedicarit S. Vincentio Martyri Hispano.

Childebertus & Clotarius expeditionem cōtra Gothos suscipiunt. *Greg. Turō. de gest. Franc. l. 3. c. 29.*

Childeberto & Clotario fratribus, ægre faciebat, Gothos cum imperio & Ariana hæresi tenere Hispanias. Ergo constituunt secū iunctis viribus aduersus hostes fidei suscipere expeditionem. Petitur Hispania: inferuntur signa: pugnatur secundo Marte. Venitur Saragozam vsq;, quam dum obsidione premunt, paulatim incolę ad incitas & desperationē redacti, cœlum precibus pulsare cœperunt, quod opem præter Deum iam ferre nemo posset. In manibus tunica S. Vincētij erat. Venit ergo in mentem, in supplicationem ex vrbe prodire: tunicā solenni pompa circumferre: lacrymis Martyrem & diuinum Numen flectere. Postquam orando & ieiunando non breue temporis spatium contritum fuit, qua data porta processerunt vndante pio agmine. Sublimis ibat tunica, aggeris, valli, propugnaculi vices expletura. Cultum viri fæminæque posuerant, illis crebro cilicio coopertis; his capillis passis, ac summum verticē immundo cinere conspersis. Obstupuere duces exercitus: hiscebant interim milites, quæ dementia miseros ciues cepisset, ambigui: nonnulli animum induxerunt, eos rebus conclamatis hoc ritu Acheronta monere velle. Missi qui palantem aliquem exciperent, dum extremi se circumagerent. Capitur vnus, trahitur ad duces: rogatus quosnā ludos ederent stolidi? Rem vbi ad restim redijsse, dixit: mortem pallidam in tergis hærere ciuium: quanto maximo nisu sanctum Vincentium sic cœlo detrahi, laturū pereuntibus opem: ab eius tunica, quam sublime viderent ferri, spem, fiduciam incolarum pendere. Hac religione commoti Reges, soluere obsidionem, ita vero vt vrbs dederet tunicā, aliaq; Sanctorum lipsana, postea exponēda. Ciues vt præsenti periculo caput subducerent, thesaurū sibi imprimis charum tradiderunt, quo læti Reges Galliam repetierunt. Childebertus pro parta egregia victoria Numini gratias relaturus, vasta mole templū in Parisiorum suburbio statuit, vbi iam regiam sedem fixerat, eiq; S. Vincentij nomen indidit, ac omnia vndiq; ornamenta congessit, sua quoq;

Tunica S. Vincētij præsenti periculo Saragozam eximit.

ossa daturus. Multos sinu tenere Sanctorum Reliquias, habereque Principes, qui partas tueantur, non leue beneficium duco, quod S. Vincentij Asceteriū iactate potuit. Nulli industriæ, nullis sumptibus pepercit Childebertus, vt qnicquid vbique sacrum esset, sibi adsciceret: in Monasterium sancti Vincentij conferret: defenderet. Saragoza tunicæ addidit lipsana Sanctorum Stephani, Ferteoli, Georgij, Prothasij, Nazarij, Celsi, partemq; sanctę Crucis, cuius gratia Venantius Fortunatus molem templi Salomonis isti postponit, carmine non incondito:

Sacer thesaurus Monasterij S. Vincentij, donò à Childeberto datus. *Aimon. hist. Fråc. l.2.c.20. Venant. de Ecclesia Paris.*

Floruit illa quidē, vario intertexta metallo,
Clarius hac Christi sanguine tincta, nitet.
Illā aurum, lapides, ornarunt cedrina ligna:
Hic venerabilior de Cruce fulget honor.

Vnde conijcias non fuisse exiguam tantum felicissimæ arboris particnlā, sed solito frustum maius; aliter Poëta silentio præteriturus fuisset. Accedit templum illud nō modo S. Vincentio, verum etiam S. Cruci fuisse dedicatum. Thesaurum hunc sacratum Reliquiarum multum auxit S. Germanus Episcopus Parisiorum. Cū enim peregrinationem Hierosolymam suscepisset, delatus Constantinopolim, ab Imperatore Iustiniano parte Coronæ spineæ, lipsanis ss. Innocentium: brachio S. Georgij Martyris donatus fuit, præ quibus opulenta alia munera flocci duxit. Anno octingentesimo quinquagesimo octauo idem Monasterium ss. Georgij & Aurelij corpora, per duos monachos ex Hispania allata, ditionis suæ fecit, quod Aimonius testatur. Non alias tamen maius incrementum thesautus hic sumpsit, quam cnm Normandi per Gallias ferro ac flamma grassarentur. Tunc enim incolæ ad tuta dilabētes, cōuasarunt per templa, Diuorumq; ossa Parisios in S. Vincentij monasterium transtulerunt, ne à barbaris omnia inuadentibus, impie violarentur. Ita monachi ex nobilissimo Normandiæ Monasterio, cui à S. Leufredo nomen positum erat, fuga sese auferentes, corporibus Sanctorum Lenfredi Abbatis, Turriani, Goafridi, onulfi, Parisios ad sanctum Vincentium venerunt. Inde nexus, quo Monasterium illud aliquot annis huic deuinctum fuit.

A S. Germano auctus est. *Aimon l.3.c.9. Idem l.5. c.20.*

Præterea Rex agitato ditandi Monasterij consilio, vt quamplutimis monachis alendis esset, quorū psalmodia & precibus olim etiā in tumulo recōditus perfrueretur, sæpe plena manu dona contulit; sed anno qningentesimo sexagesimo primo se veluti destandans, terris, vineis, pratis, montibus, fluuijs, piscationibus, venationibus, subditis, mancipijs, planè stipauit. Sigillatim singula duo priuilegia exponunt, à Childeberto Rege, & sancto Germano Episcopo data, quæ nos in Appendicem conieeimus. Luce & lectione priuilegium posterius ideo nobis dignū est visum, quod diuinus hic Pontifex demortuo Childeberto Synodum Parisios indixerit, in qua Patribus amorem Regis, quo in hoc Monasteriū ferebatur, exposuit: admonnit, immisicuitq; preces, vt suo qnisq; iuri renunciarent: Monasterium plena libertate donarent: exemplum ipse præiuit. Hoc pacto in sententiam perducti Patres, iure suo se abdicarunt, ac insuper noua priuilegia & beneficia, quibus S. Germanus Monasterium afficiebat, confirmarunt. Ludouicus Pius æstimato monachorum numero (centum octoginta in Numinis diuini cultum incumbere voluit) magnam copiam panis, vini, aceti, legumimum, piscium addidit, cuius litteras Appendix refert. Multa quidem priuilegia Aimonius exhibet, grauissimns historicus, (vota Professionis ad S. Vincentij ediderat:) & Iacobus Breulus, qui Aimonium suaq; scholia prœlo nuper subiecit, cū Chopino cumulum auxit: mihi sedit animo tria, non amplius, seligere, Lectorique specimen date. Sed nunc filum repetamus.

OpesMonasterij Rex accumulat. *Script. 14. & 15.* S. Germanus id in libertatē asserit. *Script. 16.* *Aimon. & Iac. Breul in Schol. Chopinus vbique.*

Templo & Monasterio ad splendorem atque copiam sic instructo, Childebertus oculos circumuoluit, vndenam monachos acciret, motum innocentia conspicuos: rem diuinam publico applausu obituros. Subijt mentem S. Symphoriani Monasterium Augustoduni situm, vbi munus Abbatis S. Germanus fungebatur, quem Cathedra postea Parisiensis habuit Episcopum. Tritissima fama erat, nihil ab Antistite ac subditis omitti, quod ad sinceros monachos pertinere videretur. Tanto alrius stimuli properanti Regi adacti sunt: proinde ad S. Germanum misit, petitum monachos. Is haud grauate annuens, delectu inter suos habito, optimum quemq; designauit, qui Parisios in noui monasterij fundamenmm iret. Prior, cui Auctaiio nomen erat, primus clanum tennit, dignus S. Germano vicarius. Droctoueus expeditionis socius, Auctatio successit, quē postea Sanctorū Catalogus excepit. Hi duo viri, duces reliquis ad disciplinam monasticam fuere, quæ tantopere alto de fastigio in hominum oculos incidit, vt Monasterium S. Vincentij toti Franciæ in ore esset, voxq; publica mitteretur, valde seruos Dei esse.

Childebertus monachos è S. Symphoriani Cœnobio accersit.

Poterat Childebertus voto potitus, non tantum Monasterio, sed vitæ quoq; suæ supremam clausulam imponere. Stabat illud diues fortunis, splendore, fama: regnanti vero, annus quadragesimus nonus iam iam effluebat. Igitur plenus dierum bonorumq; operū ad capessenda prę mia è viuis excessit.

Plenus annis & factis egregijs moritur obit.

Ani-

Ad S. Vincentium sepelitur.

Animam agenti S. Germanus adfuit: funus ad S. Vincentium ductum humatumq;, nouum Monasterium maiestate regni impleuit. In fasces successit Clotarius frater, quod Childebertus mascula prole careret; fœmineæ autem sceptra excipere per legem Salicam non liceret. Quapropter tota Gallia veluti secundo flumine in Clotarij sinū defluxit, Clodouei & Crotildæ filium vltimū, fratribus letho extinctis. Quo die sacratum fuit templum, manum is sceptro admouit: quamuis autē iam tum beneficia apud Monasterium ponere inciperet, aliud tamen, cui sancti Medardi nomen indidit, suo pro sepulchro molitus est. Multos liberos sustulerat Clotarius: multos etiam numerabat nepotes: illis ad sanctum Medardum vna cum patre post fata componi libuit: istis ad sanctum Vincentium cum Childeberto & Vltrogoda: vnde Monasterium hoc regijs funeribus & sepulchrorum regiorum numero, me iudice, tantum sancto Dionysio cedit, quocum certamen istud inire non audet. Adde, Chilpericum, Regis Clotarij filium, hic quoque sepultum esse, cuius Mausoleum versus indicat:

Clotarius aliud Monasterium & Mausoleum sibi condit.

Rex Chilpericus hoc tegitur tumulo.

Ad S. Vincentium insuper sepulti Rex Chilpericus: Fredegūda Regina: Clotarius II. cum Bertruda coniuge:

Proxime Fredegundæ Reginæ tumulū mōstrant; Reginæ, inquam, Fredegundæ, quæ in Tragœdijs Frācicis præcipuas semper partes habuit. Horum sanguine Cretus Clotarius II. nō secus quam unus toti Galliæ imperauit. Anno sexcētesimo tricesimo primo mortem obiens, ad S. Vincentij cōditus est, quo loco etiam Bertruda coniunx voluit humari. Vertētibus annis sese adiunxere Childericus II. Clodouei II. filius, eiusq; cōiunx Blitilda: Crodesinda & Croberga Fundatoris Childeberti & Vltrogodæ Reginæ filiæ: Merobeus & Clodoue⁹, Chilperici Regis & Andoberæ filij, vt alia illustria funera omittam. æterna marmora, quantūuis detritis nonnihil inscriptionibus, fidē faciunt. Magnū igitur Monasterio decus conciliant tot purpurei Reges, Reginæ, liberi, nepotesq;, vrnis fatalibus hic inclusi, donec euocante Numine excedere liceat. Cum autem hoc templum incolere statuissent post mortem, magnas omnino fortunas in Monasterium contulerunt, vt credam id alia Galliæ (immo totius Europę Monasteria) diuitijs æquare: saltem nulli multum concedere. Sed agedum, ex vngue leonem æstima. Penes me liber manu exaratus est, qui cum Monasterijs à Roma dependentibus, init rationes, quātum pecuniæ pro Bullis Confirmationū nouorum Abbatum soluere debeant; (an chorda per tantum ætatis spatium sit remissa, vel intenta magis, aut penitus sublata, fateor me fugere) comparando tamen reditus, & pecunias Romæ olim pendendas, deprehendi ab Oña centum sexaginta florenos: à Cella noua totidem: à Sabagun ducentos, Monasterijs per Hispaniam opulentissimis, exactos fuisse. Conuersis deinde in Monasterium S. Vincentij oculis (quod postea appellationē ex nomine S. Germani traxit) octies mille florenos aureos in vrbē pro Bulla tulisse vidi: prodigio similē summā. Vellicauit mihi aurem stupendum æs, vt etiam per Archiepiscopatus & Episcopatus irem: horū enim rationes etiam euoluit liber. Toletum mihi imprimis fuerat inspiciendū, quo non ditior alter tota Europa Archiepiscopatus est. Nouem hic florenorū millia in Bullā impēdere solebat: nec præter hūc Episcopatus, vel Archiepiscopatus alius in Hispania superabat vel æquabat huiusmodi pēsione S. Vincentij Monasteriū. Atq; vt faciamus, Pōtifices Monasterijs quibusdā, Episcopatibus & Archiepiscopatibus ditioribus, fauisse, ac nonnullā partē debiti auri expunxisse, ingēs nihilominus à Monasterio S. Vincentij profundenda summa suspicādi præbet ansam, opibus præpolluisse. sed argumentum cape aliud, quod vtinam in promptu nō esset. Quamuis enim post tot secula etiamnum hodie spiret, fuerunt tamen, qui propter inuidiosas diuitias animam ei comprimerent. Non hic in scenam Nordmannos producam, qui fama illatorum thesaurorum incitati, aduolarunt: Domum Dei inuaserunt, diripuerunt, diruerunt: dignū enim idololatria, suoq; in Christianos odio fecerunt. Non illa mihi clades ciet lacbrymas: non acta tum præda me expectorat: ciuilia bella & damno & deploro, quæ Carolo Magno & Ludouico Pio filio demortuis, exarserunt. Nam hæc veris damnis affecere Monasterium. Quippe sub ditis aduersus Carolum Simplicem in arma consurgentibus, res Monachis auulsa in secularium potestatem venit. Stant profecto comæ animum propius ad facinus indignū conferenti, esse potuisse tam proiectæ audaciæ homines seculares, stemmate non ignobiles, qui suas crumenas sanguine Christi explerent ac stiparent pientissimorum Regum donis ægre capaces arcas: (quo pacto quotidie Dei Opt. Max. cultum imminui videmus:) ac insuper Comitum & Ducū titulos, magna omnibus seculis nomina, cum Monastico verbo Abbatis S. Germani commutarent. Cæcus sit, qui non videt, apud egregios istos Abbates non Deum, sed diuitias multum valuisse: curā eos non in templum, sed marsupium intendisse. Abbatis tamen nomē profanis hominibus habendum erat, ac litteris illinendū, quod pallium ipsis præ

Childericus II. Blitilda: Crodesinda: Croberga: Merobeus & Clodoueus.

Asceterium hoc alia opibus antecessit:

Hinc nostræ lachrymæ!

Cum opiliones fiunt lupi, nō de vellere tantum, sed de pelle quoque actū est.

ter

ter historicos veteres hodierni quoq; in collum cõijciunt in Gallia: quos ego in numerum vocare nolo, cum vbiq; se offerant. Reditibus gaudebant, rigebantq; auro; & quãuis deglubèrent oues, non tamen seruabant, sed tutelam cõmittebant Decanis, vt appellabant. Hi carnes Abbati sibiq; trahebant; ossa oppressis Monachis, in Monasterio & Prioratibus passim degentibus, obijciebant, quorum id solum erat, quod vitę miseræ tolerandæ necessarium erat: cætera belli gaudijq; alimenta esse iussa sunt. Nõ iniuria bicipites hoc genus Præsules putasses, qui vno vertice sacram infulam ferebant: altero comantẽ galeam quassabant. Tres producit Aimonius: Robertũ, qui titulos Comitis, Marchionis, Abbatis S. Germani, sibi adsciuerat: Hugonem Roberti filium, quẽ appellarunt Magnum. Hoc autẽ ipsi nomen non animi, aut rerũ gestarũ, sed Monasterij magnitudo peperit. Historici nullo discrimine Hugonẽ Magnũ, & Hugonẽ Abbatẽ vocant. Hugonẽ Capetũ, in regium postea solium euectũ, cui alij deinceps Galliç Reges cognato sanguine annexi fuerũt. Crediderim ipsũ sceptro cęlitus fuisse donatũ, posterosq; eius hucusq. retinuisse, ꝙ vastis Ecclesiæ opib⁹ se abdicans, Monachis, ad quos pertinebant, reddiderit.

Hugo Capetus Dei quæ erãt, Deo reddidit.

Tanta tempestate defunctũ Monasterium, abstersit fuliginem, faciemq; priorẽ exporrexit, sed nõ diu licuit Capeti beneficio frui, calamitate noua exoriente, quæ omnes Cõgregationes, omnes Ordines afflixit. Nimirum legitimis Abbatibus submotis, Cõmendatarij sunt suffecti, qui nec ibi, nec alibi religiosa vota nuncupauerant; sed Ordinis ac disciplinę expertes à Rege, titulo protectionis regiæ, Prælati renunciabantur: ac sæpenumero nec Monasterium, nec Monachos cognitos habebant, officium se suum facere rati, si ouibus lanam probe auellerent: si de singulis pilis calculos ponerent: si degluberent: si reditus solicins Pręfectorum suorũ, qui Monasterio incubabant, articulis cõputarent. Sed resorbeamus vbertim cadentes lachrymas, cũ malum hoc sequẽtibus quoq; annis nõ raro simus defleturi. Solatio nunc nobis sit, Dei beneficio post tantũ temporis spatium, regno ciuilibus armis feruente: hęresi immane quantũ grassante, superesse hodie: opibus ac fama valere: quodq; altius extollimus, Congregationi Casalensi S. Benedicti accessisse, quã Casinensi, Vallisoletanę, & Bursfeldensi, simillimam esse, supra testati sumus. Has vero Congregationes ipsa sane necessitas instituit. Aliter enim Monasteria opulentiora, maiorem partem in Europa iam subacta; si mare gradum, & vim Commendatariorum propulsare non poterant, quãdo insolens hæc tyrannis Ordines etiam corripuit mendicantes. Tarde in Gallia iunxere vires & consilia Monachi, inhiantibus Commendatarijs saxum Cõgregationis obijciendo. Quamuis enim Casalensi nõnulla nomen dederint, sicq; euaserint exitium, innumera tamẽ huiusmodi Abbatũ sęcularium profundo barathro hausta sunt, qui nec vmbrã reliqui fecerunt. Nimirum homines ad fruges consumendas nati, cum nõ haberent propter ꝙ nobiles essent, commoda hęc sibi onera auferebant: litteras piorũ Fundatorũ ac cineres: diuinã psalmodiã: Christi Iesv venerandũ Sanguinẽ: cũ argẽto, auro, pratis, syluis, agris, pariter in rapidos suos gurgites trahebãt: gnauiter & turpiter abligurie bant.

Firmamẽta Ordinis, Cõgregationes.

Cæterum Ludouici XII. auctoritate in Congregationem Casalensem S. Germani Monasterium concessit; operam quoq; nauante Guilielmo Brisonetto, Abbate tunc tẽporis Cõmendatario, vt Monachi deinceps nõ tantum legibus Cõgregationis tenerentur, sed ex ipsorũ quoq; cœtu legeretur Abbas. Votum & conatum viri litteris cõsignatum, à Chopino petere licet. Verum cũ bul⁹ hic opim⁹ esset, semper prouocauit oblique tuentibus orexin, nec potuit hucusque eripi Cõmendatarijs Abbatibus, cupide inuolantibus, & Patrimonium Christi mordicus tenentibus. Sartis tectis conseruandis ex amplissimis opibus partẽ secernunt: Monachis quoq; aliquid lucelli aspergunt, ne mare cũ piscibus simul ingurgitare putẽtur. Prior Cõuentui cum imperio præest: Capitulis Congregationis adsunt; ad huius & S. Regulæ normã omnia exequuntur. Miserã hanc sortem in Italia fert Monasterium Sublacense, Congregationis S. Iustinæ: & Alcobacense, Caput cuiusdã Congregationis Portugallię, vbi redituũ parte aliqua fruuntur Monachi; totum quod superest hiatum implet Commendatarij. Grauissimæ tẽpestates, quæ huc illuc raptarunt Galliam, Guilielmum Brisonettum Abbatem Commendatarium, potiri voto non permiserunt; Æternum Numen! cum incubãtes regno Galliæ fluctus ponant minas ac subsidant, tuã in misericordiã spes nobis artigitur, fore aliquando, vt Reges, te impellente, ducẽ sequãtur Hugonem Capetum (à quo aliũ genus deducunt) qui indutũ seruilibus vinculis Monasterium, antiqnã in libertatẽ asseruit. Quantum præclaro isthoc facinore apud Superos inuenit gratię, corona, sceptrum, solium, summa gloria, quę Capetum acceperunt, prodiderunt. Nã bonus vir prope cœlo æquatus est, dum tot sæculis nõ placuit alium à Capeti sanguine in regni fastigium extollere. Hęc cũ ita, cur nõ ingens pręmium Rex aliquis speret, qui idẽ fecerit,

Casalensi nomẽ dat S. Vincentij, seu S. Germani Monasterium.

Chop. Monast. l. 3. n. 16.

quod

quod Capetus? Merita S. Germani magnum pondus apud Deum habent, vnde hoc Monasterium singularem in modum curat. Sed non perdidero operam, si Abbatum Nomenclaturam edidero, Nam viros sanctitate doctrinaque praeclaros offert.

CATALOGVS ABBATVM MONASTERII S. GERMANI Parisiis.

1. Antharius.
2. Droctoueus, in album Sanctorum relatus.
3. Scubilius.
4. Desiderius.
5. Gaucius.
6. Germanus.
7. Sigus.
8. Sigofridus.
9. S. Babolenus. Sãctis publice adscriptus.
10. Childeramus.
11. Vnfridus.
12. Gaudremarus.
13. Tildemarus.
14. Lamfredus.
15. Guichardus.
16. Robertus.
17. Hirminus.
18. Hilduinus Archiepiscopus Remensis.
19. Ebrumus Episcopus Pictauiensis.
20. Hilduinus II.
21. Gozlinus, Episcopus Parisiensis.
22. Elbolus.
23. Vchogoldus.
24. Robertus, Comes, Marchio, & Abbas S. Germani, Abbone & Gosmaro Decanis Monasterium regentibus.
25. Hugo Magnus, Dux & Abbas. Praeter superiores, Henricus & Hubertus Decanorum munus obierunt.
26. Hugo Capetus. Comes Parisiensis, Dux Franciae, Abbas S. Germani, postea Rex Galliae. Gualtherio & Alberto Decanis Monasterium curantibus.
27. Guallus Belubaldus.
28. Albericus.
29. Morardus.
30. Inguo.
31. Gulielmus I. vir Sanctus.
32. Adrialdus.
33. Hubertus.
34. Robertus II.
35. Petrus I.
36. Isimbardus.
37. Reinaldus.
38. Gulielmus II.
39. Hugo II.
40. Gillus.
41. Hugo III.
42. Gaufridus.
43. Theobaldus.
44. Hugo IV.
45. Fulco, An. 1192. quo decessit.
46. Robertus III. Anno 1202.
47. Hugo V. 1220.
48. Gualtherus. 1224.
49. Hado. 1235.
50. Simon. 1244.
51. Hugo VI. 1247.
52. Thomas. 1255.
53. Gerardus. 1278.
54. Raymundus. 1288.
55. Ioannes II. Electus Episcopus Aniciensis, 1297.
56. Ioannes III. 1305.
57. Petrus II. 1334.
58. Ioannes IV. 1353.
59. Gaufridus II. 1359.
60. Nicolaus. 1361.
61. Richardus II. 1387.
62. Gulielmus III. 1418.
63. Ioannes V. 1436.
64. Herbeus. 1459.
65. Henricus. 1467.
66. Robertus III. 1482.
67. Gaufridus III. 1503.
68. Guliel. IV. Cardin. Brisonettus. 1514.
69. Gulielmus V. Card. Brisonettus, cuius opera Monasterium S. Germani Congregationi Casalensi se permisit.
70. Franciscus Turnonius Card. 1562.
71. Carolus Gorgonius. 1590.
72. Carolus Gorgonius Sobrin. Card. 1594.

Catalogum hunc in acceptis fero Iacobo Breul, ad S. Germani Professo, viro literis non obiter tincto, sed penitus imbuto, qui ad calcem Aimonii seriem Abbatum longius extendens, Commendatariis, demum, iusto victus dolore, hanc fibulam imposuit: *Nunc domus nostra, Abbate caret, sed non Receptore, eoque Principe Liligero.* Anno 1602.

CAPVT II.

Vita & Miracula S. Germani: Parisiorum Episcopi.

Longa huius Monasterii historia pulcherrimis S. Germani virtutibus condienda nobis visa fuit, à quo nomen ac omen cepit. Hisce autem annis Monachum egit, postea Pontificia infula apud Parisios redimitus. Eius vitam Fortunatus Episcopus Pictauiensis composuit, sed proliae admodum, quippe in Capita octoginta tris distinctam: qua de causa à Gregorio Turonensi, atque Aimonio non pauca petemus. Qui Sanctorum res gestas scribunt, Huius aeui decus S. Germanus fuit.

nun in hoc incumb.re debent (mea quidem sententia) vt omnia ipsorum miracula calamo consequantur;& anxie canere,ne quod eos prætereat:sed quædam afferre insigniora,quæ nimirum singularem Numinis fauorem , aut præstantem Sancti virtutem magis expromagr. Ita Plutarchus Ducum Romanorum & Græcorum vitas litteris commendans, non omnia quæque complexus elt; sed velitationibus ac prœliis minoribus silentio pressis, mores, edita aliquot fortitudinis exempla , quæ facile ingenium ac insitam animi vim prodecent ab obliuione vindicauit. Atqui Fortunatus præstantes quasdam viri virtutes dissimulans , totus in miraculis est, quæ non parce,sed toto.quod aiunt, sacco effundit. Nobis autem stat sententia illas potius referre.

S. Germanus domo nobilis, vitæ periculo obijtur.

Igitur S. Germanus domo Augustodunensis fuit , celebri in Heduis ciuitate t patre Eleutherio , matre Eusebia, genere ac opibus claris, ortus. Absque præsenti Numine fuisset , mater abegisset fœtum præ verecundiæ impatientia, quod tempore non multo bis ferret vterum. Nec simplici tantum vice potionibus medicis expellere infantem studuit , sed sæpius nefas aggressa est. Admodum paruuluа periculum aliud adiuit , quod tamen Deo duce etiam euasit. cum enim in cognata domo secorus sui puer diuerteret, insidias ei ueneno struxerunt , ut hæreditatem ad se deriuarent. Scilicet , dato ancillæ negotio ut vasa duo promeret , Germano unum , Stratidio consanguineo alterum apponeret ; sinistre officiosa muliercula imbutum veneno poculum suo hero , sceleris purum alterum innocenti animulæ porrexit. Ille vitam exhauserat , nisi lethiferum telum visceribus iam adactum , antidota à corde auertissent. Subductus huic discrimini Germanus Scopiliohi , cognato alteri, commendatus fuit , apud quem virtuti suum pretium stabat , vnde ipse quoque exemplum duxit t sed rem penitus explicemus.

Vitæ sanctioris rudimenta apud Lausiam ponit.

Ad parentem ergo suum sanctum Scopilionem Lausiam se conferens, moribus honestis apud illum alitus & institutus est. Tanto autem tenebatur vterque Deo placendi studio , vt quauis nocte corpore è strato correpto, ducti calore fidei; ad vicum fere milliari toto distantem , contenderent , pariterque preces Matutinas cum ipso persoluerent , siue cœlum effudisset altam niuem : siue lubrica glacies falleret vestigia : seu plueret : seu gelu rigeret æther : seu tempestas alia corrupisset viam. Atque adeo à teneris semet intendebat, ut Sanctorum passus æquaret. Sacris insuper Ordinibus cito se initiari curabat , vt diuino seruitio tanto arctius addiceretur. Vbi religio & pietas Germani aduertit Nectarium, tunc temporis Episcopum Augustodunensem, prudentia virum longe clarissimum, Monasterio eum S.Symphoriani præfecit. Quem autem Abbatem fuisse censes? Corpori nihil indulsit , sed perpetuo velut in hostem Innectus , varie afflixit , quo compendio , citissime ad fastigium virtutis peruenitur. Somnum parce carpebat tam Episcopus quam Monachus. Aliis ad Matutinum confluentibus, ipse iam pridem in statione erat : tertiam Psalterij partem euoluerat. Pensum Horarum Canonicarum aperto semper capite reddebat Deo , nec vlla cœli inclementia adigi poterat , vt contegeret. Sæpenumero hora nona nocturna in templum se ferens , pedem ante lucem non extulit. Cœlo semper hærens, etiam in congressibus de Deo verba faciebat. Cibis vel diuinum libellum interponebat . vel colloquium sacrum inibat. Conciones frequenter habebat , & cum vim adderet verbis faciendo quæ suadebat, moti exemplo Auditores , ad frugem se certatim recipiebant, vitiis in fugam versis. Quamuis autem omnibus virtutibus esset præditus , commiseratio tamen quasi regnum inter ipsas obtinuit. In stipem non tantum suas fortunas effudit, verum etiam alienas, quas emendicauerat. Longam hic texere historiam liceret , si etiam liceret nobis esse longis : aliquid tamen libemus.

Virtutes omnes in summo apud eum exercitio sunt.

Præsertim misericordia.

Aliquando Numinis amore ardens, quicquid præ manibus erat , pauperibus largitus est, ac cellam penuariam adeo destituit, vt nec panem unicum reliqui fecerit fratribus. Hi frontem rugis arare: mussare deinde ac murmurare , enimuero non liberalitatem esse hoc, sed esse prodigalitatem. Neminem profecto æqui aut boni facere posse , quod suus Pater exteris famem eximat, laborantibus inedia filiis. Euerberarunt furtiuæ hæ querelæ Germani animum , nec leui tristitia affecerunt. Suam igitur in cellam secedens , hacque conditus magnam vim lachrymarum profudit, fidem Numinis implorans. Dum cœlo calidæ eunt preces, & voluuntur prægnantes per ora guttæ, ecce tibi fœmina quædam diues tantam rerum copiam submisit Monasterio, ut Monachos in stuporem raptos , iam sui puderet.nec amplius Abbatem rodere auderet.

Childe-

Pauperes locupletat.

Childebertus Rex amore S. Germani pridem captus, vt eo propius frui posset è Monasterio Parisios excitum, Episcopali sedi imposuit, sibi vero ab Eleemosynis esse iussit. Aliquando sex millia numûm ei dederat, pauperibus distribuenda. Dimidium breui rogantibus effudit, reliquum reposuit. Intellexit Rex tria millia etiamnum occupare aecam, miratusque parsimoniam ac tenacitatem intempestiuam cadere in Germanum, sciscitatus est, eccur desides in arca nummos non promeret egenis? Ille, atqui nemo petit, respondit. Neminem pauperum ad fores amplius excubare, sed nec quæsitos quidem à se, reperiri potuisse. Fortunatam Remp. in qua Rex cum Episcopo certabat beneficiis in pauperes ac subditos, ab iisque calamitates auertendi studio. Sed, da da Pater, da, subiecit Childebertus; neque enim me tuum miseris benefaciendi desiderium fallit. Ærario toto feremus opem. Digna Rege vox profectò, quam Germanus auribus non surdis accepit; omniaque in pauperes collocauit, quæ in manu erant. Et cum aliquando Regem defecissent nummi quos suo Eleemosynario suggereret, abacum inuadens, è crateribus, pateris, discis, pecunias conflauit. Has ille, & quas etiam aliunde corraserat, bonam partem in obæratos, & quod soluendo non essent, in custodiam immissos, erogauerat, indagando quos apud, ac quanta nomina fecissent, compertaque liberando, cuius gratia frequentissime carceres obibat. Coniectos in vincula plane in sinu tulit. Nam quoties per urbes habebat iter, nec suppeteret argentum quo miseros redimeret. Deum Opt. precibus fatigabat, ut compedes, numellas, catenasque, infelicia corpora complectentes, effringeret. Immo quoties Germanus improuisus superueniebat, custodes carcerum periculum imminere sciebant, ut rei elaberentur: adeo iam in consuetudinem abierat.

Soluit æs alienum.

Fortunat. c. 68. & 69.

Docet carceres perfringere.

Cum aliquando Parisiis cœlum pulsaret precibus, & captiuorum causas ageret apud Numen (quam prouinciam sibi dudum sumpserat) hem carcere luculenta luce collustrato, singulis sese aspectabilem obiecit, & qua parte foderent, indicauit. Pro se quisque referunt, quid vidissent, & iussi essent; sed dum voluerunt manum admouere operi ac moliri parietem, deficiebant instrumenta. Dum vacuas ventilant manus, moræ impatientes, forte fortuna os abiectum humi conspiciunt, sed impar operi. Id legunt tamen, spe plenivim S. Germanum additurum. Negotio non magno ingens fasum è muro eruerunt. perque biatum euadentes, reuertentem mane è palatio Episcopum, proni in gratias, exceperunt. Iudex rabie actus, in custodes asperrimis verbis animaduertit, quod vinctos ipsorum culpa elapsos crederet, Iterumque conquisitos carceri mancipauit, claues vero ipse seruauit. Sed ne præfectus & vigiles culpa vacui darent pœnas, Iudes que Deum violati parietis auctorem fuisse condisceret, eundem ad mensam adhibuit Cum positis cutis alijs discumberet, capti se præter expectationem in triclinium intulerunt: mensam cinserunt, quos Iudex illico vel venia donauit: vel rebus eum creditoribus compositis, liberos abire permisit. Non enim miracula patrare solebat Sanctus, quæ cuipiam alteri fraudi essent. Cum igitur miseros tantopere haberet cordi, Deus Optimus communem eum ægrotorum medicum constituit. Tam multis vero præsentem opem tulit, ut Fortunatus ijs memorandis octoginta tria capita consumpserit. Mutis, cæcis, paralyticis, claudis, manibus captis, alijsque morbis laborantibus, mortuos duos in vitam ab ipso reuocatos addit. Iam vero dæmones, ait, quacunque is iter fecisset, in fugam actos, & horrendis vocibus questos, à Germano veteri possessione se exui.

Eius conspectum dæmones subire nō audent.

Quamuis autem animo præditus esset suaui, & in calamitosos amantissimi Patris instar pectus effunderet, quando tamen scena mutanda erat, & eundum in vitia Regum, tanta subito utebatur seueritate & grauitate, vt à se diuersus videretur, nec eundem esse agnosceres. Postquam concessit Childebertus, regni solium Clotharius eius frater insedit. Forte fuit vt Sanctus Germanus tenderet in palatium, sed à custodibus reijceretur, vel quod Rex eo familiariter nondum esset visus; vel quod illi intemperiis acti, fores occlusissent, quæ ante id omnibus horis Regis amicum admittebant. Æquo animo repulsam tulit, nec portæ impatienter institit, sed terga vertens suas ædes repetiuit. Rex autem supremo Numini pœnas persoluit, ea nocte cum ardentissima febri conflictando. Subijt Regis ac procerum memoriam insignis iniuria, qua Episcopus affectus fuerat; quocirca primo mane inuitant in aulam. Germanus immemor iniuriæ aduolat; à doryphoris & excubijs, binsm in feriem dispositis, accipitur: Regem adit. Hic faci-

Æquo animo fert iniuriam.

cinori excubiarum veniam orare : vestem eius imprimis osculo libare, deinde trahere, & vbi vehementins desæuiebat morbus,. corpori imponere. Non perdidit piam operam. Febria enim quæ viscera depalcebat, hæsuraque diu videbatur, breni extincta est. Vnde Rex virum sanctum amore deinceps cultuque prosequutus est singulari.

Regem Cherebertum & amicā sacris interdicit.

At vbi honoris diuini intererat, adeo non latum vnguem cedebat, vt murus aheneus esse videretur. Magno flagitio affinem se fecerat Rex Cherebertus, Clodouei filius, inito cum Merofienda Regina coniugio, postea cognatam amando ducendoque. Hircum Ethnicum olebat improbum scelua; & quamuis gentilitas undique vertisset solnm, vestigia tamen alicubi impresserat, in quæ iretur. Tota Gallia contra nefas stringebat dentea: Patres Concilio Turonis anno quingentesimo septuagesimo celebrato Canonem aduersua Matrimonia incestuosa condiderunt. Inde S. Germanus palatium petena, Regis & amicæ pectora pertentauit: obiecta totius regni offensa, & incusso æterni supplicij metu, vtrumque ad frugem studuit reuocare. Vbi surdis se fabulam ludere sensit, ac frustra exitialibus flammis totoque tartaro imbuere amantium aures, iustas surrexit in iras: correptum Ecclesiæ fulmen in eos iecit: sacris prohibuit. Illi infando crimini iudulgent tamen, quasi tacti non essent: miserabili fato pereunt.

Conc. Turon. 2. 570. Can. 22.

Exitium Sigeberto denūciat.

Etiam Sigebertus Chereberti frater documento Regibus fuit, verba ore amicorum Dei edita, in nugarum loco ducenda non esse. Ingentes hic vndique copias contraxerat, bello petiturus Chilpericum fratrem suum germanum. Intercessit S. Germanua precibua immiscens non vanas minas; casurum si classicum impium caneret. At nihil promouit, quandoquidem Sigebertum iam ceperat dulcedo victoriæ. Stat igitur sententia inferre signa, & conserta manu fratrem opprimere: at rea ita cecidit, vt Episcopus ante denunciauit. Duo enim plagiarij à Regina Fredegunda subornati, sanguinem ouantis ac vitam simul pugionibus hauserunt. Vixisset, ni morti sese, Episcopo obluctante obiecisset.

Moritur, supremi diei guarus.

Vitæ spatio prope exacto, sciuit quo die fatali telo figendus esset: hinc Notario negotium dedit, fronti lectuli inscriberet, *V. Calend. Iunij.* Legebant diuersi, nemo intelligebat, donec vicesimo octauo Maij ad Superos euasit. Cæterum in Monasterio S. Vincentij humari voluit, quod eos Monachos impense amaret, veluti à suis quondam religiosis filiis, è Monasterio S. Symphoriani excitia, prognatos & eductos. Immo, si res ad viuum resecanda sit, nobile hoc Asceterium imum fundamentum ac supremum tectum S. Germano debet. Nam Childeberto auctor fuit, vt conderet: coloniam ex suo Monasterio introduxit: vt Auctario Priori suo committerentur fasces, effecit: sacris lipsanis Hierusolyma allatis templum nobilitauit: denique ossa sua dedit. Excedentem cæteri gemitibus, at pauperes ac miseri prosilientibus veris lachrymis sunt prosequuti. Ad captiuoa quod attinet, in omnem se partem versabant, quiritando communem sibi patrem ereptum: spem salutis deincepa deponendam esse vinctis: actum esse de omnibus quos cippi, compedea, aliaque vincula attinerent. Effusa hæc de carceribus acerba lamenta cœlo & auribus S. Germani (qui votis damnare jam poterat) hausta fuere. Cum funeri ducendo dicta dies esset, conuenerunt quorum intererat subire onua, ac efferre. At quoties admouerunt manus, & submiserunt humeros, impares fuere. Qui curabant funua conclamarunt, forsan tolli & perferri posse à captiuis, quondam perchatis clientibus. Ergo eximuntur catenis: accurrunt, adsunt, feretrum corripiunt, humeris imponunt, procedunt, quid multis moramur? expedito pede ad S. Vincentij funus conuectant. Parum fuerat tot beneficia olim contulisse in vinctos, nisi etiam post mortem carceres euacuasset. Tumulo conditus innumera patrauit miracula, supra quem etiam solemnia iuramenta edi consueuerant. Sed hisce rebus cum pleni sint libri, nobis absque nota eas præterire licet. Chilpericus Rex cum id temporis degeret Parisijs, quo S. Germanus concessit, multitudine admirandorum prouocatus, affectu etiam prono in Diuum impulsus, sepulchrum eius hisce versibus exornauit.

Greg. Turon. Hist. Franc. l. 5. c. 7.

A captiuis effertur.

Ecclesia speculum, Patria vigor, ara reorum:
Et pater, & medicus, pastor, amorq; gregis.
Germanus virtute, fide, corde, ore, beatus,
Carne tenet tumulum, mentis honore polū.
Vir cui dura nihil nocuerunt fata sepulchri:
Viuit enim, nam mors quē tulit ipsa timet.
Creuit adhuc potius iustus post funera, nā qui
Fictile vas fuerat, gemma superba micat.
Huius opem, ac meritum, mutis data verba loquuntur:
Redditus & cæcis prædicat ore dies.
Nunc vir Apostolicus rapiēs de carne trophæū,
Iure triumphali considet arce throni.

Aimon. l. 3. c. 16.

Ad S. Vincentij sepelitur.

Denique S. Germanus ob miraculorum incredibilem copiā vetus & celebre S. Vin-

Monasterio S. Vincentij suū nomen imponit.

centij nomen Monasterio detraxit. Deinceps enim S. Germani Monasterium de Parisiis dictum fuit, quod suburbium inclytæ huius vrbis teneat.

CAPVT III.

Monasterium S. Vincentij alterum apud Cenomanos conditum.

MOnasterium S. Vincentij Parisiorum in suburbio situm, deinceps à S. Germano appellabimus, quando ei hoc nomen non tantum ore publico inditum fuit, sed etiam tot sæculis pertinacissime hæsit. Aliud huius Martyris honori positum dicatumque Cenomanenses habent. Fundamenta circa hos annos iacta arbitramur. Nos in præsentem coniecimus, quod eius historia cum superiore coniuncta sit. Condidimus quidem S. Germanum Parisiis, sed is tamen ossa sua Monasterio S. Vincentij de Maus (vt vulgo vocant) multo ante destinauerat, cui ædificando suam præbuerat. Sed rem altius repetamus. Domnolo, Cenomanensi Episcopo, viro egregie Sancto, magna cum nostro Germano amicitia intercessit, quam morum similitudo conflauerat. Ambo cultui Numinis sedulam operam nauabant: corporis insultus acriter premebant ambo: ac animos, veluti è visceribus reuulsos, per assiduam contemplationem ferebant in cœlum. Adde Domnolum quoque curam singularem captorum, in carceribus squallentium, gessisse, & similia S. Germano patrasse. Conuenire, tempusque sacris colloquiis trahere, summis in delitiis numerabant. Nam quorum mentes Deus occupat, ij dexteras strictissime copulant, ipsa studiorum similitudine amorem acuente. Vterque horum S. Vincentij captauit gratiam, eo quod vterque ipsius amore captus esset. Domnolus venerandi Martyris calnariam in manu habebat, post quam Chrœsi opus putabat. Vt tamen honore iusto eam afficeret, subducta ratione suasit Germanus, Monasterium construeret: S. Vincentio dedicaret. Nam id quoque accessurum commodi, vt multi mundo elapsi, huc veluti in fidum portum appellerent cymbam: deinde vtrumque negotiorum externorum puluere conspersum, huc magno suo bono secessurum, & quicquid impuri adhæreret, discussurum. Diffluentes enim animos, & claustro & contemplatione in vicino sic posse colligi. Potuerunt tot stimuli mouere Domnolum: quocirca fecit, quod factu visum fuit; perfecit: Lauso Dei seruo præcipuo clauum commendauit: multa prædia Monasterio admouit: à Chilperico præter priuilegia etiam densa beneficia impetrauit; Exemptiones cum priuilegiis à Concilio Episcoporum confirmari curauit. Tantis autem viribus Monasterium pronchebatur, quod in eo sepeliri, & vna supremi iudicis sententiam præstolari vterque statuissent. Sed postquam Childebertus S. Vincentij tunicam attulit ex Hispania, & Martyri nouum condidit Monasterium, excitis è S. Symphorisni, cui tum Germanus præerat, Monachis, mutata hic sententia animum ad Monasterium nouum appulit. Duo insuper alia Asceteria S. Domnolus extruxit, quorum alterum quinquaginta, alterum viginti Monachos habebat, è S. Vincentio illuc traductos. Perpetuo vero ille ipse nostris in Monasteriis, tanquam fidissimis stationibus, hærebat. Tandem insigni gloria, vitæ innocentia & miraculis parta, gratuisque meritis animam in cœlum efflauit, corpore nobis relicto. Memoriam eius facit Martyrologium Romanum XVI. Martij. Nos vero tam prolixe res ab eo gestas exposuimus, excitati beneficiis quibus Ordinem nostrum obruit, etsi de Ordine non fuerit. Deinde cum historici generalis profiteamur nomen, profecto nostrum est cum sanctis Monachis etiam Monasteria, horumque conditores emittere in lucem. Quantum autem S. Domnolo debeamus, quis tandem non intelligit? Ordinem tribus Monasterijs auxit: S. Germano nostro longa annorum serie amicitia arctissima iunctus fuit: ictissima sua ossa, tenerrimi amoris pignora, in sinum Monasterij S. Vincentij deposuit, quod mille quinquaginta amplius anni, tam crebris regni motibus, deijcere non potuerunt, nec sacra Domnoli lipsana illi eripere. Huic loco etiam laudi debet verti, quod disciplinæ Monasticæ perquam studiosus sit, ac inter quinque prima Monasteria suo iure numeretur, quæ Ordini stabiliendo Congregationem Casalensem S. Benedicti erexerunt, & pulcherrimo exemplo alia adduxerunt. Quocirca meruit cum illo altero S. Germani Monasterio longi temporis infinitas iniurias; motuum, bellorumque fœdas tempestates, non modo superare, verumetiam triumphare, quamuis non ipsis in vrbibus starent, vt inrumbentes hostes munimenta arcerent, sed in suburbiis omnibus cladibus exponerentur. Nos tamen hæc non miramur, qui credimus potius illas vrbes toties oppugnatas non procubuisse solo, quod à Monasteriis non secus quam

Surius 16. Maij.

Domnolus Episcop. Cenomanensis Monasterium honori S. Vincentii struit.

Ætatem in nostris Monasteriis agit.

Monasterium Cenomanense tenax disciplinæ.

aggeribus & propugnaculis obiectis, defenderentur. Ita auctori vitæ S. Domnoli annis ab hinc mille quinquaginta visum: eius enim qualis erat. *Deuotissimus amator Ecclesiæ*, inquit, *Monasterium in suburbio* (Cenomauensi) *ædificauit, quo vrbs defenderetur, ac animæ saluarentur.* Orationes igitur Monachorum, stipatas lachrymis, teiuniis, vigiliis, exitium à ciuitatibus, populis, regnis, propulsare, recte animaduertit.

Duos Sanctos Germanos peperit Gallia.

Magna beneficia apud Galliam posuit S. Germanus; præclarissime vero de regno meritus est, dum pios iuxtaque doctos discipulos in publicum emolumentum eduxit. At ne te indueris in errorem, præter Germanum Parisiensem alium Gallia Germanum habuit, eumque Episcopum Antisiodorensem, in album Sanctorum pariter relatum. Hisce annis, quos explicamus; floruit Parisiensis, nec ante quingentesimum septuagesimum humanis exemptus fuit: atqui Antisiodorensis vno sæculo antecessit, & expeditionem in Angliam aduersus Pelagianos suscepit, qui late insulam infecerant, cuius sobrina S. Genouefa fuerat, toto regno percelebrata, vt mirer quendam affirmare ausum, hunc gradum illam apud S. Germanum Parisiensem obtinuisse, nulla vel temporis vel Germani diuersi ratione ducta. Similis error quosdam cepit in vtriusque discipulis designandis. Sanctos Elutum, Isanum, aliosque ad S. Germanum reuocant, cum eos nec viderit quidem: proprios vero adimunt. Sanctos Auctarium, Droctoueum, & Briocum ipso Magistro vsos esse, pro comperto habeo, quos proinde abire silentio non sinam.

S. Droctoueus Monasterij S. Symphoriani alumnus.

In Monasterio ad seueram disciplinam optime composito, quod S. Symphoriani dicebant, Ordini se addixit S. Droctoueus, à S Germano tum Abbate adamussim imbutus. Cum Rex Childebertus nouo Monasterio, quod Parisiis condiderat, nouos accerleret incolas, quibus seu fundamentis inniteretur cœlestis disciplina, missus etiam S. Droctoueus fuit, & Abbatis munus post Auctarium excepit: egregie gessit. Magnam rerum copiam historicis præbuit, mihi tamen Venantius Fortunatus silentium imponit, qui multa versibus non multis complexus est. Cauit autem:

Venant. Fortun. l. 9. Ep. 10.

Vir venerande, sacer meritis, & honore colende,
Droctouee, mihi semper amore pater.
Qui de discipulis Germani, iure Beati,
Norma magisterij factus es ipse fui.
Cuius Pontificis sacra per vestigia currens,
Despicis hic mundum, & cupis ire polo.
Perge libenter iter cœli, mansurus in orbe,
Et pro me famulo, quæso, precare Deum.

Multum & totum dixit, dum S. Germani similem fuisse, cecinit, quod Almonius vnico verbo expressit, *Sanctissimum* appellando. Diem decimum Martij in fastis Cœlitum obtinet.

Aimon. l. 3. c. 16.

S. Briocus Gallus, S. Germani discipulus.

Quippeni S. Germanus suorum in discipulorum classem etiam S. Briocum afferat, cum eius formarit mores dum Abbatem ageret ad S. Symphorianum. Quidam patria Irlandum seu Hibernum fuisse iactitant, quos ego frustra calamum fatigare autumo, ac vero similius esse credo, è Britannia minore, Galliæ prouinciis, obiecta Angliæ, fuisse oriundum. Puerum enim S. Germano commendarunt parentes, quem venti ac vela, quod sciam, in Hiberniam vel ex Hibernia nunquam tulere. Robertus Cenalis quoque Episcopus Arboricensis, illum Francis adiicit. Adhuc oppido puer magni viri specimina dedit. Agellum sua sponte fertilem diligentissime S. Germanus excoluit. Et obtulit campum Galliæ, in quem virtus ipsius excurreret. Rex quidem ante id Christo fidem dederat, cuius ad exemplum interiora regni se composuerant; at extrema ibant in antiquam siluam. Ergo S. Briocus Britanniam minorem, idololatria grauem, alacris subiti vanissimos Deos adoritur: templis exigit: è mentibus miserrimorum homuncionum abolet: Apostoli officium facit. Hinc lectus Britanniæ Episcopus fuit. Sacri Præsules Monasteria incolere consueuerant id temporis, quorum templa Cathedralium loco erant, præsertim quando inter idololatras alienos è fide trahebant vitam. Huiusmodi Asceterium ipse S. Briocus fundauit, in quo vitam Regularem suis cum Monachis degebat. Vertentibus annis Ecclesia pro Cathedrali fuit, Episcopatus vero Briocensis dictus; neque in hunc diem mutauit nomen, quod à primo suo Apostolo accepit. Refert Ioannes Rioque, loco vbi natus est Briocus oram demonstrari maritimam, ab vndis olim occupatam, hodie liberam, Oceano precibus viri Sancti concedente: idque vestigia relicta etiamnum hodie testatum facere. Vita sanctissime consumpta, & Apostoli apud mortales gloria parta, ad superos abiuit. Cur inde Andegauum, atque in SS. Sergij & Bacchi Monasterium translatus sit, parum comperti habeo. Crediderim Nordmandis omnia miscentibus, & ciuitatibus maritimis præsidio destitutis, incolas cum sacris ac profanis thesauris in regni interiora recessisse. Post multos annos cum nemo iam in Britannia tanti Apostoli

Cenal. periocha 6.

Britanniā minorem sacris Christianis imbuit.

F. F. Ioan. Rioque Compend. temp. c. 79

absen-

Illius ossa Britanni ab Andegauensibus repetunt.

absentiam æquo animo ferre posset; repetita sacra ossa ambrosium odorem spirantia, in arcam argento auroque factam, & gemmis distinctam collegerunt: in templo ipsi sacro publico cultui exposuerunt.

Annus Christi 557. Annus S. Benedicti 77.

Monasterium Benchor, Monachorum numero, & perpetuo psallentium choro illustre.

Hibernia quibusdã rebus amplissima regna vel æquat vel superat.

Episcopatum Briocensem in Britonnia minori situm obeunti, conspecto mari memoriam Hiberniæ subiit, insula quondam referta Monasteriis atque Monachis, quæ cum littori huic propemodum obiecta sit, Oceanus vero Britannicus naues vltro citroque perpetuo ferat, illuc vela dare libet, loco & tempore inuitantibus. Quamuis inter illos censeri non possit, quæ vasto in æquore latissime sese explicant, plura tamen maioraque in ea sunt gesta, quam in amplissimis quibusdam prouinciis, ac regnis. Angliam respicit, haud tamen æquat magnitudine; atqui cœli clementia, aeris salubritate: glebæ fœcunditate, multum illi præstat: quodque pluris æstimandum, Monachorum illustrium prouentu nescio an illa quicquam Galliæ, Italiæ, vel Germaniæ concedat.

Historici de Hibernia.

Par etiam est Hispanos magnam Hibernorum ducere rationem, non modo quod ipsis semper hi fuerint addicti, sed etiam quod colonias ac vrbes Hispanis referant inceptis. Immo etiam nomen suum. Ab Ibero enim nobili fluuio, Hispania olim dicta Iberia fuit: Cum igitur mutata patria hanc insulam colere cœpissent Hispani, Iberniam appellarunt. Hisce annis Monasterium Benchor ingenti mole surrexit, cui alterum in Europa antecelluisse, vix adducimur ut credamus. Tantam machinam attollere ausus fuit Congellus; quodque mireris, ad summum fastigium perduxit. Fontes in promptu sunt, è quibus res immensas de hoc Asceterio haurire licet, quibus præteritis hæc solum è Sancto Bernardo mellifluo tibi propinamus.

D. Bernard. vita S. Malachiæ.

Magnitudinis Monasterij Benchor compendium.

Ipsum quoque locum Benchor tradidit ei princeps, vt ædificaret ibi Monasterium, vel potius readificaret. Nempe nobilissimum extiterat ante sub primo patre Congello, multa millia Monachorum generans: multorum Monasteriorum caput: locus vere sanctus fœcundusque Sanctorum, copiosissime fructificans Deo: ita vt vnus ex filiis sanctæ illius Congregationis, nomine Luanus, centum solus Monasteriorum fundator extitisse feratur. Quod idcirca dixerim, vt ex hoc vno conijciat lector, quam, ingens fuerit reliqua multitudo. Denique ita Hiberniam Scotiamque repleuerunt genimina eius, vt ea potissimum tempora Dauidici illi versiculi præcinuisse videantur: Visitasti terram & inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam. *Nec modo in præfatas sed in exteras etiam regiones, quasi inundatione facta, illa se Sanctorum examina effuderunt, è quibus ad has nostras Gallicanas partes Sanctus Columbanus ascendens, Luxouiense construxit Monasterium, factus ibi in gentem magnam. Aiunt tam magnam fuisse, vt succedentibus sibi vicissim Choris, continuarentur solennia diuinorum, ita vt ne momentum quidem diei ac noctis vacaret à laudibus. Hæc de antiqua dicta sint Benchorensis Monasterij gloria. Hoc olim destructum à piratis, ob insigne dignitatis antiquæ, Malachias veluti quendam plantaturus paradisum, amplexus est; & quia multa corpora Sanctorum ibi dormirent. Nam vt taceam illa, quæ in pace sepulta sunt, feruntur nongentos simul vna die à piratis occisos. Erat quidem ingens loci illius possessio, sed Malachias solo contentus loco sancto, totas possessiones & terras alteri cessit: siquidem à tempore quo destructum est Monasterium, non defuit qui illud teneret cum possessionibus suis. Nam & constituebantur per electionem etiam, & Abbates appellabantur, seruantes nomine, (etsi non re) quod olim extiterat.* Aliis auctoribus supersedeo, cum quod ex Sancto Bernardo excerpserint, quæ afferunt: tum quod hic vnus sit instar omnium. Sed cum mortua manum lauet, resque vna admiranda nouaque præferre facem soleat ad alteram; sicque multa, alias vel obscura vel incredibilia futura, dum mutuo se nexu complectuntur, fidem mereantur, libet Venerabilem quoque Bedam in opus vocare. Oceano traiecto Alemanni Britanniam maiorem inuaserant, eaque potiti indito suo nomine Angliam vocarunt. (Qui Engelhardi, Engelberti ac huiusmodi vocabulorum Germanicorum etymologiam expendit, illico *natationem Angliæ & Engeland deprehendit.*) Britanni manum cum hoste conserturi vt euaderent Superiores, non tantum arma capiebant, sed etiam Monachis in Monasterio Benchor supplices palmas ad sidera tendentibus, auxiliares copias cœlo deuocabant:

Beda Hist. Angl. l. 2. c. 2.

Bancor Monasterium a Benchor diuersum.

Hinc Beda, *Venerunt*, inquit, *vt perhibent, septem Britonum Episcopi, & plures viri doctissimi, maxime de nobilissimo eorum Monasterio, quod vocatur lingua Anglorum Bancor Naburg, cui tempore illo Denoth Abbas præfuisse narratur. Cumque bellum acturus (Rex Edilfridus) videret Sacerdotes eorum, qui ad exorandum Deum pro milite bellum agente conuenerant, seorsum in tutiore loco consistere sciscitabatur qui essent hi, quidue acturi illo conuenissent? Erant autem plurimi eorum de Monasterio Bancor, in quo tantus fertur fuisse numerus Monachorum, ut cum in septem portiones cum Præpositis sibi rectoribus Monasterium esset diuisum, nulla harum portio minus quam trecentos homines haberet, qui omnes de labore manuum suarum viuere solebant.* Sed obsecro te, gradum tantisper suspende, ac vide sis quam differat hocce Benchor ab illo, cuius mentionem D. Bernardus fecerat. Conuenit illi nomen: conuenit Monachorum ingens copia: vt vix dubio relinquatur locus; sed discrimen mox indicabimus. Monasterium, quod afferebat Sanctus Bernardus dicebatur Benchor: id cuius Venerabilis Beda meminit, nomen habebat Bancor. Primum situm erat in Hibernia: alterum in Anglia. De primo multa in litteras miserunt historici, cuius Monachi non secus aquam infuso æquore Hiberniam Scotiamque aliasque prouincias repleuerunt. Nam ex Monasterio Benchor Sancti Lusnua, Columba, Columbanus, Gallus, clarissima Europæ sidera, prodierunt. Quidam auctores magis laxant eius finum, & filiis Monasterij Benchor etiam Sanctum Brandanum, Sanctum Chilianum, Sanctum Malachiam, aliosque innumeros adiungunt, qui per Hiberniam, Scotiam, Angliam, Franciam, Germaniam, Asceteria posuerunt. Atqui de Monasterio Bancor in Anglia sito, nescio an quis post Bedam verbum fecerit. Putem ego pulsis Britannia incolis, vel ad paucitatem ab Anglia Saxonibus redactis, Monachis pariter dissipatis Monasterium pessum iuisse. Quamuis autem Monasterij Bancor nomen fuerit extinctum, in Wallia tamen, præcipua insulæ prouincia, Episcopatus Bancorensis superest, veteri Abbatiæ successit, eiusque reditus capere putatur.

Monachos 2100 suo sinu complectebatur.

Porro à natura mortalibus comparatum est, ægre in animum inducere ea, quæ supra fidem esse apparent, nec ipsi vel oculis hauserunt suis, vel experti sunt; idcirco duos testes, in quos fingendi suspicio prorsus cadere non potest, in medium producimus. Beda in Monasterio vnico Bancor bis mille ac centum Monachos numerat: D. Bernardus Monasterium Benchor its quidem ad calculum exigit, vt tamen numerum certum non exprimat, sed aliquot millia ibi simul coluisse, indicium facit: (Historici ferè tria millia designant) additque vice vna nongentos à piratia confectos. Quod si Orientis Monasteria quamplurima oculis lustremus, Monachis non modo plena, sed propemodum stipata, haud tam angusto animo amplius erimus, vt productum ex Benchor & Bancor numerum litura inducamus. S. Isidoro Abbati mille amplius Monachos; at eius Successori Apollonio quinquies mille fuisse ferunt. Amonem prope Thebas tribus millibus ius dixisse, auctor est Palladius. Quid enim? Magnos illos Patres, Pachomium septem millia, Serapionem decem censuisse, proditum est. Monasteriorum Abbates dicebantur, non quod vnum in locum Monachi omnes compingerentur, sed quod diuersa in domicilia per montem vnum aut vallem sita, digesti, suo unumquodque Decano pareret. Vnum igitur Monasterium merito putabatur, quandoquidem ab uno capite pendebant omnes incolæ, domicilia vero in mutuo conspectu posita erant. Ita Venerabilis Beda *Monasterium Bancor in septem portiones cum præpositis rectoribus diuisum fuisse; nullam vero harum portionum minus, quam trecentos homines habuisse*, paulo ante narrauit. Ne quis autem argutis oloribus obstreperet auser, tantam multitudinem annona, commeatu, laboraturam fuisse: proinde numero nimis magno aliquid detrahendum, absque verborum interuallo adiungit, *Omnes de labore manuum suarum viuere solitos.* Quocirca ignorantiam admirationis esse matrem, non stulte fertur. Multa vero dissimilia videntur, quæ si velo remoto penitius inspicias, pro certis habebis. Cum igitur Oriens quamplutima numerauerit Monasteria, infinitia Monachis referta, non est cur Ecclesiam Latinam hac gloria priuemus: SS. Bernardo & Bedæ fidem adimamus.

Vita SS.

Pallad. in Lausiac.

Magnum posthac laudandi Numinis argumentum hoc Monasterium suppeditabit, quod è mundi angulo tam multa sidera in apertum orbem emisit, ad spissas tenebras dimouendas, quæ gloria imprimis in S. Congellum sanctitate & doctrina perinde clarum patrem Monasterij & magistrum primum, redundat, cuius discipuli gratissimo virtutum odore

totam

totam patriam imbuerunt: qui vero expeditione alias in prouincias susceptа, rudes Christianæ fidei instituerunt easdem mirifice nobilitarunt. Tantam vero Monachorum multitudinem contraxerat Congellus, vt in opus parando victui, deinde perpetuam psalmodiam incumberent. Quod enim D. Bernhardus refert Monasterium Luxouiense diuinis laudibus assiduo vacasse, id quoque de Benchor credendum, istius fluminis fonte. Quocirca in loco & tempore hic exegerimus, quidnam fuerit *Laus perennis* (sic enim dicebatur ea, quam nulla rumpere solebat mora) quæ multis in templis nostri Ordinis viguit, valuitque. Monachos habuit Græcia quos appellabat ἀκοιμήτους seu insomnes. Originem ad seruum Dei Marcellum referebant, cuius meminit Simeon Metaphrastes apud Surium. Negotium hic omnibus Monasteriis sibi subiectis dedit, diuinas laudes vt nunquam interpolarent, sed aliis è matutino discedentibus, succederent alij, atque alij. Peracto ab omnibus Matutino, reliquum pensum eodem ordine reddere-tur: sicque tam nox quam dies traherentur Monachorum perpetua Psalmodia. Itaque nunquam somnum capere dicebantur, quod semper aliqua pars sacras vigilias duceret. Mouit *Laus hæc perennis* Græciæ admirationem, & loco non tantum vno, sed quamplurimis frequentabatur. Constantinopoli quoque amplissimum stabat Monasterium, quod diuinas laudes ad hanc normam digerebat. Numinis æterni munus profecto est, quod S.P.N. Benedictus ita sapienter leges suas concepérit, vt Monachi non vno tantum opere tenerentur, sed gloriam Dei variis modis promouere, atque Ecclesiæ ministeriis diuersis consulere liceret. Hinc incidas in Asceteria, vbi præcipue in contemplationem incumbant: alia in quibus salus animarum, & fidei propagatio potissima cura sit: nonnulla quæ per hospitalia charitatem exerceant: etiam aliqua captiuis redimendis intenta: plurima denique Chorum dies noctes terentia: Creatorem suum perpetuis laudibus prosequentia. Igitur Græcorum ἀκοιμήτοις in Ecclesia Latina *Laudem perennem* appellamus, quam à Monasterio Sancti Columbani in Gallia quoque celebratam fuisse, D. Bernhardus affirmat. Quippe Sancta Columbanus religiolum eum morem in Benchor imbiberat. Nam Sanctus Congellus suos discipulos his studiis diligenter exercebat, quos postea virtute corroboratos ad diuersas in prouincias dimisit, vt qui officium ad vnguem facerent, epistolis incitauit. Tandem annis & laboribus deficiente corpore extinctus est, petiuitque cœlum atque præmium.

In Benchor fonabat Laus perennis.

Surius 29. Decemb.

Omnibus modis Dei gloriam Ordo S. Benedicti promouet.

ANNVS CHRISTI 558. ANNVS S. BENEDICTI 78.

CAPVT I.

Reges magna beneficia apud S. Maurum ponunt: hic miracula reponit.

Repetenda nobis hoc anno Gallia est, quo corona mutauit caput, & sacra Episcoporum Comitia Parisiis acta sunt, cui Sanctus Germanus Episcopi titulo subscripsit, cum alibi non reperiatur nisi vel Monachus, vel Sancti Symphoriani Abbas. Regem Theodibaldum sexennium tenuisse Sceptrum supra memorauimus. Idei pallida mors hoc anno extorsit, nil morata ætatis florem. Regnum deinde Clothario & Childeberto nepotibus cessit, prouinciis more diuisis. Clothario diuina, quod aiunt, virgula Aurelianensis ager obtigit, cui Sanctus Maurus Monasterium Glanofolium imposuerat. Vsus igitur occasione, sæpe Sanctum accersiuit: sæpe res graues eius opera explicauit; vtque gratus esset, magna beneficia in Glanofolium collocauit. *Cum aliquando Beatus Maurus*, inquit Faustus, *duas ex Fratribus pro aliquibus necessitatibus ad eum transmisisset, ac ipse benignissime amuia, pro quibus venerant, annuisset, inquirere ab eis falicite cœpit, quid, vel qualia Reges decessores sui nostra contul ssent loco? Qua cum ab eis rescisset, ait: & nostra, Deo propitio, largitas ipsi non deerit loco, præsertim cum & ampliorem illis tam regni, quam diuitiarum obtineamus potestatem, & bona operandi à Domino percepimus voluntatem. Igitur viro Dei ad Monasterium se se velle significauit, cui cum à viro Dei vt veniret, remandatum fuisset, paucis secum assumptis, ire perrexit. Cumque venisset, tradidit ad ipsum locum fiscum regium, qui Blazon nuncupatur. Villam etiam qua longus campus dicitur, auctoritate regia delegauit: quem etiam Beatus Maurus precatus est, vt regali edicto firmare dignaretur, quatenus Congregationi loci illius electionem propriam per succedentia liceret habere tempora: quod cum præcepta regia potestatis, iuxta petitionem viri Dei, Rex libenter annuisset, cauitatum eius benedictione, profectum est.* Sed iuuat huic capiti vnum,

Greg. Turon. hist. Fran. l. 4. c. 9.

Faust. vitaS. Mauri apud Sur. 15. Ian.

Clotharius beneficiis cumulat Glanofolium.

itemque alterum miraculum, aspergere.

Fuit, vt vir Sanctus villas ac prædia Monasterij obiret, visurus quid facto opus esset. Gaudiaci calorem discussurus ac que pulueres, locum in opacum se subduxit; sed ne tempus otioso effluerer, duobus cum Monachis Psalmos decantauit. Huic operi intentum Ansegarius Ecclesiæ Andegauensis Archidiaconus, occupans interpellauit; cuius gratia venisset, retulit: eum valere iussit: in viam iterum se dedit. At è via amice reuocatum Maurus, paullulum vt curaret corpus, rogauit. Inde ad Simplicium Monachum conuersus, *Virum hunc*, suggerit, *qui nobis pro sua reuerentia & affabilitate dudum familiaris effectus est, poculo charitatis potare, ac vino sanctæ dilectionis inebriare, vt spirituales, spiritualiter, debemus*. Oculos ac ora tenens hactenus Simplicius, à pumice aquam peti, respondit. Minutum duntaxat vasculum, quod è sella suspendi solerer, in promptu esse. *Defer illud huc*, excepit Sanctus, *& adde panem*. Simplicius dicto citius vtrumque expediuit, cumque porrigeret vasculum, vir Dei ducta cruce. *Potens est Deus*, inquit, *qui mensam populo suo in eremo parauit, & aquam in abundantia de petra produxit, etiam nobis seruis suis de hoc paruulo vasculo sufficienter vini ministrare affluentiam*. Quid fit? propinatur, ac ter in orbem it dulce vasculum: in sexaginta ampliua ora euoluitur: (incredibile dictu!) perpetuo tamen fluit, quam si nec gutta vini à tot compotoribus educta fuisset. Denique cum viam in Monasterium relegeret, mortalem habuit obuium, cui atrocissimus cancer labium superius, nares, genas, bonam partem iam exederat. Miseratus hominis calamitatem, in vestigio hæsit: tum elata manu describens crucem, genas, nates, labium, conclamato reddidit. Nunquam domo prodijt Maurus, quin aliis bene faceret. Neque fallitur, qui Sanctos vbique locorum circumferre Deum putat. Hinc miracula patraturi non petunt arcana loca, quasi illum adituri.

Infinita S.Mauri lagenula.

CAPVT II.

Monasterium Lerinense in Gallia.

MOnasterium hoc Lerinense, nec non Agaunense S. Mauro in Galliam penetrante statui non potuisse, Faustus persuaserit, qui illud iter retulit in commentarios. Id quoque certum est, multa passim Monasteria fuisse ædificata, Regula à Sancto Benedicto nondum condita, in quam tamen paullo post iurarunt. Annum equidem notare non ausim; in labentem ideo conieci, quod ad Sanctum Maurum historia gradum referat, cui Monasteriorum Galliæ fundationes, ac disciplinæ introductio tribui solent ac debent. Lerinense anno quingentesimo quadragesimo secundo, vel tertio, accessisse Ordini, affirmat Wion. Atqui Sanctus Maurus cum per montes Apenninos tenderet in Galliam, ad mare, quod prouinciam Narbonensem alluit, deferri haud potuit; in illo vero insula Lerina sita est. Neque id anno sexcentesimo factum putamus, quamuis in promptu epistola sit, qua Gregorius Magnus Bonum Abbatem ferr laudibus, quod normam disciplinæ altius intenderie; nihilominus ea non ad Monasterium, sed duos Abbates pertinet, quorum unus effundendo habenas vituperationem meruit, alter adducendo laudem. Igitur nos medium tenemus, ac nobile hoc Monasterium circiter annum quingentesimum quinquagesimum octauum in Religionem nostram concessisse censemus, dum Reges Galliæ Sanctum Maurum insigni amore complectebantur. Nos deinceps Lerinense potius quam Lirinense appellabimus, quod nomen ab insula Lerina seu Lerino deducat. Eam mare mediterraneum & Rhodanus fluuius exponunt. Aduersam habuit, teste Plinio, Antipolin, vicina Stœchadibus & Marsiliæ. Mutauit tamen nomen & S. Honorati induit, qui Monasterium multo ante vulgatam à Sancto Benedicto Regulam ibi construxit, quam bodie religiosissime obseruat, pendetque à sanctissima Congregatione Casinensi. Si numerum illustrium Monachorum subducas, Lerinum profecto cum nobilissimis totius Europæ Monasterijs certauerit, seu tempus calculo subijciat quod Regulam Sancti Benedicti antecessit, seu illud quod sequutum est. In aliis Monasteriis calamum tero priuilegia, exemptiones, splendorem, fabricam, opes profundendo, quibus non caruit Lerinum; nos tamen haud ægre istis supersedemus, quando virorum clarissimorum copia obruimur, quos insula hæc eduxit. Nec aliæ diuitiæ luculentius Monasteria opulentant. Omnium hic res gestas edere, etsi operæ pretium foret, nos tamen illi non admodum rangunt, qui insulam

Arnold. Wion l. 3. 29. Maij.

D. Greg. l. 4. ep. 8.

Monasterium Lerinense sub ann. 558. S. Benedicto se submisit.

Plin. l. 3. c. 5.

ante introductam Regulam coluerunt cæterosfuis anuis producemus.

Animus tamen est, subijcere syllabum ex Vincentij Barralis Salerni Monachi Lerinensis Chronologia contextum. Quis enim Sanctos Lerinenses certius promere possit, quam Monachi Lerinenses. In fine autem Capitis addam Catalogum Abbatum Lerinensium, ab anno vigesimo octauo supra Millesimum, vsque ad annum Millesimum quingentesimum quintũ decimum in quo cæpit Congregatio ipsum regere Monasterium.

ALBVM SANCTORVM ET VIRORVM ILLVSTRIVM Monasterij Lerinensis.

1. Iannar. S. Odilo Abbas Cluniacensis, & Lerinensis. Floruit anno nongentesimo nonagesimo septimo.

B. Marinus Abbas Lerinẽsis. Floruit circa annum quingentesimũ septuagesimum nonum.

2. Ianuar. Bernarius Monachus Lerinensis. Floruit octingentesimo vigesimo secundo.

15. Iannar. Eligius Monachus Lerinensis. Floruit temporibus S. Mauri.

16. Ianuar. S. Honoratus Monasterij Insulæ Lerinensis primus Fundator, & Abbas; dein Archiepiscopus Arelatensis. Floruit anno quingentesimo vigesimo sexto.

16. Iannar. Faustus ex Abbate Lerinensi Episcopus Regiensis. Floruit anno quadringentesimo nonagesimo.

28. Ianuar. S. Ioannes Monachus Lerinensis, post Reomaensis Abbas. Floruit anno quingentesimo trigesimo.

5. Mart. S. Virgilius Abbas Lerinensis, dein Archiepiscopus Arelatensis. Floruit anno sexcentesimo.

10. Mart. S. Attalas ex monacho Lerinensi, Abbas Luxouiensis. Floruit anno sexcentesimo vigesimo sexto.

5. Maij. S. Hilarius monachus Lerinensis, post Episcopus Arelatensis. Floruit anno quadringentesimo quadragesimo.

24. Maij. S. Vincentius monachus, & presbyter Lerinensis. Floruit anno Christi quadringentesimo trigesimo.

26. Maij. B. Lambertus ex monacho Lerinensi Episcopus Venciensis. Floruit anno Domini millesimo centesimo trigesimo.

28. Maij. S. Germanus Episcopus Parisiensis. Mortuus est anno quingentesimo septuagesimo octauo. Eius translatio xxv. Iulii celebratur.

29. Maij. S. Bonus siue Chononus Abbas Lerinensis. Floruit anno sexcentesimo.

1. Iunii. S. Caprasius Abbas Lerinensis. Migrauit è vita circa annum quadringentesimum trigesimum.

18. Iulij. S. Arnulphus monachus Lerinensis, dein Metensis Episcopus Floruit anno sexcentesimo trigesimo.

24. Iulij. S. Valerius Episcopus Niciensis, & monachus Lerinensis.

29. Iulij. S. Lupus Episcopus Trecensis, & monachus Lerinensis. Floruit anno quadringentesimo quinquagesimo.

12. Aug. S. Porcarius Abbas Lerinẽsis martyrio coronatus cum quingentis monachis anno septingentesimo trigesimo vel trigesimo octauo.

27. Aug. S. Cæsarius Abbas Lerinensis, dein Episcopus Arelatensis. Floruit anno quingentesimo sexto.

2. Septemb. S. Iustus Episcopus Lugdunensis, & monachus Lerinensis. Floruit anno trecentesimo septuagesimo nono.

S. Agricolus, ex monacho Lerinensi Episcopus Auenionensis. Claruit anno sexcentesimo septuagesimo.

3. Sept. S. Aygulphus Abbas Lerinensis. Martyrio cum aliis monachis affectus anno sexcentesimo sexagesimo.

10. Sept S. Veranus, Episcopus Venciensis, & monachus Lerinensis. Floruit anno quadringentesimo quadragesimo nono.

22. Sept. S. Florentius Abbas Lerinensis.

25. Sept. S. Anatolius, seu Antiolius Episcopus, & monachus Lerinensis. Claruit anno quadringentesimo octuagesimo quarto.

28. Sept. Salonius ex monacho Lerinensi, Episcopus in Gallia. Floruit anno quadringentesimo septuagesimo.

Saluianus monachus Lerinensis, post Episcopus Massiliensis. Floruit anno quadringentesimo sexagesimo.

5. Octob. S. Apollinaris Episcopus Valentiæ in Gallia Narbonensi ex monacho sacræ Insulæ Lerinensis. Floruit anno quadringentesimo nonagesimo quarto.

16. Nouemb. S. Eucherius Episcopus Lugdunensis & monachus Lerinensis. Floruit anno quadringentesimo quadragesimo primo.

18.Non.

S.Eucher. Abb. S.Vincent. Abb. S.Amandus triũ millium Monachorũ Abb. Floruit anno srptingentesimo. B.Siluanus Abb.	Abbates hi (inquit Hugo Menard) sibi inuicẽ succeesserunt in regimine Abbatiæ Lerinensis, vsque ad Porcarium Martyrem.

S. Anselmus Abbas sacræ Insulæ Lerinensis.

20.Nou. S. Endo Abbas Calmeliacensis Cœnobij, & monarhus Lerineusis. Floruit vt docet Vinrentius Barralci circa annum Domini 465. Verum Hugo Menard solide probat, cum obijsse circiter anuum sexcentesimum quinquagesimum.

lib.2. obser. in martyr. Ord. D. Benedicti.

27.Non. S.Maximus ex Abbate Lerinensi Episcopus Regiensis. Floruit anno quadringentrsimo septuagesimo.

29.Nou. S.Siffredus ex monarho sarræ Insulæ Lerinensis Episcopus Carpẽtoratensis. Floruit anno quingentesimo quinquagesimo.

28.Decemb. B.Autonius monachus Lerinensis. Floruit anno quadringentesimo octuagesimo octauo.

ALBVM SANCTORVM ET ILLVSTRIVM VIRORVM LERINENSIVM quorum certus natalis dies non præscribitur.

S.Concordius Episropus.
S.Vincentius Episropus Sanctonensis.
S.Maguntius Episcopus.
S.Sedastus Episropus.
S.Nazarius Episcopus.
S.Thomas Episcopus Tarantaciensis.
S.Nazarius Abbas Lerinensis.
S.Porcarius Abbas, S. Cæsarij institutor. Floruit anno quadringentesimo septuagesimo sexto.
S.Ardemius Abbas Lerinensis.
S.Ebidobius Abbas Lerinensis.
S Enodius Abbas Lerineusis.
S.Polemius Abbas Lerinensis.
B.Rigomirus Abbas Lerinensis. Successit in præfectura B.Aygulpho.
Leotmundus Abbas Leriuensis. Claruit sanctitate vitæ temporibus Ludouicij Pij.
Warnerius Abbas Lerinensis, administrationem ante S.Odilonem tenuit.
S.Apollinaris monarhus Lerinensis.
S.Ferriolus Confessor.
S.Theodorus, monachus, & martyr.
Columbus monach. Lerin. } Discipuli S.
Eleutheri' monarh. Lerin. } Porcarij M.

Quinam horum Sanctorum Monachi fuerint nostri Ordinis, ægre expedio. Qui tamen ab anno quingentesimo quinquagesimo insulam habitarunt propius ad nos accedunt, ideoque inquirendum an ad nos pertineant. Faustum Rrgiensem & Cæsarium Arelatensem ac alios ætate superiores, ex Ordine S. Benedicti & Chronico nostro iam submoui; S. Honoratnm vero absque iniuria præterire non possum, non quod Monachus Religionis nostræ fuerit, sed quod Asceterium ita celebre condiderit, vnde Ordo multis annorum centuriis inrlaruit. Lirebit etiam insulæ situm, & Monasterij fabricam è Sancti huius vita cognoscere

Honoratum igitur nonnulli è Tuscia oriundum ferunt: alij Gallum Narbonrnsem faciunt. Sunt qui patrem ei Bithyniæ Regem fingant: nobilissimis tamen parentibus ortum, pro certo habetur.

S. Honorati prima ætas dedita pietati.

Cum domi adhuc ætatis primæ rudimenta poneret, indolis sanctæ specimina dabat, duriter corpus habẽdo, & experimẽta futuri Monachi de seipso capiendo. Sæpe mouit stomachum patri novus vitæ modus, quem puer habebat: sæpe in reprehensionem vorabat maiora viribus molientem: sed fratet Venantius solatio etat, qui stimulis eisdem agitabatur, adeo vt virtutũ certamine inito, alter alterum anteire gnaniter contenderet. Itaque cum infestus genitor studio virtutum, quo tenebatur vterque, prrpetuo intercederet, patrem alium cœlitus acceperunt. Srilicet Caprasius sanctissimus Eremita, paterna domo erutos, itinere in Orientem suscepto romitrs adhibuit, vbi varia Monasteria obrundo, non secus qusm sedulæ apes è cultissimo horto flores legerunt. Dum iter per Achaiam relegunt in Occidentem, ecre Venantius innocentissimus iuuenis extinguitur, quem Ecclesia III Cal. Iunij veneratur. Afflixit hic casus Honoratum, fecitque vt recta contenderet domum. Quamuis autem expectatissimus venerit, nihilominus in animum inducere non potuit, vt pedem figeret. Quippe trahebat amantissimus magister Caprasius: insultabant prurientes pedes exempla, quæ Orientis Monachi sponte ardenti præiuerant. Cum aliqusmdiu dubium versasset tergum, statuit è patria sese in locum remotum & infrequentem eijcere.

E domo paterna Lerinam se clanculo aufert.

Lerina insula id temporis inculta mortalibus, bestiis ac venenatis animalibus hospitium erat. Minus perirulf à serpentibus & viperis saniem vomentibus, quam ab improbis hominibus, sæpe affatu, sæpe solo aspectu venenum instillantibus, imminerr

sibi duxit. Igitur iidem magister & discipulus in hac insula capiunt: vitam hic cœlicolum agunt. Non potuit latere magna virtus, sed deprehensi,& per garrulam famam longe lateque sparsi, omnibus in ore esse cœperunt; quæ res fecit, vt quamplurimi sese adiungerent, Monasteriumq; amplissimum excitaretur. Mira huic Sancto Suauitas inerat ac prudentia tractandi animos: reuocandi ad frugem: inducendi ad pœnitentiam: qua industria & dexteritate Superiores præditos esse oportet. Sed nimis longus sim, si singulas eius virtutes & patrata miracula quasi manu prehendere, inque lucem emittere velim. Nec aliam ob causam in Archiepiscopalem cathedram Arelatésem adscitus est,quam quod sanctus esset. IV. Cal. Iunij beatam animam efflauit. Funus eius D. Hilarius Oratione prosequutus est,discipulus ad vnguem Magistri sui factus: æque sanctus, doctus, Abbas Lerinensis, Archiepiscopus Arelatensis. Inde nos petiuimus, quæ attulimus. Tres vero libri qui de eius vita circumferuntur, extra triuium pondus nullum habent. Fortunatum vero hunc virum,cui licuit poma carpere de arbore, quã ipse seuit. Neque enim sero Monasterium Lerinense Sanctos produxit, sed vertentibus primis annis, & deinceps consequentibus: vt longa serie instar catenæ inuicem connecterentur, illudque seculum facerent insigne. Fuere autem SS. Lupus, Maximus, Eucherius,Hilarius,Cęsarius,Salonius,Vincentius, quem Lerinensem vocant, aliosque quorum iam meminimus. Adeo vero animos Gallorum hoc Monasterium tenuerat, vt vicini Episcopi omnes inde accerserentur. Curiosos scimus duci desiderio cognoscendi, quam Regulam sectatus sit S. Honoratus ,quamue amussim ipse suis tradiderit discipulis.Peregrinatio in Orientem suscepta: frequentes cum Monachis S. Basilij congressus: eosdem inuitandi studium: propemodum persuadent, vt virum sancto Basilio adhæsisse credamus. Sed premere hęc argumenta Ordo sancti Augustini potest, quod Monasterium Lerinense insideat Galliæ: quod ad Ecclesiam Latinam pertineat: quod Græci Monachi raro prouincias istas triuerint. Item in promptu epistola est, qua Hilarius D. Augustinum suum appellat Magistrũ; vnde ipsum discipulum fuisse,haud insulæ cõiecetis. Hisce duabus sententijs in medio relictis,adduco tertiam, nimirum sanctum Honoratum singulares suis Monachis tulisse leges atque ad suum arbitrium composuisse Monasterium, ita vero.vt ex alijs quoque Regulis adsciscerer, quæ ipsi conducere videbantur, vt illius temporis mos ferebat. Quamplurima enim Monasteria nullam Regulam communem sequebantur, sed illis veluti exemplari vtebantur, secundum quod lineas ducerent,& leges domesticas conderent. Sed rem confirmemus.

Arelatensi mitra min', quã virtutibus fulget.

Discipulus S. Lupicini (is qui vitam sancti Eugendi composuit) Monasterij sui Regulam exponens, *Si quid,ait,cuicunque fuit a proximis oblatum, confestim hoc Abbati, aut Oeconomo deferens, nihil exinde absque paterno præsumpsit imperio. Cellam, armarium, arcellam, nullus omnino habuit vnquam: nulla cuique de necessitate exigua proprietatis operandi dabatur occasio. Nam vsque ad acum ipsam, lanaique netas, etiam fiendi consuetudique cuncta præbebantur in medium. Sicnamque quod non omnino illa, quæ quondam sanctus ac præcipuus Basilius Cappadociæ vrbis Antistes, vel ea quæ sanctorum Lerinensium Patres: Sanctus quoque Pachomius Syrorum priscus Abbas; siue illa quæ recentior venerabilis edidit Cassianus, fastidiosa præsumptione, calcemus: sed ea quotidie lectitantes, ista pro qualitate loci, & instantia laboris inuicta,potius quam Orientalium perficere affectamus; quia procul dubio efficacius hæc facilius que natura, vel infirmitas exequitur Gallicana.* Potiorem igitur loci ac imbecillitatis, quam Regulæ S. P. Basilij, duxere rationem. Auctoris ætatem si requiras, ante mille annos vixerit, oportet. Ad duo vero animum te aduertere velim. Primum,Lerinenses Regulam diuersam à S. Basilij,S. Augustini aliorumque Patrum coluisse. Si enim Regulæ cuipiam generali fuissent addicti,auctor eam nomine Regularum Patrum comprehensurus fuisset. Nunc vero vt ab omnibus alijs eam distingueret. Leges Patrum Lerinensium Monasterio suo contemptui haud fuisse asserit. Alterum, antiqua Monasteria ex omnium Patrum legibus Regulam vnam, veluti centonem, consuere consueuisse, priusquam SS. Augustini, Basilij, Benedicti Regulæ sumptis viribus Asiam, Africam,Europam occuparunt. Habita igitur locorum, hominum, consuetudinum ratione, vndique legebant, quæ maxime ad rem facere videbantur Abbati, qui vices Regulæ viuæ explebat. Memori autem mente teneri hęc velim, cum vitas Sanctorum euoluentibus frequenter hæc verba occurrant: *Secundum Regulas Patrum & Abbatum.* Nimirum eos non in vnius Magistri verba iurasse sed omnium vestigia notasse,ac pressisse, qua licuisset. Rem vero se ita habuisse, exemplo à sancto Gregorio Turonensi petito, oculis obijcere possumus. Hic enim sap-

Surius vita sancti Eugendi. 1. Ian.

S. Honoratus ex arbitrio suo sanxit leges suis Monachis.

Gregor. Turon. l. 10. hist. Franc. c.29.

sanctum Aredium Abbatem de sua familia Monasterium instituisse narrans, annonam ac vestem suggerente eius matre, *Cœnobium fundauit*, inquit, *in quo non modo Cassiani, verum etiam Basilij & reliquorum Abbatum, qui Monasterialem vitam instituerunt, celebrantur Regulæ, beata muliere victum atque vestitum singulis ministrante.* Item S. Philibertus multa Monasteria obiuit, vt est apud Surium, meliora suum in vsum vertendi causa. *Legebat*, inquit auctor *studiose Basilij præclaras constitutiones: Macharij Regulam: Benedicti decreta: Columbani instituta sanctissima: atq; ita onustus virtutũ aromatibus, sectatoribus suis egregie de se exempla præbebat.* Cassiodorus M. ad suos verba faciens, *Quapropter*, ait, *omnes quos Monasterij septa concludunt, tam Patrum Regulas, quam præceptoris proprij iussa seruate.* Neq; nos similes deficiunt auctoritates, quas tamen omittimus, cum hæ satis momenti habeant. Indulsimus autem huic argumento longius, quod multa in Monasteria Lectori sit incidendum, quæ prius à Regulis Patrum pependerunt, quam sanctus Benedictus in ijsdem ius dixisset, cui se certatim postea submiserunt.

Sur. 20. August.

Cassiodor. de diuinis Inst. c.32.

Tandem Regula S. Benedicti regnum in Europa obtinuit.

Addo pro mantissa, Regulam S. Benedicti paulatim regnum obtinuisse. Quemadmodum enim corpus humanum bile, phlegmate, sanguine, melancholia pariter infessum, eo ab humore appellationem ducit, qui cæteros superat (sanguineum enim vocamus, cui plurimus sanguis est: cholericum cui impetuosa cholera dominatur:) ita persuasum habemus, Regulis SS. Basilij, Augustini, Benedicti, nondum peruulgatis, Monachos ad præscriptum suorum Antistitum vixisse, vnoquoque horum id ex institutis magnorum illorũ Patrum excerpente, quod maxime probabat. Sed cum Antistites ipsi vnam Regulam præferrent alteri, fiebat profecto vt vna altiores in Monasterio ageret radices quam altera. Hinc in Asia Regulam S. Basilij, in Africa S. Augustini, in Europa S. Benedicti palmam tulisse videmus. A prima igitur Monasteriorum fundatione Abbas phonasci instar, diuersis vocibus numeros ac modos dantis, disciplinam vndique collectam, concinnabat. Verum enimuero eum vbique confusio sese admisceret, è re facturos se viderunt, si in Regulam iurarent vnam. Hæsit autem illa, quæ & potior iudicata, & animis iam altius defixa erat. Lumen hic mihi affudit liber, Gothico charactere exaratus, & inscriptus, *Regula Patrum*, mihi in antiquissimo Arlanzæ Monasterio repertus. Exhibet Regulas S. Macharij, S. Pachomij, S. Basilij, S. Benedicti, S. Fructuosi, S. Isidori, Magni Cassiani, quas omnes, Deo fauente, animus est simul in lucẽ edere (nam liber mihi in manu est:) cæteras vero adijcere. Magnum, nullus dubito, fructum inde capient Monachi, cum primi Ordinum Conditores spiritum plane singularem cælitus hauserint, quẽ Lectoribus impertiant. Nam fontes profecto sunt, qui religiosæ disciplinæ præcepta, quæq; alia huc spectant, purissime fundant; cæteri scriptores sequũtur non passibus æquis, in quibus vel prolixitatem fastidias, vel breuitatem culpes, aut neruum ac feruorem desideres: demum horum lucem magnorum illorum ducum vmbra premit. Trita igitur id ætatis Monasterijs via, etiam Lerinense incessit, è ss. Patrum Regulis aliquas deligendo, quibus ritus & leges singulares, insulæ in qua degebant opportunas, addiderunt, de quibus auctor vitæ S. Lupicini meminit. Hæ tamen regulæ Lerinenses nomẽ postea suum exuerunt, vt est apud Baronium, Regula S. Benedicti locum eius occupante. Ita riui nominis iacturam faciunt, dum nobiles fluuios subeunt. Hunc ad modũ Monasteria quamplurima leges sibi sanciebant proprias: quędã nulli ss. Patrum se omnino addicebant, omnes tamen imitari studebant, donec Regula S. P. Benedicti super alias caput efferens, non secus quam virga Mosis quæ incantatorum virgas deuorauit, cæteris superior euasit, absumpsitque. Monasteria Sanctorum Eugendi, Philiberti, Viuariense, Lerinense, rem plane ante ora & oculos ponunt.

Cæterum ingens huic Monasterio numerus Monachorum semper fuit, etiam nondum inducta S. P. N. Benedicti Regula. Partem Monasterium, partem Prioratus excipiebant. Argumento esse possit Porcarius Abbas, qui socijs quingentis stipatus ad supplicium ductus pro Christo martyrium subijt: & sanctus Amandus, qui millia Monachorum tria numerasse fertur. An tanta multitudo incoluerit insulam, vel per Monasteria fuerit sparsa vicinis terris incumbentia quidem, sed Lerino subiecta, haud compertum habemus. Si tamen Ricordatus, qui Monachos Lerinensi Monasterio addictos, vicena quatuor millia expleuisse asserit, recte calculum posuit, palam est, ab angusta insula capi non potuisse. Calculum nos nostrum adijcere non audemus, eo quod auctor sit nouus, nec testes antiquæ fidei, prisciue sæculi producat. Apparet tamen vndique Monasterium fuisse amplissimum, & Monachos diuersa loca habitantes, numerasse quamplurimos, etiamsi Ricordato non paucos subtrahamus.

Monasterio Lerinensi ingens semper Monachorum numerus fuit.

Ricordatus.

Minus

Minus nobis facessit negotij, integerrimam huic Monasterio disciplinam affirmare, quam Monachorum summã subducere. Suis enim laudibus non modo oneratur, sed obruitur quoq;. Linguam certe & calamum detriuerimus ante, quam hic à prora ad puppim peruenerimus. Iuuat tamen alios dare, qui hoc onus subierunt. S. Eucherius cũ hoc Asceterium multis laudibus tulisset, dignum id asserit Conditore, Magistro, Patre Honorato, in quo spiritus viguerit Apostolicus. Dignum etiam, vt quem accepisset Honoratum, dimitteret Arelatum, honoribus Archiepiscopi afficiendum. Dignum quod monachos educeret, ad summa aliquando sacerdotia euocãdos: Pro thesauro iam habere Maximum, nomine clarissimum, & qui Honorato succederet dignissimum. Postea insignis huius magistri discipulos computat, id quod nos paulo ante egimus.

S. Eucher. l. de laud. Eremi.

Cæsarius Arelatensis Archiepiscopus, ante id Lerinensis Monachus, adeoque rerum sui Monasterij conscius, Laudamus Deum, inquit, cuius fauore sancta institutio & disciplina huius loci quotidie capit incrementum. O fortunatam insulam Lerinensem, in qua gloria Dei indies crescit cum fructu spirituali: decrescit autem malitia, cum damnis quæ dæmon inferebat. Beata felixq; Lerina est, parua quidem planaque, quæ tamen innumeros montes, eosq; altissimos, in cœlum erigit. Hæc monachos præclarissimos educit, quos postea in omnes prouincias dimittit, Sacerdotum officia obituros. Accipit filios: reddit Patres: nutrit paruulos: restituit magnos: è tyronibus denique facit Reges. Omnes enim quos suum in sinũ colligit, amantissime excitat, vt Christum, virtutum & perfectionis culmen petentẽ, presso pede sequantur. Inde S. Cæsarius in se ipse inuehitur, quod nullo numero habẽdus sit: quod tam sancto cœtu indignus: iterùmque laudes monachorum ingeminans, vestram sanctam obedientiam, ait, vestra sancta opera totus mundus demiratur, vosque cõplectitur. Quocirca in ære omnium estis qui mundum incolunt: illud dissolueritis, si honorem quo singuli nos afficiunt: si amorem quo vniuersi vos prosequuntur, perpetuis precibus, atq; pijs exercitijs compensabitis. Per Orientem & Occidentem, per extremos Christiani nominis angulos vestræ virtutes volitant ad Dei gloriam, & celebrantur. Prosequimini igitur id, quod semper sequuti estis: cordi habere, inquam, charitatem, mansuetudinem, obedientiam, vt partã totum per orbem existimationem præclaris factis augeatis: item, vt vos inuisentes ac videntes non secus, quam Regina Saba exclamare verissima possit. *Verus est sermo, quẽ audiuimus in terra nostra de Monasterio Lerinensi, & probauimus quod media pars nobis nunciata non fuerit: maiora sunt opera, quam rumor, quem audiuimus.* Sed claudamus riuum, quando Cæsarius homiliam integram in Asceterij Lerinensis encomia consumit. At tamen ne cuipiam laus propria sordeat, ac tritum illud nobis occinat, *Suum cuiq; pulchrum*: videlicet Cæsarium laudando Lerinenses, famæ quoque suæ consuluisse, cum Monasterij pars magna fuerit, Sidonij Apollinaris versus ad Faustum Regiensem Episcopum, antea Lerinẽsem Antistitem, fusos, tibi haud grauate expediam. Fatebere illũ nihil dedisse gratiæ.

S. Cæs. homil. 20. tom. 2. Biblioth. ss. Patrũ.

Ac integerrima disciplina

3. Reg. 10.

Seu te Lerinus priscum complexa parentem est,
Qua tu iã fractus, pro magna sæpe quiete,
Discipulus seruire venis, vix q; etiã somni,
Vix coctos captare cibos, abstemius annum
Ducis, & insertis pingis ieiunia psalmis:
Fratribus insinuans, quantos illa insula plana
Miserat in cœlũ mõtes, quæ sancta Caprasi
Vita senis, iuuenisq; Lupi: quæ gratia patrẽ
Mansit Honoratum, fuerit quis maximus ille,
Vrbem tu cuius, Monachusq; Antistes & Abbas,
Bis successor, agis, celebres quoque laudibus illos
Eucherij venientis iter, redeuntis Hilari.

Sidõ. Carmin. Eucharist.

En vt præter cætera, in Episcopis extollat consuetudinem, qua positis negotijs in Monasteria sese abstulerunt, & in sinu bonæ matris aliquot soles, expiandis animis, condiderunt! Igitur Sidonio quoq; teste asperã vitam duxere monachi Lerinenses: altum silentium vbiq; tenuere: nisi quod chorus diuinis Psalmis identidem resonaret: vel quandoq; colloquia religiosa miscerentur. Mensa ipsis vt plurimum erat nulla, quam ieiunijs solutis radices instruere solebant cũ oleribus. Illos si recte inspexisses, ad Anachoretas comparasses, quorum victum exponens D. Hieronymus: *De cibis vero*, inquit, *& potu taceo, cũ etiam languentes Monachi aqua frigida vtãtur, & coctũ aliquid accepisse, luxuria sit.* Lectuli plane implumes erant, vt cum mensa conuenirent. Nam fessa corpora excipiebat non molle solum, cuius gratia cecinit Sidonius:

Olim Episcopi in Monasteria se recipere cõsueuerãt. detergendis puluetibus negotiorũ.

Succinctos gelido libantem cespite somnos.

Res vero Poëtæ ista canenti erat cũ Fausto. S. Hilarius tempora somni S. Honorati cõputans: *Quem minus*, dixit, *detineret lectus: quã magis lectio.* Cũ igitur plus noctis legẽdo, quam dormiendo consumpserint, facile

D. Hieron. ad Eustoc.

intelligis vnde in viros, orbe toto claros à doctrina, euaserint. Huc magnum quoque momentum assidua ieiunia conferebant. Nemo enim ita hebes est vt nesciat, duas istas alas ad sapientiam ferre.

Gregor. Cortes. epist. Porro non antiqui solum Sancti huic pelago laudum vela dedere, sed recentes quoque Scriptores idem fecere. Gregorius Cortesius Abbas imprimis Lerinensis; purpuratis deinde Patribus à virtute & doctrina insertus, per multas epistolas flores Lerinensis horti sparsit. Arnoldus Wion egregiũ Monasterium modulis Gallicis decantat: Ricordatus Italicis: qui multo longius pronebitur. Nec mihi auctores, cum Lerinum appellunt, in sua amplius potestate esse videntur, sed vrgeri, vt ora in laudes soluant: stylum in encomia effundant. Excitus etiam Balaam loco vt maledicat, vbi viderit digesta in labores tempora: operam nauantes monachos: dispositum ad vnguem Monasterium: muta rumpens silentia hanc vocem tollet: *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel! vt valles nemorosa: vt horti iuxta fluuios irrigui; vt tabernacula qua fixit Dominus: quasi cedri prope aquas.* (Num. 24.) In quæ autē tempora & homines paulatim inciderunt Monitia! Hoc profectò Ascecterium etsi fuerit religiosissimum, nihilominus à sanctitate contra Abbates sęculares defendi non potuit: communem Ordinis calamitatem non euasit. Nam hi more suo domum Dei multis partibus imminuerunt.

Abbates Commendatarij emungunt Lerinum. Recuperauit tamen vires & decus, quando anno millesimo quingentesimo decimo quinto vna cum Neapoleo, Ballensi, & Vinte Milio, Monasterijs subditis, in Congregationem Casinensem concessit, Leone X. Pontifice Max. & Francisco Rege annuentibus, factumq; probantibus. Quodq; mireris, cum insula cui incubat Monasterium, implicita sit regno Galliæ, ad Capitula nihilominus Generalia Congregationis Casinensis in Italiam contendit, præter morem Ordinum in Gallia. Nam (quæ regni huius felicitas est) nobilissima quædam Monasteria habet, à quibus alia plurima per Europã sita dependent. Hic reperias Cluniacum, Cistertium, Præmonstratum, Magnam Carthusiam, summa Religionum capita. Hinc leges omnibus à prouincijs olim petebantur: huc Italia, Germania, Anglia, Hispaniaque, ad Capitula Generalia celebranda confluebant. At rato apud historicos in Monasterium Gallicum incidas, alteri extra regnum subditum: præsertim si ipsum quoq; caput multorum aliorum (velnti Lerinense) aliquando fuerit. Sed bonum factum. Enim vero cum Lerinum reformationem animo versaret, dextra lęuaq; oculos in Congregationes circumferens, Casinensi potius addicere se voluit, quæ norma, exemplar, & origo Ordinis fuit, quod profectò laudi vertendum iudicamus. Sint aliæ in Gallia & alibi Congregationes religiosissimæ, quod tamen Monasterium Casinensi anteponere se ausit, vbi S.P.N. vitam traduxit: vnde in cœlos abiuit: quod exanime eius corpus excepit: in quo S.Regula condita fuit, nullum inuenio.

SERIES ABBATUM LERINENSIUM AB ANNO MILLESIMO VIGESIMO octauo, vsq; ad annum millesimum quingentesimum decimum quintum.

Amalricus Abbas Lerinensis. Creditur carnis debitum soluisse circa annum Domini 1046.

Aldebertus huius nominis primus, successit Amalrico. Florentissimus sub hoc extitit status Monasterij Lerinensis. 1046.

Aldebertus II. Regularium institutorum religiosissimus obseruator: rexit Monasterium triginta sex annos.

Pontius fortis, egregie & deuote annos octo administrauit. 1102.

Petrus primus huius nominis, peracto quinquennio suæ administrationis carnis debitum soluit. 1110.

Fulco huius nominis primus; quinque annis præfuit. 1115.

Petrus huius nominis secundus, absoluto quinquēnio, pie in Domino obdormiuit. 1120.

Garinus, pacis & concordiæ amator, post septennium regiminis in pace quieuit. 1125.

Fulco II. gubernauit Abbatiam annis 12. 1132.

Hugo anno secundo suæ administrationis vita functus est. 1144.

Raimundus I. Rexit Abbatiam annis 4. 1146.

Raimundus II. de Clauerio. anno vno Prælaturam absoluit. 1150.

Boso præclaris rebus gestis clarus, postquã annos 11. præfuisset, è vita migrauit. 1151.

Raimundus III. cognomento Richardus, sedit annis octo. 1162.

Gaufredus primus, præfuit anno vno. 1170.

Augerius, præfuit Abbatiæ magna cum laude annis vndecim. 1171.

Raimundus IV. de Mosterijs, vix annum in Abbatiæ administratione compleuit. 1182.

Andebertus, anno ne quidem expleto vita excessit. 1183.

Rostagnus primus de Flayosco, administrauit Abbatiam magna cum diligentia & sollicitudine annos duodeuiginti. 1183.

Rostagnus secundus de Muolis in Abbatiæ admi- 1201.

administratione vix annū integrum peregit.

1202. Guillelmus primus de Gordono, rexit Abbatiam annis decem.

1212. Guillelmus secundus de Sclapouo, vir pius & doctus ob celebrem virtutum famam & morum sanctitatem, dignus est habitus, qui ex Abbate in excelsam Gapensis Episc. sedem eueheretur, Abbatiam felicibus per 7. annos rexit auspicijs.

1219. Giraudus Abbas Lerinensis, rexit Abbatiam annis duodecim.

1231. Raimundus V. de Crocis, nouennio in Abbatiæ gubernaculo assedit.

1240. Aldebertus huius nominis tertius, cum Abbatiam annis quatuor, mensibus tribus, gubernasset, seipsum sponte sua à gubernatione remouit.

1244. Aycardus de Torreues, vir tenacissimus regularium institutorum, & profligator vitiorum, rexit Abbatiam annis duodecim.

1256. Bernardus Ayglerius, Monachus professus, & Sacrista Monasterij Sauignianensis, Lugdunensis Diœcesis, sanctissimi Domini Alexandri IV. Papæ Capellanus, vir strenuus & solers in omnibus actionibus suis, Aycardo subrogatur. Abbatiam S. Honorati rexit annos septem, vsque ad annum millesimum ducentesimum sexagesimum tertium, quo tempore Vrbanus quartus, Bernardi sapientia & sanctitate inductus, illum primo Casinatis Collegij regimine, mox etiam sacra purpura decorauit.

1263. Nicolaus Prior de Villamaura successit, Abbatiam tenuit annis octo & obijt Massiliæ.

1271. Petrus de sancto Paulo, huius nominis tertius, rexit Abbatiam annis viginti & quatuor.

1295. Gansselmus de Mayreris Monachus professus Monasterij S. Theofredi in Aluernia, & Abbas ibidem, adiuit Abbatiam Lerinensem, quam cum rexisset annis quatuordecim, bonis operibus plenus, requieuit in pace.

1309. Fulco Planicampi huius nominis tertius, Monachus professus Monasterij sancti Theofredi, tertio sui regiminis anno viuos reliquit.

1312. Hugo Carolus, Prior S. Mariæ de Mosterijs, vitam cum morte commutauit in Curia Romana anno primo suæ electionis.

1313. Nicolaus Auriolus, Monachus professus sancti Victoris Massiliensis, vir rigidus, præfuit vno anno.

1314. Rostagnus de Corneto, huius nominis tertius, Prior S. Antonij de Ianua, die 4. Septembris, eligitur in Abbatem per viam compromissi. vixit in Abbatia annis decem & septem.

Giraudus de Susa, per Ioannem vigesimum secundum electus est Abbas Lerinensis, qui audiens D. Reymundum Clari electum esse per Conuentum Lerinensem, ipsum in Abbatiali administratione dimisit: retenta tamen sibi præeminentia & dignitate Abbatiali, beneficiorumq; collatione. demum peractis annis sedecim in Abbatia vita functus est. 1331.

Bertrandus Furoni Monachus professus, Monasterij Insulæ Barbaræ per Clementem sextum Abbas constituitur; dimisso Guillelmo de Solethatio Priore de Calliano electo per Conuentū Lerinensem. clauum Abbatiæ licet ad id satis esset ineptus tenuit anno vno. 1347.

Guillelmus de Bleuis tertius huius nominis, è vita migrauit tertio decimo anno suæ administrationis. Anno 1351. die quinta mensis Martij, insignis hic Archimandrita celebrauit secundum suum Capitulum generale in sacro Cœnobio insulæ Lerinensis, in præsentia totius Conuentus, & omnium Priorum vel Monachorum. In quo ea quæ pertinent, ad reformationem tam spiritualium, quam temporalium, & quæ videbantur necessaria, & vtilia de consilio, & assensu omnium salubriter statuta & ordinata sunt: quo tempore propter nimiam hominū mortalitatem imminutus est numerus Monachorum. (erant tamen adhuc numero centum & decem.) 1348.

Alziarius Monachus professus, & Camerarius Monasterij Montis maioris Atelatensis ab Innocentio VI. constituitur, dimisso D. Rostagno quarto de Cobrio per Conuentum Lerinensem electo, qui Alziarius post annos quatuor euectus est in Cathedram Episcopalem Glandatensem. 1361.

Ioannes Thornafortis Monachus professus, & Abbas S. Ponrij de Nicea, per SS. D. Vrbanum V. summum Pontificem assumptus est in Abbatiæ Lerinensis administrationem. Anno nono sui regiminis tanquam verus zelator honestatis, & decoris monastici per sua scripta mandauit, & iniunxit Priori sancti Antonij de Ianua membri sui Lerinensis Monasterij; vt præcipiat, & iniungat omnibus Monachis sibi assignatis, & in futurum assignandis, vt in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis de cætero caueant, ne quauis occasione 1365.

præsumant exire septa dicti loci, nisi de licentia Prioris, & induti cucullis seu floccis honestis iuxta ordinem, & ne extra dictum beneficium præsumant missas celebrare, nec pecunias, aut oblationes accipere,& similia; & si quis Monachorū inobediens fuerit, cito curet intimari D. Abbati Lerinensi. Alia plurima præclare magnaque cum laude gessit his triginta quatuor annis, quibus eum sacra Lerinensis Insula Abbatem habere, nec non annis quibus Ecclesia Niciensis meruit possidere Episcopum.

1399. Rostagnus quintus, cognomento Monachi.

1413. Nicolaus,Lerinensis Cœnobij regimenRostagno adhuc vinense capessit, quantum sederit Nicolaus iste non habetur aliquo documento compertum,sicuti & de Rostagno,cuius Cathedræ Abbatialis administrationem constat interpolatam fuisse.

1419. Petrus de Hispania, Episcopus Sabinensis, rituli S. Praxedis Presbiter Cardinalis, supradicto Rostagno deposito, tenuit Abbatiam vno anno, & debitum carnis persoluit.

1420. Gaufredus de Monte electo, Decretorum Doctor, monachus sancti Martini prope Turones, per SS. D. Martinum quintum summum Pontificem constituitur; qui cum esset fons scientiæ, indesinenter adhæsit Conuentui, die noctuque diuinis officijs interfuit, & allegationes perdoctas dictauit pro Monasterio Lerinensi. rexit Abbatiam fœlicissime & sanctissime annis quatuordeuiginti.

Antonius annis 1436. 1441. 1445. præfuit Abbatiæ Lerinensi.

Guillelmus Vayserius circa 1446. constitutus fuit pro Abbatia Lerinensi.

1453. Andreas de Fontana,alias de Placentia Abbas S. Honorati, electus est per Capitulum Lerinense. Celebrauit suum Capitulum primum generale, in quo plus quam centum promulgata fuere statuta celeberrima, tam circa spiritualia quam temporalia, & vere iste Abbas Andreas, quæ prius in sacra Lerina Monachus seminauerat, Abbas creatus recollegit, suisque pascendis ouibus distribuit. denique anno 1464. per sanctissimum in Christo Patrem ac Dominum Pium II. promotus fuit ad Episcopalem dignitatem Cistaricensis Ecclesiæ.

1464. Isnardus de Grassa Episcopus Grassensis, Abbas Lerinensis efficitur; quot annos Abbatiam Lerinensem rexerit, non constat.

Ioannes Andreas de Grimaldis, administratione Abbatiæ Lerinēsis obtinuit. 1491.

Augustinus Grimaldus, præcessori suffectus est in Episcopatus Grassensis,& Abbatiæ Lerinēsis administratione; qui zelo Dei, & amore religionis incensus, in ipsa diuinum cultum, & corruptam monasticæ institutionis disciplinam, ipsumque Monasterium reformandum curauit, supponens illud in perpetuum, & vniens sacræ Congregationi S. Iustinæ de Padua. excessit è viuis anno 1532. 1505.

CAPVT III.

In Monasterium Agaunense aliaque S.P.N. Benedicti Regula infertur.

Monasterij Agaunensis Faustus meminit libello,quo res à S. Mauro gestas, ab obliuione vindicauit. S.P.N. Benedicto nondum nato stetisse,& cum primis Regulam admisisse,certum est. Id quoq, vno ore affirmant omnes, S. Mauritij ac sociorum Martyrum honori ædificatum esse; nimirum vt tali Mausoleo tegerentur. Fortissimam hanc legionem sex millium sexcentorum sexaginta sex bellatorum Maximinianus ferro confecit. Cum enim ducto in Galliam exercitu in finibus Sedunorum pedem fixisset vt Dijs thura daret, Mauritius cum socijs, vt qui frigida hæc Numina non pluris quam pepones facerent ac allia, in vallem quandā montibus Apenninis subiectam, non procul Rhodani fonte, secessit. Cumque armis à tergo incumberent milites Imperatoris, Agaunum sese reduxerunt, cui loco nomen saxa posuere, circumquaque fusa. Nam veteri lingua Gallica Agaunum saxum significat, Beato Renano teste. Rhodanus etiam rupibus hic coërcitus, violentum spumat, indignatus angustias, præcipitia, obices, è quibus æque se euoluit. Cæterum de via fessi in campo consederunt, qui licet non late se explicaret, fontes tamē sitientibus passim propinabat, quippe vicinus ripæ. Renocati à Maximiano in castra,& sacrificio adesse iussi, prius se vltima passuros, responderunt. Tyrannus incensus ira, partem exercitus immisit, ac decimum quemque duci de legione imperauit, vt metu mortis incusso reliquorum constantiam frangeret: atqui spe falsus est. Nam Mauritius in extremum hoc discrimen actos, adeo erexit oratione,& aduersus idola obfirmauit, vt sponte cruciatibus ac morti corpora offerrent. Non tulit contemptum sui sacrilegus Imperator: sed morę impatiens, vniuersum illico exercitum contraxit: ferrum in eos (qui vltro se dabant)

Maximianus sacrificat.

Beat. Renan. l. 3. Germ.

S. Mauritium & socios, impia sacra auersantes, cædit.

bant) expediri,& ad vnum cædi iussit. Dilapsis iterum militibus, incolæ ss. Martyres, toto campo fusos suoque sanguine natantes, sustulere: partem fossis, partem hiatibus rupium cauernisque condiderunt. Hisce ergo tumulis, quos sors obijciebat & obliuioni simul mandati fuerunt, donec benignissimus Deus pacem retulit Ecclesiæ. Sunt qui S. Helenam hic loci templum primum posuisse narrent, quod nos tamen, cum pro comperto non habeamus, in medio relinquimus. At Theodorum quendam Episcopum multo post in ea SS. Martyrum arena propter editissimas alpes sacellum erexisse, certo constat: quod deinde frequentari, ac miraculis percelebrari cœptum est. Sed vt Sancti tanto impensius colerentur, peregrini vero beneuole acciperentur, locus Monachis commissus fuit. Quo anno id factum certatur sententijs. Ferunt plerique Sigismundum Burgundiæ Regem post annum à Christo nato quingentesimum insigne ibi ædificasse Monasterium, quod nos ab eo tantum instauratum credimus. Hanc in sententiam fragmentum nos inuitat eius epistolæ, quam Decanus & Canonici Castri noui in Gallijs ad Philippum Archiepiscopum Coloniensem dederant, cuius tibi copiam ex Surio facimus. *Cum Beatus Martinus cum paucis admodum comitibus sub habitu peregrini Roma egrediens, in mente haberet orare in loco, tanta excolendo reuerentia, in quo tot pro Christo Martyrum millia pretiosum sanguinem effudissent, Agaunum venit, & completa oratione à Monachis (nam Monachi tunc temporis locum possidebant) de reliquijs eorundem Martyrum aliquid sibi deuote donari petijt. Qui personam adumbratam schemate non cognoscentes, & repellentes, dare prorsus renuerunt, non forte charitatis fonte in eis exhausto, sed verentes ne homini incognito & aduena aliquid de tanto credentes thesauro offensam incurrerent, maxime autem Deo, in hac repulsa id providente, vt solem, paupertatis amictum eijcio, occultationis abstersa nube reuelaret, & claritatis eius radios per regiones illius spatia diffunderet, quisque vel quantus esset Martinus, coruscatione mirabili illius partis orbi terra illucesceret. Abiectus igitur ab hominibus Sacerdos, vt semper & hic patientiam amplectens, nihil motus ad diuinum more suo, se contulit præsidium, & ab incolis saltem locum, roseo quondam cruore purpuratum, sibi ostendi obtinuit, vbi flexis genibus, corde & vultu & manibus in cœlum directis, cum summa deuotione Dominatorem terræ & mortis orauit, cui nec capillus de capite nostro perit, vt qui in die nouissimo totam hominis substantiam in ictu oculi reparaturus est, aliquid ex sanguine militum suorum pro gloria nominis sui illic effuso & absorpto, de abyssis terræ, ad laudem suæ maiestatis, & Martyrum honorem, dignaretur refundere. Deinde exempto vagina cultello, altera manu virentis coma graminis comprehensa, mox vt altera in gyro, id est, in modum coronæ cæspitem incisum sustulit: mirum dictu, & inauditum hactenus miraculum! densus ab ipso cæspite copiosi sanguinis imber distillare cœpit. De quo Martinus, quantum diuina largitas contulit, cum summa veneratione & gratiarum actione lætus suscipiens, per vascula, ad hoc de industria facta, dispertiuit, & reditum cum exultatione maturans, cum suis iter arripuit. Sed vt Martinus abiectus, Martinus electus Dei Pontifex appareret, iter quidem inchoare, sed occulta vi quadam prohibitus, promouere non potuit, donec inspiratione secreta voluntatem largitoris intelligens, Agaunum reuersus, quod gestum fuerat, reseraret, & auaros illos Monachos, quot inopes copia faciebat, redarguens, & quis esset aperiens, data parte sanguinis cœlitus adepti, & cultello illis quo cæspitem præciderat, relicto, participes tantæ benedictionis efficeret. Quibus ad hæc tremefactis, & culpam duritiei suæ fatentibus, veniam clementer indulsit.* Miraculum hoc afferre libuit, quod inauditum esset, atque vt appareret quanta reuerentia deberetur solo, quo Monasterij huius fundamenta sunt iacta: simulque eius antiquitas confirmaretur. Nam S. Martinus sæculo integro S. Sigismundum, Burgundiæ Regem, anteiuit: neque Franciæ parebant Burgundiones quando cæsus hic cęspes est.

Guilelm. Valdesan. hist. Thebaa. l. 2. c. 5.

Cruenta arenę monasterium imponitur.

Surius 22. Sept.

S. Martinus frustra reliquias SS. Martyrũ à Monachis petit: demum à nudo cespite impetrat.

Cæterum Burgundiæ regnum, in Comitatum hodie & Ducatum distinctum, potēs quondam fuit, quippe cui Sabaudia, & pars haud exigua Heluetiæ adiectæ erant. Regnauit autem Sigismundus anno quingentesimo decimo, (ac ante quoque) Gondoboldi Burgundiæ Regis filius, connubio iunctus cum Amalaberga, quæ Theodoricum Regem Italiæ sanguine contingebat, ex qua sobolem Siagrum sustulit. Amalaberga fato defuncta, Sigismundus aliam duxit, at sanguine multo inferiorem, quam cum Siagrus mundo muliebri onustam intentis aliquando luminibus spectaret, ac fastum iuuenili ter verbis lacesseret, hem! fœmina ardore ira: meditari vindictam: fraudesque edocta priuigno ferream fabam apud parentem cudere, ac si sceptro claneculum manus admoliretur: patrem exuere vellet regno. Hic captus à fallaci fæmina, vt regnum sibi affirmaret, gnatum è medio sustulit.

Sigismũdus dolo coniugis inductus, occidit filium.

Dolo paullo post deprehenso, vltimi

sceleris se reum, maiorem in modum defleuit. Sunt qui dicunt eum expiandi flagitij causa, Monasterium instaurasse: alij factum aiunt superstite adhuc filio. Vtrum verum sit, non expedio; is tamen posita maiestate in Monasterium secessit, vbi pœnas à se ipse graues sumpsit, perpetuo Numē obtestans, ne merita supplicia differret post vitam, votique compos est factus. Cum enim arma contra Clodomirum, Clodouei & Crotildæ Regum Franciæ maiorem natu filium, capessiuisset, deuictus acie in potestatem hostis vna cum vxore ac liberis venit. Non tamen hic stetit Numinis vindicta, sed victoris iussu in altum puteum eum suis præceps actus est. Æquissimo animo Sigismundus graue hoc supplicium tulit, iustum Dei iudicium extollendo, nec latum id vnguem votis contrarijs declinando. *Pretiosa in conspectu Domini mors hac fuit*, pœnitentia & patientia addentibus pondus. Is enim vt scelus expiatum esse, palam faceret, multis mortalibus salutem impertiuit ob vota, ad sanctum Sigismundum concepta: quem deinde è puteo erutum in hoc Monasterio, in quod criminis eluendi causa se remouerat, quodque amplissimis reditibus auxerat, sepeliuerunt.

Facinus eluit in puteo.

Inde Monasterium magis frequentari, sanctorumque Martyrum lipsana religiosius coli cœperunt. Id vero præterire non debemus, S. Sigismundum hoc in Cœnobio auctorem fuisse, vt Psalmi Choris alternis cantarentur. Nam Clerici, vt ferunt, hoc pensum ante id ore vno ac simul persoluere cōsueuerant, qui mos etiamnum in Ecclesia Lugdunensi Metropolitana durat. Cū igitur Rea (acerbus criminis sui vindex) Monasterio clusus aliquādo feruentius solito incumberet in preces, angelos vocibus suauissimis Psalmos effundere alternis audiuit. Non de nihilo id fieri ratus, quid sibi auditum esset, Abbati suggessit. Hic boni consuluit, & quem deinde modum in choro haberet, cœlitus se edoceri intelligens, angelorum more Psalmos alternatim exigi instituit. Viri graues sunt, qui hæc litteris prodiderunt, vt hæsitare via liceat. Hoc liquido constat, *Laudem*, quam vocant *perennem*, ab ipso in templum fuisse indnctam, Monachis alijs atque alijs, Choro sine mora succedentibus. Rem sic narrat Eucherius Episcopus Lugdunensis apud Surium: *Pro eo ipse die noctuq́, Psalmorum Hymnorumq́ decantatio neu desistit, quod iubente sancto & praclare Christi Martyre Beato Sigismundo Rege institutum, hinc vsque hodie, Deo protegente, est conseruatum.* Sed cum S. Eucherius, Lugdunensis Episcopus, qui pugnam & victoriam Thebææ legionis composuit, ante natum Sigismundum viuere desierit, hæc verba ipsi adscribi non possunt: quam censuram etiam de toto Capite vitæ S. Mauritij non iniuria ferimus. Igitur ab aliquo adiunctam fuisse oportet, cum rebus Monasterij præesset Abbas Ambrosius, qui post hæc tempora vixit. Mille profecto in errores is se induit, qui vitas Sanctorum antiquis ab auctoribus scriptas legit, nec animū ad illas partes aduertit, quas posteri assuerunt, quādoque dextere, sed plerumque sinistre. Qui Eucherio Caput XI. dedit, fere mille ab hinc annis spiritum duxisse videtur, nec secus rem narrat, quam testis oculatus, meretúrque fidem integram. Accedit insuper S. Amatus, huius Monasterij Monachus imprimis, postea Asceterio Montis S. Romarici præfectus. Nam Monasterium sacrarum Virginum ad hanc Chori alterni nomen instituit. *S. Amatus*, inquit Auctor vitæ ipsius apud Surium, *semper deserti loci secretum appetens, in vastis Vosagi spatijs castrū reperit, vbi multas virgines collegit, easque in septem turmas distributas, noctu diuque per vices sine intermissione psallere voluit, ita vt septem duodecim virgines in vnaquaq́ turma essent. Ipse vero in obliqua montis parte cencauum reperiens saxum, angustum illic sibi vni habitaculum construxit.*

Gulielm. Balde. l. 2. c. 7.

Angelos choris alternis psallere audiuit, moremq; imitari voluit monachos.

Sur. vita S. Mauritij 22. sept.

Sur. 13. Septemb.

In Agaunensi Monasterio initiatus Numini & enutritus, morē hunc alternis Choris psallendi vidit, vsurpauit, imbibit: in Parthenona, cuius gerebat curam, transtulit. Si autem octoginta quatuor Virgines satis erant, quæ continuis horis Sponsum psallendo demulcerent, quanto facilius id præstare potuerint Agaunenses Monachi, aliquando trecenti, promptum est. Non te in choro diutius moramur. Quando in Monasterium S. Medardi à Clotario Galliæ Rege ædificatum (in quo etiam condi voluit) nos ferent anni: & in Cabilonense alterum, à Guntamno Rege S. Marcello positū, fundatoris sui pariter nobilis Vrna factum: & in tertium S. Dionysio dicatum, Parisijs fere tribus milliaribus dissitum, Regis Dagoberti opus, ac postea Regum Galliæ commune Mausoleum, tum, inquam, oculis pietatem conditorum subijciemus, qua diligentissime curarunt, vt laudes diuinæ dies noctesque in templis Monasteriorum à se fundatorum, mora nulla interposita, ederentur, id quod vsus Agauni obtinuerat. Nec enim in famam hæc iuere Monasteria, quod eum sacrum pensum persoluerent, alternis versibus incumberent in voces; sed quod Chorus (vti Agauni) nunquam conticesceret.

Perpetua hæc Psalmodia,cõtemplatione ac rigore stipata,multos ante receptam S.P.N. Regulam,ac postea, ad sanctitatis culmẽ hic extulit. Quidam Sigismundum Regem monachis Agaunensibus miscent, quos inter,ducibus antiquis historicis,nõ reperitur, nisi quod eo peccati expiandi gratia se subduxerit. Filius tamen familias S. Seuerinus fuit, quẽ Abbatem Agaunensem appellant, ne cum alio confundant, qui Austriæ facem prætulit,& pręconem Engippum habet. Ille in paucis charus Clodoueo fuit, ab Ecclesia vero 3. Idus Febr. colitur. Albo tamen Ordinis nostri eximendus est,cum ante vixerit, quam S.Maurus ex Italia in Galliam se traiecisset. At S.Ambrosium, Abbatẽ Agaunensem,iure nobis adsciscimus,quẽ nostri quoque historici complexi sunt, & Trithemius inter viros Ordinis S. Benedicti illustres reposuit. Sanctitate & miraculis celebrem Ecclesia Cœlitibus adscripsit,ac veneratur 4. Non.Nouembris. S.Amatũ,Montis S.Romarici Abbatẽ, ex ista domo Dei prodijsse, paulo ante retulimus. Hic clarissimis Sanctis merito adnumeratur,cuius solemnem diem Ecclesia in Idus Septemb. deposuit. Res ab eo gestas nos, vt par est, prolixe dabimus. Monachum insuper Agauni induit S. Wilicarius,cuius egregia facta Adon litteris mãdauit,inter quæ eminet, quod Archiepiscopali sede Viennensi se abdicans,ac mundum bene valere iubens, humili se habitu & angusta cellula abscondetit. Huic Gregorium III. Pont. Max. vsum pallij concessisse refert Anastasius Bibliothecarius, vnde promptũ est deprehẽdere,quo tempore floruerit, videlicet elapsis post Christum natum annis septingentis triginta. Hinc viris clarissimis etiam Altheum Abbatem religiosissimum iuxtaque doctissimum adiungunt, Caroli Magni æqualem,quem nos cum multis alijs alibi in lucem dabimus: nam nunc alio intendimus.

Monasterij Agaunensis decus S. Seuerinus:

S.Ambrosius: *Trithem., de vir. ill. l.3. c. 273.*

S.Amat⁹:

S. Wilicarius: *Adon ad an. 727.*

Altheus.

Monasteria in prouinciarũ confinio sita, vel qua transitus patent, aut viæ publicæ explicantur,plerumq; vertuntur quoties vicini insurgunt in iras & bella gerunt. Agaunum alpibus impositum est propter viam tritissimam,quæ Gallos ducit in Italiam: Italos in Galliã. Quoties igitur hæ duæ nationes classicum canebant, pericula damnaq; subeunda fuere huic Monasterio,præsertim barbaris irrumpentibus. Antequam id instaurauit Sigismundus,Gothi,Wandali,Heruli,Burgundiones, aliæque pestes in exitium Imperij natæ, illas per alpes ruerunt, vt non satis sciamus,quibusnam cladem illatam potissimum impingamus. Postquam opera & munificentia Regis denuo stetit, à Longobardis à fide alienis, totam Italiam partemque Galliæ vastantibus, iterum solo æquatum fuit. Ruderibus suis incubuit, atque cineribus triste bustum, donec aliquot annos post Carolus Magnus cruda hac natione in Italia deuicta triumphataque, monasterium humi solum in pristinum splendorẽ erexit. Quin ipse quoque eo profectus Magistro militiæ sancti Mauritij obedientiam nuncupauit,ad clauum sedente Altheo, cuius paulo ante meminimus. At cum Carolo Magno demortuo, inter nepotes haud conuenitet, singulis bolo maiori inhiantibus ciuilibus bellis iactata Gallia, denuo in cineres ac rudera subsidit. Inter spem & desperationem inde ad annum vsque millesimum decimum quartum iacuit, quo Rudolphus Burgundiæ Rex vna cum coniuge Hermigunda, peregrinatione ad SS. Martyres suscepta, suggerente vrgenteque Burchardo Archiepiscopo Leonensi, haustas incendio ædes iterum excitauit: prædia à sancto Sigismundo addita confirmauit, auxitque; Monachorum magnum numerum imposuit. Nec inde se mouit ante, quam architectis operisque excitis, fundamenta iaci vidisset. Sic breui ad pristinam gloriam redijt, nouaque priuilegia à fundatore nouo accepit. Vnius magni ponderis mentionem facit Munsterus, sibique id à Bartholomæo Sostione Abbate, exhibitum fuisse asserit, quod magnam nobis attulit voluptatem. Recentius tamen nos producemus,quo beneficia exponuntur, quæ domus inclyta Sabaudiæ contulit in hoc Monasterium,cuius Comites (postea Duces) totam hanc alpestrem prouinciam in potestatẽ redegerunt. Cum itaq; scirent suum in decus verti,quicquid Monasterio S. Mauritij dedissent, ac vltro etiã amore in martyrem ferrentur singulari,sumptibus minime pepercerũt. Hinc Numen vicissim multas victorias, titulos, rerumque incrementa cœlitus in hanc stirpem liberalissime effudit. Cęteris autem antecelluit Petrus Comes, cui egregia facta parui Caroli Magni cognomen pepererunt. Cum hostes aliquoties fudisset, vt nomen liberaret Agaunum se tulit: vota persoluit: S. Mauritium ac socios ingentibus donis cumulauit. Sed dona, crede mihi, arctissima vincula sunt, quibus obligati Agaunenses Monachi, non potuerunt euadere, quin Petrum compotem facerent petitionis. Adhuc præ manibus eum habebant annulum, quem sanctus Mauritius digito insertum gestabat,cuiuis gazæ anteponendum. Ambiebat annulum Comes: ægre primum digitis suis detrahebant Monachi: tandem in certa pacta conuentum fuit, vtrisque digna.

Monasterium S. Mauritij æquatum, solo à Lõgobardis, à Carolo Magno erectum:

Iterumq; à Rudolpho Burgundiæ Rege.

Munster. l.3.

Donatio est venatio. Hoc hamo Petrus Comes piscatus est annulum S. Mauritij.

Nam ille pro fide Catholica se deuouit, spopondítq; publicis tabulis, annulum è manu maioris natu Sabandæ gentis nunquã transferendum. Promissis ipse posteriq; in hunc diem steterunt. Tenentur adhuc litteræ, & dum maior natu Sabaudiæ imperium adit, annulum capit. Vertentibus autem annis tantum incrementum hæc in S. Mauritium pietas sumpsit, vt Sabaudię Duces Ordinem Equitum, Gregorio XIII. Pont. Max. approbante, istius Diui titulo & auspicijs instituerint, auctore Emanuele Philiberto, qui primus Ordinis Magister fuit, hocq; decus liberis ac seris nepotibus transmisit, vt tanto ardentius fidem Catholicam, pro qua se Petrus Comes deuouerat, cum Ordinis militibus propugnarent, & Monasterium sancti Mauritij etiam atq; etiam cordi haberent.

CAPVT IV.

Res à S. Marculpho Abbate Nanetensi gestæ.

Childeberto I. regnãte Gallia Marculphum Abbatem habuit, virũ longe celeberrimũ, Baiocasina oriundũ. Hic etsi Hispanis non perinde sit notus, magnum tamen nomen inter Gallos circũfertur, quod eius meritis Reges medeantur strumis. Viri vitam Surius Calendis Maij narrat, quem Trithemius anno sexcentesimo decimo floruisse affirmat. Sed nisi nobis oscitans imposuerit typographus, Trithemius multum à scopo aberrauit. Nam Childebertus, cuius tam frequens in actis huius Sancti fit mentio, annum quingentesimum sexagesimum non excessit. Nec patet rima, qua is nobis Childebertum II. obtrudat pro primo, quando Vltrogoda Regina suas & ipsa partes in historia sancti Marculphi habet, quæ sine dubio coniunx Childeberti I. fuit. Quo anno ad Superos euaserit, equidem ignoro: à me hoc tempore producitur, quo Childebertus vixit, cui adeo in delitijs fuit.

Sur. tom. 7. 1. Maij. Trithem. de vir. ill. l. 3. c. 34.

Ortus igitur nobilissimo sanguine, à teneris artibus liberalibus, tum etiam equestribus institutus, maiorem in modum se litteris sacris dedidit, quarum notitia parta, concionatoris munus obiuit, toto regno in admirationem verso. Neq; enim nuda duntaxat iaciebat verba, sed virtutes auditoribus exemplo præibat: vitia itidem exemplo deflectebat, sed adhuc puero comparatum erat, incumbere in orationes: animo cęlum voluere cum Cœlitibus: voluptates auersari. Ad vitæ sanctitatem ac morum innocentiam impatienter aspiranti, opes, decus, fama, adamantina hæc vincula, quibus pedes implicit⁹ heserat, magno oneri fuere. Quocirca exire statuit, vt mundi quisquilijs euolutus, æthera liber petere valeret. Ergo rebus relictis, fuga se Cõstantiam aufert. Postquam Episcopo mores probauit, ab eodem Numini initiatus fuit. Ornatus iam dignitate noua, nihil antiquius habuit, quam terere proposítũ iter: vestigia imitanda imprimere. Corpore breuis fuit; animum virtus extendit. Hæc inter angelus ei suggerit, Naneti prope Cõstantiam ædificet monasterium: velle Numen vt quamplurimis Monachis præferat facem. Non mora, ad Childebertum Regem tendit; locũ ab angelo sibi designatũ petit, Bono Deo Comite negotium facile conficit. Ingressus templum, quo Rex ipse sacris aderat, angulo inceessit, fusurus preces, sed illico malis genijs obsessi incondítis motibus fluctuare: stridere: exclamare, Marculphum sibi incumbere: supplicia glomerare. Regem admiratio subiuit, quid cũ Marculpho sibi vellent incertũ, donec vir à ministris deprehensus, ipsiq; addnctus fuit. Facile apparuit, eum miseris opẽ ferre posse. Quocirca Rex cũ alijs instare, expelleret humanis corporibus stygios incolas. Ille abnuere imprimis (quod solent Sancti) quasi impar hostibus: postremo victus Childeberti precibus, tum etiam demerendi Regis occasionem cęlitus sibi oblatam ratus, humi se prostrauit ante aram, orandoq; nefandam colluuiem in fugam cõiecit. Childebertum & quotquot miraculũ spectabant, sibi conciliauit. Rogatus à Rege vnde illuc se rulisset? quonam tenderet? quem vitæ modum haberet? De omnibus eum fecit certiorem, maxime quod animo Asceterium moliretur, Nanti ædificandum. Annuit is petitioni, miraculo adhuc in oculis hærente, & quibusdam de suis negotium dedit, vt locũ Marculpho committerent: quo capto Monasterium amplum extruxit, Religionis candidatis quamplurimis mox aduolantibus, quos viri sanctitas & eruditio allexerat. Tum vero iam abolita erat consuetudo priuatas ferre leges in nouis Monasterijs, sed Regula communis vulgata iam per Galliam, opera ac studio sancti Mauri, recipi solebat, cuius gratia Trithemius etiam & Arnoldus Wion virum hunc sanctum Ordini sancti Benedicti adnumerant. Facile apparuit nutu ac beneficio Supremi Numinis erectum id Monasterium fuisse, quando tempore non longo adeo aduentantium redundauit multitudo, vt late patentibus spatijs non caperentur, ideoque condi Cœnobia plura debuerint, per quæ diuiderentur. Discipuli quos altius fama extulit, fuere Romardus Sacerdos, & Helibertus. Magnam enim operam nauarunt Sancto, in tyronibus instituendis.

S. Marculphus nobilis, diues, doctus.

A dæmonib⁹ proditur.

Ædificat Monasterium.

Trithem. l. 3. c. 34. Wion. 25. April.

Vsus in Ordine S. Benedicti obtinuit à S. Regula inuectus, sacro quadraginta dierum ieiunio, acrius in pœnitentiæ opera incumbere. *Licet omni tempore*, inquit sanctus Patriarcha, *vita Monachi Quadragesimæ obseruationem debeat habere, tamen quia paucorum est ista virtus, ideo suademus diebus Quadragesimæ omni puritate vitam suam custodire, id est, omnes pariter negligentias aliorum temporum his diebus sanctis diluere: quod tunc digne fit, si ab omnibus vitijs temperemus: orationi cum fletibus, lectioni & compunctioni cordis, atq; abstinentiæ operam demus. Vnusquisque subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de scurrilitate, & cum spiritualis desiderij gaudio sanctum Pascha expectet.* Mos huic legi in Monasterio Marculphi sedulo gerebatur, ipse vero in quandam insulam, cui Dinoliæ nomen posuere, sub hoc tempus aliquoties secesserat, vt submotis hominibus cum Deo solo agere liceret. Hic ergo paupere conditus mapali dies noctesque legendo, orando, contemplando, esuriendoque trahens, inuidiam dæmonis prouocauit, qui vt fibulã viro affigeret, cultissimæ fœminæ persona sumpta ad eius se cellam tulit, miseros questus ciens, & huc illuc tergum versans, naui se vectam mentita, ægre in terram euasisse, videlicet ventis omnia miscentibus, tabulasque affligentibus. Nec se tamen grauissima tempestate defunctam, effugisse etiam mortem, nisi ipse aliquid annonæ suggereret, ventris ac vitæ stabilimentum. Hæc oculis, hæc vestibus, aqua nõ vera fluentibus, impostor referens, S. Marculphi animum euerberabat: deniq; vt tecto quoq; se acciperet, ea nocte, ne feris obijceretur ærumnosa, scilicet, ductis imo de pectore singultibus obtestabatur. Suboluit hircus S. Marculpho, in hac palæstra militi veterano; cui proinde verba dare difficile erat: quocirca correptum de proximo panem obsignauit cruce, ratus sat magnam materiam fore placandæ fami, si non illuderet ei fœmina, quæ tam supplices manus tenderet: quod si laruam illam subijsset dolorum sator diabolus, non admorsurum. Nec eum fefellit sententia. Namq; adeo trifurciter tartareos dentes in pane hoc exercere noluit, vt cruce, qua imbuebatur, conspecta, è vestigio in fugam se coniecerit. Ille ad agendum Pascha in Monasterium reuersus, factum Monachis retulit; vt stygis insidias vitarent, admonuit.

Regul. cap. 49.

Personam fœminæ sumentē diabolū, deprehendit.

Incredibile autem dictu est, quam compleuerit eius Monasteria fere quotidie venientium, ac nomina dantium multitudo. Ille vigilantissimũ caput circumagebat, omnibus imminens, ne qua pigrum otium, animæ imprimis exitiosum admitterent. Hoc enim hospitio exceptum, illico vitijs vniuersis pandere fores: pacem scindere: neruos vitæ Monasticæ incidere non ignorabat. Sed vt ipse quoque huic pesti poneret obicem, suos perpetuo tenebat lectione, oratione, psalmodia, laboribus in vsum Monasterij, vel commodum aliorum susceptis. Porro vt Asceterijs suis consuleret à litibus, quæ super prædijs ac fortunis intentari solent, Regem conuenire, ac cõfirmationem rerum dono datarum poscere statuit. Iter habebat per saltũ, in quo aulici animum remittebant venatu. Dum canes naribus acres inuia lustra perertant, molossi vero, lælapes, dromades, excussas feras in retia premunt, ecce vagus lepusculus, qua potissimũ via strictos incumbentium venaticorũ dentes exiret incertus, ad S. Marculphum trepidam fugam intendit: eius se toga obducit. Venatores tam bonũ bolum sibi è faucibus ereptum indignati, grauioribus verbis, quam par erat, in virum animaduertunt. Sustinuit hic ne ex insanis redderet insaniores, ideoque demissum auribus lepusculũ, inter spem & metum ambiguum, excussit. At ne impune illi ferrent iniuriam Marculpho factam, simulq; intelligerent quanti is esset apud Superos, Bonus Deus, inuolantium canum pedes cursibus ventos anteeuntes, non secus defixit, quã si altas in terra radices egissent. Elapsum canibus lepusculum quidam è venatoribus, ceteris dicatior in Sanctum, elabi sibi haud permissurus incitat equum, fugienti inhæsurus. Sed dum is sonipede cum obstinato luctatur, solo pariter applauditur: ventrem rumpit: per hiatum intestina profundit. Icti hoc casu alij, sibi veniam, socio salutem etiam atq; etiam à Marculpho petiuere, qui venia supplicibus data, fusus humi ante Maiestatem diuinam, salutem semianimi impetrauit. Suspendunt supercilia singuli, nec iam sunt apud se, obstupefacti duplici miraculo: tandem ad Regem curriculo se corripiunt, qui aduentãti obuiam procedens, vt bene sibi diceret, submisse rogauit. Inde beneuolentissime acceptum, aliquamdiu amãtissime habuit, eius sacerrima verba, quæ faciebat, auidis auribus cum Regina Vltrogoda hauriendo. Demum petitionis cõpotem reddidit, & è complexu dimisit. Vix domum reuertit Marculphus: vix domi pedem priuilegijs instructus fixit, cum vitã ponere, atq; ad Superos succedere à supremo dictatore iussus est. Agenti animam Laudon Constãtiensis Episcopus adfuit præter Monachos. In tumulo quem Nanett subijt, æque miracula patrauit, quam cum luce adhuc frueretur, quę exponeremus, nisi

Lepusculi causâ agit apud canes & venatores.

Martyrol. 2. Maij.

Surius

Surius & Benedictus Romanus fecissent eorum copiam. Vnum tamen silentio præterire non possum, magnum id profecto, atq; haud scio an alijs patratum. Reges Galliæ contactu tollere strumas, summi infimique per Galliam & Hispaniam canunt, ferturq; verissima hæc fama per Europam omnem. Hanc gratiam Regibus concessam à Deo meritis S. Marculphi, fatentur Galli, quem proinde cultu prosequuntur singulari. *Pro certo habetur*, inquit Papirus Masonus, *Regibus Franciæ concessam à Deo gratiam nuda manu sanandi strumas, qua de causa ex omni fere Hispania aduolant petitum hanc salutem. Quod Numen hac eos gratia dignatum sit meritis S. Marculphi, publica vox est. Ideoque Reges vt primum sunt inuncti, Laudunum tendunt, & frequentant templũ huic Diuo sacrum.* S. Audoenus Episcopus, cum aliquando sacra lipsana veneraturus, iter suscepisset in id Monasterium, rogatu Abbatis in locum ea cultiorem extulit: osse vero donatus, thesaurum se accepisse, recte existimauit. Illa vero patriæ asylum fuisse, implicitι morbis solutique facile testarentur.

Papir. Mas. l. 3. in S. Ludou.

ANNVS CHRISTI 559. ANNVS S. BENEDICTI 79.

SS. Leonhardus Abbas Nobiliacensis; & Leonhardus alter, Abbas Vandoperanus, duo Ordinis S. Benedicti decora.

DVo clarissima lumina Ordinis S. Benedicti mensis Nouember fudit; alterum VIII. Idus, alterum VI. Cal. Decembris. Illud Nobiliaco, hoc Vandoperæ præluxit. Galli fuere ambo, qua moribus qua nominibus similes. Ætate eadem vixere: quodque mireris, Nobiliacensis auctore Trithemio, año quingentesimo quinquagesimo nono viuere desijt: Vandoperanus anno eodem, Vincentio Belnacensi teste. Quis igitur non venia dignos censeat eos, qui ambos confundunt, & è duobus vnum conflant? Facta, quæ narrare animus est, vtrumque distinguent.

Trithem. de vir. ill. l. 3. c. 29. Belnacen. l. 21. c. 82.

S. Leonhardus Abbas Nobiliacensis nobilissimis parentibus ortus est, genere enim nonnihil Clodoueum contingebant, qui infantem sacro fonti admouit, cum à S. Remigio Archiepiscopo lustraretur. Viri magni olim futuri specimina admodum puer dedit, captando solitudinem, studendoque Virtuti. Vsus Magistro S. Remigio, adiutusque bona indole, supra ætatem progressus fecit: quocirca Rex patrinus ingenio eius & innocentia captus non modo vsque in delitias amauit, verum etiam in regia officia inuitato optionem fecit, seu castra sequeretur, seu sacras infulas anteponeret, vtrobique honoribus à se cumulatum iri. Sed Numinis amore iam pridem ardens Leonhardus, nullo numero habebat quę mundus in precio ponere consueuit: quin domo se paterna clam proripuit, Lifardum fratrem germanum secum trahens, petitaque Veliensi vrbe, Maximo Eremitæ in disciplinam se dedidere.

Surius 6. Nouemb. Petrus in Catal. l. 10 c. 29. S. Leonhard' Nobiliacẽsis à S. Remigio formatur ad virtutem.

Subijt deinde animum deserti interioris desiderium, quod Eremiticam ægre exerceri posse, sæcularibus vicinis, crebroque interpellantibus, iudicaret. Ergo ad solitudinem aspirabat: nimirum in qua solus degeret, mente cœlo perpetuum inhærens. Decem milliaribus Limogensium vrbe secretum aberat desertum, feris tantummodo tritum. Huc cum paucis penetrauit: excitatoq; vili tugurio, in Numinis cultum & asperam pœnitentiam pariter incubuere. Non potuit syluestri tegmine latere tanta virtus. Nutu igitur Numinis surdi, cæci, claudi, stygio hospite insessi ad virum se ferebant: salutem referebant. Antiquam hanc syluam forte Rex petiuit venandi studio. Regina se comitem addere ausa, sed magno suo malo. Partu enim laborare, eniti, vitaque periclitari cœpit. Medici verso pollice salutem eius conclamare: aulici morti proximam deflere. Visus etiam pusio est spiritum efflaturus, quem vix hauserat. Dum misera hæc tragœdia agitur, ecce ibi Leonhardus se infert: & matrem & paruum gnatum discrimini eximit: versaque scena tristitiam cum lætitia commutat.

In Eremũ se subducit.

Vbi Clodouei Regis sobolẽ cũ matre seruat.

Tanto beneficio affectus Rex maximas opes tam præsenti medico obtulit. Hic autem nõ huius fecit, quippe qui patrias quoque reiecerat, contentus certo spatio, quo Monasterium extenderetur, cui nomen Nobiliaci indidit: an vt grato, ideoque nobili Regis animo, æternum statueret monumentum? Hic plerumq; ætatis extraxit: hic plurimos discipulos conscripsit: hic innumera miracula edidit: ab hoc loco Abbas Nobiliacensis dictus fuit.

Legenti mihi vitam Leonhardi, illico memoriam S. Dominicus de Sylos, Monachus noster, subire solet, cuius meritis catenæ, cõpedes, numellæ, seræ, claustra, quibus miseri homunciones tenebantur, in frustra dissiliebant: captos pedes, manus, lumbos, expediebant: carcerem profundæ specus squalidos reos sponte in lucem emittebant. Nam sanctus Leonhardus & viuus & mortuus in libertatem vinctos restituit, cuius festiuum diem Ecclesia VIII. Idus Nouembris colit.

Martyrol. 6. Nouem.

Vota sibi nuncupātem vinculis eximit.

Cum adhuc degeret inter mortales, magnum nomen in Gallia, Germania, & Britannia apud captiuos fuit, quibus fato defunctus infinita beneficia è cœlo profudit. Quædam digito notare iuuat. Barbaram catenam Vicecomes Limogensis cuderat, vt testatum faceret, humanitatem se exuisse. Hac immani trunco innexa, trepidos reos tenebat non à pedibus, sed à collo, circulo adamantino inserto. Insuper ne locum faceret misericordiæ, pluuijs, niuibus, ardori, frigori (sed verbo vt absoluam) inclementiæ & iniurlis cœli omnibus exposuit. Sic millies subeunda mors erat. Toti prouinciæ infamis catena hæc metum incussit. Quid fit? Capitur aliquando vir bonus, culpaque prorsus vacuus: induitur in dirum hoc supplicium; venit in mentem misero S. Leonhardus, cui dum vult expedire votiua verba, hem, vox faucibus hæret / adeo vitiosus circu'us, inclusum guttur arctauerat. Postquam frustra sliquamdiu hiauit, ex animo preces ad Diuum fudit, oraritque vt sibi ferret opem prius, quam animam in humanum hoc ferrum comprimeret. Si ne mora cœlo demeat Sanctus, candidam stolam referens: catenam adimit ornati, simulque dat negotium vt sublatam in humeros, suam in templum vectet: pro ara suspendat. Dictum: factum. Cumulauit miraculum dum non sensit baiulus aliquid oneris subiectis lacertis incumbere.

Profundo barathro sepultū, producit in lucem.

Diuersa in studia factionesque abiuerant Limogenses. Mox nobiles correptis armis sociarunt vires: collatis sæpe pedibus initi conflictus, quibusdam cæsis: aliis captis. Cæterum fama prouinciam omnem tenebat, fabros aerem verberare cudendo vincula quibus corpora indantur, inuito S. Leonhardo. Tam facile ab hoc rumpi, quam mollem ceram. Potitus quidam ioi. mico, id operam dedit, vt vim Leonhardi propulsaret. Huius gratia egesta plurima terra, demisit eum in barathrum, cippo ac manicis attentum, catenaque trilli circumseptum. Os insuper oefandi barathri rigido ferro obfirmauit: nec ferro satis fidens, excubias addidit, ne qua elaberetur crudelitate ab ipsa sepultus. Quid faceret vndique captiuus? Sensit linguam solam sibi esse liberam. Hanc igitur bonis verbis instruxit: Diuum in vota vocauit: nec verba perdidit. Nam cœlo delapsus ferri pondus, quod hiatui incumbebat, vigilibus imposuit ita quidem vt premerentur, nō opprimerentur: tum in profundam caueam se demittens, iam luce perquam splendide inundantem, vestigia, palmas, lumbos, opem suam implorantis expediuit: hominem totū è barathro eruit: bonis auibus abire iussit. Barbarus facinus impune tulit barbarus hic, præter morem. Alias graues pænas ab illis sumpsit, qui pietati eius pessulum obuolnere sunt ausi. Item suscepta quidam ad S. Leonhardum peregrinatione, per Auernos iter habens, captus est, etsi nō commisisset, propter quod in vincula offerret manus. Attonitus ille, ac aures lictorum veris querelis occupans, ad Sanctum Leonhardum enimuero se tendere, clamat: si crimen sit, non alterius sibi conscium esse: ratus nihil contra Sanctum Leonhardum susuros. At surdis cecinit fabulam. Statuit Castelli præfectus hominem exterum enecare fame, nisi lytro grandi se exemisset: S. Leonhardus clientis causam ad se pertinere ducens, præfecto se per quietem obiecit: vt suum clientem vinculis implicitum, cui vim contra fas attulisset, missum faceret, in mandatis obstinato dedit. Hic ea ad milites relata, somnia narrare visus est, Diuique mandatum in risum vertit. Secunda vice apparuit ignauo: fuit idem. Noluit vltra aquam à pumice petere captiuorum Patronus, sed carceri succedens libertate clientem suum donauit: ac vltionem sustinuit tam din, dum is excessit: inde dimidium castelli impulsum, grauissimo casu bonam militum partem, (nimirum mali consilij auctores) oppressit: nec præfectus euasit, sed cruribus fractis pœnas dedit, quod potius impia militibus quam Superis morem gessisset, hæsitque viro perpetua tyrannidis, & contempti S. Leonhardi nota. Sed Lybicas numeramus arenas, dum huius serui Dei miracula sigillatim narramus. Qui vitam eius composuit, *Quotidie*, inquit, *miracula ad sepulchrum S. Leonhardi fiunt, quæ magno documento sunt, alto loco in cœlo collocatum esse. Videas ibi ferrea vincula quamplurima: insuper machæras & hastas, ab ijs suspensas, qui eius ope salutem è prœlio retulerunt. Si quis vero catenarum, manicarum, compedum, ibidem pendentium inire numerum velit, fert operam lusam. Qui tamen hæc vincula vndique suspensa suis ipsimet oculis vsurpant, non modo non dubitant, sed fidem miraculis etiam firmiorem adhibent. Eum profecto, qui tam antiqua S. Leonhardi miracula, quam hodierna memorare voluerit, tempus ante materiam defecerit.* Non ergo moliamur id, quod fieri nequit. Admonendus autem nobis ea Lector, Nobiliacense nomen, duo ferre Monasteria. Alterum in Episcopatu Limogensi situm esse, cui Sanctus Leonhardus noster præfuit, cuiusq; Greg. VII. Pontifex Max. Epistolis Decretalibus meminit. Alterum tenere Belgiū, nō procul

Pœnas illi persoluunt, qui clientem ipsius per nefas ceperant, & detinuerant.

Greg. VII. Tom. 3. Epist. 73.

Atrebato dissitum, & instar surculi amplissimo S. Vedasti Monasterio insitum, quod anno sexcentesimo nonagesimo calamum nostrum fatigabit.

Sur. 3. Iun. S. Leonhardo adiungimus S. Lifardum, fratrem germanum, eodem tempore clarum: moribus plane similem. A pueritia liberalibus artibus, tum vero scientijs grauioribus imbutus fuit. Ius ciuile tamen auidius imbibit, cuius cognitione cum inclaruisset etiamnum iuuenis, eum Arelatum, nobilis vrbs, Iudicē renunciauit; quo munere ad vnguem æqui bonique functus est. Oris, oculis, fronti, ingens decus, & comitate condita grauitas insidebat. In congressibus affabilis: in tribunali integer, quem nec pilum latum à iusto quis dimouere potuisset. Vnde omnium laudibus tollebatur. At ciuibus hunc in modum applaudentibus, Deus Opt. cælestium ei rerum ardens desiderium iniecit, vt paullo post vrbem fastidiret, ac orbem.

S. Lifardus sedē in Eremo figit. Igitur è tribunali se excutiens, ac ciuibus valere iussis, Numini se dedicauit; iamque in Clericorum ordinem redactus, aliquid oneris se posuisse sensit, at nondum exuisse mundum etiam, quem oculis, quem manibus adhuc contingeret. Quocirca auidus solitudinis & contemplationis, in Magdunum, vicinum Arelato montem, secessit: parte secretiore, cellam sibi socioque composuit, vbi longam famem, longas vigilias duxit, nihil penitus cutiolæ indulgens. Tertio quoque die panem cœnitabat hordeaceum, & libabat purum latice m. Corpus cilicio contegebat, quod habitum abiectum & asperum Monacho conuenire putaret.

Hic memoriam S. Maurus subit, quem proprium victus & vestitus modum habuisse, præsertim sacro quadraginta dierū ieiunio, iam pridem ostendimus. Videlicet non procul Arelato habitabat, vt facile in animum inducam, vicinum Lifardum inde exemplar petiuisse. Refert enim vitæ eius auctor, vti sæculis adhuc sæculares alios bonitate superasset, ita iam Monachum in eo summum studium posuisse, vt Monachorum sanctissimorum vestigia premeret. Cū igitur in proximo degerit S. Maurus; hic vero ad eandem normam vitæ suæ rationes dirigendo, illum imitatus sit vero nobis simillimum fit, non alio magistro

Trith. de viris illust. l. 3. c. 164. vsum fuisse. Præterea Trithemius vir grauis, viros eum inter illustres Ordinis S. Benedicti hisce annis producit. Tempus, locus, & hoc genus adiuncta alia, nobis non immerito fidem fecerint. Non tamen inter Monachos Ordinis nostri censemus monte ac Eremitorio, adhuc reconditum, sed postquam in lucem effusus, Monasterium excitauit: Monachi ad ipsum confluxerunt: & Monastica vita pro Eremitica curæ fuit. Adhæc multi à principio normam Eremiticam complexi (veluti S. Benedictus) aduolantibus deinde sociis, fama sanctitatis excitis, condito Monasterio vitam Cœnobiticam seu communem instituerūt, capta Regula ad quam victum, vestitum, Psalmodiam, ceteraque componerent. Cū autem Regula S. Benedicti per Galliam opera S. Mauri iam tum fuerit vulgata, & plurimo calculo probata, Lifardus profecto aliunde petiuisse id credendus haud est quod in promptu erat.

Res gestas ab hoc Sancto vestiganti, multa mirarula obuiam se tulerunt: at nos hæc plerumq; silentio præterire solemus, quod virtutes longe anteponamus famę, per prodigia natæ. Accedit, calamum nostrum tantum pelagus exhaurire non posse. Si tamen aliquid insit noui: vel habeat, vnde Lector suos fingat mores, non sic abire sinimus. Serpentum, draconum, tragicorum rasuum, quibus animi percelluntur potius, quam erigantur, parua omnino cura nos tenet. Ita non multum curamus, spatiosum draconem morsu & veneno sana omnia corrumpentem, vi S. Lifardi concrepuisse, vt ventre toto dehiscens, solo exanimis tenderetur. Nec dubium id, quod nunc sub manum est, pluris æstimari debere videlicet. Theodemiro, Miriacensis Monasterij Antistiti, graues se morbi insinuauerant; nec fregerunt tantummodo virum, sed præterea ad mortem egerunt. De sorte vicini certior à Deo factus Lifardus, in viam se cum locio Monacho conijcit, delatusque ad Cœnobij fores, integrum cælestium Geniorum agmen conspicit, seduloque obsequio Theodemiri animam triumphali pompa ad Superos euehentium, ambrosiis faucibus hunc in Versum salutis: *Beatus quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit in atrijs tuis.* Itaque cito gradu contendens in cellam, in qua Theodemirus viuere desierat, reperit circum funus prouolutos Monachos, Abbati suo lachrymis & precibus parentantes. Illas abstersit, quid sibi visum esset, exponendo. Quo deinde modo Antistitem alium sibi legerent, edocuit. Coacto igitur cœtu, votis ac sententiis in S. Maximum, Theodemiri demortui cognatum, itum est. Rebus sic compositis, Lifardus se in suam cellam retulit, quo eum multi Monachi confluxissent, Monasterium instituit non modo à Monachis copiosum, sed etiam ab incolarum sanctitate toto Magdunensi agro celebre.

Draconē inhiantē toto solo porrigit.

Theodemirū ad Superos abire videt.

Condit Monasterium.

Patris

Patris ac Antistitis officio ipsemet functus est. Creditur S. Regulam ritusque Monasticos à S.Mauro accepisse. Miraculis, quæ frequentia patrabat, totam sibi prouinciam adiunxit, præsertim Marcum Episcopum Arelatensem, à quo sacerdotio inauguratus fuit. Sanctis exercitiis incumbentem mors occupauit. Immo oppetendam sibi esse, discipulis ante denunciauerat; pariter filum de vita perfecta deducens, asperitatem, rigoremque audientibus inculcauit, tanquam præsens & vnicum remedium religiosæ disciplinæ. Denique iisdem in mandatis dedit, vt Vrbitium, veterem commilitonem, sibi demortuo sufficerent. Nemo non ægre eius lethum tulit; Marcus verò Episcopus ocyus aduolans, iusta amico cum Monachis persoluit, facilibus lachrymis per genas deuolutis: tum vero nouum Abbatem à S.Lifardo designatum, & à Conuentu lectum, renunciauit. Tumuloque quoque conditus, multa admiranda patranit, vt merito ab Ecclesia in SS.fastos sit relatus.

Martyrol. 3.Iunij.

Leonardum alterum Abbatem quidam faciunt Corbinianensem: alij Vandoperanum. Qui res eius composuerunt, nulla maiorum mentione facta, nobilitatem eius à virtutibus petunt, quibus in sui amorem totam viciniam conuertit. Vitam non procul vrbe degebat, quam vulgo Mans appellant. Primis annis Eremitam egit, sed vbi morbos depellere, aliaque admiranda edere cœpit, totis vrbibus, vel salutis poscendæ, vel viri visendi studio, ruebant in Eremum, vt illis prope vacuis, hæc multitudine nataret: vnde mussauit inuidia, Eremicolâ mobile vulgus in suas partes trahere: moliri factionem aduersus Clotarium, eam regni partem cum imperio tenentem. Etiam regias aures quidam hoc mendacio imbuerant: atque vt principiis obstaret hortati sunt. Noua nemini non suspecta esse debere. Clotarius non modo bibulas aures susurronibus dedit, verum etiam fidem adhibuit; nec cunctandum ratus, donec proximus arderet Vealegon: ideoque expeditam manum in desertū dimisit, quæ Leonardum tugutio exutum proscriberet patria: multitudinem vero dissiparet. Nou mora, pedes rapiunt in Eremum: petunt Eremitam: occupant concionautem: auditores vero circumfusos vident inermes: homines à fraude alienos, à factione nudos. Ergo domum se referunt: quam grauiter maledici plagiarij impoluerint Regi, eundem docent, qui mox virum sanctum tam fœdi criminis suspicione absoluit: Monasterium ipsius multis donis affecit. Sanctus

Vincent. L.21.c.22.

Martyrol. 26.Nou. Trith. l.3. c.41.

S. Leonhardus Vandoperanus haud ægre fert grauissimam calumniam.

calumnia liber, omni cura, ut prius, virtutes religiosas exercet, crebra miracula patrat, simillima, quæ paullo ante nos de S.Leonhardo Abbate Nobiliacēsi attulimus. Hine aliqui Historicorum sumpsere ansam duos Leonhardos conflandi in vnum. Quod S. Germanum Parisiensem & S. Domnolum Cenomanensem dissidentes composuerit, vel fabulam puta; vel aliorum nominum Episcopos fuisse crede. Postremo eam mortem subijt, quam viuendo meruit, hoc est, sanctam, gloriæ plenam: clarus etiam miraculis à sepulchro editis. Ferunt regnante Chilperico duos cæcos lumina ibi recepisse. Quædam Martyrologia eius nomen ac festum vicesimo sexto Nouembris die celebrant.

ANNVS CHRISTI 560. ANNVS S. BENEDICTI 80.

Promuntur aliquot illustres Viri Italiæ.

Sparsi hactenus per Galliam tot insignia Monasteria, tot Sanctos Monachos adiuimus, vt gratissimis spectaculis retenti, steterimus immemores Casini montis, totiusque Italiæ. Tandem anno quingentesimo sexagesimo, quo Sanctus Constantinus II. Abbas Casinensis diem obijt, referimus gradum. Inde suffragiis latis, exijt de vrna S.Simplicius S. P. N. Benedicti discipulus, innocentia morum ac litteris clarus. Tanti refert à quo instituaris. Regulam nostri Patris carmine celebrauit, quæ tum mirifice propagabatur, omnibus passim prouinciis obuiis eam manibus excipientibus, ad quod is non paruum momentum contulit. Verum Ecclesia ob singularem sanctitatem Cœlitum Albo inseruit: quem Casinenses vt demortuum ornarent, ad pedes S. Benedicti & S. Scholasticæ depoluerunt. Anno certe millesimo sexagesimo sexto, cum Desiderius Abbas (quem postea Victorem III.dixere) S. P. Nostri sororisque eius sepulchrum reperisset, hem ad pedes SS. Constantinum Secundum Abbatem, Simpliciumque tertium, & Carolomannum, Pipini Regis Franciæ fratrem, deprehendit. Sed hanc inuentionis historiam in suum locum differimus. Hac ætate multi è discipulis S. Benedicti Italiam nobilitarunt. Quosdam in lucem iam produximus: aliis iam inijciemus manum. Et quidem plurimos ante ora nobis sistit D.Gregorius, qui Sanctos Patres Italiam hoc sæculo illustrantes, quatuor Dialogo-

S. Simplicius renunciatur Montis Casini Abbas.

Leo Ostiensis.li.1. c.2.

Petr. Diac.de SS.Casinens.c.5.

Trith. l.3. c.10. VVion.29. Martij.

rum Libris excepit, quorum Secundus à capite ad calcem in vita & miraculis S. Benedicti consumitur: cæteris tribus Monachi D. Benedicti Sanctis Episcopis, Sacerdotibus, Eremitis, eo tempore celebratis, miscentur. Libet aliquos è nostris huc adducere, ac primus quidem S. Libertinus esto, grandis æui Senex. Nam ad Gothorum vsque regnum durauit: nec tum quidem è vita statim excessit. Cæterum discipulus S. Honorati fuit, qui in Fundensi Monasterio fere ducentis Monachis ius dicebat. Vertentibus annis, Totila rerum potiente, Præposituram illius loci obiuit, Diuoque Gregorio & Petro Aquilinio de se loquendi scribendique ansam præbuit. Sanctus Honoratus quidem, ne te fugiat, Ordinem nostrum professus haud est, citius extinctus quam dare nomen potuisset. Idem de Libertino crede, ductu & auspicio Sancti Honorati adhuc militantem. Qui proinde eum nobis vindicant, illius temporis ducunt rationem, quo Italiæ Monasteria, legibus priuatis dimissis, Regulam Sancti Benedicti, summo prudentia conceptam, ac teste D. Gregorio, *discretione præcipuam*, complexa sunt. Sed calamum nostrum suspendamus, verbisque huius Pontificis Maximi, quædam S. Libertini miracula referamus.

D. Greg. l. 1. c. 2. Petr. Aquil. l. 11. c. 91.

VVion. l. 3. app. lit. L.

In prouincia Samnia pro vtilitate Monasterij carpebat iter. Dumq; Darida Gothorum Dux cũ exercitu in locum eundem venisset, Dei seruum ex caballo, quo sedebat, ab hominibus eius proiectum est, qui iumenti perditi damna ferens libenter, etiam flagellum quod tenebat, diripientibus obtulit, dicens: tollite vt habeatis. qualiter hoc iumentum minare valeatis. Quibus dictis protinus se in orationem dedit. Cursu autem rapido prædicti ducis exercitus peruenit ad fluuium qui vocatur Vulturnus, ibique equos suos cœperunt singuli hastilis tundere, & calcaribus cruentare: sed tamen equi verberibus casi, calcaribus cruentati fatigari poterant, moueri non poterant: sicque aquam fluminis tangere, quasi mortale præcipitium pertimescebant. Cumque diu cædendo sessores singuli fatigarentur, vnus eorum intulit, quia ex culpa, quã seruo Dei fecerant in via, illa sui itineris dispendia tolerabant. Qui statim reuersi post se, Libertinum repetiunt in oratione prostratum: cui cum dicerẽt, surge, tolle caballum tuum: ille respondit: ite cum bono: ego caballo opus non habeo. Descendentes vero inuitum eum in caballum, de quo deposuerant, leuauerunt, & protinus abscesserunt, quorum equi tanto cursu illud, quod prius non poterant transire flumen, transierunt, ac si ille fluminis alueus aquam non haberet.

S. Libertinus hostium sistit equos.

Item de Monasterio præfati viri, famuli Dei, rumor exierat, quod pecuniæ multas haberet. Ingressi Oratorium Franci, qui in Campaniæ partes venerant, cœperunt sæuientes Libertinum quærere: Libertinum clamare, vbi in oratione prostratus ille iacebat. Mira valde res! quærentes sæuientesque Franci, ingredientes in ipsum impingebant, & ipsum videre non poterant, sicque à Monasterio sunt vacui reuersi.

Auri famæ labo- ... rantes excæcati.

Alio quoque tempore pro causa Monasterij, Abbatis iussu qui Honorato eius Magistro successerat, Rauennam pergebat. Pro amore vero eiusdem venerabilis Honorati quocunque Libertinus ibat, eius semper caligulã in sinu portare consueuerat. Itaque dum pergeret, accidit vt quadam mulier extincti filij corpusculum ferret; quæ dum seruum Dei fuisset intuita, amore filij succensa, iumentum eius per frenum tenuit, atque cum iuramento dixit: nullatenus recedes, nisi filium meum suscitaueris. at ille musitatum habens tale miraculum, expauit petitione illius. Iuramenta mulieris declinare voluit, sed nequaquam praualens, animo bissit. Considerare libet quale quantumque certamen in eius pectore fuerit. Ibi quippe pugnabant inter se humilitas sonnersat. ouu, ac pietas matris: timor ne insitata præsumeret. dolor ne orbatæ matri non subueniret. Sed ad maiorem Dei gloriam, vicit pietas illud pectus virtutis, quod ideo fuit validum, quia victum. Virtutis enim pectus non esset, si hoc pietas non vicisset. Itaque descendit, genua flexit, ad cælum manus tetendit: caligulã de sinu protulit, & super extincti pueri pectus posuit: quo orante anima pueri ad corpus rediit, quem manu comprehendit, ac flenti matri viuentem reddidit. Animas corpore elapsas posse è fuga retrohere, & in corpus iterato compingere, summe inter miracula semper habitũ fuit; ex quo etiam Libertini sanctitatem æstimare licet.

Exactam puero vitam restituit.

At ego virtutem patientia, inquit D. Gregorius, *tanti Patris signo & miraculis maiorem credo. Quadam namque die is, qui post venerabilis Honorati exitum Monasterij regimen tenebat, contra eundem venerabilem Libertinum graui iracundia exarsit, ita vt eum manibus caderet. Et quia virgã, qua eũ ferire posset, minime inuenit, comprehenso scabello suppedaneo, faciem ei ac caput tutudit, totumque illius vultum tumentem ac liuidum reddidit, qui vehementer casus, ad stratum proprium recessit tacitus. Die vero altera erat pro vtilitate Monasterij causa constituta. Expletis igitur hymnis matutinalibus, Libertinus ad lectum Abbatis venit: orationem sibi humiliter petiit. Sciens vero ille, quantum à cunctis honoraretur, quantumque diligeretur, pro iniuria quam ei ingesserat, recedere eum à Monasterio velle putabat, atque requisiuit, dicens: Quo vis pergis? ille respondit: Monasterij causa constituta est, Pater, quam declinare nequeo; quia hesterno die me hodie iturum promisi: illuc iro dispositus. Tunc ille à fundo cordis considerans*

Ibidem.

Par pari non refert.

asperi-

asperitatem & duritiam suam: humilitatem ac mansuetudinem Libertini, ex lecto prosiliit: pedes Libertini tenuit: se peccasse, seque reum esse testatus est, qui tanto talique viro contumeliam facere præsumpsisset. At contra Libertinus sese in terram prosternens, eiusque pedibus prouolutus sua culpa non illius sæuitia fuisse, referebat quod pertulerat. Sicque actum est, vt ad magnam mansuetudinē perduceretur Pater, & humilitas discipuli magistra fieret Magistri. Cumque pro vtilitate Monasterij ad constitutionem causa egressus fuisset, multi viri noti ac nobiles, qui eum valde honorabant, vehementer admirati, soliciti requirebant quidnam hoc esset? quod tam tumentem ac liuidam haberet faciem? Quibus ille dicebat; hesterno die sero, peccatis meis exigentibus, in scabello suppedaneo impegi, atque hoc pertuli. Sicque vir Sanctus seruans in pectore honorem veritatis & magistri, nec Patris prodebat vitium: nec falsitatis incurrebat peccatum.

Magnum quoque argumentū famæ hac ætate S. Eleutherius, ad S. Marci Euangelistæ Abbas, præbuit. Magna ei cum D. Gregorio familiaritas intercesserat, antequam summo Ecclesiæ fastigio impositus fuit. Tum nimirum cum degeret Romæ in S. Andreæ Monasterio, liceretque amicorum officia obire. Sed nolo verba nostra sufficere verbis Pontificis. Eleutherius, inquit, Pater Monasterij Beati Euangelistæ Marci, quod in Spoletanæ vrbis pomeriis situm est, diu mecum est in hac vrbe in meo Monasterio conuersatus, ibique defunctus est, quem sui discipuli referebant plorando mortuum suscitasse. Vir autem tanta simplicitatis erat & compunctionis, vt dubium non esset, quod illæ lachrymæ ex tam humili simplicique mente editæ apud Omnipotentem Deum multa obtinere potuissent. Huius ego aliquod miraculum narrabo, quod requisitus mihi simpliciter & ipse fatebatur. Quadam namque die dum iter carperet, facto vespere cum ad secedendum locus deesset, in Monasterium Virginum deuenit, in quo quidam puer paruulus erat, quem malignus spiritus omni nocte vexare consueuerat. Sed Sanctimoniales fœminæ vt virum Dei susceperunt, eum rogauerunt dicentes: tecum, Pater, hac nocte puer iste maneat. Quem ipse benigne suscepit, secumque eum nocte eadem iacere permisit. Facto autem mane, cœperunt Sanctimoniales fœminæ eundem Patrem vigilanter inquirere, si quidem puer, quem dederant, nocte eadem fecisset? Qui miratus quod ista requirerent, respondit, nihil. Tunc illæ eiusdem pueri insinuarunt causam, & quod malignus spiritus nulla ab eo nocte recederet, indicauerunt, summopere rogantes, vt hunc secum ad Monasterium tolleret, quia iam vexationem illius videre ipsæ non possent. Consensit senex, puerum ad Monasterium duxit, qui cum multo tempore in Monasterio fuisset, atque ad hunc antiquus hostis accedere minime præsumpsisset, eiusdem senis animus de salute pueri immoderatius per lætitiam tactus est. Nam coram positis Fratribus dixit: Fratres, diabolus ibi cum illis sororibus iocabatur. At vero vbi ad seruos Dei ventū est, ad hunc puerum accedere nō præsumpsit. Postquam vocem emisit, hora eadem ac momentō, idem puer coram cunctis Fratribus diabolo se inuadente vexatus est: quo viso senex se protinus in lamentum dedit, quem dum lugentem diu Fratres consolari voluissent, respondit dicens: Credite mihi, quia in nullius vestrum ore hodie panis ingreditur, nisi puer iste à dæmonio fuerit ereptus. Tunc se in orationem cū cunctis Fratribus strauit, & cousque oratum est, quousque puer à vexatione sanaretur. Crediderim hunc dæmonculum illius fuisse generis, quod non eijcitur nisi in oratione ac ieiunio.

D. Greg. l. 3. Dial. c. 33. S. Eleutherius dæmonem abstinere cogit a puero.

Iuuat vehementer miraculum sequens recensere, cui etiam ipse S. Gregorius admiscetur, paulo post calamum nostrum occupaturus. Eleutherij oratio, inquit, quantæ virtutis esset in memetipso expertus sum. Nam cum quodam tempore in Monasterio positus incisionem vitalium paterer, crebrisque angustiis per horarum momenta ad exitū propinquarem, quam medici molestiam græco eloquio Syncopen vocant, & nisi me frequenter Fratres cibo reficerent, vitalis mihi spiritus funditus intercidi videretur. Paschalis superuenit dies, & cū in sacratissimo Sabbato, in quo omnes & paruuli pueri ieiunant, ego ieiunare non possem, cœpi plus mœrore quam infirmitate deficere. Sed tristis animus consilium citius inuenit, vt eundem virū Dei secreto in Oratorium ducerem; eumque peterem, quatenus mihi die illo virtus ad ieiunandum daretur, suis apud Omnipotentem Dominū precibus obtineret, quod & factum est. Nam mox vt Oratoriū ingressi sumus, humiliter sese cum lachrymis in orationē dedit, & post paululū completa oratione exiit, & ad vocem benedictionis illius virtutem tantam meus stomachus accepit, vt mihi funditus à memoria tolleretur cibus & ægritudo. Cœpi mirari quis essem, & quis fuerim? Quia & cū ad animum redibat infirmitas, nihil in me ex his quæ meminueram, recognoscebam: cumque in dispositione Monasterij mens occupata fuisset, obliuiscebar funditus ægritudinis meæ. Si vero rediret ægritudo ad memoriam, cum tam fortem me esse sentirem, mirabar, si non comedissem: qui ad vesperam veniens, tanta me fortitudinis inueni, vt si voluissem ieiunium vsque ad diem alterum transferre potuissem.

D. Gregorio stomachum cōfirmat.

Idem Magnus Gregor. ad fratrē eius digrediens, Eleutherius senex, inquit, in Monast. suo germanū fratrem Ioannem se habuisse perhibuit, qui ante dies XIV. suum fratribus exitum prædixit. Cumque decrescētes quotidie cōputaret dies, triduum ante quam vocaretur ex corpore

Greg. l. 4. c. 35. Eius frater lætus astra petiit, comitemque versum Monachū vocat

febri correptus est. Ad horam vero mortis veniens, mysterium Dominici corporis & sanguinis accepit, vocatisque Fratribus coram se psallere præcepit, quibus tamen antiphonam per semetipsum de semetipso imposuit, dicens: Aperite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas confitebor Domino. Hæc porta Domini: iusti intrabunt per eam. Cumque coram eo assistentes Fratres psallerent, emissa subito & producta voce clamauit dicens: Vrse veni. Quod mox vt dixit, eductus è corpore mortalem vitam finiuit. Mirati sunt Fratres, quia hoc quod moriens frater clamauerat, ignorabant. Quarto autem die quiddam Fratribus necessarium fuit, vt ad Monasterium aliud, positum longe transmitterent. Illuc ergo euntes Fratres, omnes eiusdem Monasterij Monachos tristes vehementer inuenerunt. Quibus cum dicerent; quid habetis quod vos in tanto mærore deprimitis? Responderunt dicentes: loci huius desolationem gemimus quia vnus frater, cuius nos vita in hoc Monasterio continebat, hodie quartus est dies, quod ex hac luce subtractus est. Cumque Fratres qui venerant studiose inquirerent, qualiter dictus fuisset? Responderunt, Vrsus. Qui vocationis eius horam subtiliter inquirentes, ipso eum momento cognouerunt exiisse de corpore, quo per Iohannem, qui apud eos defunctus est, fuerat vocatus. Fuit igitur S. Eleutherius etiam à discipulis clarus; at Iohannes cæteris palmam præripuit. Inter miracula primum locum apud homines obtinet, vita defunctis vitam reddere: S. Eleutherius D. Gregorio teste, reddidit, vt tanto maiorem in admirationem te merita eius rapiant. Ætate fessus confectusque ad Superos abiuit, celebri memoria sui Italiæ relicta, & à Volaterrano inter claros huius gentis Sanctos: à Trithemio inter illustres viros Ordinis S Benedicti recensetur: ab Ecclesia denique Cœlicum albo ad VIII. Id Septembris illatus est.

Volater. l. 21.

Trith. l. 3. c. 17.

Martyrol. 6 Sept. D. Greg. l. 3. c. 15.

Stant etiam circumfusi alij. è quibus SS. Eutychium & Florentium præterire absque iniuria non possumus, quos sic depinxit Gregorius Magnus. Eodem tempore in Nursinæ partib. prouinciæ duo viri in vita atque in habitu sanctæ conuersationis habitabant. quorum vnus Eutychius, alter vero Florentius dicebatur. Eutychius in spirituali zelo atque feruore virtutis se exercuerat, multorumque animas ad Deum perducere, exhortando satagebat. Florentius vero simplicitati atque orationi deditam ducebat vitam. Non longe autem erat Monasterium, quod rectoris sui morte erat destitutum, ex quo sibi Monachi eundem Eutychium præesse voluerunt, qui eorum precibus acquiescens, multis annis Monasterium rexit, discipulorumque animas in studio sanctæ conuersationis exercuit. Ac ne Oratorium in quo prius habitauerat, solum remanere potuisset, illic venerabilem virum Florentium reliquit, in quo dum solus habitaret, die quadam sese in orationem dedit, atque ab Omnipotenti Deo petijt, vt ei illic ad habitandum aliquod solatium donare dignaretur; qui mox vt impleuit orationem, oratorium egressus, ante fores vrsum reperit stantem, qui dum ad terram caput deprimeret, nihilque feritatis in suis motibus demonstraret, aperte dabat intelligi, quod ad viri Dei obsequium venisset, quod vir quoque Domini protinus agnouit. Et quia in eadem cella quatuor aut quinque pecudes remanserant, quibus omnino deerat qui pasceret & custodiret, eidem vrso præcepit dicens: vade, atque oues has ad pastum eijce: ad horam vero sextam reuertere. Cœpit itaque hoc indesinenter agere. Cum vir Domini ieiunare volebat, ad nonam præcipiebat vrso cum ouibus reuerti: cum vero noluisset, ad sextam. In omnibus itaque mandatis viri Dei obtemperabat vrsus, vt neque ad sextam iussus redire veniret ad nonam: neque ad nonam iussus redire, veniret ad sextam. Cumque diu hoc ageretur, cœpit in loco eodem tanta virtutis fama longe lateque crebrescere. Sed quia antiquus hostis, vnde bonos cernit enitescere ad gloriam, inde peruersos per inuidiam rapit ad pœnam. Quatuor viri ex discipulis venerabilis Eutychij vehementer inuidentes, quod eorum magister signa non faceret, & is qui solus ab eo relictus fuerat, tanto hoc miraculo clarus appareret, eundem vrsum insidiantes occiderunt. Cumque hora qua iussus fuerat, non rediret, vir Dei Florentius suspicatus est, eum rediturum: & vsque ad vesperam expectans, affligi cœpit quod idem, quem ex simplicitate multa fratrem vocare consueuerat, vrsus minime reuerteretur. Die vero altera perrexit ad agrum, vrsum & oues pariter quæsiturus, quem occisum reperit. Sed solicite inquirens, citius à quibus fuerat occisus inuenit. Tunc sese in lamentum dedit fratrum malitiam magis quam vrsi mortem deplorans: quem venerandus vir Eutychius ad se deductum, consolari studuit; sed idem vir Domini coram eo doloris magni stimulis accensus, imprecatus est, dicens: Spero in Omnipotenti Deo. quia in hac vita ante oculos omnium, ex sua malitia vindictam recipient, quia nihil se lædentem vrsum meum occiderunt. Cuius vocem protinus vltio diuina sequuta est. Nam quatuor Monachi qui vrsum occiderant, statim elephantico morbo percussi sunt, vt membris putrescentibus interirent. Quod factum Florentius valde expauit: seque ita Fratribus maledixisse pœnituit. Omni enim vita sua tempore flebat. Se crudelem, se in morte eorum clamauit homicidam. Quod idcirco Omnipotentem Dominum fecisse credimus, ne vir miræ simplicitatis, quantolibet dolore commotus, intorquere vltra præsumeret iaculum maledictionis. Fuit etiam, Gregorio teste, vt Diaconus ad eius cellam se ferret; quo cum peruenisset, circumfusos vndique serpentes, voluminibus sinuosis passim ex-

Florentius vrso commititur oues.

Non vanis vocibus denũciat malũ iis, qui opilionem vrsum occiderant.

plicatis,

plicatis, vidit apricari: represso pede attonitus, *Serue Dei, ora!* exclamauit. Florentius è tugurio se promens, ut conspexit vndantem colluuiem, cœlo palmas intendit, rogauitque Numen, necaret pestem. Purus tum ibat dies; at subito misceri tumultibus æther: crebris ignibus coruscare: aeris elisa nubibus fulmina cadere: serpentibus horrisono verbere vitam expellere. Sanctus iterum promit caput: è voto suo stragem esse editam gaudet, obsidionem vero non penitus solutam esse cernens, *Ecce illos occidisti, Domine*, inquit: *sed quis eos hinc leuabit?* Vix hæc dicta dedit, cum agmine denso incubuere aues, correptaque auidis rostris funera exulcerunt. *Eutychius vero*, (quod D. Gregorius refert) *magis post mortem claruit in virtute signorum. Nam cum multa eius vrbis illius de eo soleant narrare miracula illud tamen est præcipuum, quod vsque ad hæc Longobardorum tempora Omnipotens Deus per vestimentum eius assidue dignabatur operari. Nam quoties pluuia deerat, & æstu nimio terram longa siccitas exurebat, collecti in vnum ciues vrbis illius, eius tunicam leuare, atque in conspectu Domini cum precibus offerre consueuerant. Cum qua dum per agros pergerent exorantes, repente pluuia tribuebatur, quæ plene terram satiare posset.* Vicesimus octauus Decembris vtrique ab Ecclesia sacer & festiuus dies est.

Prolata eius tunica, cœlū liquescit.

ANNVS CHRISTI 561. ANNVS BENEDICTI 81.

Res à S. Machuto gesta.

Biennium, quod sequitur, in minore Britannia nobis exigendum est. In plures enim Sanctos hoc tempore in hac prouincia incidimus, quam ante vel postea vnquam. Prisci Armoricam dixere, cui labentibus annis Britanniæ minoris nomen positum fuit; scilicet vt inter ipsam & Angliam statueretur discrimen, quam olim Britanniam maiorem appellarunt. Minor magno regno Galliæ, velut appendix adhæret: hæc propriam insulam facit, nec caput alteri iceptro submittit. Vtra alteri indiderit nomen non perinde liquet. Quidam aiunt capta ab Anglis Britannia maiore, Angliam deinceps fuisse dictam: incolas autem vim declinantes vela in extremas Gallias fecisse: in terra firma consedisse: amoreque patriæ Britanniam vocasse. Robertus Cenalis soli natalis charitate ductus Britanoiam maiorem hoc nomen à minore mutuo accepisse contendit. Causam affert vicinitatem. Veteres lites, & ab historia nostra alienas componere, vel dirimere, nobis propositum haud est. Id tamen liquido constat, postquam ea prouincia à Monachis nostris coli cœpit, plerosque Episcopatus ab ipsis fuisse institutos, atque à Monacho Anglo, qui docendo eam obiuit; virtutibus totam, qua patet, illustrauit: traxisse appellationem. S. Briocum Monasterio ibidem exritato, nomine suo Episcopatum insigniuisse: vt vocaretur Briocensis, iam dudum est quod retulerimus. Ita quoq; Episcopatus Machloujensis nomenclaturam suam S. Machuto seu Machlouio acceptam fert, de quo historiæ filum nobis teodendum fuerit. Hi Episcopatus, cum plerisque alijs, teste Roberto Cenali, initium duaere à Monasterijs, in Ecclesias Cathedrales euectis. Cum enim Monachi nostri discussis tenebris Euangelij diuinam lucem quaquauersus per prouinciam spargerent, passimque sedes figerent, emeruerunt Episcopatus. Ascterijs plena erant deserta, plenæque vrbes, vt certum ad numerū redigi à nobis haud queāt. Etsi vero minor hæc Britannia toties vstas depopulata, versa, exhausta sit funestis bellis, nihilominus Robertus vocatis ad calculum S. Benedicti, Augustini, Bernardi, Monasterus (nam meudicaotium omisit) triginta quatuoe superesse deprehendit, multaque opibus valere. S. Machutus, discipulus S. Brandani, inter primos Monachos censetur, qui minorem Britanniam excoluere. Fuit autem S. Brandanus ex Hibernia oriundus, & quoruodam sententia Abbas numerosissimi Monasterij Benchor. Miracula extra ordinem ab eo patrata sanctitatem singularem prodiderunt; vnde Cœlitum albo ab Ecclesia ad XVIII. Maij inscriptus est. Vitam eius prolixe ederem, nisi nobilis hic fluuius alicubi limum vtheret, historia fabulis corrupta. Lima quoque adhibenda S. Machuti rebus, Bibliothecæ Floriacensi à Ioanne Bosco insertis. Tant s enim follibus prodigia spirat auctor, vt Lectorem non afficiat nisi stupore. Quis enim ferat gigantem idololatram, superas in auras remeantem? Insulam mari natam? Balænam, mole super oceanum libratam, speciem insulæ præbentem, ac Monachos aliquot dorso excipientem? Hæc & hoc genus alia in medio relinquere malumus, quā oostrum illis vnguem altius imprimere. Auctor incertus est, de cuius fide Iohannes Boscus, à quo referuntur, videtur fluctuare. Saltē aduertit difficilia creditu esse, ideo se testimonia, quibus fidem faciat, allaturum. Interea credemus veteris notæ historicis, veluti Sigiberto Gemblacensi, qui vitam S. Machuti memoriæ prodidit, eumque cum suo Magistro in buoe anoum digessit, cuius proinde in sententiam & vestigia nos inimus. Scriptores etiam alij in S. Machutum

Britannia minor non certo scitur, vnde nomen acceperit.

Robert. Cen. l. 2. Period.

In ea Monachi Episcopatus excitant.

S. Machutus virtutes à S. Brandano condiscit.

Martyrol. 18. Maij.

Sigib. apud Sur. 15. Nou. Vincent. l. 21. c. 95. & seqq. Trithem. l. 3. c. 35. & l. 4. c. 133

Petrus E-quil Lib. c. 64.

chutum effusi sunt, à quibus aliquid petere, operæ pretium est.

Si momentum in maiorum imaginibus & alto sanguine ponis, hic genitorem Comitem habuit. Iam inde à pueritia pronus in pietatem genius se prodidit. Artes liberales in sæculo edoctus, habitum monasticum sumpsit, & S. Brandano, litteras sacras profitenti, operam dedit, euasitque in summum virum. Vitæ asperæ ac duræ non postrema ei cura; parum cibi, parum potionis adhibere solitus. Cuticulam male habere, ne vitia posset alere, in deliciis numerabat. In more tum positum erat, post aliquot annos in Cœnobio exactos, secedere in Eremum. Triuir hæc perfectorum Monachorum vestigia Machutus, adscitisq; paucis sociis in secretam insulam se condidit, cui Aaronæ nomen, Machlouiensi Episcopatui conspicuam. Hic durius in se animaduertens, orandi, legendi, contemplandi tempora multo longius tendebat. Equidē multitudini sese eripuerat, vt quiete ac Deo frui liceret, at Deo aliter visum est. Qui enim continentem insulæ obiectam colebant, edi ab ipso miracula inaudiuerant. Quamuis igitur mare intercederet, in naues nihilominus sese conijcientes, cellam eius petiuerunt: fores pulsarunt: contriuerūt limen. Denique nibil tale somniantem, Episcopum Aletanum renunciarunt. Beneficium profecto Numinis fuit, tam bonum Episcopum Alethæ præfici. Nec dum enim idololatria suis castris ea in terra exuta erat, quam postea Machutus, doctrina & sanctitate iuxta clarus, verbis, factis, miraculis expugnauit. Porro non tantum quærere, sed etiam parta tueri, Machuti opus ac labor erat. Quippe Christianorum ritus ac mores ad incudem reuocando, corrigendoque maiorem in modū desudauit. Crescentem famam pede presso sequuta est inuidia. Hinc mussare ac dente maligno virum scindere illi ipsi, qui ex insula in terram ita inuitum retraxerunt. Nec quidem ab iniurijs se abstinuere, quod mala bene castigantem ferre non possent. Cessit igitur iræ, cessit Inuidiæ: maledicis terga vertit. Inde in Aquitaniam penetrans, ad Leontiū, Episcopum Santonicensem, se contulit, à quo humanissime acceptus & habitus fuit, cui etiam operam nauauit, munus suum obeunti. In oppido cui Breæ nomen, duo templa stabant, quorum alterum Episcopus S. Machuto cessit, vbi sedem figeret cū Monachis ac Clericis, qui se pariter agglutinabant. Quam bene collocasset beneficium, beneficio alio expertus est Leontius. Cum enim aliquando mane ablūturus esset manus, nec in promptu haberet aquam, ecce seruulus admissæ culpæ impatiens, rapto vrceo ad puteum cito pede contendit, ne bilem moueret domino præstolanti. Dum funem quatit, ac totus in hoc est, vt situla citius subeat vndas, ac redeat, quā tu clandas oculos, nimis incaute sedulus in dehiscentem puteum præceps fertur: in liquidis vndis vitam effundit. Decimus tum annus voluebatur paruo ephebulo, nobili loco nato. Leontio crebro singultu diducenti pectus id maxime dolebat, quod sua causa præceps ijsset in improbum puteum innocens puer. Ignarus igitur quo se verteret, spem in Machuto figere cœpit. Funus expediri, ac Bream ad S. Machutum duci iussit. Cedo, quid postea? Ducitur: parentes & cognati lachrymis madidi prosequūtur; peruenitur Bream: exanimis puer infertur templo. Machutus vbi intellexit id, quod res erat, noctem eam cum funere omnique comitatu, Monachis quoque ac Clericis, in templo traxit precibus incumbendo, quas mœsti parentes densis guttis asperserunt; mane tamen laterem lauisse visi sunt. Discussa iam nocte vir Sanctus templo cunctos facessere imperans præter duos Monachos, septima vice in genua prouolutus, maiorem in modum obtestatus est Deum, exhaustam a puteo vitam puero redderet. Dum magnis ictibus cœlum pulsauit septimum, hem! ephebulus, quasi altum soporem rumperet, rigida membra adducere: alia tendere: demum caput in scium attollere: mirari ipse, & spectatoribus miraculo esse. Nec multo post fœminæ, quatuordecim annos luminibus cassæ, lucem ac diem restituit, veteri famæ addita noua gloria. Interea Alethanus ager, vnde is in exilium actus fuit, innumeris vexabatur incommodis. Proscindebant tellurem coloni: occabant: serebant: duros tamen labores denorando, l itus arabant. Nam inuita terra, auerso cœlo, irato Deo, rus colebant. Morbi insuper, qui contagio vulgantur, obnoxia corpora corripuerunt. Sapere debuerunt tot malis: & sapuerunt quoque incolæ. Nam ob Episcopum à se exagitatum exactumque pœnas se Deo persoluere, intellexerunt. Habito igitur delectu, certos homines ad S. Machutum misere, oratum vt sibi ignosceret: Episcopatum repeteret: calamitates quibus impliciti essent, auerteret: se deinceps officium quam qui diligentissime facturos. Hic non statim annuit petitioni, sed consilio cum Leontio hospite communicato, Numinis voluntatem explorarunt, tribus diebus noctibusque ieiunio & oratione productis. Postea cœlitus didicit, recte facturum, si viæ se committeret; Episcopi munus, vt ante id, obiret.

Fame, siti, stomachum mire lacerat.

Episcopatum Alethæ gerit.

Animæ reditum submerso puero impetrat.

Reuocatur in Episcopatū vnde iniurius pulsus erat.

Tum

Tum S.Leontio valere iusso, relegit vestigia in Britanniam qua excesserat vixque imposuerat pedem, cum pestiferi morbi, qui stragem tristissimam ediderant, omne solum verterunt: pertinax quoque gleba vomere subacta creditum sibi semē magno cum fœnore reddidit, quippe ridente iterū cœlo, etiam segetes lætæ erant. Incredibile autem dictu est, quam presse suum patrem reducem subditi complexi, quantove deinceps honore prosequuti sint.

Mortem oppetit.

Interea fuit vt sacri Præsules comitia agerent Santonæ, vnde abesse S. Machuto non erat integrum. Vt præcinctum videre Britanni, tenere abiturientem: proni rogare pedem figeret, nec se denuo pristinis malis obijceret: præsagire suum cuique animum, non rediturum si discederet. Nec illis vanus metus imposuit. Namque retinentibus ægre elapsus, non respondit timidæ expectationi; sed ad Superos abiuit, pro laboribus præmia capturus. Icit hic casus S. Leontij pectus, animum tamen dolore depressum iterum erexit, quod corpus eius, amicitiæ pignus, in manibus haberet. Miracula per id patrata, quæ cummemorare est infinitum, paucis hisce verbis comprehendit Sigibertus: *Quanta nec narrare lingua: nec continere valet membrana.* Tristes Alethæ ciues, afflictam suam fortunam rati, quod virum sanctum, aliquando sponte expulissent, nunc vero nec ossibus quidem eius digni censerentur. Vt tamen quoquo modo suo mœrori consulerent, alta mente quantumuis absentem reposuerunt: deinde Alethano nomine abolito, Episcopatum deinceps Machlouiensem dixere, quod S. Machutus etiam Machlouius absque discrimine appellatus esset. Eundem quotannis ad XVII. Cal. Decemb. quo è viuis excessit, pompa festiua colunt.

Martyrol. 15. Nou.

ANNVS CHRISTI 562. ANNVS BENEDICTI 82.

S. Samson, Archiepiscopus Dolensis.

Iud. 13.

MAgnum apud Iudæos nomen (quis nescit?) Samson fuit, cuius cunas angelus prædixit. Fama nominis noster quoque Samson Britanniam minorem impleuit, facemque hanc orbi accensum iri, etiam cœlestis ephebus denunciauit. Natus in Anglia est nobilissimis parentibus: patri Amonia, matri Annæ nomen erat. Cum multo tempore non tulisset vterum, infœcunda esse visa est, donec precibus ac ieiunijs sibi propitiault Numen. Magna paruulo cura adhibita fuit, præsertim quod cœlo delapsus foret. Puerum iam adultiorem S.Elthuto Abbati, doctrina & virtutibus eo tempore nulli per Angliam secundo, S.Germani Antisiodorensis olim discipulo, instituendum tradiderunt. Multos is imbuerat, qui Britanniæ maiori (charæ patriæ) ingens decus; minori vero, quam ad frugem vocarunt, maiora bona pepererunt. Inter discipulos, qui cæteros anteibant, nostrum quoque Samsonem numerauit. Intellexerat indolem haud esse quotidianam: bella, horrida bella Samsonem aliquando stygi moturum: non qua via latissime pateret, iturum: immo supra humana in cœlum sese libraturum. Hæc decantabat, hæc vaticinabatur Elthutus, probissimus magister: nec sedula cultura aliquando supersedebat, pertæsus laborem, quod certus esset magnos se fructus isto ex agello capturum Nec magistri operam vel spem luserat discipulus.

S. Samson à S.Elthuto excultus.

Non est mollis ad Superos via.

Nullus Sanctorum in fastigium virtutum euasit vnquam, qui non alas eas, quas mundus nobis affingit & sanguis, in asperis prius cotibus attriuisset: cuticulæ curam omnem posuisset: dura in corpus statuisset. Non tamen eadem omnes arma aduersum se expediunt. Nam videas quosdam multo tempore diram inediam tolerare: alios tam longa quidem ieiunia non inire, at indusio pilis horrenti delicatam cutem perpetuo lacessere, aut setoso fune scindere: nonnullos feruentibus flagris continuo dorsum depopulari: non neminem in supplices preces assiduo incumbere insomnes noctes ducere. Quamuis autem Ecclesiæ nunquam defuerint Sancti, qui hæc simul exercerent, cum virtus vna comitetur alteram, singuli tamen certo genere excelluere. Ea ætate qua vixit S. Samson parcus victus adeo in pretio ac vsu versabatur in vtraque Britannia, vt nullo nomine vel numero inter Monachos haberetur, cui non dies omnes esuriales essent: qui non esculenta incondita, vulgaria, ad stomachum parum facientia, eaque parcissime, adhiberet, vt producendæ animæ vix sufficere putarentur. Hæc non ideo afferimus, quod spes sit hodie imitandi, sed vt dignis laudibus tollatur Deus, qui animum illis inspirauit ac vires suggessit, vt tanta onera suis capitibus excipere auderent, ac sustinere possent. Samson tam Archiepiscopus quam Monachus omnibus pariter animantibus sua mensa interdixit. Pani tantum, leguminibus & oleribus locus erat, quibus admodum vesperi manum timide admouebat, idque subinde altero tātum, vel tertio die. Et quidem biduana hæc aut triduana ieiunia aliquoties continuare

Ideo asperam iniuit Samson.

ſolebat. Nonnunquam integræ hebdomadis famc cauum ſtomachum vexauit.

Petrus Equil. l. 6. de ſanctis cap. 150. Vinc. Beluac. l. 21. Spec. Hiſt. c. 115.

At Petrus Epiſcopus Equilinus altius nobis ſupercilium erigit, dum quadraginta diebus verni ieiunij ter duntaxat aliquid eū eſitaſſe affirmat. Quid ſi nodo huic non ineptum cuneum offert Vincentius Belnacēſis, qui iſto ſolenni ieiunio ſecedentem, tres oblationes ſecum tuliſſe memorat? Nos tres panes fuiſſe exiſtimamus, quibus illo temporis ſpatio vitam tolerarit. Sitim (more aliorum Monachorum) in pauxillo aquæ deponere ſolebat. Somnum initurus, nō decubuit, ſed pariete, vel vt ſors ferebat, ſuſtētaculo quopiam duto nitens, vnde excitaretur, parumper cōquieuit. Cibus igitur & ſomnus, qui cæteros mortalium recreare conſueuerunt, ita capiebantur à Samſone, vt exhauſto feſſoque corpori noua tormēta ſubderent. Has tamen & cæteras afflictiones, quibus domabat ſeoſus, multa lectione & oratione condiebat, vt nouam virtutis famem prouocaret.

Eſuriuit & ſitiuit ferme ſupra fidē, ac humanas vires.

Marc. 16.

Hominibus ſic à delitijs alienis, atque à ſolo cœlo pendentibus dictum à Seruatore putes: *In nomine meo dæmonia eijcient: ſerpētes tollent: & ſi mortiferum quid biberint non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.* Samſon profecto aliquot energumenos liberauit, dæmonibus ſub orcū miſſis. Monacho, cui lethifer anguis morſu venenum ſuggeſſerat, ſalutem impertiuit. Lęuæ mentis Sacerdos captus inuidia, vinum veneno dilutum propinauit Sancto, nec tamen mortem is, aut morbū imbibit. Forte male à corpore, male ab anima habebat eius pater. Ergo aduolat, vt par eſt filium: manus ægroto imponit: morti & ſtygi ſimul eripit. Vltimo parentem vtrumque, quoſdam frattum, ad Religionem adduxit.

Patrauit admiranda in Britannia maiore.

Bar. vita Maglorij 24. Octob.

Premi iam fama viri amplius haud poterat, quamuis ipſe ſuppreſſam cuperet. In cathedram Epiſcopalē inuitum ac obnitentē pertraxere. Ferebat conſuetudo in Anglia, vt feſtiuo die Cathedræ S. Petri prouinciales Epiſcopi conuenirent, lectosq; inaugurarent. Tres igitur Epiſcopi cōfluxere (crediderim in Archiepiſcopatu Eboracenſi) quorum vni Dubritio nomen, hiſtoricis notiſſimū. Hic cœlitus certior factus Samſonem hoc honoris gradu collocādum, velo, vt aiunt, remigioque aduolauit: ima ſubſellia ambientem, in altam cathedram extulit, cui operi quamdiu intentus fuit, columba æthere delapſa aſſedit, vt de Samſonis ſanctitate facile exiſtimare licuerit. Huiuſmodi miraculis olim Deus fidei Chriſtianæ tyrones, ſuo cortice nare nondum validos, confirmare ſolebat. Similes euentus in Epiſcoporum auctoratione multos refert

Ant. Rub. hiſt. Rauen. l. 1. & 2.

Antonius Rubeus hiſtoria ſua Rauennēſi.

Ac minore.

Non multos annos hac in ſede conſumpſit Samſon, cum quod ſubditi vacillantes eum exturbaſſent: tum quod bonus Deus operam eius Britanniæ minori deſtinaſſet, quo iam cœli inſtinctu vocabatur. Patria igitur, veteri Monaſterio ſuo, nouoque Epiſcopatu relictis, vela in Britanniam minorem fecit. Vix portum tenuit, cum miracula patrare cœpit. Nā Priuatus, vir ſummus, domi vxorem habebat, lurida lepra inuiſam patris oculis: ac inſuper filiam malo dæmone captam. Rogatus Samſon, vt opem ferret, mox orando Numen flexit; maritū & patrem voti compotem reddidit, hocq; facto quamprimum in famam iuit.

Dolenſe Monaſterium extruxit.

Priuatus, inſigne beneficiū repoſiturus, locum quem Dolin vocabant, Samſoni ceſſit. vbi hic ampliſſimum Ordinis S. Benedicti Monaſterium Dolenſe, quod nomē ei locus fecit, magno ardore excitauit. Magna enim S. Regulæ ratio tunc temporis in Gallia habita fuit. Trithemius ad viros illuſtres eum refert; ego tamen aſſequi ſatis haud potui, an Regulam S. Benedicti iā in Anglia profeſſus ſit, vel ei nomen in Britannia minore dederit. Vero eſt ſimilius, condito nouo Monaſterio paſſis eum ſoribus Regulam accepiſſe, tot Abbatū & Monachorum in Gallia degentium exemplo incenſum: quæ ſic illata etiamnum hodie ibidem durat, viget floret. Hæſit hic loci aliquamdiu, ad veteres rigoris leges ſe cōponens; cumque diffunderet ambroſium ſanctitatis odorem, multi ſeuiro in diſciplinam commiſerunt, quos paullo poſt ſubijciemus.

Trith. de viris illuſtr. l. 3. c. 41.

Nondum proprio ſceptro illa tēpeſtate exciderat minor Britannia: quippe ſuos ſibi habebat Reges Paresque, quos dum vnum regnum, non cepit, mutuis odiis ac armis fracti, Regibus Galliæ fecere locum, è quibus Childebertus fuit, cui prolixe calamum antehac impendimus. Hic audito Samſonē, cuius amore ſingulari tenebatur, Epiſcopū initiatum in Anglia, omnem operam adhibuit, vt Epiſcopatum iniret in minore Britannia, vbi ſuum haberet Monaſteriū. Primus igitur Dolenſium Epiſcopus (an potius Archiepiſcopus) fuit. Porro magna lis Dolenſibus cum Turonenſibus interceſſit, vtrorum ciuitas Britanniæ foret metropolis. Vicere Turonenſes quidem; nihilominus fatendum eſt, hoc decus multos annos penes Dolenſes quoque fuiſſe, Samſone eiuſque diſcipulis ſedem Archiepiſcopalem obtinentibus. Refert Cenalis Samſonē adhuc in Anglia degentem Archiepiſcopum Eboracenſem fuiſſe; Eboracenſis autē Eccleſia cum Cantuarienſi eundem funē con-

Dolenſique mitra ornatus fuit.

tentio-

tentiosum trahit. An porro Dolensis Episcopatus vel Archiepiscopat^ Ecclesiā habuerit ac sedem à Monasterio diuersam, nō facile expediuero. Sed quis non in animum inducat, Monasterium imprimis à Samsone ædificatū, fuisse in sedem Archiepiscopalem euectum, cum talis origo etiam cæteris Britanniæ minoris Episcopatibus fuerit? Hodie tamen Ecclesia Cathedralis Dolensis res sibi suas habet, non amplius implexas Monasterio. Manum S. Samsonis deprehendas in Concilio Parisiensi, anno quingentesimo quinquagesimo nono celebrato. Fertur paulo post abiuisse honoribus, studio ac amore solitudinis. Solum enim volupe erat, cum solo Deo agere. Forte non penitus se abdicauit munere, sed secreta sylua se condidit, onere in alium tantisper reiecto. Nā hoc etiam vocant, deponere Archiepiscopatum. Hanc nobis mentem inijcit scriptor vitæ S. Maglorij, qui Samsonem morti proximum, auctoritate sua effecisse asserit, vt Maglorius pro mitra Archiepiscopali capessenda legeretur. Vnde conijcias cathedram eousque vacuam fuisse, nemine locū Samsonis occupante. Illum vero ad tempus certum secessisse, non vt Archiepiscopatui omnino renunciaret, sed effusum varia in negotia animum colligeret. Postmodū vero pedem ad curas & labores pristinos retulisse pectore iam pleno, atque ad molestias subeundas durato. Vitam & officium tam pie obijt, vt ab Ecclesia Sanctis ad V. Cal. Augusti sit additus. Trithemius & Baronius anno cum sexcētesimo floruisse, asserunt, quem nos multo ante ponimus, inductū à Concilio Parisiensi, cui subscripsit.

Baron. 28. Iulij. Trith. l. 3. de viris ill. lust. ca. 41.

Cæterum Dolense Monasterium magnū in Gallia nomē impler, constructum auspiciis S. Samsonis; beneficio autē ac liberalitate Priuati, cuius vxorem lepra, filiam dæmone liberarat. Ad asperam ac difficilē vitam discipulis dux auctorque fuit, vnde Monasterium non modo celebre, verum etiam Episcoporum & Archiepiscoporum plantarium euasit. Nam S. Samsoni in Abbatiam & Archiepiscopatum S. Maglorius successit: huic S. Budocus discipulus, tertius Archiepiscopus: isti S. Mainus, qui hæsit Samsonis lateri ex Anglia in minorem Britanniam traijcientis, struxitque insigne Monasterium, cui nomen quoque S. Maini impositum. An postea ita ferentibus annis ab Ecclesia id maiore haustum, seu potius à Nordmannis prouinciam populantibus, solo æquatum fuerit, compertum non habemus: neque memoriam eius ante annum nongentesimum decimum septimum reperimus, quo Ebbo, Principis Berriensis frater, restituit rem, quod fragmentum prodit historiæ Galliæ à Pitheo in lucem productum, à Chopino autem anno 1588. typis vulgatum.

Pith. anno impress. 1588. Chopin. polit. l. 2. n. 14. & 15.

Nec vero Ebbo primus condidit Monasteriū, sed è ruderibus collapsum excitauit. Memorant enim tabulæ incendia, quibus Nordmanni omnem Galliam miscuere. Insuper Ebbonem Monachos S. Gildæ collegisse, structaque duo Cœnobia: alterum S. Gildæ dedicatum: alterum Dolense appellatum, cuius fundationis litteras Chopinus exhibet, reditibus quoque numeratis, & Ecclesiis, quibus Ebbo firmauerat Monasterium. Nos extrema verba tibi damus. *Ea igitur hoc dono tenore, vt in Dolis, in honore Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum Apostolorū Petri & Pauli, Monasterium regulare construatur, ipsique Monachi iuxta Regulam S. Benedicti viuentes congregentur, qui istas res perenni tempore possideant, teneant territorium, atque ordinent ita duntaxat, vt ibi venerabilis oratio nis domicilium votis atque supplicationibus fideliter frequentetur, &c. Quarto Nonas Septembris, anno vigesimo regnante Carolo Rege.* Scriptura hæc nos certos facit, Regulæ S. Benedicti fere sexcentis annis hoc in Monasterio locum fuisse. Carolus enim ille, cuius meminerunt tabulæ, Simplex fuit, quem annus nongentesimus cum insequentibus habuit, illiusque ætate Gulielmus, Monasterij Lemouicensis fundator, ac iste Ebbo Dolensis floruerunt. Hic etiam animum aduertas, pleraque de primis nostris Monasteriis Dei Genitrici, deinde SS. Apostolis Petro & Paulo fuisse dedicata, fultaque fir missimis istis fundamentis. Apparet etiam Monachos rerum Dolensium fuisse dominos. *Tenere namque territorium, ac ordinare,* possidentium est. Nec opibus tantum, verum etiam alto titulo insigne Monasterium putes, quando huius Antistes subiecto litteris suo nomine addere consueuit, *Abbas & Princeps Dolensis:* quem subscribendi morem etiam nunc obtinet. Sedi Apostolicæ tantum fuisse subditum, Bullæ ac priuilegia Lucij III. Cœlestini III. Pij II. & Leonis X. apud Chopinum produnt. Nos tamē Monasterij huius exemptionem multo ante in Epistolis Decretalibus Gregorij VII. deprehendimus, præsertim aliqua, ad annum millesimum septuagesimum quartum data. Sed libet verba Pontificis adnumerare. *Dolense Monasterium, inquit, sicut nouit fraternitas tua, iuris S. Petri esse dignoscitur, cui si aliquod discrimen inferatur, specialis solicitudine succurrere debemus.*

Monasterium, Ebbo instaurauit.

Chopin. L. 2. n. 13.

Greg. VII. tom. 3 ep. 19.

Asceterium hoc instauratum viros eximios tulit, veluti Abbatem Iohannem, Patribus purpuratis ab Eugenio III. additum: Abbatem Rolandum, in idem

fastigium euectum. Tot sæculis nec magnitudo pessum iuit, neque religio. Quamuis autem hodie quoque nemo præter Pontificem Max. in eo ius dicat, nihilominus cum alijs quinque Monasterijs in certam Congregationis formam concessit, cuius hic meminisse par est, vt tanto penitius cætera Monasteria cognosci queant, suis locis adducenda. Supra obiter tetigimus Congregationes Galliæ, Cluniacensem, S. Benedicti Casalensem, Turonensem, quæ centum sexaginta Prioratus tenebat imperio. Ita Monasteria aliquot amplissima numerantur in Gallia, Vindocinense, Rotonense (situm in Britannia.) Floriacense S. Benedicti prope Ligerim, Dolense, quibus se Asceterium S. Crucis adiunxit, Burdigalensibus celebre, quæ tantum Sedi Romanæ subiecta sunt. Ipsis autem tot Prioratus adhærent, vt vnumquodque caput Congregationis censeri queat. Monasterium vndique liberum, quamuis amplissimum sit, magno tamen in discrimine versatur, vt extra orbitam se tandem moueat: disciplinam soluat: occidat: vt prætereamus incōmoda alia, quibus expositum est. Quā ob rem Galliæ Regi anno millesimo quingētesimo sexagesimonono, Comitiis Blesensibus, è re fore visum est, Monasteria, quæ vocant *exempta*, cogere in Congregationē, in qua Capitula agerentur; renunciarentur Visitatores; ferrentur leges ad quas singula se componerent, ritibus priuatis è medio sublatis. Cum igitur sex Monasteria hæc voluntatem Regis, capiendosque fructus secum diligenter expendissent, anno millesimo quingentesimo octogesimo primo animis ac viribus iunctis nouam instituere Congregationem: abusibus in exiliū actis, sanctas & rigore munitas condiderunt Cōstitutiones, quas sibi oblatas esse Chopinus, ait, sic inscriptas: *Statuta & decreta reformationis Congregationis Benedictinorum exemptorum, Abbatiarum trium Prouinciarum, Senonensis, Turonensis, & Bituricensis à sancta sede Apostolica & Romana immediate dependentium, aucta & recognita in Capitulo Generali predicta Congregationis.* Istis sex Monasteriis etiam alia accessisse, nominis non æque celebris, intelleximus.

Vna salus laboranti Ordini: inire Cōgregationes.

Quod nomen huic Congregationi faciamus, animi profecto pendemus. Nullum enim horum Monasteriorum Caput reliquorum est: pari iure fruuntur singula: Pōtificis solius iussa capessunt, Episcoporum iurisdictione libera: in Prioratus vero suos, quos plurimos singula numerant, plena potestate vtuntur. In eo igitur Congregationis huius cardo versatur, vt Monasteria easdem leges, in Capitulis quæ subinde celebrant sancitas, sequantur. Generali carent: Visitatores vero habent, qui secundum statuta lapsam disciplinam reuocant. Reip. quam Monarchiæ hæc Congregatio propior est: Reip. inquam Heluetiorum, in tredecim cantones diuisæ, ita vt vnus ab altero non dependeat, sed quilibet loca alia sibi subiecta habeat, quibus ius dicat. Cum enim singuli vim hostium è vicino incumbentium propulsare non potuissent, fœdus inierunt; vires sociarunt: Remp. constituerunt: in certas leges iurarunt: *Rem acu tetigerunt.* Nam ante id distracti, non modo dominorum suorum iniurijs patuerūt, sed etiam grauiter vexati sunt. Vbi vero manus conseruerunt, ac pedem contulerunt pedi, robore ac sanguine in corpus vnum collectis, extemplo ea Resp. extitit, quæ cæteris per Europā parum concedat: vicinis autem terrori sit.

Vtinam paruum hæredio lum hunc in modū seruaremus.

Ab hac proinde Rep. nouam istam Cōgregationem disce, & Cantones esse puta singula Monasteria, quibus tot domus religiosæ subiectæ sunt, vt aliquibus Ordinibus sufficerent in multas prouincias, illisque dominantur non secus, quam si foret Congregatio particularis, veluti de Monasterio Turonensi memorauimus. Itaque cum in fluctu singula se pendere, & huc illucque iactari sentirent, in Congregationē coiuerunt, vt disciplinam ad Regulam S. Benedicti tanto felicius instaurarent: vt Visitatores designarent, qui sinistre acta ad Incudem reuocarent: vt deinde Abbatibus Commendatariis, nimium quantum Monasteriis inhiantibus, denso agmine sese obijcerent, damnaque varia amolirentur. Fac enim vnum aliquod Cœnobium opibus & potentia plurimum valere, impar tamen tot insidiatoribus, tot hostibus erit. Nec alia profecto de causa Monasteria Monachorum & Canonicorum, tam opportuna auidis videntur, ab iisdemque obsidentur, capiuntur, familiis religiosissimis iuxtaque antiquissimis eripiuntur, quam quod sola, hoc est, præsidio nuda stent. Diuini Spiritus vocem puta: *Væ soli, quia cum ceciderit, non habet subleuantem se.* Nouam igitur Congregationem hanc, trium prouinciarum deinceps appellabimus, quod Senonensem, Turonensem & Bituricensem complectatur. Monasterium Dolense in postrema situm est. Meritis S. Sāsonia mille quingentos amplius annos superauit postquā conditū fuit: ab instauratione vero Ebbonis septingētos, à quo Principe nonnulli historicorū prima fundamenta iacta fuisse putant. Anceps aliquamdiu hæsi, num duo Dolensia fuerint Monasteria, donec Robertus Cenalis Episcopus Arboricēsis, auctor grauis ac diligēs,

me du-

me dubio liberauit, apud quem Bernhardus quidam Guidonius Monasterium Dolense nō nisi septingentorum annorum statuit. At vero Cenalis errorem castigans, *Hæc certe narratio,* inquit, *nonnihil offendiculi secum affert, cum constet multo ante tempore fuisse structum à Diuo Samsone Cœnobium: nisi dicas tunc inchoatum, nunc vero mirifice auctum sacrorum præsentia pignorum, & Ebbonis huius cura & impensis.* Quod si Guidonius hoc pacto rationes suas subducat, facile errori sese eximet.

Robert. Cen. l. 2. perioch. 6.

CAPVT II.

Maglorius, Paulus Episcopus Leonensis, Gildas, Tuduvalus, Ebbinus, illustres Sancti minoris Britanniæ.

Sur. 24. Octob. Trithem. de vir. ill. l. 3. c. 30. & l. 4. c. 47.

INter discipulos, quos Samson quamplurimos eduxit, facile princeps Maglorius fuit, qui tamen ante id Eltuto simul operam dederunt: at postquam ille ædificauerat Monasterium, cumque Eboracensem & Dolensem ageret Archiepiscopum Maglorius perpetuo hærebat lateri: doctrinam quam sedulo is instillabat, auidis auribus rapiebat: denique fesso rerum seni, qua poterat, suppetias ferebat, à quo in Diaconorum ordinem redactus est. Nec pulueri inscripsit Maglorius, quæ à Magistro acceperat, sed factis æterna memoria dignis expressit, vt censeres Samsonem alterum, cuius longa ieiunia etsi non æquauerit, qua tamen licuit, accessit. Nam pane hordeaceo, leguminibus, olusculis, animam traxit; neque his delitijs indulsit, quantum voluit, sed genium mirifice defraudauit. Diebus Mercurij & Veneris non primoribus digitis, non extremis labijs nutrimentum vllum attingebat. Rogatus causam, *feria quarta,* respōdit, *Iudas consilium aduersus Christum collegerunt: feria sexta eundem cruci affixerunt.* Quamdiu, Dolensi cathedra relicta, desertum coluit non modo ingeniosam sitim, in vinum nunquam effudit, sed insuper cereuisia & aqua mulsa, sibi ipse interdixit. Diebus Dominicis parumper remittens chordam, paucos pisciculos in mensam admittebat, aliorum Monachorum precibus subactus, qui eos offerebant: sed demum hos quoque nuncupato voto è culina proscripsit. Cum enim sparsis per mare sinuosis retibus serui captarent squamigerū hoc genus, Monachis in prandium cessurum, quidam plus nimio in opus incumbens, in salsas vndas prolapsus haustusque, animam exhalijt. Multis lachrymis hic casus S. Maglorio Monachisque stetit, illo identidem quiritante, se reum de morte, quam incautus seruus oppeuisset, simulque intendens, palmas, ne iustum in se Deus effunderet furorem. Vbi sol occubuit, ad littus cum Monachis, Litanias ac Psalmos concinentibus, progressus, corpore humi defixo orauit Bonum Numen, negotium daret infidis vndis, vt saltem exanimem redderent, quē viuum surripuissent. Dum sic precibus euerberat cœlum, ac imbre infundit sulum, hem! mare spumeum sese tollere: profundum ventrem ciere: seruum iam pridem vita exutum, in littus ore tumido euoluere. Voti compos factus Maglorius, palam spondet Numini, inuisos sibi deinceps pisces fore, infelici piscatione ansam præbente. Legumina igitur & panem hordeaceum reuocauit, esculentis alijs cum piscibus in fugam versis.

Abstinētiæ studet Maglorius.

Piscatori, qui vitam in vndis eructauerat, vitam restituit.

Amabilis virginitatis amantissimus, iuxtaque studiosissimus fuit, adeo vt turpis cupido nunquam eius potuerit penetrare sinum, aut soluere pudorem. Quippeni cum niueum pectus perpetuo cilicio coerceret? Ad orationem adeo corpus tenue roborarat, vt templo non excederet, quamdiu persistere licuisset. Quid verbis opus est? Samsonem magistrum suum vbique expressit. Cum hoc è Britannia maiore in minorem traiecit: infidelibus fidem instillauit: illo in fastigium Archiepiscopatus elato, ad clauum Dolensis Abbatiæ admotus est, quē adeo dextere rexit, vt decedenti Samsoni in cathedram successerit. Hoc deinde honore sese abdicans, quamuis multi intercederent, in Eremum caput abstrusit, Budoco Dolensis Monasterij Abbate (qui à puero sancte & religiose cum ipso vixerat) in sede collocato. Potitus amica solitudine, ieiunijs, vigilijs, precibus, feruentissime incubuit: at diu soli esse non licuit. *Nam sanctitatis eius fama intra solitudinis latebras coërceri non sustinens, passim increbuit, atque ita ex diuersis regionibus varijs affecti incōmodis ad eum aduolabant, veluti cæci, claudi, leprosi, dæmoniaci, salutem expetentes. Multi quoque animarum suarum remedia percipere cupientes, eius sapientiam audituri, ad eum accedebant. Cernens autē tam multa sibi offerri, tantamq; hominum multitudinem ad se confluere, magno animi dolore correptus, heu me, ingeminat, heu me! quid mihi prodest reliquisse propria & aliena repetere? maior mihi iam imminet popularum turba & frequentia, & immensa accedunt opes.* Hæc vitæ ipsius auctor apud Surium, qui addit: *Non multo autem interiecto tempore comes Loiescon valde quidem opulentus, sed septennio iam lepra infectus, frustra in medicos*

Sur. c. 4.

Sur. c. 6.

magnu erogatu pecunijs, qui curare eum non poterant, vbi in insula, in qua morabatur, celeberrimam comperit Beati Maglorij famam, cum quibusdam è suis venit ad eum, rogans vt fusis ad Dominum precibus, faciat medicinam morbo tam infesto; Ad quem vir Dei, quinam, fieri potest, inquit, vt immundus curet immundum? Ego quoque immundus sum corpore. Indixit vero triduanum ei ieiunium, & ipse quoque cum quibusdam Sacerdotibus & Leuitis, religiosisque viris triduo ieiunauit. Exacto ieiunio, adhibitis Litanijs iubet eum in cupam balneatoriam inferri, manusque ei imponens, sublatis in cœlum oculis dicit: Domine IESV *Christe, per quem omnia facta sunt, qui Naaman per Prophetam tuum in Iordane flumine à lepra mundasti: qui propter peccatores saluandos è cœlis in terram descendisti, non pro iustificationibus nostris, sed pro miserationibus tuis multis hominem istum, qui ad me venit, tuam cupiens experiri clementiam, ad laudem & gloriam nominis tui purges à lepra, vt omnes qui id viderint, te collaudent, qui viuis & regnas cum Deo Patre & sancto Spiritu per infinita sacula saculorum Amen. Hac cum dixisset, manu sua totum eius corpus attingens, adeo ab eo lepram omnem profligauit, vt nec cicatrix quidem vlla permaneret.*

Comiti cuidā abstergit lepram.

Tum vero comes Loiescon ad eius pedes aduolutus, non sine lachrymis pro tanto munere Deo & illi gratias egit. Multa possessiones & opes ei erant, è quibus terram quandā Beato Maglorio dedit, sed partem illius dimidiam sibi reseruans. In ea terra multa erant aues pulchra, & magnitudine admiranda: ingens quoq; prouentus piscium ex sinu maris. Cum autem Beatus Maglorius perlustraret eam partem, quam comes ei largitus erat, aues & pisces omnes alterius partis ad ipsius portionem se transtulerunt. Tulit id indigne vxor Comitis, hortaturque eum vt Beati viri portionem sibi vindicet: alteram ei relinquat. Facit ille quod mulier improba suasit; sed ecce repente aues & pisces omnes redeunt ad Beati viri possessionem. Id conspicatus Comes, ductus pœnitentia, vtramq; partem perpetuo retinendam illi assignat, moxq; aues & pisces pristina sua domicilia in vtraque repetunt, vti antea sub ipso comite consueuerant. Porro ea in terra vir sanctus Ecclesiam condidit & Collegium Monachorum, quos illic habuit sexaginta duos, eosq; vita & doctrina sua eruditos, Deo & sanctis eius debita seruitutis officia praestare docuit.

Ædificauit Monasterium.

Ipse vero eiusmodi vitam hic loci duxit, vt esset angelo quā homini propior. Nam vetera exercitia spiritualia non modo reuocauit, verum etiam intendit. Quamuis autem Deus nullo loco absit, hic tamen Sanctus adeo libenter preces fundebat in templo, vt totos dies noctesque ibi poneret, atque perpetuo in ore haberet: *Vnam petij à Domino, hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vita mea.* Neque inanis tantum sic verba iaciebat, sed re praestabat, templo nunquam excedendo: nec alibi quidem à suis vel quærebatur, vel inueniebatur. In templo exigebat diem: in templo vigilem ducebat noctem: hic Numinis beneficia continua excipiebat, ac inter cætera mortis imminentis nuncium, quam IX. Calend. Nouembris sanctissime obiuit.

Templū perpetuo habuit orantem.

Psal. 26.

Martyrol. 24. Octob.

Ex S. Eltuli schola etiam S. Paulus Episcopus Leonensis prodijt, Superioribus quam simillimus. Nam in Britannia maiore natus, in minorem superato mari se extulit, eamque concionando excoluit. Patet Monachorum sactus, rigidam viuendi rationem eum ijsdem iniuit, plenā abstinentiæ. Nuda ei stare solebat mensa, nisi quod mucidus panis cum aqualiculo eam instruerent, & quandoque diebus festis minuti pisciculi. Doctrinæ & sanctitatis fama virum Episcopum fecere. Miraculis ab ipso patratis onusta historia est; nos duo tantum, quibus Mosen populi Israëlitici ducem æquauit, libabimus. Hic enim virga petram feriens limpidam aquam elicuit: ille Monachis ob aquæ penuriam querelas miscentibus, scipione quo gradum iuuabat, humum diuerberans, liquidum fontem excitauit. Cum Moses diuinam extulisset virgam, è vestigio in latera secedens tumidum mare, succinctis Israëlitis viam aperuit. Oranti ac imperanti S. Paulo, morem quoque gessit Oceanus. Ad mille namque passus retro se agens, terram cui incumbebat, detexit, quam accolæ deinde in suum verterunt vsum. Quid? frænum quoque insanis fluctibus imposuit congestis lapidibus, qui limitum vices obirent, atque identidem prorumpenti mari occinerent: *Hic confringes, tumentes fluctus tuos.* Miraculum maius quotidiano, luna ventisque concitatum Oceanum vim & imperia Principum non hili facere: obices, claustra, repagula, fluctibus indignantibus & spumantibus perfringere, ad paucos tamen lapillos, à sancto Monacho lectos obiectosque, se reprimere: tumidum caput submittere: motas procellas componere. Demum vita per centum annorum ambages pie deducta, beatam animam in cœlum efflauit, tanto sui desiderio relicto, vt subditi vrbem suam Saliocanam ac Diœcesin deinceps mutato nomine,

S. Paulus Episcop. Leonensis:

Verbere fontem excitat: *Exod. 17.*

Exod. 14.

Mare cogit retrolabi.

Iob. 38.

S. Pau-

Martyrol. 12. Mart.

S. Paulinam dixerint. Colitur ab Ecclesia 4. Id. Martij. Locus centenario seni multo posterior debebatur, nos tamen hunc dedimus, quod his annis iam floruisset; nec à popularibus submouendũ putabamus, quibuscum Britanniæ minori facem ad fidem ac pietatem prætulit. Res ab eo gestas Trithemius, Vincentius Beluacensis, Robertus Cenalis prolixe prosequuntur, è quibus postremus S. Paulo è statione decedenti Gobbanum, etiam Ordinis nostri monachum, patria minorem Britannum successisse, numerisque sanctissimi Episcopi vna cum vita absolutis, in Cœlites ab Ecclesia relatum fuisse, asserit.

Trithem. l. 3. c. 48. Vincent. spec. hist. l. 21. c. 22. & 23. Cen. l. 2. Perioch. 6. Ioan. Bosc. Biblioth. S. Pauli.

S. Gildas:

Hos inter S. Eltuti discipulos nomẽ quoque S. Gildas meruit, qui in Anglia ortus, suscepto in Britanniam minorem itinere, rei Catholicæ magnum momentum attulit, fuitque multorum monachorum Antistes. Eius vitam plures composuere, nemo tamẽ prolixius Iohanne Bosco, quam se ex Bibliotheca Floriacensis Monasterij prompsisse, ait, etsi mancam, & auctore Anonymo scriptam. Quocirca ne longum faciam (quod Boscus facit) non totum miraculorum eius & gestorum campũ pererrabo, sed quædam duntaxat, veluti flosculos magis peregrinos carpendo, edã. Ergo in Anglia, Patre Cauno natus est, quem nonnulli in quadam amplissimæ huius insulæ prouincia regnasse affirmant. Fortunatum patrem haud immerito diceres, non tam quod quinque filios suscepisset, quam quod vitam religiose omnes sancteque traduxerint; fratres tamen nonnullo interuallo post se reliquit Gildas: nec tantum fratres, sed etiam populares. Docilis indoles in puero sese effundens, impulit parentes, vt S. Elthuto instituendũ traderent, nobilis iuuentutis magistro, tota Anglia celebri. Si dubitas, discipuli fidem faciant. Gildas autem tantum doctrinæ humanæ diuinæque eius in schola compararat, vt sapientem publice appellarent. Quæ litteris commendauit, nescio cui sæculo exciderunt, non absque eruditæ nationis suspirio. Bibliotheca SS. Patrum luci vnam, non amplius epistolam exponit, quæ vehementer in vitia, à Regibus tanquam classe inuecta, animaduertit; vt facile intelligas, quam ipsi bilem suscitauerint admissa improba facinora. Nec sola natura nostrum Gildam ad eloquentiam finxit, sed Numen quoque linguam ei, ad verba diuina facienda expediuit. Quocirca totus in hoc fuit, vt patria scelerum pestem auerteret: Catholicos expiaret: cæteros ab hæresi (quod os multi illa insula adhuc rodebant) ad veram fidem traduceret. Dum igitur doctrina, vitæ innocentia, ac insuper miraculis, Anglorum pectora assiduo pulsauit, vicit. Sed parum erat S. Gildæ sementem in sola Anglia fecisse; plenis ideoque velis in Hiberniam inuectus, rus illud quoque arauit: nec fructus improbum laborem fefellit, quibus cum noua accederent miracula, vt iam S. Gildæ nomen per omnes iret aures, consilium cepit famæ ac vanæ gloriæ se subducendi. Et vero inde se propere eiecisset, nisi Rex Americus, à quo olim excitus fuerat, fugienti manum iniecisset: tum animæ etiam errabundæ, Orco litandæ, abitum meditanti obicem posuissent. Nam idolis adhuc passim plaudebatur in insula, & hæresibus, quibus ille bellum mouit, nec non multis partibus expugnauit. Adhęc ferunt publice docuisse, multis ijsque nobilissimis discipulis limen eius terentibus, nec non aliquot struxisse Monasteria. Item in Benchorensi Asceterio Monachum egisse: quod an è vetustis auctoribus promatur, exploratum non habemus.

Ad frugẽ vocauit pertraxitque Angliam:

A S. Elthuto docet mores.

Tritheм. l. 3. Arnold. in Append.

Hiberniam:

Minorem Britanniam,

Anglia & Hibernia hunc in modum excultis, in Britanniam minorem cogitauit Gildas, de qua SS. Samson & Paulus, ipsius condiscipuli, tam bene meriti fuerant, gentiles ad fidem & frugem vocando. Annus ipsi voluebatur tricesimus, cum nauim ageret in Britanniam, aduersam Angliæ; nec amplius mutauit sedem, reliquo ætans ethnicis lustrandis & monachis gubernandis consumpto. Abbatis enim munere functus est. Magnas virtutes de hoc Sancto memorant historici, præsertim pauperes leuandi incredibile studium: continuas orationes, quas pectore diuini Numinis amore calente, perpetuo exhalabat. Sed cum facilis cæteris esset omnibus, sibi ipse difficilis ac durus fuit, atque imprimis victum nimium quantum sibi circumcidendo, quod tamen illi cum alijs, Britanniæ minoris eo tempore cultoribus, commune fuit, præterquam quod ter duntaxat in hebdomadem, non amplius, vulgarem annonam attigerit: qua ieiunandi ratione sanctus Pater noster Benedictus traduxit quadraginta dies esuriales. Sanctus Maurus postmodum in Francia eodem pacto eosdem dies condidit: quam consuetudinem Patres, qui ex Anglia in Britanniam minorem migrarunt, vna cum S. Regula exceperunt, vti Monasteria ab ipsis fundata, & legum sancti Benedicti etiamnum hodie seruantia contestantur. Per Episcopatum Benetensem apprime nobilem Asceteria multa molitus est sanctus Gildas, vni tamen eius nomen hæsit, opulento quondam, & vel solis ossibus tanti Præsulis diuiti: sed Nord-

Ter duntaxat per hebdomadem inanem ventrem placauit

febri correptus est. Ad horam vero mortis veniens, mysterium Dominici corporis & sanguinis accepit, vocatisque Fratribus coram se psallere præcepit, quibus tamen antiphonam per semetipsum de semetipso imposuit, dicens : Aperite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas confitebor Domino. Hæc porta Domini : iusti intrabunt per eam. *Cumque coram eo assistentes Fratres psallerent, emissa subito & producta voce clamauit dicens: Vrse veni. Quod mox vt dixit, eductus è corpore mortalem vitam finiuit. Mirati sunt Fratres, quia hoc quod moriens frater clamauerat ignorabant. Quarto autem die quiddā Fratribus necessariū fuit, vt ad Monasteriū aliud, positum longe transmitterent. Illuc ergo euntes Fratres, omnes eiusdem Monasterij Monachos tristes vehementer inuenerunt. Quibus cum dicerent; quid habetis quod vos in tanto mœrore deprimitis? Responderunt dicentes : loci huius desolationem gemimus quia vnus frater, cuius nos vita in hoc Monasterio continebat, hodie quartus est dies, quod ex hac luce subtractus est. Cumque Fratres qui venerant studiose inquirerent, qualiter dictus fuisset? Responderunt, Vrsus. Qui vocationis eius horam subtiliter inquirentes, ipso eū momento cognouerunt exisse de corpore, quo per Iohannem, qui apud eos defunctus est, fuerat vocatus.* Fuit igitur S. Eleutherius etiam à discipulis clarus : at Iohannes cæteris palmam præripuit. Inter miracula primum locum apud homines obtinet, vita defunctis vitam reddere: S. Eleutherius D. Gregorio teste, reddidit, vt tanta maiorem in admirationem te merita eius rapiant. Ætate fessus confectusque ad Superos abiuit,

Volater. l. 21.

celebri memoria sui Italiæ relicta, & à Volaterrano inter claros huius gentis Sanctos:

Trith. l. 3. c. 17.

à Trithemio inter illustres viros Ordinis S Benedicti recensetur : ab Ecclesiis denique Cœlicum albo ad VIII. Id Septembris illatus est.

Martyrol. 6 Sept. D. Greg. l. 3. c. 15.

Stant etiam circumfusi alij, è quibus SS. Eutychium & Florentium præterire absque iniuria non possumus, quos sic depinxit Gregorius Magnus. *Eodem tempore in Nursinæ partib. prouinciæ due viri in vita atque in habitu sanctæ conuersationis habitabant, quorum vnus Eutychius, alter vero Florentius dicebatur. Eutychius in spirituali zelo atque feruore virtutis se exercuerat, multorumque animas ad Deum perducere, exhortando satagebat. Florentius vero simplicitati atque orationi deditam ducebat vitam. Non longe autem erat Monasterium, quod rectoris sui morte erat destitutum, ex quo sibi Monachi eundem Eutychium præesse voluerunt, qui eorum precibus acquiescens, multis annis Monasterium rexit, discipulorumque animas in studio sanctæ conuersationis exercuit. At ne Oratorium in quo prius habitauerat, solum remanere potuisset, illic venerabilem, virum Florentium reliquit, in quo dum solus habitaret, die quadam sese in orationem dedit, atque ab Omnipotenti Deo petijt, vt ei illic ad habitandum aliquod solatium donare dignaretur ; qui mox vt impleuit orationem, oratorium egressus, ante fores vrsum reperit stantem, qui dum ad terram caput deprimeret, nihilque feritatis in suis motibus demonstraret, aperte dabat intelligi, quod ad viri Dei obsequium venisset, quod vir quoque Domini protinus agnouit. Et quia in eadem cella quatuor aut quinque pecudes remanserant,*

Florentius vrso committit oues.

quibus omnino deerat qui pasceret & custodiret, eidem vrso præcepit dicens: vade, atque oues has ad pastum ejce : ad horam vero sextam reuertere. Cœpit itaque hoc indesinenter agere. Cum vir Domini ieiunare volebat, ad nonam præcipiebat vrso cum ouibus reuerti : cum vero nollet, ad sextam. In omnibus itaque mandatis viri Dei obtemperabat vrsus, vt neque ad sextam iussus redire veniret ad nonam : neque ad nonam iussus redire, veniret ad sextam. Cumq; diu hoc ageretur, cœpit in loco eodem tanta virtutis fama lōge lateq; crebrescere. Sed quia antiquus hostis, vnde bonos cernit enitescere ad gloriam, inde peruersos per inuidiam rapit ad pœnam. Quatuor viri ex discipulis venerabilis Eutychij vehementer inuidentes, quod eorum magister signa non faceret, & is qui solus ab eo relictus fuerat, tanto hoc miraculo clarus appareret, eundem vrsum insidiantes occiderunt. Cumque hora qua iussus fuerat, non rediret, vir Dei Florentius suspicatus est, eum rediturum : & vsque ad vesperam exspectans, affligi cœpit quod idem, quem ex simplicitate multa fratrem vocare consueuerat, vrsus minime reuerteretur. Die vero altera perrexit ad agrum, vrsum & oues pariter quæsitu ut, quem occisum reperit. Sed solicite inquisitus, citius à quibus fuerat occisus inuenit. Tunc sese in lamentum dedit fratrum malitiam magis quam vrsi mortem deplorans: quem venerandus vir Eutychius ad se deductum, consolari studuit ; sed idem vir Domini coram eo doloris magnis stimulis accensus imprecatus est, dicens : Spero in Omnipotente Deo, quia in hac vita ante oculos omniū,

Non vanis vocibus denūciat malū iis, qui opilionem vrsum occiderant.

ex sua malitia vindictam recipient, quia nihil se lædentem vrsum meum occiderunt. Cuius vocem protinus vltio diuina sequuta est. Nam quatuor Monachi qui vrsum occiderant, statim elephantico morbo percussi sunt, vt membris putrescentibus interirent. Quod factum Florentius valde expauit: seque ita Fratribus maledixisse pœnituit. Omni enim vita sua tempore flebat. Se crudelem, se in morte eorum clamauit homicidam. Quod idcirco Omnipotentem Dominum fecisse credimus, ne vir miræ simplicitatis, quantolibet dolore commotus, intorquere vltra præsumeret iaculum maledictionis. Fuit etiam, Gregorio teste, vt Diaconus ad eius cellam se ferret; quo cum peruenisset, circumfusos vndique serpentes, voluminibus sinuosis passim ex-

plicatis, vidit apricari: represso pede attonitus, *Serue Dei, ora!* exclamauit. Florentius è tugurio se promens, ut conspexit vndantem colluuiem, cœlo palmas intendit, rogauitque Numen, necaret pestem. Purus tum ibat dies; at subito misceri tumultibus æther: crebris ignibus coruscare; atris elisa nubibus fulmina cadere: serpéntibus horrisono verbere vitam expellere. Sanctus iterum promit caput: è voto suo stragem esse editam gaudet, obsidionem vero non penitus solutam esse cernens, *Ecce illos occidisti, Domine*, inquit: *sed quis eos hinc leuabit?* Vix hæc dicta dedit, cum agmine denso incubuere aues, correptaque auidis rostris funera extulerunt. *Eutychius vero*, (quod D. Gregorius refert) *magis post mortem claruit in virtute signorum. Nam cum multa ciues vrbis illius de eo soleant narrare miracula illud tamen est præcipuum, quod vsque ad hæc Longobardorum tempora Omnipotens Deus per vestimentũ eius assidue dignabatur operari. Nam quoties pluuia deerat, & æstu nimio terram larga siccitas exurebat, collecti in vnum ciues vrbis illius, eius tunicam leuare, atque in conspectu Domini cum precibus offerre consueuerant. Cum qua dũ per agros pergerent exorantes, repente pluuia tribuebatur, qua plene terram satiare posset.* Vicesimus octauus Decembris vtrique ab Ecclesia sacer & festiuus dies est.

Prolata eius tunica, cœlũ liquescit.

ANNVS CHRISTI 561. ANNVS BENEDICTI 81.

Res à S. Machuto gesta.

Biennium, quod sequitur, in minore Britannia nobis exigendum est. In plures enim Sanctos hoc tempore in hac prouincia incidimus, quam ante vel postea vnquam. Prisci Armoricam dixere, cui labentibus annis Britanniæ minoris nomen positum fuit; scilicet vt inter ipsam & Angliam statueretur discrimen, quam olim Britanniam maiorem appellarunt. Minor magno regno Galliæ, velut appendix adhæret: hæc propriam insulam facit, nec caput alteri sceptro submittit. Vtra alteri indiderit nomen non perinde liquet. Quidam aiunt capta ab Anglis Britannia maiore, Angliam deinceps fuisse dictam; incolas autem vim declinantes vela in extremas Gallias fecisse in terra firma consedisse: amoreque patriæ Britanniam vocasse. Robertus Cenalis soli natalis charitate ductus Britanniam maiorem hoc nomen à minore mutuo accepisse contendit. Causam affert viciniatem. Veteres lites, & ab historia nostra alienas componere, vel dirimere, nobis propositum haud est. Id tamen liquido constat, postquam ea

Britannia minor non certo sciiur, vnde nomen acceperit.

Robert. Cen. l. 2. Perioch.

prouincia à Monachis nostris coli cœpit, plerosque Episcopatus ab ipsis fuisse institutos, atque à Monacho Anglo, qui docendo eam obiuit; virtutibus totam, qua patet, illustrauit: traxisse appellationem. S. Briocum Monasterio ibidem excitato, nomine suo Episcopatum insigniuisse: vt vocaretur Briocensis, iam dudum est quod retulerimus. Ita quoq; Episcopatus Machloujensis nomenclaturam suam S. Machuto seu Machlouio acceptam fert, de quo historiæ filum nobis tendendum fuerit. Hi Episcopatus, cum pleiisque alijs, teste Roberto Cenali, initium duxere à Monasterijs, in Ecclesias Cathedrales euectis. Cum enim Monachi nostri discussis tenebris Euangelij diuinam lucem quaquauersus per prouinciam spargerent, passim que sedes figerent, emeruerunt Episcopatus. Asceterija plena erant deserta, plenæque vrbes, vt certum ad numerũ redigi à nobis haud queát. Etsi vero minor hæc Britannia toties vltas depopulata, versa, exhausta sit funestis bellis, nihilominus Robertus vocatis ad calculum S. Benedicti, Augustini, Bernardi, Monasterijs (nam mendicantium omisit) triginta quatuor superesse deprehendit, multaque opibus valere. S. Machutus, discipulus S. Brandani, inter primos Monachos censetur, qui minorem Britanniam excoluere. Fuit autem S. Brandanus ex Hibernia oriundus, & quorundam sententia Abbas numerosissimi Monasterij Benchor. Miracula extra ordinem ab eo patrata sanctitatem singularem prodiderunt; vnde Cœlitum albo ab Ecclesia ad XVIII. Maij inscriptus est. Vitam eius prolixe ederem, nisi nobilis hic fluuius alicubi limum vehe. ret, historia fabulis corrupta. Lima quoque adhibenda S. Machuti rebus, Bibliothecæ Floriacensi à Ioanne Bosco insertis. Tanti s enim follibus prodigia spirat auctor, vt Lectorem non afficiat nisi stupore. Quis enim ferat gigantem idololatram, superas in auras remeantem? Insulam mari natam? Balænam, mole super oceanum libratam, speciem insulæ præbentem, ac Monachos aliquot dorso excipientem? Hæc & hoc genus alia in medio relinquere malumus, quã nostrum illis vnguem altius imprimere. Auctor incertus est, de cuius fide Iohannes Boscus, à quo referuntur, videtur fluctuare. Saltẽ aduertit difficilia creditu esse, ideo se testimonia, quibus fidem faciat, allaturum. Interea credemus veteris notæ historicis, veluti Sigiberto Gemblacensi, qui vitam S. Machuti memoriæ prodidit, cumque cum suo Magistro in hunc annum digessit, cuius proinde in sententiam & vestigia nos inimus. Scriptores etiam alij in S. Ma-

In eam Monachi Episcopatus excitant.

S. Machutus virtutes à S. Brandano condiscit.

Martyrol. 18. Maij.

Sigib. apud Sur. 15. Nou. Vincent. l. 21. c. 93. & seqq. Trithem. l. 3. c. 35. & l. 4. c. 113

Tum S. Leontio valere iusso, relegit vestigia in Britanniam qua excesserat vixque imposuerat pedem, cum pestiferi morbi, qui stragem tristissimam ediderant, omne solum verterunt: pertinax quoque gleba vomere subacta ereditum sibi semẽ magno cum fœnore reddidit, quippe ridente iterũ cœlo, etiam segetes lætæ erant. Incredibile autem dictu est, quam presse suum patrem reducem subditi complexi, quantove deinceps honore prosequuti sint.

Mortem oppetit. Interea fuit vt sacri Præsules comitia agerent Santonæ, vnde abesse S. Machuto non erat integrum. Vt præcinctum videre Britanni, tenere abiturientem: proni rogare pedem figeret, nec se denuo pristinis malis obijceret: præsagire suum cuique animum, non rediturum si discederet. Nec illis vanus metus imposuit. Namque retinentibus ægre elapsus, non respondit timidæ expectationi; sed ad Superos abiuit, pro laboribus præmia capturus. Icit hic casus S. Leontij pectus, animum tamen dolore depressum iterum erexit, quod corpus eius, amicitiæ pignus, in manibus haberet. Miracula per id patrata, quæ commemorare est infinitum, pauca hisce verbis comprehendit Sigibertus: *Quanta nec narrare lingua: nec continere valet membrana.* Tristes Alcibæ ciues, afflictam suam fortunam rati, quod virum sanctum, aliquando sponte expulissent, nunc vero nec ossibus quidem eius digni censerentur. Vt tamen quoquo modo suo mœrori consulerent, alta mente quantumuis absentem reposuerunt: deinde Alethano nomine abolito, Episcopatum deinceps Machlouiensem dixere, quod S. Machutus etiam Machlouius absque discrimine appellatus esset. Eundem quotannis ad XVII. Cal. Decemb. quo è viuis excessit, pompa festiua colunt. *Martyrol. 15. Nou.*

ANNVS CHRISTI 562. ANNVS BENEDICTI 82.

S. Samson, Archiepiscopus Dolensis.

Ind. 15. Magnum apud Indæos nomen (quis nescit?) Samson fuit, cuius ortus angelus prædixit. Fama nominis noster quoque Samson Britanniam minorem impleuit, facemque hanc orbi accensum iri, etiam cœlestis ephebus denunciauit. Natus in Anglia est nobilissimis parentibus: patri Amonis, matri Annæ nomen erat. Cum multo tempore non tulisset vterum, infœcunda esse visa est, donec precibus ac ieiunijs sibi propitiasset Numen. Magna paruulo cura adhibita fuit, præsertim quod cœlo delapsus foret. Puerum iam adultiorem S. Elthuto Abbati, doctrina & virtutibus eo tempore nulli per Angliam secundo, S. Germani Antisiodorensis olim discipulo, instituendum tradiderunt. Multosis imbuerat, qui Britanniæ maiori (charæ patriæ) ingens decus; minori vero, quam ad frugem vocaruut, maiora bona pepererunt. Inter discipulos, qui cæteros anteibant, nostrum quoque Samsonem numerauit. Intellexerat indolem haud esse quotidianam: bella, horrida bella Samsonem aliquando stygi moturum: non qua via latissime pateret, iturum: immo supra humana in cœlum sese libraturum. Hæc decantabat, hæc vaticinabatur Eltbutus, probissimus magister: nec sedula cultura aliquando supersedebat, pertæsus laborem, quod certus esset magnos se fructus isto ex agello capturum. Nec magistri operam vel ipsem luserat discipulus. *S. Samson à S. Elthuto excultus.*

Nullus Sanctorum in fastigium virtutum euasit vnquam, qui non alas eas, quas mundus nobis affingit & sanguis, in asperis prius cotibus attriuisset: cuticulæ eoram omnem posuisset dura in corpora statuisset. Non tamen eadem omnes arma aduersum se expediunt. Nam videas quosdam multo tempore diram inediam tolerare: alios tam longa quidem ieiunia non inire, at indusio pilis horrenti delicatam cutem perpetuo lacessere, aut setoso fune sciodere: nonnullos ferventibus flagris continuo dorsum depopulari: non neminem in supplices preces assiduo incumbere, et insomnes noctes ducere. Quamuis autem Ecclesiæ nunquam defuerint Sancti, qui hæc simul exercerent, cum virtus vna comitetur alteram, singuli tamen certo genere excellere. Ea ætate qua vixit S. Samson parcus victus adeo in pretio ac vsu versabatur in vtraque Britannia, vt nullo nomine vel numero inter Monachos haberetur, cui non dies omnes esuriales essent: qui non esculenta incondita, vulgaria, ad stomachum parum facientia, eaque parcissime, adhiberet, vt producendæ animæ vix sufficere putarentur. Hæc non ideo afferimus, quod spes sit hodie imitandi, sed vt dignis laudibus tollatur Deus, qui animum illis inspirauit ac vires suggessit, vt tanta onera suis capitibus excipere anderent, ac sustinere possent. Samson tam Archiepiscopus quam Monachus omnibus pariter animantibus sua mensa interdixit. Pani tantum, leguminibus & oleribus locus erat, quibus admodum vesperi manum timide admouebat, idque subinde altero tãtum, vel tertio die. Et quidem biduana hæc aut triduana ieiunia aliquoties continuare solebat. *Non est mollis ad Superos via.* *Ideo aspera tam inijt Samson.*

solebat. Nonnunquam integræ hebdomadis famecaunm stomachum vexauit.

Petrus Equil. l. 6. de sanctis cap. 150. Vinc. Beluac. l. 21. Spec. Hist. c. 115. At Petrus Episcopus Equilinus altius nobis supercilium erigit, dum quadraginta diebus verni ieiunij ter duntaxat sliquid eū cibasse affirmat. Quid si nodo huic non ineptum cuneum offert Vincentius Beluacensis, qui isto solenni ieiunio secedentem, tres oblationes secum tulisse memorat? Nos tres panes fuisse existimamus, quibus illo temporis spatio vitam tolerarit. Sitim (more aliorum Monachorum) in paxillo aquæ deponere solebat. Somnum initurus, nō decubuit, sed pariete, vel vt sors ferebat, sustētaculo quopiam duro nitens, vnde excitaretur, parumper cōquieuit. Cibus igitur & somnus, qui cæteros mortalium recreare consueuerunt, ita capiebantur à Samsone, vt exhausto fessoque corpori noua tormēta subderent. Has tamen & cæteras afflictiones, quibus domabat sensus, multa lectione & oratione condiebat, vt nouam virtutis famem prouocaret.

Esuriuit & sitiuit ferme supra fidē, ac humanas vires.

Marc. 16. Hominibus sic à delitijs alienis, atque à solo cœlo pendentibus dictum à Seruatore putes: *In nomine meo dæmonia eijcient: serpētes tollent: & si mortiferum quid biberint non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Samson profectò aliquot energumenos liberauit, dæmonibus sub orcū missis. Monscho, cui lethifer anguis morsu venenum suggesserat, salutem impertiuit. Lęuæ mentis Sacerdos captus inuidia, vinum veneno dilutum propinauit Sancto, nec tamen mortem is, aut morbū imbibit. Forte male à corpore, male ab anima habebat eius pater. Ergo aduolat, vt parest filium: manus ægroto imponit: morti & flygi simul eripit. Vltimo parentem vtrumque, quosdam fratrum, ad Religionem adduxit.

Patrauit admiranda in Britannia maiore.

Sur. vita Maglorij 24. Octob. Premi iam fama viri amplius haud poterat, quamuis ipse suppressam cuperet. In cathedram Episcopalē inuitum ac obnitentē pertraxere Ferebat consuetudo in Anglia, vt festiuo die Cathedræ S. Petri prouinciales Episcopi conuenirent, lectosq; inaugurarent. Tres igitur Episcopi cōfluxere (crediderim in Archiepiscopatu Eboracensi) quorum vni Dubritio nomen, historicis notissimū. Hic cœlitus certior factus Samsonem hoc honoris gradu collocādum, velo, vt aiunt, remigioque aduolauit: ima subsellia ambientem, in altam cathedram extulit, cui operi quamdiu intentus fuit, columba æthere delapsa assedit, vt de Samsonis sanctitate facile existimare licuerit. Huiusmodi miraculis olim Deus fidei Christianæ tyrones, suo cortice nare nondum validos, confirmare solebat. Similes euentus in Episcoporum auctoratione multos refert

Ant. Rub. hist. Rauen. l. 1. & 2. Antonius Rubeus historia sua Rauennēsi.

Non multos annos hac in sede consumpsit Samson, cum quod subditi vacillantes eum exturbassent: tum quod bonus Deus operam eius Britanniæ minori destinasset, quo iam cœli instinctu vocabatur. Patria igitur: veteri Monasterio suo: nouoque Episcopatu relictis, vela in Britanniam minorem fecit. Vix portum tenuit, cum miracula patrare cœpit. Nā Priuatus, vir summus, domi vxorem habebat, lurida lepra inuisam paris oculis: ac insuper filiam malo dæmone captam. Rogatus Samson, vt opem ferret, mox orando Numen flexit; maritū & patrem voticompotem reddidit, hocq; facto quamprimum in famam iuit.

At minore.

Priuatus, insigne beneficiū repositurus, locum quem Dolin vocabant, Samsoni cessit, vbi hic amplissimum Ordinis S. Benedicti Monasterium Dolense, quod nomē ei locus fecit, magno ardore excitauit. Magna enim S. Regulæ ratio tunc temporis in Gallia habita fuit. Trithemius ad viros Illustres eum refert; ego tamen assequi satis haud potui, an Regulam S. Benedicti iā in Anglia professus sit, vel ei nomen in Britannia minore dederit. Vero est similius, condito nouo Monasterio passit eum foribus Regulam accepisse, tot Abbatū & Monachorum in Gallia degentium exemplo incensum: quæ sic illata etiamnum hodie ibidem durat, viget floret. Hæsit hic loci aliquamdiu, ad veteres rigoris leges se cōponens; cumque diffunderet ambrosium sanctitatis odorem, multi se viro in disciplinam commiserunt, quos paullo post subijciemus.

Dolense Monasterium extruxit.

Trith. de viris illustr. l. 3. c. 41.

Nondum proprio sceptro illa tēpestate exciderat minor Britannia: quippe suos sibi habebat Reges Paresque, quos dum vnum regnum, non cepit, mutuis odiis ac armis fracti, Regibus Galliæ fecere locum, è quibus Childebertus fuit, cui prolixe calamum antehac impendimus. Hic audito Samsonē, cuius amore singulari tenebatur, Episcopū initiatum in Anglia, omnem operam adhibuit, vt Episcopatum iniret in minore Britannia, vbi suum haberet Monasteriū. Primus igitur Dolensium Episcopus (an potius Archiepiscopus) fuit. Porro magna lis Dolensibus cum Turonensibus intercessit, vtrorum ciuitas Britanniæ foret metropolis. Vicere Turonenses quidem; nihilominus fatendum est, hoc decus multos annos penes Dolenses quoque fuisse, Samsone eiusque discipulis sedem Archiepiscopalem obtinentibus. Refert Cenalis Samsonē adhuc in Anglia degentem Archiepiscopum Eboracensem fuisse; Eboracensis autē Ecclesia cum Cantuariensi eundem funē con-

Dolensique mitra ornatus fuit.

ſentioſum trahit. An porro Dolēſia Epiſcopatus vel Archiepiſcopat⁹ Eccleſiā babuerit ac ſedem à Monaſterio diuerſam, nō facile expediuero. Sed quis non in animum inducat, Monaſteriū imprimis à Samſone ædificatū, fuiſſe in ſedem Archiepiſcopalem euectum, cum talis origo etiam cæteria Britanniæ minoris Epiſcopatibus fuerit? Hodie tamen Eccleſia Cathedralis Dolenſis res ſibi ſuas babet, non amplius implexas Monaſterio. Manum S. Samſonis deprehendas in Concilio Pariſienſi, anno quingenteſimo quinquageſimo nono celebrato. Fertur paulo poſt abiuiſſe honoribus, ſtudio ac amore ſolitudinis. Solum enim volupe erat, cum ſolo Deo agere. Forte non penitus ſe abdicauit munere, ſed ſecreta ſylua ſe condidit, onere in alium tantiſper reiecto. Nā hoc etiam vocant, deponere Archiepiſcopatum. Hanc nobis mentem inijcit ſcriptor vitæ S. Maglorij, qui Samſonem morti proximum, auctoritate ſua effeciſſe afferit, vt Maglorius pro mitra Archiepiſcopali capeſſenda legeretur. Vnde conijcias cathedram eousque vacuam fuiſſe, nemine locū Samſonis occupante. Illum vero ad tempus certum ſeceſſiſſe, non vt Archiepiſcopatui omnino renunciaret, ſed effuſum varia in negotia animum colligeret. Poſtmodū vero pedem ad curas & labores priſtinos retuliſſe pectore iam pleno, atque ad moleſtias ſubeundas duraro. Vitam & officium tam pie obijt, vt ab Eccleſia Sanctis ad V. Cal. Auguſti ſit adſcriptus. Trithemius & Baronius anno eum ſexcēteſimo floruiſſe, aſſerunt, quem nos multo ante ponimus, indocti à Concilio Pariſienſi, cui ſubſcripſit.

Baron. 28. Iuly. Trith. l. 3. de viris illuſt. ca. 41.

Cæterum Dolenſe Monaſterium magnū in Gallia nomē implet, conſtructum auſpiciis S. Samſonis; beneficio autē ac liberalitate Priuati, cuius vxorem lepra, filiam dæmone liberarat. Ad aſperam ac difficilē vitam diſcipulis dux auctorque fuit, vnde Monaſterium non modo celebre, verum etiam Epiſcoporum & Archiepiſcoporum plantarium euaſit. Nam S. Samſoni in Abbatiam & Archiepiſcopatum S. Maglorius ſucceſſit: huic S. Budocus diſcipulus, tertius Archiepiſcopus: iſti S. Mainus, qui hæſit Samſonis lateri ex Anglia in minorem Britanniam traijcientis, ſtruxitque inſigne Monaſterium, cui nomen quoque S. Maini impoſitum. An poſtea ita ferentibus annis ab Eccleſia id maiore hauſtum, ſeu potius à Nordmannia prouinciam populantibus, ſolo æquatum fuerit, compertum non habemus: neque memoriam eius ante annum nongenteſimum decimum ſeptimum reperimus, quo Ebbo, Principis Berrienſis frater, reſtituit rem, quod fragmentum prodit hiſtoriæ Galliæ à Pithæo in lucem productum, à Chopino autem anno 1588. typis vulgatum.

Pith. anno impreſſ. 1588. Chopin. polit. l. 1 n. 14. & 15.

Nec vero Ebbo primus condidit Monaſteriū, ſed è ruderibus collapſum excitauit. Memorant enim tabulæ incendia, quibus Nordmanni omnem Galliam miſcuere. Inſuper Ebbonem Monachos S. Gildæ collegiſſe, ſtructaque duo Cœnobia: alterum S. Gildæ dedicatum: alterum Dolenſe appellatum, cuius fundationis litteras Chopinus exhibet, reditibus quoque numeratis, & Eccleſiis, quibus Ebbo firmauerat Monaſterium. Nos extrema verba tibi damus. *Ea igitur hoc dona tenore, vt in Dalis, in honore Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum Apoſtolorū Petri & Pauli, Monaſterium regulare conſtruatur, ipſique Monachi iuxta Regulam S. Benedicti viuentes congregentur, qui iſtas res perenni tempore poſſideant, teneant territorium, atque ordinent ita duntaxat, vt ibi venerabile orationis domicilium votis atque ſupplicationibus fideliter frequentetur, &c. Quarta Nonas Septembris, anno vigeſimo regnante Carolo Rege.* Scriptura hæc nos certos facit, Regulæ S. Benedicti fere ſexcentis annis hoc in Monaſterio locum fuiſſe. Carolus enim ille, cuius meminerunt tabulæ, Simplex fuit, quem annus nongenteſimus primus inſequentibus babuit. Illius quoque ætate Gulielmus, Monaſterij Cluniacenſis fundator, ac iſte Ebbo Dolenſis floruerunt. Hic etiam animum aduertas, pleraque de primis noſtris Monaſteriis Dei Genitrici, deinde SS. Apoſtolis Petro & Paulo fuiſſe dedicata, fultaque firmiſſimis iſtis fundamentis. Apparet etiam Monachos rerum Dolenſium fuiſſe dominos. *Tenere namque territorium, ac ordinare,* póſſidentium eſt. Nec opibus tantum, verum etiam alto titulo inſigne Monaſterium putes, quando huius Antiſtes ſubiecto litteris ſuo nomine addere conſueuit, *Abbas & Princeps Dolenſis:* quem ſubſcribendi morem etiam nunc obtinet. Sedi Apoſtolicæ tantum fuiſſe ſubditum, Bullæ ac priuilegia Lucij III. Cœleſtini III. Pij II. & Leonis X. apud Chopinum produnt. Nos tamē Monaſterij huius exemptionem multo ante in Epiſtolis Decretalibus Gregorij VII. deprehendimus, præſertim aliqua, ad annum milleſimum ſeptuageſimum quartum data. Sed libet verba Pontificis adnumerare. *Dolenſe Monaſterium*, inquit, *ſicut nouit fraternitas tua, iuris S. Petri eſſe dignoſcitur, cui ſi aliquod diſcrimen inferatur, ſpeciali ſolicitudine ſuccurrere debemus.*

Monaſterium, Ebbo inſtaurauit.

Chopin. l. 2. n. 13.

Greg. VII. tom. 3 ep. 19.

Aſceterium hoc inſtauratum viros eximios tulit, veluti Abbatem Iohannem, Patribus purpuratis ab Eugenio III. additum: Abbatem Rolandum, in idem

fastigium euectum. Tot sæculis nec magnitudo pessum iuit, neque religio. Quamuis autem hodie quoque nemo præter Pontificem Max. in eo ius dicat, nihilominus cum alijs quinque Monasterijs in certam Congregationis formam concessit, cuius hic meminisse par est, vt tanto penitius cætera Monasteria cognosci queant, suis locis adducenda. Supra obiter tetigimus Congregationes Galliæ, Cluniacensem, S. Benedicti Casalensem, Turonensem, quæ centum sexaginta Prioratus tenebat imperio. Ita Monasteria aliquot amplissima numerantur in Gallia, Vindocinense, Rotonense (situm in Britannia.) Floriacense S. Benedicti prope Ligerim, Dolense, quibus se Ascetertum S. Crucis adiunxit, Burdigalensibus celebre, quæ tantum Sedi Romanæ subiecta sunt. Ipsis autem tot Prioratus adhærent, vt vnumquodque caput Congregationis censeri queat. Monasterium vndique liberum, quamuis amplissimum sit, magno tamen in discrimine versatur, vt extra orbitam se tandem moueat: disciplinam soluat: occidat: vt prætereamus incōmoda alia, quibus expositum est. Quā ob rem Galliæ Regi anno millesimo quingētesimo sexagesimo nono, Comitiis Blesensibus, è re fore visum est, Monasteria, quæ vocant *exempta*, cogere in Congregationē, in qua Capitula agerentur; eenunciarentur Visitatores; ferrentur leges ad quas singula se componerent, ritibus priuatis è medio sublatis. Cum igitur sex Monasteria hæc voluntatem Regis, capiendosque fructus secum diligenter expendissent, anno millesimo quingentesimo octogesimo primo animis ac viribus iunctis nouam instituere Congregationem: abusibus in exiliū actis, sanctas & rigore munitas condiderunt Cōstitutiones, quas sibi oblatas esse Chopinus ait, sic inscriptas: *Statuta & decreta reformationis Congregationis Benedictinorum exemptorum, Abbatiarum trium Prouinciarum, Senonensis, Turonensis, & Bituricensis à sancta sede Apostolica & Romana immediate dependentium, aucta & recognita in Capitulo Generali prædicta Congregationis.* Istis sex Monasteriis etiam alia accessisse, nominis non æque celebris, intelleximus.

Vna salus laboranti Ordini: si uire Cōgregationes.

Quod nomen huic Congregationi faciamus, animi profecto pendemus. Nullum enim horum Monasteriorum Caput reliquorum est: pari iure fruuntur singula: Pōtificis solius iussa capessunt, Episcoporum iurisdictione libera: in Prioratus vero suos, quos plurimos singula numerant, plena potestate vtuntur. In eo igitur Congregationis huius cardo versatur, vt Monasteria easdem leges, in Capitulis quæ subinde celebrant sancitas, sequantur. Generali carent: Visitatores vero habent, qui secundum statuta lapsam disciplinam reuocant. Reip. quam Monarchiæ hæc Congregatio propior est: Reip. inquam Heluetiorum, in tredecim cantones diuisæ, ita vt vnus ab altero non dependeat, sed quilibet loca alia sibi subiecta habeat, quibus ius dicat. Cum enim singuli vim hostium è vicino incumbentium propulsare non potuissent, fœdus inierunt: vires sociarunt: Remp. constituerunt; in certas leges iurarunt: *Rem acu tetigerunt.* Nam ante id distracti, non modo dominorum suorum iniurijs patuerūt, sed etiam grauiter vexati sunt. Vbi vero manus conseruerunt, ac pedem contulerunt pedi, robore ac sanguine in corpus vnum collectis, extemplo ea Resp. extitit, quæ cæteris per Europā parum concedat; vicinis autem terrori sit.

Vtinam parum hæredio-lum hunc in modū seruaremus.

Ab hac proinde Rep. nouam istam Cōgregationem disce, & Cantones esse puta singula Monasteria, quibus tot domus religiosæ subiectæ sunt, vt aliquibus Ordinibus sufficerent in multas prouincias, illisque dominantur non secus, quam si foret Congregatio particularis, veluti de Monasterio Turonensi memorauimus. Itaque cum in fluctu singula se pendere, & huc illucque iactari sentirent, in Congregationē coiuerunt, vt disciplinam ad Regulam S. Benedicti tanto felicius instaurarent: vt Visitatores designarent, qui sinistre acta ad incudem reuocarent: vt deinde Abbatibus Commendatariis, nimium quantum Monasteriis inhiantibus, denso agmine sese obijcerent, damnaque varia amolirentur. Fac enim vnum aliquod Cœnobium opibus & potentia plurimum valere, impar tamen tot insidiatoribus, tot hostibus erit. Nec alia profecto de causa Monasteria Monachorum & Canonicorum, tam opportuna auidis videntur, ab iisdemque obsidentur, capiuntur, familiis religiosissimis iuxtaque antiquissimis eripiuntur, quam quod sola, hoc est, præsidio nuda stent. Diuini Spiritus vocem puta: *Væ soli, quia cum ceciderit, non habet subleuantem se.* Nouam igitur Congregationem hanc, trium prouinciarum deinceps appellabimus, quod Senonensem, Turonensem & Bituricensem complectatur. Monasterium Dolense in postrema situm est. Meritis S. Sāsonia mille quingentos amplius annos superauit postquā conditū fuit: ab instauratione vero Ebbonis septingētos, à quo Principe nonnulli historicorū prima fundamenta iacta fuisse putant. Anceps aliquamdiu hæsi, num duo Dolensia fuissent Monasteria, donec Robertus Cenalis Episcopus Abricēsis, auctor grauis ac dilıgēs,

medu-

me dubio liberauit, apud quem Bernhardus quidam Guidonius Monasterium Dolense nō nisi septingentorum annorum statuit. At vero Cenalis errorem castigans, *Hac certe narratio*, inquit, *nonnihil offendiculi secum affert, cum constet multo ante tempore fuisse structum à Diuo Samsone Cœnobium: nisi dicas tunc inchoatum, nunc vero mirifice auctum sacrorum præsentia pignorum, & Ebbonis huius cura & impensis.* Quod si Guidonius hoc pacto rationes suas subducat, facile errori sese eximet.

Robert. Cen. l. 2. perioch. 6.

CAPVT II.

Maglorius, Paulus Episcopus Leonensis, Gildas, Tuduualus, Ethbinus, illustres Sancti minoris Britanniæ.

Sur. 24. Octob. Trithem. de vir. ill. l. 3. c. 50. & l. 4. c. 47.

INter discipulos, quos Samson quamplurimos eduxit, facile princeps Maglorius fuit, qui tamen ante id Eltuto simul operam dederunt: at postquam ille ædificauerat Monasterium, cumque Eboracensem & Dolensem ageret Archiepiscopum Maglorius perpetuo hærebat lateri: doctrinam quam sedulo is instillabat, auidis auribus rapiebat: denique fesso rerum seni, qua poterat, suppetias ferebat, à quo in Diaconorum ordinem redactus est. Nec pulueri inscripsit Maglorius, quæ à Magistro acceperat, sed factis æterna memoria dignis expressit, vt censeres Samsonem alterum, cuius longa ieiunia etsi non æquauerit, qua tamen licuit, accessit. Nam pane hordeaceo, leguminibus, olusculis, animam traxit; neque his delitijs indulsit, quantum voluit, sed genium mirifice defraudauit. Diebus Mercurij & Veneris non primoribus digitis, non extremis labijs nutrimentum vllum attingebat. Rogatus causam, *feria quarta*, respōdit, *Iudæi consilium aduersus Christum collegerunt: feria sexta eundem cruci affixerunt.* Quamdiu, Dolensi cathedra relicta, desertum coluit non modo ingeniosam sitim, in vinum nunquam effudit, sed insuper cereuisia & aqua mulsa, sibi ipse interdixit. Diebus Dominicis parumper remittens chordam, paucos pisciculos in mensam admittebat, aliorum monachorum precibus subactus, qui eos offerebant: sed demum hos quoque nuncupato voto è culina proscripsit. Cum enim sparsis per mare sinuosis retibus serui captarent squamigerū hoc genus, monachis in prandium cessurum, quidam plus nimio in opus incumbens, in salsas vndas prolapsus haustusque, animam ebullijt. Multis lachrymis hic casus S. Maglorio monachisque stetit, illo identidem quiritante, se reum de morte, quam incautus seruus oppetijsset, simulque intendens, palmas, ne iustum in se Deus effunderet furorem. Vbi sol occubuit, ad littus cum monachis, Litanias ac Psalmos concinentibus, progressus, corpore humi defixo orauit Bonum Numen, negotium daret infidis vndis, vt saltem exanimem redderent, quē viuum surripuissent. Dum sic precibus euerberat cœlum, ac imbre infundit solum, hem! mare spumeum sese tollere: profundum ventrem ciere: seruum iam pridem vita exutum, in littus ore tumido euoluere. Voti compos factus Maglorius, palam spondet Numini, inuisos sibi deinceps pisces fore, infelici piscatione ansam præbente. Legumina igitur & panem hordeaceum reuocauit, esculentis alijs cum piscibus in fugam versis.

Abstinentiæ studet Maglorius.

Piscatori, qui vitam in vndis eructauerat, vitam restituit.

Amabilis virginitatis amantissimus, iuxtaque studiosissimus fuit, adeo vt turpis cupido nunquam eius potuerit penetrare sinum, aut soluere pudorem. Quippeni cum niueum pectus perpetuo cilicio coercuerit? Ad orationem adeo corpus tenue roborarat, vt templo non excederet, quamdiu persistere licuisset. Quid verbis opus est? Samsonem magistrum suum vbique expressit. Cum hoc è Britannia maiore in minorem traiecit: infidelibus fidem instillauit: illo in fastigium Archiepiscopatus elato, ad clauum Dolensis Abbatiæ admotus est, quē adeo dextere rexit, vt decedenti Samsoni in cathedram successerit. Hoc deinde honore sese abdicans, quamuis multi intercederent, in Eremum caput abstrusit, Budoco Dolensis Monasterij Abbate (qui à puero sancte & religiose cum ipso vixerat) in sede collocato. Potitus amica solitudine, ieiunijs, vigilijs, precibus, feruentissime incubuit: at diu soli esse non licuit. *Nam sanctitatis eius fama intra solitudinis latebras coërceri non sustinens, passim increbuit, atque ita ex diuersis regionibus varijs affecti incōmodis ad eum aduolabant, velut cæci, claudi, leprosi, dæmoniaci, salutem expetentes. Multi quoque animarum suarum remedia percipere cupientes, eius sapientiam audituri, ad eum accedebant. Cernens autē tam multa sibi offerri, tantamq; hominum multitudinem ad se confluere, magno animi dolore correptus, heu me, ingeminat, heu me! quid mihi prodest reliquisse propria, & aliena repetere? maior mihi iam imminet populorum turba & frequentia, & immensa accedunt opes.* Hæc vitæ ipsius auctor apud Surium, qui addit: *Non multo autem interiecto tempore comes Loiescon valde quidem opulentus, sed septennio iam lepra infectus, frustra in medicos*

Sur. c. 4.

Sur. c. 6.

magnus erogatis pecunijs, qui curare eum non poterant, vbi in insula, in qua morabatur, celeberrimam comperit Beati Maglorij famam, cum quibusdam è suis venit ad eum, rogans vt fusis ad Dominum precibus, faciat medicinam morbo tam infesto; Ad quem vir Dei, quinam, fieri potest, inquit, vt immundus curet immundum? Ego quoque immundus sum corpore. Indixit vero triduanum ei ieiunium, & ipse quoque cum quibusdam Sacerdotibus & Leuitis, religiosisque viris triduo ieiunauit. Exacto ieiunio, adhibitis Litanijs iubet eum in cupam balneatoriam inferri, manuque ei imponens, sublatis in cœlum oculis dicit: Domine IESV *Christe, per quem omnia facta sunt, qui Naaman per Prophetam tuum in Iordane flumine à lepra mundasti: qui propter peccatores saluandos è cœlis in terram descendisti, non pro iustificationibus nostris, sed pro miserationibus tuis multis hominem istum, qui ad me venit, tuam cupiens experiri clementiam, ad laudem & gloriam nominis tui purges à lepra, vt omnes qui id viderint, te collaudent, qui viuis & regnas cum Deo Patre & sancto Spiritu per infinita sæcula sæculorum Amen. Hæc cum dixisset, manu sua totum eius corpus attingens, adeo ab eo lepram omnem profligauit, vt nec cicatrix quidem vlla permaneret.*

Comiti cuidā abstergit lepram.

Tum vero comes Loiescon ad eius pedes aduolutus, non sine lachrymis pro tanto munere Deo & illi gratias egit. Multæ possessiones & opes ei erant, è quibus terram quandā Beato Maglorio dedit, sed partem illius dimidiam sibi reseruans. In ea terra multa erant aues pulchra, & magnitudine admiranda: ingens quoq; prouentus piscium ex sinu maris. Cum autem Beatus Maglorius perlustraret eam partem, quam comes ei largitus erat, aues & pisces omnes alterius partis ad ipsius portionem se transtulerunt. Tulit id indigne vxor Comitis, hortaturque eum vt Beati viri portionem sibi vindicet: alteram es relinquat. Facit ille quod mulier improba suasit; sed ecce repente aues & pisces omnes redeunt ad Beati viri possessionem. Id conspicatus Comes, ductus pœnitentia, vtramq; partem perpetuo retinendam illi assignat, moxq; aues & pisces pristinam sua domicilia in vtraque repetunt, vti antea sub ipso comite consueuerant. Porro ea in terra vir sanctus Ecclesiam condidit & Collegium Monachorum, quos illic habuit sexaginta duos, eosq; vita & doctrina sua eruditos, Deo & sanctis eius debita seruitutis officia præstare docuit.

Ædificauit Monasterium.

Ipse vero eiusmodi vitam hic loci duxit, vt esset angelo quā homini propior. Nam vetera exercitia spiritualia non modo reuocauit, verum etiam intendit. Quamuis autem Deus nullo loco absit, hic tamen Sanctus adeo libenter preces fundebat in templo, vt totos dies noctesque ibi poneret, atque perpetuo in ore haberet: *Vnam petij à Domino, hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vita mea.* Neque inania tantum sic verba iaciebat, sed re præstabat, templo nunquam excedendo: nec alibi quidem à suis vel quærebatur, vel inueniebatur. In templo exigebat diem: in templo vigilem ducebat noctem: hic Numinis beneficia continua excipiebat, ac inter cætera mortis imminentis nuncium, quam IX. Calend. Nouembris sanctissime obiuit.

Templū perpetuo habuit orantem.

Psal. 26.

Martyrol. 24. Octob.

Ex S. Eltuli schola etiam S. Paulus Episcopus Leonensis prodijt, Superioribus quam simillimus. Nam in Britannia maiore natus, in minorem superato mari se extulit, eamque concionando excoluit. Pater Monachorum factus, rigidam viuendi rationem cum iisdem iniuit, plenā abstinentiæ. Nuda ei stare solebat mensa, nisi quod mucidus panis cum aqualiculo eam instrueret, & quandoque diebus festis minuti pisciculi. Doctrinæ & sanctitatis fama virum Episcopum fecere. Miraculis ab ipso patratis onusta historia est; nos duo tantum, quibus Mosen populi Israëlitici ducem æquauit, libabimus. Hic enim virga petram feriens limpidam aquam elicuit: ille Monachis ob aquæ penuriam querelas miscentibus, scipione quo gradum iuuabat, humum diuerberans, liquidum fontem excitauit. Cum Moses diuinam extulisset virgam, è vestigio in latera secedens tumidum mare, succinctis Israëlitis viam aperuit. Oranti ac imperanti S. Paulo, morem quoque gessit Oceanus. Ad mille namque passus retro se agens, terram cui incumbebat, detexit, quam accolæ deinde in suum verterunt vsum. Quid? frænum quoque insanis fluctibus imposuit congestis lapidibus, qui limitum vices obirent, atque identidem prorumpenti mari occinerent: *Hic confringes, tumentes fluctus tuos.* Miraculum maius quotidiano, luna ventisque concitatum Oceanum vim & imperia Principum non hili facere: obices, claustra, repagula, fluctibus indignantibus & spumantibus perfringere, ad paucos tamen lapillos, à sancto Monacho lectos obiectosque, se reprimere: tumidum caput submittere: motas procellas componere. Demum vita per centum annorum ambages pie deducta, beatam animam in cœlum efflauit, tanto sui desiderio relicto, vt subditi vrbem suam Saliocanam ac Diœcesin deinceps mutato nomine,

S. Paulus Episcop. Leonensis.

Verbere fontem excitat: *Exod. 17.*

Exod. 14.

Mare cogit retrolabi.

Iob. 38.

S. Pau-

Martyrol. 12. Mart. S. Paulinam dixerint. Colitur ab Ecclesia 4. Id. Martij. Locus centenario seni multo posterior debebatur, nos tamen hunc dedimus, quod his annis iam floruisset; nec à popularibus submouendũ putabamus, quibuscum Britanniæ minori facem ad fidem ac pietatem prætulit. Res ab eo gestas Trithemius, Vincentius Beluacensis, Robertus Cenalis prolixe prosequuntur, è quibus postremus S. Paulo è statione decedenti Gobbanum, etiam Ordinis nostri monachum, patria minorem Britannum successisse, numerisque sanctissimi Episcopi vna cum vita absolutis, in Cœlites ab Ecclesia relatum fuisse, asserit. *Trithem. l. 3. c. 48. Vincent. spec. hist. l. 21. c. 22. & 23. Cen. l. 2. Perioch. 6. Ioan. Bosc. Biblioth. S. Pauli.*

S. Gildas: Hos inter S. Eltuti discipulos nomẽ quoque S. Gildas meruit, qui in Anglia ortus, suscepto in Britanniam minorem itinere, rei Catholicæ magnum momentum attulit, fuitque multorum monachorum Antistes. Eius vitam plures composuere, nemo tamẽ prolixius Iohanne Bosco, quam se ex Bibliotheca Floriacensis Monasterij prompsisse, ait, etsi mancam, & auctore Anonymo scriptam. Quocirca ne longum faciam (quod Boscus facit) non totum miraculorum eius & gestorum campũ pererrabo, sed quædam duntaxat, veluti flosculos magis peregrinos carpendo, edã. Ergò in Anglia, Patre Cauno natus est, quem nonnulli in quadam amplissimæ huius insulæ prouincia regnasse affirmant. Fortunatum patrem haud immerito diceres, non tam quod quinque filios susceptisset, quam quod vitam religiose omnes sancteque traduxerint; fratres tamen nonnullo interuallo post se reliquit Gildas: nec tantum fratres, sed etiam populares. Docilis indoles in puero sese effundens, impulit parentes, vt S. Elthuto instituendũ traderent, nobilis iuuentutis magistro, tota Anglia celebri. Si dubitas, discipuli fidem faciant. Gildas autem tantam doctrinæ humanæ diuinæque eius in schola compararat, vt sapientem publice appellarent. Quæ litteris commendauit, nescio cui sæculo exciderunt, non absque eruditæ nationis suspitio. Bibliotheca SS. Patrum luci vnam, non amplius epistolam exponit, quæ vehementer in vitia, à Regibus tanquam classe inuecta, animaduertit; vt facile intelligas, quam ipsi bilem suscitauerint admissa improba facinora. Nec sola natura nostrum Gildam ad eloquentiam finxit, sed Numen quoque linguam ei, ad verba diuina facienda expediuit. Quocirca totus in hoc fuit, vt patria scelerum pestem auerteret: Catholicos expiaret: cæteros ab hæresi (quod os multi illa insula adhuc rodebant) ad veram fidem traduceret. Dum igitur doctrina, vitæ innocentia, ac insuper miraculis, Anglorum pectora assiduo pulsauit, vicit. Sed parum erat S. Gildæ sementem in sola Anglia fecisse; plenis ideoque velis in Hiberniam inuectus, rus illud quoque arauit: nec fructus improbum laborem fefellit, quibus cum noua accederent miracula, vt iam S. Gildæ nomen per omnes iret aures, consilium cepit famæ ac vanæ gloriæ se subducendi. Et vero inde se propere eiecisset, nisi Rex Americus, à quo olim excitus fuerat, fugienti manum iniecisset: tum animæ etiam errabundæ, Orco litandæ, abitum meditanti obicem posuissent. Nam idolis adhuc passim plaudebatur in insula, & hæresibus, quibus ille bellum mouit, nec non multis partibus expugnauit. Adhęc fertur publice docuisse, multis iisque nobilissimis discipulis limen eius terentibus, nec non aliquot struxisse Monasteria. Item in Benchorensi Asceterio monachum egisse: quod an è vetustis auctoribus promatur, exploratum non habemus.

A S. Elthuto duxit mores.

Ad frugẽ vocauit pertraxitque Angliam:

Hiberniam:

Anglia & Hibernia hunc in modum excultis, in Britanniam minorem cogitauit Gildas, de qua SS. Samson & Paulus, ipsius condiscipuli, tam bene meriti fuerant, gentiles ad fidem & frugem vocando. Annus ipsi voluebatur tricesimus, cum nauim ageret in Britanniam, aduersam Angliæ; nec amplius mutauit sedem, reliquo ætatis ethnicis lustrandis & monachis gubernandis consumpto. Abbatis enim munere functus est. Magnas virtutes de hoc Sancto memorant historici, præsertim pauperes leuandi incredibile studium: continuas orationes, quas pectore diuini Numinis amore calente, perpetuo exhalabat. Sed cum facilis cæteris esset omnibus, sibi ipse difficilis ac durus fuit, atque imprimis victum nimium quantum sibi circumcidendo, quod tamen illi cum alijs, Britanniæ minoris eo tempore cultoribus, commune fuit, præterquam quod ter duntaxat in hebdomadem, non amplius, vulgarem annonam attigerit: qua ieiunandi ratione sanctus Pater noster Benedictus traduxit quadraginta dies esuriales. Sanctus Maurus postmodum in Francia eodem pacto eosdem dies condidit: quam consuetudinem Patres, qui ex Anglia in Britanniam minorem migrarunt, vna cum S. Regula exceperunt, vti Monasteria ab ipsis fundata, & legum sancti Benedicti etiamnum hodie seruantia contestantur. Per Episcopatum Benetensem apprime nobilem Asceteria multa molitus est sanctus Gildas, vni tamen eius nomen hæsit, opulento quondam, & vel solis ossibus tanti Præsulis diuiti: sed Nord-

Minorem Britanniam,

Ter duntaxat per hebdomadem inanem ventrem placauit:

perem & superna gratia munus ei impertire. Ait ergo Beatus Winvvalocus ad leprosum: quis est, frater morbus tuus? ille ab imo pectore ingemiscēs, cū multa humilitate dicit: magnæ angustiæ, multiq; acerbi dolores miserū corpus meum obtinent & premunt, sed in ijs quidam dolor præcipuus est, vt nisi hoc die curetur, mors mihi potius quam vita expectanda. Tum Beatus Winvvalocus, dic, inquit, frater qua nostra opera leuari possis: testis est enim Deus, etiam carnis nostra partē, si sic poscat necessitas, nos tibi libenter impensuros. Ac ille: nares meæ vulneribus corrosæ à tanti morbi ardore sordes purulentas contrahunt. Hæc vt ille dixit, Beatus Ethbinus librum deponit, miserum hominem arripit per latera, pronoque vultu iacentem erigit. Porro Christi Sacerdos Winvvalocus manum ad eius nares admoturus, audit pauperem lugubri voce dicentem: noli senior, noli manibus prehendere nares meas: id enim dolor non permittit. Sed si in remissionem peccatorum tuorum dolorem meum lenire vis, os tuum admoue naribus meis, atque ita leniter exugas putorem, qui me cruciat. Id audiens pius Sacerdos, inclinat sese, & dum vult facere, quod pauper petijs, ore suo apprehendit carnem filij Dei, licet ille se putaret leprosi horridas prehendisse nares: dumque exugere cœpit illam saniem, lapillus mirabilis incidit in os eius. Beatus autem Ethbinus Dominum per latera tenens, sursum aspiciens, cœlum apertum videt: in capite Christi quem tenebat, crux apparet, angelique è cœlis obuiam ei veniunt: atque illico Pater, clamat, Pater quem ego manibus teneo, & tu ore, Dominus noster IESVS Christus est. Affectis magno gaudio, & cupientibus retinere, in aerem se efferens Seruator, non vos puduit mei, dixit, in angustijs meis; nec me vestri pudebit in regno meo. Non erant apud se præ gaudio: non enim in paruo ducebant, nectar illud cœlitum & ambrosiam tanto ante delibare, ac æternum duraturæ felicitatis se esse certos, quod etiam Superi non vltimo loco suæ beatitatis ponunt.

S. Winvvalocus dum adesas leprosi emungit nares, elicit vnionem.

Bene apparebat haud vana imagine fuisse lusos, aut inanibus promissis lactatos. Nam in laudes Numinis soluti, humilitatis pulcherrimum certamen iniuerunt, vtroq; caussam præstiti beneficij à se in alium amoliente. Conuentum etiam inter eos fuit, rem inauditam alto silentio premere. Instauratis hoc diuino spectaculo animi viribus, stimulos sibi ad maiora domi aggredienda, ipsi subdiderunt. Sed dum in sancta exercitia incumbunt, Franci in Britanniam infusi, non modo Monasterium hoc, sed etiam prouinciam late populantur; quam cum Ethbinus ita misere iactari videret, Hiberniam petiuit: tum loco commodo, vbi reliquum vitæ degeret, constitit. Scilicet alpibus Nectensibus longe porrectis se condens, mapale, deinde sacellum, rudi opere excitauit, quod S. Syluano martyri dedicauit. Hæc ipsi sedes: hæc virtutum palæstra fuit. Multa miracula hic ab eo patrata subijciunt historici, quæ nos tacite præterimus, dum iter alio tendimus. Fama tamen horum multos ei addidit discipulos, vt Eremitorium in Monasterium sit versum, vitæ cultu asperrimō. Viginti annos hic posuit. Cum igitur iam annum ageret octogesimū tertium, in morbum incidit: circumfusis sibi ante aram fratribus in mādatis dedit à dextro latere se sepelirent: sacrificijs peccata à se admissa expiarent. Tum pace omnibus impertita, nutum ad Superos iter 14 Cal. Nouemb. suscepit. Sacra eius ossa multis saluti fuerunt. Similianus, quo Magistro vsus est, cęlū quoq; auxit, at quo die, nō perinde cōstat. Admiratione vero dignum est, Ethbinum ita rigidā vitam duxisse: ita parum nutrimenti stomacho vacuo suggessisse: præter Solis ac Iouis dies, reliquis nihil sumpsisse: nihilominus animā ad vltimam senectutem produxisse. Quod si Britanniæ minoris Sanctos à nobis iam descriptos memoria repetas, erit idem. Cuticulam non curabant, immo male excipiebant: parum cibi vulgaris ac inconditi adhibebant: nec tamen iuuenes aut viri extinguebantur, sed longo æuo, quasi neminem habebant superiorem: & cum vitæ minime cōsulerent, diutissime viuebant. Certe Samsonem anno quingētesimo quinquagesimo nono Episcopatum gerentem deprehendimus, quo munere in Britannia quoq; maiore annis aliquot functus fuerat, vt historici non pauci sexcentesimo à nato Seruatore adhuc spirasse ferant. Sanctum Paulum Episcopum Leonensem centenarium excessisse, ostendimus. Sanctum Machlouium seu Machutum ad centesimum tricesimum prouectum, sanctus Antoninus & Vincentius Beluacensis affirmant. His igitur seruis Dei nec longa ieiunia inuoluerunt stomachum: neque frigida remouit natiuum calorem: nec improbi labores fregerunt vires: nec denique vigilijs tractæ noctes capitibus cerebrum eruerunt. Alius, sodes, alius latet anguis in herba. Structæ dapibus mensæ, onustæ lances, & lepido viuo spumantes pateræ, ventriculo negotium facessunt: vires exedunt: fumos capiti morbosque propinant: denique vitæ neruos incidunt. Hinc quotidie duci videas intempestiua funera. Nec mirum sit ad illorum nos Sanctorum Patrum albam sene-

Ethbinus octogenario maior moritur.

Martyrol. 19. Octob. Trithem. l. 3. c. 42. & 43.

In plurimis annos erunt qui ieiunant.

senectutem haud peruenire, cum neque earum vestigia premamus. Nobis tamen gratulamur, Occidentem eiusmodi viros calamo nostro obtulisse, qui Paulos, Antonios, Macarios, Orientis lumina, ieiunandi ratione æquarunt, an superarunt? Milesias enim fabulas Orbis Eous mittere quibusdam credebatur, dum Anachoretas istos post longa interualla, & summo duntaxat ore, rudes escas attigisse ferebat, fronti tamen seniles rugas inscripsisse: albis capillis, & centum annis (vel amplius) obstinens diem obijsse. Domestica igitur abstinentiæ exempla, nec ab æuo nostro tam remota, vt illa Orientis, vncem, ac propemodum fauces, querulis nobis comprimunt, corpotum huius æui imbecillitatem contra ieiunia prætendentibus.

Postquam huic de Sanctis Britanniæ minoris historiæ manum supremam iam imposueram, ecce tibi liber mihi in manus venit, à Bertrando de Argentre viro nobili loco nato, Regi à consilijs, Cancellariæ Rennensis præside, ad annum millesimum quingentesimum octogesimum octauum Gallice editus, quo res Britanniæ longo filo in lucem protrahuntur. Cupido incessit animo libri euoluendi, experiendique si Annales mei, qua ad Britanniam pertinent, laborarent. Vidi nos ex eadem fidelia dealbasse parietes. Sed Gallica ipsius latine subijciam. *Post hoc ipsum tempus multi viri sancti ex insula profecti sunt, quos inter S. Armel Eremita fuit, qui sedem pro Rennes fixit, quo loco parochialis hodie stat Ecclesia, ipsius nomini dedicata. Eadem desolatione durante Samson, vrbis Eboracensis, (qua nunc Iorck dicitur) Archiepiscopus, excessit: factus postea Dolensis Episcopus. Item S. Tuduualdus Episcopus Trecorensis, quem incola S. Pabus appellant. Hic Rinallonis (Britanniæ minoris Regis) nepos ex Pompeia sorore fuit, cuius sepulchrum eleuatũ in templo parochiali Laugat, Diœcesis Trecorensis, adhuc hodie cernitur. Inde quoque venere SS. Maglorius & Pater, qui suam habuit Ecclesiam in Vannes: nec non S. Machutus, postea Episcopus Aletanus, quam tamen sedem in præsenti Macloniensem vocant. Sanctus insuper Briocus, Episcopus oppidi sancti Brioci. S. Mainus, qui celebre Monasteriũ sui nominis habuit. Præterea SS. Gildas, Goluanus, Columbanus, alijque multi admodum Religiosi, veluti Manocus, Felix Episcopus Nanets, Vennecus, ac alij: quamuis non eodem tempore ex Anglia profecti sint.* Viden' vt ex eodem fonte bibimus, Bertrandus & ego? Hoc vnum excipio, sanctum Briocum putasse me cretum & eductum in Britannia minore, quẽ Bertrandus ex Anglia oriundum fuisse asserit: in Britanniam vero minorem traiecisse, alienos à fide ac virtute iuuandi ergo. Non ita mihi placeo, vt aliam in sententiam ire nollim, etiamsi valida argumenta me teneant. Quin sponte fateor, admodum vero simile esse id, quod Bertrandus refert. Cum enim nullibi calamum temere effuderit, ac insuper Britannia minor ipsi patria fuerit, quis non in animũ inducat, res domesticas eum exploratas habuisse, & more suo etiam hic ab errore sibi cauisse? Quid si Saxonibus Britannia maiore subacta, incolas vexatibus, parentes cum amantissimo filio suo Brioco fugam capessiuerunt in Britanniam minorem: deinde puerum sancto Germano Parisiorum Episcopo instituendum tradiderunt?

Argentre l.1.c.28.

Ansam mihi quoque Bertrandus præbuit, res à sancto Magno, discipulo S. Samsonis, exponendi, quod hoc tempore fama iam præclarus fuerit.

CAPVT III.

Mainus, insignis Monasterij in Britannia minore, cui ipse fecit nomen, Fundator.

Discipulos inter S. Samsonis, quos late fama spargit, S. Mainus, Gallis Mein, habetur. Hic enim vix latũ vnguem à viuendi norma magistri sui discessit, quocum sese ex Anglia in Britanniam minorem contulit: bellum idolis mouit: Monasteria condidit. Patre Garasceno natus fuit, nobilissimo, ditissimo, quodque caput rerum est, pientissimo. Curæ huic summæ fuit, vt gnatus timeret Deum: adspiraret ad virtutes. Præceptoribus igitur commisit, à quibus excoleretur, qui cum ingenio prædi tus esset summo, tegnum inter commilitones gessit. Multi cum parua ora magnis atque & scientiarum fluminibus admouerunt, tanta mox vertigine circumaguntur, vt sumptis cornibus omnes præ se contemnant, & tantum non rumpantur superbia. At S. Mainus cum litteris submissionem, modestiam, facilitatem imbibit. Cum à paruo puero experimentum cepisset, *quam suauis esset Dominus*, non opes, non honores, non spes, voluptatem auerso eius animo afferebant, idque vnum meditabatur, qua excusso mundo ad Cœlites compendio perueniret. Cum igitur nulla via breuius duce re videretur, quam victus & vestitus asperitas, nec non seuerum in animum effrænatum imperium, quibus Samsonem supra cæteros esse audiebat, nil moratus ad sanctum Episcopum iter intendit innocens iuuenis: vt se in disciplinã reciperet, obtestatus est.

Auct. vitæ S. Maini Rolandus de Nenfuil. le. Episc. Leon in Britan.

Main' ad S. Samsonem secessit traiẽ.

Facile

Facile annuit petitioni Samson, quod videret à Numine ad præclara facinora perpetranda destinatum, emicantibus vndique bonæ spei scintillis.

Porro sanctum Samsonem æstuantem & tergiuersantem, magnis iniurijs agitari permisit Deus, vt fugam moliretur in Brittanniam minorem, ibique fidei sementem faceret. Tandem fugit, multosque discipulos abduxit, quorum opera in agro isto proscindendo vteretur. S. Mainus autem cum industria, eruditione, eloquentia valeret, breui cum magistro perfecit, vt ea prouincia religionem Christianam amplecteretur. Ad Monasterium Dolense magnum quoque momentum contulit. Hoc enim cum sanctus Samson ponere in animo haberet, vt tanto altiora fundamenta in Britannia iaceret; deinde vt fatigatis (dicam etiam distractis) continuis excursionibus, ad infideles monachis receptui locus foret, quo pedem referrent: vires animi corporisque instaurarent. Ergo ad Queratum Comitem, terræ maritimæ dominum, à Samsone mittitur, oratum ædificandi Monasterij copiam faceret. Iuit: orauit: S. Samsonis respondit expectationi.

Cum auribus beneuolis paulatim acciperent Euangelium incolæ, è re visum est sancto Patri, discipulos suos vlterius penetrare, expeditione per totam prouinciam suscepta. Quocirca quamuis Mainus charissimus ipsi esset, cũ propter suauitatem morum, tum quod omni officiorum genere sustentaret eius senectutem, missum tamen feeit, salutem animarum commodis suis anteponendo. Porro nihil antiquius Monachi in sacris missionibus habebant, quam excitare Monasteria, quo animi componendi causa secederent si quandoque negotijs sese eriperent: & vbi recens conuersos ad fidem sedulo firmarent, magno adiumento sibi in re Catholica promouenda futuros. S. Mainus profecto eiusmodi Asceterium statuit minore in Britãnia, vt nulli multum cederet in magno regno Galliæ. Cadonius quidam, non opibus tantum, sed etiam virtutibus diues, id loci colebat, cõmunis viciniæ totius pater. Peregrinis, hospitibus, egenis, mendicis, ærarium exhaurientibus. Hic incredibili amore captus innocentissimæ vitæ, quã S. Mainus cum socijs ducebat, viros ad se inuitauit; angelosque tecto se accepisse ratus, non tantum propria domo se eduxit, sed S. Maino omnes fundos ac fortunas, quæ ingentes erant, consignauit, vt nonum Monasterium conderet, ita Numine omnia dirigente. Mainus actis Deo gratijs, tam luculenter votis annuenti, mox operi admouit manum, S. Ioanni Baptistæ Asceterium moliendo, S.P.N. Benedicti exemplo impulsus; cui tamen posteri nomen Conditoris imposuere.

Erigit S. Iohannis Baptistæ Monasteriũ, postea S. Maiol dictum.

Educta iam mole, cum omnia vitæ tolerandæ necessaria in promptu essent, parum aquæ pro multitudine fundebat inuida humus, cuius penuria præter Monasterium vicinia quoque laborabat. S. Mainus Omnipotentis Numinis liberalitatem toties expertus, sustulit palmas ad sidera, rogauitque copiam aquæ, simul imbrem oculo ex vtroque præcipitans. Bonus Deus non satis habuit, roganti fontem perennem dedisse, sed lauaci insuper vim indidit abstergendi morbos, atque imprimis furfures, lepræ genus quod caput, supercilia, barbas infestat. Hinc iste Pater ore totius Galliæ teri, ac inter primi nominis Sanctos locum tenere cœpit. Quemadmodum igitur Hispani ignem sacrum, *fuego de San Anton* appellant, quod dux iste Eremitarum illi morbo faciat medicinam; ita insidentes cuti turpes furfures *lepram S. Maini* vocant Galli, quod per ipsum aboleantur. Qua de causa ex multis regni prouincijs viam in id Monasterium corripiunt, instituta etiam cum vexillo densisq; ordinibus peregrinatione, quam tanta religione peragunt, vt Roberto Cenali Episcopo teste, de annona sibi non prospiciant, sed stipem singuli rogent, quantumuis domi locupletes, vt humili cultu victuque precario facilius Deum sibi propitient.

E sicca terra euoluit limpidas vndas.

Cenal. l. 2. Perioch. 6.

Fons hic prodigio plenus, nec non miracula quæ patrauit alia, toti prouinciæ venerationem erga Monasterium conciliarunt. Quamobrem vndiq; aduolant (etiam summo genere nati) vtque in sacrum cœtum admitterentur, calidis precibus ab Antistite contendebant. Hoc vero nescio an non totius Galliæ Monasteria antecellat, quod præter principum filios, etiam tres Britanniæ Reges numeret, qui reiecta purpura rucullo se ibidem inuoluerunt. Vni nomen fuit Iucaelis seu Iudicaelis primi: vtroque enim appellabatur. Arnoldus Goëlum vocat, sed perperam, cum hic potius ambitu regni cæcus inimicitias cum Iucaële exercuerit, quod Bertrandus docet. Facem feris nepotibus Rex iste prætendit ad sequendũ; quippe doctrina S. Maini captus, doctrina raris virtutibus septa, prodigijs confirmata, inuerrit pellem, palacio cum humili domo Dei, imperio cum submissione commutatis. Sed vt in limine te hoc commonefaciamus, Lector, priscis temporibus adeo longe lateque leges, iura, incolas, terras explicabat Britannia, vt quamuis aliquot sæculis tantum Ducatus nomen haberet, totum tamen

Arnold. Wionl 4. c. 6.

Bertr. Argent. l. 2. cap. 2. de Britã. mi.

id ingens terrarum spacium, quod Armoricam dicebant, Reges cum imperio tenuere, quorum aliqui opibus & viribus præpollebant, donec Gallicum sceptrum hoc sceptrum minus sibi subegit. Cæterum Iucaël noster imo de pectore excusso regno, adeo studiosus asperitatis & perfectionis fuit, adeoq; presse sublata in humeros cruce Dominum Iesvm Christum, supremum Monachorum ducem, sequutus est, vt tandem venerit in numerum Sanctorum.

Iucaël è Rege fit monachus

Quanta autem vis exemplis inest! Cum regni habenas pro patre capessere debuisset Iudicaël secundus, maluit per vestigia patris in Monasterium tendere, splendida regni mole Iudoco imposita: sed hic etiam humeros subduxit. Vidisses pulcherrimam pugnam pugnari à duobus fratribus, non vter regnaret, sed vter non regnaret. Postremo Iudicaël victoria & spe sua frustratus est. In solium igitur sublatus, aliquot annis imperauit tempore Dagoberti, totius Galliæ monarchæ: postea in Monasterio S. Maini monachum induit: vitam sanctè exegit: Cœlites auxit, de quo multa historici & Martyrologia memorant. Iudicaëlem patrem à pud vnum Arnoldum inuenimus, quem se à Belforestio accepisse ait.

Iudicael II. sequitur patrē.

Arnold. Wion vbi supra.

Ad annum octingentesimum septuagesimum circiter Salomon deposito regno Monasterium S. Maini subiuit. Non modo sanctum, verum etiam Martyrio affectum aiunt. Fatigare possemus quantumuis non fastidiosum Lectorem, opes ab istis regibus, ac alijs summis viris in hoc Monasterium profectis: deinde priuilegia, exemptiones, Regumque liberos, veluti S. Iudocum Iudicaëlis I. Winochum & Anochum Iudicaëlis II. filios, commemorando; at quid opus est tam multa conserere, cum sat magnum decus vel tres Reges, sanctitatis nomine clari, Monasterio addere possint? Tam altas igitur radices hoc loco sacra Religio egit cultore S. Maino, vt quotquot se inferebant, quasi angelis immisti insignem maxime vitam traducerēt. Asperitates, quibus vir sanctus non tantum corpus, sed animum quoque domuit, nil attinet recensere, ne crambem repetere videamur. Nam Britanniæ minoris Sanctos inusitata ieiunia tulisse, quod *abstinentia virtutum omnium mater* sit, iam supra memorauimus. Famem imperiosam pauxillo pane, ciboue vulgari alio, sitim ardentem simplici aqua non tam pellebant, quā excitabant & accendebant. Tempus lectio, oratio, contemplatio, labor absumebat. His gradibus Monasterium S. Maini in perfectionis culmen euasit, ac proceres erectis Monasterijs nouis, illine nouos colonos deduxerunt. Ante alia celebrauit historia Monopalium, quo sæpe se tulit Sanctus: indeque in vicinia excurrens, docendo, exhortando, lustrandoque incolas, pij patris officio fungebatur: iterumque nota in cella se condebat. Maximus æuo fuit; nam Iudicaelem II. assequutus est, quem nos tamen hoc anno adduximus, quo iam inclarescere cœperat. Demum Sanctos Britanniæ coniungere, nobis consilium fuit.

Subsequitur Salomon.

Belforestius S. Mainum Episcopis Nanetensibus addit: haud dubium est, quin à linea aberrauerit. Multi enim historici Galli in rebus huius serui Dei explicandis triuere calamum, è quibus Robertus Cenalis & Bertrandus de Argentre nomenclaturam Episcoporum Nanetensium de composito fecere, præterito S. Maino, cuius etiam vitam Rolandus de Neufulle, diligenter persequitur, nec tamen infulam ei Nanetensis Ecclesiæ imponit. Negligentem facere deberemus, si Episcopum fuisse vel ignorasset, vel dissimulasset. Præter auctores alios, ipse Ordo S. Benedicti eum pro Abbate tantum habuit, nec aliquando Episcopis interposuit. Supremi diei conscius, ad 17. Cal. Iulij concessit, lætus ope præmij, discipulis autem prensantibus & collachrymātibus. Spiranti adhuc se admouit Hanstolus, sæpe questus & singultus natantibus oculis ciens, animo longe æquiore fata se sua laturum ingeminans, quam amantissimi Patris. Inaudijt senex, & habe bonum animum, dixit: intra sex dies apud Superos conueniemus. Dictum, factum.

Belforest. Cosmogr. de Britan.

Cenal. l. 2. perioch. 6. Bertrand. l. 1. de Britan.

Neufulle Flor. Sāct. 13. Iunij.

Annvs Christi 563. | Annvs S. Benedicti 83.

S. Martinus Dumiensis Archiepiscopus Bracarensis.

Anno quingentesimo sexagesimo tertio S. Martinus Dumiensis Bracarense Concilium indixit, quem citius quidem producere licuisset, eo quod famæ iam ante notus fuerit; locus hic tamen ei potissimum deberi nobis visus est, quod nō tantum Bracarense, sed insuper alia Concilia in Gallicia coegerit, è quibus Canones promemus, quos cognoscere, historiæ nostræ interest.

De Patria S. Martini aliquandiu inter auctores non conuenit. S. Isidorus qui vitam eius composuit, ex Oriente oriundum fuisse refert, sed prouinciam nō exprimit. Gregorius Turonensis domo Pannonem seu Hungarum fuisse docet. Suscepta autem in Palæstinā peregrinatione, postea per Franciam

S. Isidor. de clar. vir.

Greg. Turon l. 5. c. 37.

ciam iter intendendo, delatū in Galliciam. Quod igitur terram sanctam obiuerit:quod deinde Hungaria ad Hispaniam comparata, vergat in Orienté, S. Isidoro ansá prębuere, vt ab Oriente venisse, affirmaret. Gregorio accedit Venantius Fortunatus cū versibus:

Martino seruata nouo, Gallicia, plaude:
Sortis Apostolica vir tuus iste fuit.
Qui virtute Petrum prabet sibi: dogmate Paulum:
Hinc Iacobi tribuens: inde Ioannis opē.
Pannonia, vt perhibent, veniens è parte Quiritum:
Est magis effectus Gallica vera salus.

Martini Dumiensis patria, Pannonis. Io. Perez. Scholijs in S. Isid. viros claros.

Sed dubium hoc à cardine vellit Iohannes Perez Episcopus Segouiensis dum versus affert, ab ipso S. Martino fusos:

Pānonijs genitus, transcēdens aquora vasta:
Gallecia in gremium diuinis nutibus actus.

Actus igitur religione triuit Palęstinam. Inde viam (quod ex Turonensi conijcias) corripuit in Galliam, lipsana S. Martini, vt arbitramur culturus. Trabebat idem nomē, eadem patria, miraculorū celeberrima id temporis fama. Nec adeo à vero abhorret, monasticen tunc à S. Mauro, vel eius discipulis, qui late iam Galliam tenebant, didicisse. Petita post hæc Gallicia fuit, Deo duce, in qua fidem Catholicā multo sudore instaurauit. Etenim Sueui subacta Gallicia Pontificem Romanum, caput Ecclesiæ abdicarunt, atq; in errores Arij induti, annis fere centū remis aduersus Catholicā fidem incubuere. Tanto autem temporis lapsu altas hæresis profuderat radices, perditis etiam moribus late dominantibus. At S. Martini doctrina, diligentia, sanctitate, paucis annis euulsa funditus machina, traxit ruinam. Sueuis tunc temporis in Gallicia imperitabat Theodemirus, cuius filius ex morbo vita periclitabatur. Mœsto patri S. Martinus Turonensis, à miraculis celebris, venit in mentem. Secum igitur constituit certos homines, auro argentoq; graues, mittere Turonum, qui precibus & muneribus salutē gnato à S. Episcopo impetrent. Itur: S. Martinus in vota vocatur: donis obruitur: repetitur Gallicia. At nihil horū Miro, quod ei nomē erat, salutē attulit. Intellexit Theodemir⁹ ideo nil sua dona votaq; profecisse, quod fidē aliam quá S. Martinus Turonensis sectaretur. Ergo arietem aliū huic muro admonet: alia via S. Martinū aggreditur. Iterum munera mittit, sed opulentiora; ferentibus autem in mandatis dedit, nauarent operam, vt prece vel precio aliqua re ad S. Martinum spectante potirentur, spondetq; ad fidem illius se accessurum, si filius conualescetet. Dum illi profecti sunt in Galliam, honori Diui Martini templum

S. Martin⁹ Turonensis Theodemiri, Galliciæ Regis filiū morbo laxat.

posuit: vtriusque voti factus est compos. Nam filius conualuit: legati attulere partē pallij sancti Pontificis. Mirus iam secunda valetudine gestiens, aduentantibus pręcipiti gradu ipse obuiam processit, sacrique pallij thesaurum venerabundus excepit. Visus occasione sanctus Martinus noster Dumiensis, summis viribus Sueuorum conuersioni incubuit, omnesque Ecclesiæ Catholicæ restituit. Vt autem in fide perstarent, fixique in Ecclesia Romana manerent, Regi sponte ardenti auctor fuit, Episcopos sacra Comitia agere curaret, vt doctrina sua publico calculo approbata, tanto plus ponderis apud animos nondum satis firmos haberet. Nec enim plantæ recens humo mādatę, ventis absq; præsidio sunt obijciendæ. Rex absq; mora Concilium Bragam seu Bracarā, quę regni Metropolis erat, anno quingentesimo sexagesimo tertio, vt plures sentiunt, indici curauit. Cæterum præter Galliciam pars quoque Legionis & Portugalliæ eius patebant sceptro. Vndique octo Episcopi connenere, quorum nomina etsi hactenus in promptu fuerint, singulorum tamen Cathedræ non perinde constabant. Nos è vetustis monumentis erutas Lectori damus. *Crescentius, Metropolitanus Bracarensis: Andreas Episcopus de Iria Flauia: Martinus Episcopus Dumiensis*, quem hic manu tenemus: *Hildericus Episcopus Lucensis seu de Lugo: Maliolus, Episcopus Brittonensis: Lucentius Episcopus Conimbricensis: Cotus Episcopus Tuyensis: Timote Portensis.* Multa hic fuere sancita, quæ ad fidem Catholicam, & disciplinam Ecclesiasticam promouendā magnum momentum attulerunt.

S. Martinus, extructo prope vrbem Bracarensem Monasterio, docendo agendoque ita alte subiuit pectus Regis, vt hic Ecclesiam Monasterij iusserit esse Cathedralem, id quod in Britannia minore sæpe vsuuenit, plerisque ibi Episcopatibus è Cœnobijs originem ducentibus. Apparet S. Martinum aliquot annis ante quingentesimum sexagesimum tertium venisse in Hispaniam, quibus hęresin exsciderit: Monasterium condiderit: famam sibi pepererit: in sedem Episcopalem euaserit.

Monasterium Bracarense in Pontificiā sedem attollitur.

Non hic stetit Regis gratia, sed Lucretio Bracarensi Archiepiscopo satis exiincto, eam in Cathedram sanctum Martinum intulit. Hic fidei stabiliendæ studio iterum instante Theodemiro, Concilium alterum vocaret Lucum, in quo limites Episcopatibus per regnum Sueuorum designatos fuisse, aiunt. Monasterio Dumiensi regia familia tributa est. Ecclesiam Lucensem in Metropolitanam quidem extulerunt

Ei S. Martinus imponitur.

Patres

Patres, sed quæ à Bracatensi penderet. Nam illis visum est, multos Episcopatus ægre ab vno Archiepiscopo regi posse. Hilderico igitur Nitigium, virum egregie sanctum, suffecerunt. Sed ne Lucensis quoque Concilij Patres desideres, ecce tibi syllabum, ex archiuo & tabulis originalibus, vt vocant, huius Ecclesiæ promptum. *Martinus Metropolitanus Bracarensis: Lucentius (alijs Lucretius) Episcopus Conimbricensis: Sardinarius, Lamecensis: Nitigius Metropolitanus Lucensis: Andreas Iriensis: Anila de Tuyensis: Polybius seu Polemius Asturgensis: Remisol de Viseo: Egorius Egitanensis: Viator Magnetensis: Mayloc Britonensis.*

Bonoque loco apud Regem nouū est.

Patri fatis sublato successit Mirus filius, non regni modo, verum etiam virtutis & amoris erga sanctum Martinum heres, apud quem tantum diligentissimus Pontifex potuit, vt tam Lucum quam Bracaram Concilia altera indixerit. Præter Synodi Lucensis Patres, solus Witimer, Episcopus Orensis nouus accessit. Æternæ vero id memoriæ imprimendum, Galliciam, antequam sanctus Martinus peregrinum pedem imponeret, Arianæ hæresi implicitam, vndique pessum iuisse, impijs erroribus incendia late voluentibus: cum vero is excederet, regnum reliquisse alta pace compostum: fide Catholica imbutum: bonis moribus florentissimum: duodecim Ecclesijs Cathedralibus conspicuum, veluti Metropolitana Bracarensi, cui Visensis, Conimbricensis, Egitaniensis, Lamecensis, Magnetensis, adhærebant: Metropolitana Lucensi, ad quam Sedes Iria Flauia (postea Compostellā translata:) Orensis, Tuyensis, Astorgensis, Britoniensis, pertinebant: è quibus Iriensis, Orensis, & Dumiensis plane S. Martino in acceptis ferendæ sunt, qui innumeras animas, recens fide Romana imbutas, pluribus pastoribus committi voluit.

Tres Episcopatus condit.

Nec præteriuerim Theodemirum & Mirum Reges, qui vt Beneficium à S. Martino Turonensi acceptum quoquo modo compensatent, omnibus tribus Cathedris à se erectis, eiusdem Pontificis nomen imposuerunt, Martino Dumiensi pulcherrimum facinus suo calculo prosequente. Ecclesiæ Oriensi nec quidem iniqua sæcula hanc abolere potuerunt appellationem, ad quam miraculum insigne pattatum, Suevos in amorem ac venerationem S. Martini Turonensis mirifice erexit. Theodemirus negotium vinitori dederat, vt poneret ex ordine vites piæ templi foribus, quod viridantes parietes pampinis explicatos oculis blandituros, fronti vero ædis sacræ decus additutos putaret. Nec spe frustratus est. Effusis enim late palmitibus, obuia quæque clauiculis iniectis occuparunt; post, autumno grauidæ manus auidas inuitatunt. Paucis inde elapsis annis Ariamirus Rex, Theodemiri filius, è templo discedens, pedem & oculos vitibus admouit, fœcunditatem exploraturus. Lætus generosam propaginem superasse expectationem, caputque in suos circumferens, abstinete manus hoc à vineto, dixit, ne si quis racemum carpat, S. Martino possessori persoluat pœnas. Sint, cuius sint, subiecit ridiculus sycophanta; etiam inuito Domino ego hic vindemiauero: simulque improba ora ducens, iam spe musteum fructum deuorabat. Sed dum flexile brachium tendit, ac è racemis turgidissimo omnium rapacibus digitis imminet, papæ! brachium furti prope reum obstupuit, riguit: nec iam potuit amplius reuocari: neque conscij digiti à prehensa vua iterum auelli. Comæ steterunt pauido, vox tamen adeo non hæsit faucibus, vt potius insanos questus cieret: temeritatem suam sine fine incusans. Incensus ira Rex nec sui, nec adeo sancti Martini rationem habitam à sycophanta, tenacem illi manum ferro præcidi iussit. Intercessere palatini: demum repetito templo precibus propitiarunt S. Martinum: suti brachium & digitos impetrarunt. Gemino miraculo perculsum regnum, nouo iam studio huius Pontificis efferti cœpit: cum autem leuissimus iste vuarum piscator ictus esset vrbe in Oriensi, Cathedralem Ecclesiam sancto Martino addixere.

Greg Turon. l. 4. c. 7. mirac. S. Mart.

Scurra nō impune vuas sancto Martino aufert.

Ecclesia Iriensis hisce annis condita, etiam Præsuli Turonensi à principio dicata fuit. Alia vero Iria Flauia decimo ex to lapide dissita, & Minij ripam milliaribus quatuor ante premens, quam is in mare se euoluat, priorem ætate superat. Templo hæsit Tutelaris sanctissimi nomen, donec Nordmannis ac Mauris Galliciam incendio miscentibus, ipsam ædem sacram iniuriosi circumtulere venti: vbi postea instauratum fuit, titulum sanctæ Mariæ de Vria obtinuit, ara sancto Martino à dextra posita, quæ memoriam notis clientibus refricaret: eorundem vota exciperet. An vero eiusdē S. Martini titulum, Ecclesiæ Dumiensi imprimis impositum, tempus non abstersferit, non satis certi sumus. Multos induxit error, vt crederent tres istas Episcopales Cathedras, templa, Monasteriaque, Dumiensi Martino, non Turonensi fuisse posita, cum is publica fax Galliciæ & Portugalliæ fuerit, communi vtriusque regni Apostolus, nemine inficias eunte. At cum Reges mira-

Iriensis Ecclesia dedicatur S. Martino Turonensi.

culis impulsi tres istas Ecclesias sancto Martino dedicatas esse voluerint, Dumiensi adhuc in humanis agente, facile intellexeris honorem hunc habitum fuisse Turonensi. Vertentibus autem annis etiam Dumiensi ædes sacras erectas esse, Galliciæ & Portugalliæ suum in Apostolum pietas nos subigit, vt credamus.

Porro vbi sanctus Martinus Dumiensis animaduertit vtrumque regnum Galliciæ & Portugalliæ lucem fidei hausisse: tres Episcopales sedes sua opera positas stare: Concilia se auctore celebrata: eam in cogitationem venit, quonam pacto rei Christianæ non domi tantum, verumetiam toto Occidente consuleret. Subijt mentem, Synodos in Oriente celebratas, per reliquum Orbem non adeo vulgatas esse. Ergo operi admouit manum: quamplurimos Canones è Græca in latinam linguam traduxit. Etsi enim gente Græcus haud esset, idiomatis tamen gnarus erat. Magnam à viris doctis hoc facto iniuit gratiam: de Ecclesia quam optime meruit. Pias ac vtiles lucubrationes Tomus II. Conciliorum complectitur, quibus Gratianus multum est vsus: qui tamen sibi imposuit, dum eas non à Præsule nostro Dumiensi, sed à Martino Papa profectas putauit; quem summum reliqua doctorum natio non bibit, quod laborem eum à Dumiensi susceptum Nitigio, Archiepiscopo Lucensi (vulgo de Lugo) inscriptum intelligerent. Iactis hunc in modum fidei fundamentis, mores sibi excolendos esse censuit. Quocirca succedens oneri, de quatuor virtutum Capitibus conscripsit librum, quem Regi Miro dedicauit. Aliud quoque opusculum condidit, quo pacto agrestis turba sit premenda; quæ lustralibus vndis expiata, subinde desciuit ad idola. Epistolas demum innumeras dedit, quibus varias virtutes Lectoribus instillauit.

S. Martinus Dumiensis opere nouo de orbe meretur.

Editis libris format mores.

Stylo, acumine, sententijs, maxime qua virtutibus Cardinalibus operam indulget, adeo prope ad Senecam Iberum accessit, vt huius nomine frontem inscriptam ac impressam, diu illius libri circumtulerint, donec vltimis Germaniæ & Galliæ editionibus grandis error correctus fuit. Non cuiuis promptum est, ouum ab ouo dignoscere. Verbis, rebus, Italico aceto, errorem hunc meruit sanctus Martinus: qui denium vt coronidem huic regno imponeret, multa Monasteria condidit, sancto Isidoro teste, qui nomina non expressit. Temporum iniuria postmodum ea vna cum rebus deleuit. Solum Dumiense nomen non excidit memoriæ. Extra Bracaram seu Bragam hoc Ascēterium statuit Antistes sacer, vt tanto facilius frequentiam & vrbanas turbas euadere posset; nec tamen longe ab ouibus abesset, sollicitus pastor. Primus S. P. N. Benedicti Regulam Galliciæ dedit, functus aliquamdiu Abbatis munere suo in Monasterio. Portugalliam quod attinet, iam suum ante habebat Lorbanense Cœnobium. Et nostram in sententiam Hieronymus Romanus it, quem tibi adstituo. *Quantum ad primos Monachos*, ait, *qui in Galliciam venerunt, certum est, à sancto Martino Dumiensi adductos, quibuscū fundauit Monasterium Dumiense in suburbio, seu extra mœnia Bragensia. Eo honoris hoc ascendit Cœnobium, vt supra sexcentos annos Cathedram Episcopalem possederit, quod monumenta Ecclesiæ Bragensis me docent. Mauris deinde irruentibus, & cladem ferentibus, superfuit tamen. Hinc ostenditur Ordinem S. Patris Benedicti hisce temporibus Hispaniam incoluisse, fitque mihi verisimile, primos Patres ex Italia per Galliam venisse. Fuit autem Ordo S. Benedicti tam potens, tantaque auctoritatis, vt si æstimemus incrementum eius ac magnitudinem, vel in sola Hispania mūdi miraculum videri possit. Sed cum oblata occasione semper nobis de Religionibus sit facienda mētio, qua viris doctis ac litteratis Hispaniam illustrarunt, apparebit Ordinis S. Benedicti gloria: quamuis si compares, plura monumenta iam perierint.* Hęc pręclare P.F. Hieronymus Romanus: monachos tamen nostros, quos ex Italia in Hispaniam per Gallias iter fecisse memorat, partes magis in Occidentem vergentes accesiisse puta, auspicijs & ductu S. Martini. Mari enim, ac cursui, quem hic Præsul tenuit, se crediderunt. At monachi qui penetrarunt in Castiliam ex Italia, in viam aliam se coniecerant. Illi proinde qui à S. Mauro in Hispaniam dimissi feruntur, cum S. Martino Dumiensi vela fecerunt, cū cæteri in regnū hoc se iam insinuassent, quod anno tricesimo septimo supra quingentesimum è monumentis euoluimus. Quo anno structū sit Dumiense Monasterium, deinde quamdiu steterit, nemo hactenus certum potuit ponere calculum: liquet tamē parū temporis fluxisse, quandoquidē præsenti āno iam sedes eo Episcopalis illata erat, quæ S. Martinum excepit. Vnde titulus Dumiensis adeo in omniū ora & calamos illapsus est, vt à paucis Martinus Galliciensis aut Bracarensis dictus sit. Baronius autem non tantum Martinos miscuit, sed ex vno tres fecit, cum tria tantum fuerint nomina, homini vni indita. Quem enim fugit, condiuam ab eo sanctiorem fidem in Galliciam? Hincq; Martinum Galliciensem à Gregorio

S. Isid. de clar. vir.

Regulam S. Benedicti Galliciæ tradit.

Hieron. Rom. hist. Eccl. Hisp. l. 2. c. 25.

Greg. Turō loc. cit.

Martinus Dumiensis etiam Galliciensis & Bracarensis audiuit *Baronius at. Inny. Martyrol.*

Greg. Turon. l. 4. c. 37. hist. Franc.

gotio Turonensi ac alijs appellatū? Deinde elarum in sedem Archiepiscopalē Bracarensem à Fortunato editis versibus Bracarensem dictum? Nomenclatura tamen Dumiensis pertinacius hæsit, cui Monasterio maiorem in modum addictum fuisse oportet, quando Abbatem ibi egit, cum mitra Archiepiscopali Bracarensi vinctus iam esset, duabus nimirū sedibus Monasterio in vno collocatis. Ipsissimū S. Fructuosus noster fecit, qui ex Abbate fact⁹ est Episcopus Dumiensis, postea Archiepiscopus Bracarensis. Hę tamē duæ Pótificiæ Cathedræ, Bracarensis inquā, & Dumiensis, vt plurimum disiunctæ erant. Exemplum in Concilio Toletano cape, cui Iulianus Archiepiscopus Bracarensis, & Pimenius Episcopus Dumiensis, subscripsere, Posteriorem, qui Abbatis quoque munere Dumij functus fuit, Concilium Toletanum XII. *sanctissimum Confessorem Pimenium* appellat, cuius sacra lipsana Aquensi Monasterio condita sunt.

Concil. Tolet. 12. c. 4.

Floruit hoc Monasterium, donec Mauri, vastatores Hispaniarum, acerba clade affecerunt Galliciam; maxime vero Bracaræ omnem mouerunt lapidem: nec à Dumio, quod stabat extra mœnia, furiales manus abstinuere. An solo sparsa rudera iterum in Monasterium fuerint erecta, ignoramus: aliquam nobis facem tamen accendit Ecclesiæ Mindoniensis archiuum, vnde vel eminus saltem aliquid videre liceat. Incumbentibus Mauris monachi sibi fuga consulentes, Asturiam petiuere, parum cultam, confragosam, infrequentem. Paucis milliaribus à portu, cui Ribadeo nomen, excitato nouo Dumiensi Monasterio, consedere, quo nomine etiamnum hodie appellatur. Atq; pro certo constat Cathedræ Mindoniensi (vulgo de Mondoñedo) in secundo hoc Dumiensi Monasterio locum fuisse, antequam in vrbem transferretur. Hæc porro cum valli incubet, quam Vallibriensem dicunt, Ecclesia maior Mondoñedi olim S. Martino Dumiensi dedicata, S. Maria Vallibriensis vocari cœpta est. Prior tamen appellatio quosdam in errorem induit, Episcopatum Mindoniensem, seu de Mondoñedo, eundem esse cum Dumiensi, cui fundamenta S. Martinus iecit, ac tectum imposuit. Nos vero de errore certos facere debet ipsum loci vtriusque interuallum, cum vnus quarta, non amplius, milliatis parte absit Braga, seu Bracara: alter multis milliaribus distet. Nec est cur ab hac linea te abduci permittas, cum fidem præstent tabulæ, quas plurimas cum Mondoñedi, tum in S. Saluatoris de Lorenzana, antiquissimo Ordinis nostri Mońrio, vidimus, euoluim⁹, legimus. Nec dictis min⁹

Monachi à Mauris in fugam acti, in Asturiam se aufe-runt.

certa nunc afferemus, cū fidem mereantur à fama, per tot ætates deducta, nec non ab integerrimis monumentis. Ferunt igitur, Braga à Mauris delera, viciniores vrbes (velut Lucum, Iriam) in eius fines protulisse pedem, & quod cuiq; commodum visum fuit, sui iuris fecisse. Hac occasione Mindoniensem Episcopatum conditum, & (quemadmodū Monasterium Dumiense prope Bragam ante id caput Episcopatus Dumiensis) antiquum Episcopatus nomen sibi vindicasse, vt Dumiense & Mindumiense absque discrimine vocaretur. Mondoñedi litteras ex archiuo producunt, quibus etiam te iudice fidem abrogare nemo debet. Priores etiam exhibent nongentesimam decimam quintam, characteribus vetustate propemodum consumptis. Bracaram à Mauris excissam memorant, quam sortem vicinum quoque Dumium subijt. De quadam donatione agunt, à Rege Alphonso III. factam Rudesindo Episcopo, non sancto illi Rudesindo, monacho nostro, sed ætate potiori. Pauca inde oculis tuis subijciamus: *Villa Mindunensis noscitur nuper esse fundata. Concedimus præfato Rudesindo ipsum locum de Dumio.* Manum addiderunt his tabulis Aluarus, Felimirus, Nausti, Ataulphus, Fralasius, Brandericus, Episcopi. In promptu quoque aliæ duæ scripturæ sunt, à Rege Ordonno II. & Regina Geloira, ad eram nongentesimam quinquagesimam quartā, Augusti vero diem decimum quintum datæ, quarum priore Ecclesiam S. Mariæ monachorum Episcopo Sauarigo in honorem S. Martini Mindunensis, dono dant: altera autem Ecclesiam S. Marinæ de Barro: sed Monasterium nō Mindunense, verum Dumiense appellant. Præter Regem & Reginam sua nomina his monumentis subiecerunt Florētinus, Fronimius, Genadius, Nausti, Episcopi, & Iustus Abbas. Sed habe tibi fragmentum alterius chartæ, quæ has tenebras melius dispellat. Pia quædam fœmina nonnihil de suis fortunis Theodemiro Episcopo transcripsit, vt eo munere cultum iret S. Martinum, *Cuius reliquiæ dignoscuntur manere in Mendunio Dumiensis sedis, Prouincia Gallicia.* Vnde cognoscas secundum Dumiense Monasterium ea terra positum, quam hodie Episcopatus Mondonnedanus tenet, atque à veteribus Dumiense ac Britoniense dictum. Cum enim Diœcesis alia eo nomine imbuta, pessum ijsset in Asturia, vna pars Mondonnedo, altera Ouieto cessit, simulque Bituricense nomen vtrique Episcopatui insedit. Non repetimus Vallibriensis appellationem, ne stomachum cieamus. Postremo titulis alijs æuo deletis, Mondonnedi

Incunabula Episcopatus Mindoniensis.

Mondonedum dictū fuit Dumium.

Archiu. Mondon.

nedi solus hæsit. Sed coercendus tandem nobis calamus est, quando vel lippi vident Dumiense Monasterium vertente hoc tẽpore à S. Martino Dumiensi structum, Bracarensem & Mondonedsnum Episcopatus peperisse. Posteriori Rosendum, sanctimonia celeberrimum præfuisse: tam ipsum quam alios ad eam infulam auctoratos, Episcopos Domienses ac Mindunenses simul appellatos. Iore igitur merito summas Mondonnedum gratias Dumio reponit, huius Sanctos Præsules non secus quam proprios festiuo honore, suo quemque die prosequendo, veluti SS. Martinũ, Fructuosum, aliosque Dumienses. Insignis coniectura Dumiense Monasterium alterum ex primo, quod Diuus Martinus condidit; originem duxisse.

Concil. Lucense fines describit Episcopatibus. Porro Patres Concilij Lucensis anno à Christo nato quingentesimo sexagesimo nono celebrati, Galliciam, in qua tum Sueui erant rerum Domini, certis limitibus distinxere Episcopis, vt quisque spatio sibi descripto, non alibi, sacrum ius diceret. Cum ventum est ad Diœcesin Dumiensem in hæc verba statuere: *A Dumio. familia seruorum.* Nimirum, familiam seruorum Monasterio Dumiensi subditam fore. *Bac. hist.* Itarius limites à Concilio fixos exponens, inductis superioribus verbis, hæc subijcit; *Ad sedem Dumiensem familia regia.* *Moral. l. 12. c. 30.* Morales adiuncto sibi Luca Tuyensi ac Historia generali, effusis habenis per documenta vehitur, facturus fidem Concilium aulicos Domiensi Monasterio subiecisse. Deinde ostendit è re aulæ futurum, si proprio vteretur Episcopo, qui mores coram iospiceret, conlitentibus aures daret, cæteraque pastoris munia obiret. Ita Dumium in aula Regis Sueuorum, Episcopi officio functum, quippe vrbi Bracarensi vicinum. *Loays. Schol. in Concil.* Loaysa Archiepiscopus prudenter animaduertens, Capitulum huius Ecclesiæ è Monachis constitisse: *Attribuerunt ei*, inquit, *familiam regiam: hoc est, regimen Sanctorum Monachorum.* At cum alibi mentio fiat de familis seruorum, verba in eum sensum accipit, quod cum seruire Deo, regnare sit, Monachi autem in seruitio diuino dies noctesque exigant, hos familiam regiam censeri debere: hos deinde Iurisdictioni Monasterij à Concilio subiectos suisse. Argute hi quidem ambo philosophantur, nos tamen cum neutrius dextera nostra coniungere possumus. Enimuero si Itacius familiæ regalis nomine eos qui ab aula sunt, intelligit, quod Morales facit, Cõcilium profecto sinistre admodum *familiam seruorum* & mancipiorum nuncupasset. Neque enim aula Regum Hispaniæ similis Sultanorum aulæ est, vbi seruitutem omnes seruiunt. Quid si per *familiam seruorum* monachi accipiendi erant, Concilium expressurum fuisset, cuiusnam serui essent, dicturumque, *familia seruorum* Dei: neque enim seruire cuiuis regnare est, sed seruire Deo.

Qui nucleum è cortice Conciliorum & Priuilegiorum diligentius euoluerint, à nostra parte stabunt ac fatebuntur, vtrumque à scopo aberrasse. Itaque nostra quidem sententia, *familia seruorum* erant illi, qui vario seruitio pro regia fungebantur, destinati agris colendis, cædendæ syluæ, verrendis atrijs, curandis regiis prædiis. Atque hos Itacius familiam regiam nominat. Erant enim regij serui, sub iugum hoe missi. Mos olim Hispaniæ ferebat, nobili loro natos arma tractare: castra lequi ignobile vulgus ac seruis natam turbam, ruri opus facere: quod priuilegia tam Ecclesiarum Cathedralium quam Monasteriorum luculenter produnt, quibus *familia Ecclesia*, aut *familia Monasterij* Ecclesiis vel Monasteriis subijciuntur, id est, *Monasterij* serui, qui arua Ecclesiæ aut Monasterij exercent, ac alios hoc genus laboris suscipiant. Absque his fuisset, frustra profecto agros, prata, terras contulissent Fundatores; nam inculta omnia iacuissent. Gens enim libera, ingenua, à seruili opere abhorrebat: nec facile cuiquam suas manus locabant, militia initiatas, vel initiandas. Huc enim pars maxima ferebatur & cæteri officia cum bonore coniuncta obibant. Quemadmodum ergo Ecclesiis & Monasteriis serui erant agriculturæ & alijs huiusmodi ministeriis addicti, sic regibus quoque. Nec enim aureos id temporis montes possidebant, vti hodie. Quocirca Concilium Dumiensis Monasterij curæ *familiam regiam*, nimirũ seruos, in pagis, prædijs, mapalibus degentes, in que opus rusticum incumbentes, commisit. Ingens hoc mancipiorum pondus Archiepiscopus Bracarensis in Monachorum humeros transtulit. Atque hæc regnantibus Sueuis. At vbi Gothi, sueuis exactis, Galliciam subegerunt, sublata iam veteris moris regia familia, Concilium XII. Toletanum, Dumio in hæc verba terminos designauit. *Dumium teneat de Duma vsque ad Albiam: de Rianthe ca vsque ad Asam.* Hæc cum ita, non solis Monachis, sed aliis etiam populis iura sacra dabat Dumium. Sed vident lynces, in Canonibus *familiam* non aulicos, non Monachos, sed seruos & postremæ notæ mancipia notari.

Verum vt ad S. Martinum Apostolum & Patronum Portugalliæ & Galliciæ nostrum redeamus, Domiensis & Bracarensis

In antiquis priuilegiis familia Monasterij vel Ecclesiæ, serui sunt.

Concil. 4. Tolet. à c. 67. vsque ad 74.

Greg. Turon. vbi supra Aimon. l. 3. c. 39.

Episcopatus honores eurasque triginta annos gessit, Gregorio Turonensi & Aimonio testibus. Æuo deinde grauis, laboribus fessus, præmio maturus, ad annum quingentesimum octogesimum tertium XIII. Cal. April. sanctissime expirauit, cœli ex asse hæres, cuius festum diem multi Gallicia & Portugalliæ Episcopatus insigni cultu obeunt. Conditus Dumij, sub quadam veteris templi ara est, repertaque, vt ferunt, anno Seruatoris nostri millesimo quingentesimo nonagesimo ab Augustino de Castro Archiepiscopo. Stat etiamnum id templum, & est è Monasterio in Ecclesiam parochialem versum. Ædificiorum rudera, humo se efferentia, antiquam magnificentiam adhuc extollun.

Mausoleũ S. Martini Dumiẽsis

CAPVT II.

Monasterij Tibaes in Portugallia fundatio.

Martinum Dumiensem impiia Idolis in Gallicia sese obiecisse: de aris detraxisse: Sueuos id regnum tenentes ad veri Numinis cultum induxisse; tum eidem quoque Monasterio per Gallicism & Portogalliam deberi incrementum, omnium totius Iberiæ historicorum sensus est. Sed cum ia nostra à memoria tam sit remotus, nec ætas illa quempiam tulerit, qui Sancti viri acta in commentarios retulisset, suspensa expectatione Lectoribus es solum expedire potuimus, quæ in Monasterio Dumiensi parce admodum apposuimus. Certe in huius sæculi Pythagoricum silentium querelas conjeiunt omnes antiquitatis studiosi: hæret aqua historicis: (nam quis ruptam; canat ad lyram?) Quocirca ingens in archiuis reconditis discutiendis ponitur diligentia, vt quoquo modo historiæ laboranti succurratur, hiatu vel à litteratis pulueribus expleto. Hanc mentem bonus Deus P. Martino de Braga, io illustri Monasterio Sancti Martini de Tibaes degenti, indidit, qui condita S. Benedicti historia, luculento calamo complexus est quicquid ab introducto in hoc regnum Ordine accidit. Isto ab auctore hæc tibi habe latine, quæ ia lingua Portugallica scripsit.

P. F. Bernardus de Braga hist. S. Bened.

Vt ordine Monasterium Tibaes tractemus, à loco principium ducamus. Tribus fere milliaribus Braga distat Occidentem respiciens, loco editiore positum, vnde planicies ad quatuor milliaria porrigitur, arboribus, campis, pratis, riuis distincta.

Monasterij Tibaensis situs.

Decem insuper Ordinis Sancti Benedicti Monasteria, sese oculis subijciunt, ex S. Gines Eremitorio, quod supra Monasterium eminet, prospicienti. Cadauo. non vltimæ notæ amni accubant, qui stratos inter campos meaos, ac Orientem fugiens, Occidentem petit. Petrus Comes de Vercelos (Dionysio Regi Portugalliæ è pellice susceptus) templum Tibaense à Payone Gutiercez de Sylua, Prorege Portugalliæ, extructum ait; Qusmula templũ à Payone instauratum potius censeri debeat. Nam Berohacdus Episc. Conimbricẽsis, Ordinis Sancti Benedicti Monachus, Giraldo Archiepiscopo Bracarensi (etiam Benedictino) ab historia, refert, cum Sancti huins Archiepiscopi corpus de Boroes, vbi vitam exhalarat, in Ecclesiam maiorem Bracarensem transferendum esset, Clerum & populum vestigasse decentem venam, quæ hanc gemmam reciperet: incidisse autem in sepulchrum marmoreum, *quod in Tibianensi Monasterio à longis retro temporibus in magna reuerentia seruabatur*, seque tum dinino nutu quærentibus obiecerat. Vnde appaeet Payonem tempore posteriorem fuisse Monasterio. Etenim ab anno millesimo octogesimo, quo in clauum io Portugallia pro Rege Alphonso VI. tenuit, vsque ad millesimũ centesimum nonum, Sancto Giraldo fatalem, viginti nouem, non amplius, effluxere; anni pauci si cum *longis retro temporibus* compares, quibus id Mausoleum in Monasterio colebatur. Immo in maiore Ecclesia Tuyensi donationem Infantia D. Vrracæ filiæ Ferdinandi M. Regis Castiliæ, inueni, anno millesimo septuagesimo primo, mense Ianuario factam, qua Georgio Episcopo Tuyensi & Capitulo aliquot Monasteria Portugalliæ concedens, *Medietatem*, inquit, *Monasterij Tibianensis, quod est in littore Cadaui, territorio Bracarensi, quod Monasterium donauit mihi domina Vellasquida.* Quod vero hæc Infans dimidium Monasterij ab Ordine abcuptum Episcopatui asseruerit, non alia causa factum puta, quam quod Monachi per Bracarensia vrbis, viciniqne sui Monasterij ruinas dilapsi essent, nec subsistere alij possent, quando cæteris circumquaque Monasteria (velnti SS. Martini Dumiensis & Fructuosi) vasto illo gurgite excidiorum pariter hausta fuere. Almanzor enim Maurorum ductor solo Bracaram æquauit, quæ confusia cineribus, tignis, tegulis, lapidibus (verbo) rudeeibus ingenti mole incumbens, post centum primum ac plurea annos nouam in vrbem surrexit. Hic status etiam Tibianensi Monasterio fuit, donec

Don Pedro in Nobiliario.

Payo Gutierrez Monasterij Tibianensis instaurator.

Dimidiũ Episcopatui Tuyensi donatur.

donec Don Payo Gutierrez admota manu, iterum ſub auras eduxit. Hæc igitur Infantis Vrracæ litteræ, palam fatiunt (præſertim ſi tempus quoque à nobis allatum expendas) Payonem prima templo huic fundamenta non ieciſſe.

Videtur à Sueuis conditũ.

Quo autem anno, quovè conditore fuerit excitatum, cum archiua & hiſtorici me deſtituant, neſcio quid pronunciem. Coniecturarum veſtigia tibi notauero, ſi ſequi velis. Eo loco habebis, quo videbitur. Vt tamen dicam id quod ſentio, Tibianenſe hoc Monaſterium à Sueuis fundatum crediderim, poſtquam Sanctus Martinus Dumienſis, familiæ S. Benedicti magnum decus, preſſis idolis ad legem eos Euangelicam capeſſendam ſub annum quingenteſimum ſexageſimum induxit. Eccleſia cui Miræ nomen, proxime Monaſterium poſita, hanc mihi imprimis mentem iniicit. Quem enim fugit, Mirum illum Sueuorum Regem, noſtro Sancto Martino duce in Chriſtiana caſtra tranſiiſſe? Accedit, mediam illam planiciem non procul Eccleſia ædificiis frequentem, adeoque hominibus cultam fuiſſe. Argumento ſint viginti ingentes lapidum tumuli, præter plurimus lateres, quos coloni eruunt, vt eam in ſuſpicionem veniamus, rebus Sueuorum nondum fractis, regiam id loci ſtetiſſe, quo Cadaui ripa vicinaque Bracaræ principes inuitarint. Huc collimat ingens ſuberis copia, quo Monaſterium prope cingitur. Longum æuum ipſi trunci produnt; quas arbores foliorum toto anno tenaces, à Sueuo quopiam Rege ſatas putem. Neque enim à Tago ad Minium vſque hoc genus arboris deprehenderis, vt facile intelligas aliunde accitum fuiſſe. Sed cum Sueui ab Aſturia & Gallicia ad Guadianam vſque nobilem fluuium protulerint imperium, ex vna vero Tagi parte ſuber late fuſum ſit, forte Rex Mirus, foliorum captus conſtantia, tum etiam vt in proximo venari liceret, vti vicinu in Cadauo piſcari, allatis inde arbuſculis ſyluulam circum Monaſterium ſuum condidit. Multæ me inſuper & decumanæ columnæ mouent, ingenti corpore in Monaſterio procumbentes, è quibus duæ epyſtilijs cæteras antecedunt. Quippe vnius diameter quatuor palmos, peripheria duodecim numerat. Alterius vero diameter ſenos palmos longus eſt, peripheria octodecim complectente. Nec diuinando aſſequaris, quorſum Payo Gutierrez, Monaſterij inſtaurator, tam ingentes moles aduolui curarit, cum prægrandibus iſtis fulcris exiguo Tibianenſi templo opus haud fuerit. Cogor itaque in hanc ire ſententiam, has columnas, tam plenas maieſtate, vna cum mauſoleo marmore facto, cui ſuus tamdiu honos ſtetit, ad Regem Mirum, Monaſterij fundatorem, pertinere. Præterea, parietem Eccleſia explicat, era Cæſaris ſexcenteſima inſcriptum, de qua ſi annos triginta octo ſubducas, quingenteſimus ſeptuageſimus ſecundus à Chriſto nato ſupererit. Forte hoc anno fabrica ſupremam accepit manum, Rege Miro quadriennio poſt, ſecundum Sanctum Iſidorum, fatis defuncto. Sunt etiam villæ, ijs nominibus inſignes, vt quæ diximus, prope perſuadeant. Vna *Paladin* appellatur, vicina Monaſterio. Suſpicor *edem* palatinis habitatam fuiſſe, Regibus ea in loca animi remittendi ergo concedentibus. Aliam *Pannonias* dicimus, tracto à prouincia vocabulo, vicins terræ, vnde Sueui venerant. Cuidam *Rosins* veluti Roſinus eſt nomen. Quædam *Gaindo* vocatur, id eſt Gaido: & quædam *Cofiero*, quaſi conſejero ſeu Conſiliarius. Nomina procerum Sueuorum ſunt, qui has villas incoluere, intra limitem Tibanenſem ſitas. Ex his vero mihi ſimillimum ſit, Regem Mirum à Sancto Martino inductum fuiſſe, cum corpori recreando tam ingenioſe proſpexiſſet, animæ, ſeu feſſæ ſeu ægræ, reficiendæ pariter conſultum iret. Hinc iſtud Tibianenſe Monaſterium. Profecto Eccleſia Bracarenſia Aſceteria hoc æuo erecta, Sancto Martino io acceptis fert Lectione quarta Matutini hiſce verbis: *Sancta religionis normam conſtituit: Eccleſias informauit: Monaſteria condidit: ipſe Dumienſe Cœnobium ædificauit.* Rem habes, amice Lector: quod ſi de noſtra ſententia aliquid limare iubet, per nos licet.

Hæc P. Bernhardi noſtri relatio eam Monaſterio lucem aſpergit, vt antiquiſſimum eſſe prorſus appareat. Era præcipue ſexcenteſima, parieti qua aditus in Clauſtrum panditur, inſcripta, hærentem ſcrupulum vellat, Aſceterium Tibaes à Sueuis conditum, hoc ætatis prouinciam Bracarenſem cum aliqua Portugalliæ & Galliciæ parte tenentibus. Quid Monarchis ante, vel poſt captam Hiſpaniam ſit actum, archiuum ipſum ignorat. Ab anno milleſimo octogeſimo, quo denuo inſtauratum eſt, hæc lingua Luſitana idem P. Bernhardus narrat.

Abbates Tibanẽſes.

Monaſterium Tibaes viginti tres Abbates perpetuos ab anno inſtaurationis ſuæ

millesimo octogesimo, vsque ad millesimũ quingentesimum sexagesimum quintum (quo Regis Sebastiani voluntate disciplina correcta fuit) enumerat. Ex his octoderim à Conuentu lecti sunt: cæteri Commendatarij fuere, à Regibus Emanuele & Iohanne III. renunciati, quorum tres priores Ecclesiastici extitere, & quidem duo Regulares: nimirum, P. Antonius de Sea, Lusitanus, sed vota religionis in inclyto Montis Serrati Asceterio professus: immo ibidem Antistes, quod me sui cognati docuere. Deinde Frater Dominicus, Insulæ S. Thomæ Episcopus, Iohanni III. à sacro ærario. Vbi è viuis excessit, noua viuendi forma in Monasterium introducta est, quæ quinquennium ante, videlicet ad millesimum quingentesimum quinquagesimum quartum annum in S. Thyrsi asceterio admissa iam fuerat, præclaram illam expeditionem suscipientibus P. Petro de Chaues, & P. Placido de Villalobos, Montis Serrati Monachis, petente id quodam filio Comitis de Porta legere, Monasterij S. Thyrsi Commendatario; quo etiam accesserat fauor viduæ Reginæ, matris Sebastiani Regis, quæ tunc absente fratre Philippo II. Castiliæ præerat.

Henricus Comes Monachorum religione impulsus magnum terræ spatium Monasterio cedit.

Henricus Comes, Alphonsi Henriquez Portugalliæ Regis genitor, trium milliariũ spatium terræ circumiectæ attribuit Monasterio, insigni Monachorum religione adductus. Annus post natum Seruatorem voluebatur millesimus cẽtesimus decimus. Proceres de aula Comitis Henrici donationi subscripsere cum Bernbardo, Archiepiscopo Toletano, per Hispaniam Legato Apostolico, Ordinis S. Benedicti Monacho, cuius verba habe: *Bernhardus Toletana Sedis Archiepiscopus, & S. Romana Ecclesia Legatus, huius operis adiutor bonus & actor extiti, sub Dei gratia, & legatione commissa, hoc munus, ratum semper & firmum manere præcipio, & præcipiendo confirmo.* Tempus & successus expendentibus, videtur Legatus hic Apostolicus degisse Bragæ cum hæc gererentur. Nimirum S. Giraldo Archiepiscopo Bracarensi Ordinis S. P. N. Benedicti Monacho, superiore anno demortuo, Mauritium Bardinum (ante id instituti eiusdem Monachum, inde Episcopum Conimbricensem) sufficiebat. Reges posteri hanc donationem explicando, ciuilem & criminalem Iurisdictionem transcripserunt Monasterio, vt ab Antistite ad solum Regem prouocare liceret. Hæc è pharetra nostri P. Bernhardi hausimus, nondum in lucem edita.

Annus Christi 564. Annus S. Benedicti 84.

CAPVT I.

S. Medardi Monasterium in Gallia.

Vlnente S. Mauro, atque Monasteria moliente, pedem sæpe in Galliam referre cogimur. Percharus Clotario erat, ad quem demortuis fratribus totam regni molem deuolutam fuisse, supra admonuimus. Postquam in Glanofolium, toto sacro effudit liberalitatem, miro desiderio nouum Monasterium condendi teneri cœpit, quo regia ossa reponeret. Bellis tamen implicitus, illi præcipue, quod cum Crano, suo filio, gerebat, tacito voto ac spe animum lactabat. Tandem Bonus Deus incidit funem, filio in Britannia minore patriis armis fuso. Cum parta victoria domum tenderet, Medardum Episcopum ægrotare, atque adeo vita periclitari, inaudinit; virum cœlo demissum, suum deltium. Ergo adire eum prius constituit, quam in regiam iter capesseret. Dum sermones apud lectulum feruntur, iamque de sepulchro agitur, quibusdam contendentibus in Ecclesia Cathedrali Nouiomensi contumulandum, videlicet more illius temporis, intercessit Clotarius obtestans Sanctum Medardum, charum hoc amicitiæ pignus Augustam Suessonum (hodie Soisson) vrbem ea tempestate præcipuam, transferri pateretur: atque vt Sanctum Prælulem induceret, Monasterium se ædificaturum promisit, vbi ossa ipsius cubarent. Annuit is petitioni, ac paullo post animam egit. Illico dinina luce cubiculum accensum est, arsitque luculenter ad duas horas. Alia admiranda, quæ acciderunt cogimur præterire, vt breues simus. Ciues Nouiomenses, qui ante id quoque suum Episcopum arctissime complectebantur, visis prodigiis, quæ sanctimoniam eius testabantur, pro viribus sacra lipsana attinebant, in sua Ecclesia sepelienda, in qua Episcopatum gessisset; verum Regi cedendum erat, qui funus non tantum inde prosequutus est, sed insuper subiectis humeris ipse vectauit. Clotario hunc in modum iter faciente, Sanctus miracula fecit; quibus totam prouinciam in sui cultum conuertit: Regem nouo gaudio affecit: quem tamen secundi venti destituere. Cruciatum enim delati, cum pedes promouere moli-

S. Medardus in extrema vitæ linea stans, a Clotario visitur.

Fortunat. vita S. Medardi. Ab eodẽ rogatur vt ossium copiam post mortẽ faciat.

molirentur, ecce tibi S. Medardus adeo obstinate ibi fixit sedem, vt omnium sociatæ manus non hilum proficerent. Rex spe deiectum se videns, nouam machinam immobili Pontifici adhibuit, nec operam lusit. Dimidium illius oppidi ac ditionis ei se dicare dixit, si iter institutum persequeretur. Sub hæc manus admouent bajuli, nullo negotio vnam feretri partem attollunt, altera quouis robore firmius hærente. Intellexit Clotarius non probare Sanctum, quod fundi ac fortunarum dimidium velit ipsi subducere; quocirca totum futuro Monasterio, nuncupato voto, promisit. Non mora, auidas manus iterum injiciunt capulo: parumper agitant: hic sese dedere: illi leui brachio in humeros attollere: Cruciaco efferre. Magnam lætitiam cum Rex, tum vespillones ex hac Sancti Medardi facilitate cepere. Proximis iam vrbi Episcopus, Clerus, ciuis, festiua pompa obuiam effusi, gratissimum hospitem summo studiorum certamine exceperunt. Cæterum Suessionensis ciuitas in Veromanduia, Galliæ Belgicæ comitatu sita gentis caput erat, dum Reges Franciæ regnum filijs diuidebant, quæ eum Clotario obtigisset, omnem industriam in ea ornanda adhibuit. Monasterium extra mœnia posuit, ex æui illius more. Solitudinem enim affectabant Monachi: vbi voto potiri non poterant, ex vrbibus saltem retro pedem ferebant in suburbia, ne incumbens multitudo, ac frequenter portas & aures pulsans turba officeret orationi, contemplationi, lectioni. Sed de illius situ Concilium Suessionense certiores nos facit, Pontifice Leone rogatu Caroli Calui celebratum *in Monasterio Sancti Medardi* (verba sunt Patrum) *in suburbio Suessionensi*. Clotarius vero iam pridem ardens, pertæsusque moras, diligentissime descripsit locum, cui templum, cui Monasterium imponeretur. Atqui cum eam animo fabricam concepisset, quæ post longum demum temporis tractum absoluenda erat, opere subitario sacellum excitauit, quod sacra ossa acciperet, donec vasta moles surrexisset. Quamuis Aimonio teste, nec in paruo quidem hoc sacello, metam honori opibusve statuerit. Simul ac moliri cœpit maius templum, non sumptibus, non operis parcere: Monasterio à reditibus prospicere: eoque perfecto, Monachos Sancti Benedicti introducere, quod ex Bulla Ioannis III. palam faciemus. Curæ enim Clotario fuit, non suis tantum priuilegiis, sed etiam Pontificiis exemptionibus hoc Asceterium prouehere. Opere pretium est illam ex Monastico Chopini edere.

Mouetur promissis.

Concil. Suess. To. 2 Concil.

Clotarius tumulum ac Monasterium S. Medardo struit.

Aimon. l. 2. c. 36.

Chopin. l. 1. n. 19.

BVLLA IOANNIS PAPÆ III.
Data Monasterio S. Medardi. Anno 562.

Iohannes Papa III. priuilegiis ornat Monasterium.

Diuina inspirante gratia, & præcellentissimi Regis Clotarij suadente clementia, Monasterio S. Mariæ & S. Petri, quod est extra Suessorum ciuitatem situm, vbi Dominus Medardus requiescit, & Daniel Abbas præesse videtur, hoc priuilegium indulgemus, vt terras quas filius noster Clotarius ob salutem animæ suæ dedit, Croniacum scilicet &c. libere possideat. Hoc quoque auctoritate SS. Trinitatis, & inseparabilis vnitatis, vice B. Petri Apostoli, coram Rege Clotario & omnibus plebibus Francorum, scilicet Archiepiscoporum, Episcoporum, Iudicum, & omni populo Christianorum Romanorum Principum decernimus, vt nullus Regum, Antistitum, Iudicum terras S. Mariæ & Domini Medardi, siue Ecclesiæ, Altaria, teloneia, decimas nouas, banna, & freda exigat &c. Statuimus etiam, vt velut hæc sedes B. Petri libera constat ab omni seruitio Regum & Potentatum, ita remota omni consuetudine pessima Monachi Deo vacent liberi, & per omnia Regulæ S. Benedicti obediant sine vlla inquietudine. Præsenti quoque priuilegio hanc illis concedimus licentiam, vt defuncto Abbate, quemcunque voluerint Archiepiscopum vel Episcopum, causa ordinandi Abbatem, vocent &c. Ac ne tantæ sublimitatis locus vilescat, cum Caput constituimus Monasteriorum totius Galliæ, nulliusque ditioni patimur esse subiectum sed semper sub regali custodia positus, huius S. R. E. Antistitum auctoritate aduocationem B. Petri habeat &c. An. 562. Indict. 20. Typographus Parisiensis annum signauit 592. nimirum posito 9. pro 6. facili quidem permutatione, sed grandi errore. Nam Iohan. III. Pontifex creatus est ad annum 559. ac præfuit Ecclesiæ an. 13.

Viden' vt Monasterium hoc ab initio B. Virgini, & S. Petro dedicatum fuit, vti fere solebant prima Ordinis nostri Asceteria? Etiam primi Abbatis nomen in hac Bulla apparet; nec non ab Ordinariis, vt loquimur, exemptio, quod tamen beneficium, aliis Monasteriis commune, non tanti æstimamus, quanti à Pontifice & Rege, hoc cæteris Cœnobiis per Galliam sparsis, non modo antepositum, sed etiam impositum fuisse. Rex enim animo secum voluens amplissima Asceteria, ante id à

Cœnobia nostra fere B. Virgini & S. Petro primis sæculis fuere consecrata.

fratribus suis structa; adhæc vnius sceptro subiecta iam esse, quæ illi possederant sigillatim, haud secus quam stimulis incitatus, omnia cogitauit, inuenit, fecit, vt Monasterium conderet, quod alia longo interuallo antecederet, sibique pro Mausoleo foret. Facultas, opes, in manu erant. Quānis autem eo res perducta non sit, vt aliis Monasteriis ius hoc diceret; si tamen ædificiorum splendorem, diuitias, religionem incolarum & sanctitatem spectes, si non pro capite id cæterorum habeas, præcipuis tamen regni Cœnobiis annumeraueris.

Id vero sine nota prætermittere non debemus, Monachis à Pontifice in mandatis datum, *vt præceptis Regulæ S. Benedicti obedirent*, cum nouendecim, non amplius, anni à gloriosi Patris nostri obitu effluxissent, in quo miram Legum ab ipso conditarum auctoritatem ita breui partā perspicias, quod Iohannes III. eas à Monasterio S. Medardi accipi iusserit, tradendas deinde Cœnobiis, quorum ipsum caput designatum erat. Magno me gaudio reperta hæc Bulla affecit, quod in antiquiorem non incidissem, in gratiam S. Regulæ scriptam, quam dum Pontifex Monachis commendauit, simul etiam approbauit; sed eius Confirmationem alium in locum duximus differendā. Hic partem fundamenti primam iacere libuit, quam industriæ, curæ, vigiliis, laboribus, S. Mauri deberi, confitendum est. Sed Clotarius denuo innisamus. Ecce vt magno conatu sylnam cædit, fossas ducit, saxa aduoluit: totus in ædificando est: at non leget fructum ex arbore, quam ita sedulo serit, tam laboriose colit. Nemo vnquam vitæ securus est. Spem longam Is inchoauit, cum anno quingētesimo sexagesimo quarto summis viribus molem attolleret: sequenti anno conuasare, & abire iussus est, non alio absque dubio, quam ad Superos. Patri superstites fuere Cherebertus, Chilpericus, Guntramus, Sigebertus. Hic natu minor, pectore altius infixus hærebat. Imminentibus itaque satis adstantem orauit, assurgentes Monasterij muros in fastigium educeret: supremam fabricæ manum, quod sibi negaretur, imponeret. Ligna, saxa in promptu esse: hisce aurum addere. Contulit autem vim magnam auri. Filius omnia quæ essent muneris sui, se persoluturum, morituro genitori prolixe promisit, præstititque. Denique ossa sua in nono S. Medardi Monasterio condi iussit: vitæque supremam clausulam ad Dictatoris Opt. Max. nutum imposuit. Multis milliaribus Suessionensi vrbe distabat funus (nam seniorem venandi studium longius extraxerat, cui Reges Galliæ plus nimio dediti fuerāt) filij tamen vt genitori satis defuncto morem gererent, funebrem pompam regio cultu instruxerunt: venerandos æternum cineres Suessionem tulerunt.

Vitæ summam cōposuit Clotarius, Monasterio nondum exædificato.

Patre summa pietate dignitateque composito, insigni ardore Sigebertus promouit opus, impatiens moræ qua id io culmen euadebat. Hinc Fortunatus *Admirabili*, inquit, *diuersi generis lapidum constructione, secundum quod à patre suo acceperat, Ecclesiam illam decorauit auro & argento, ac necessariis in Officio Ecclesiastico ornamentorum varietatibus abundanter exornauit, censu & redditibus, prout regiam decebat dignitatem, affluenter & excellentissime ditauit.* Duxerat Sigebertus Brunechildem, filiam minorem Atanagildi Regis Hispaniæ. Ab vtroque coniuge amplissima dona in S. Medardi Asceterium profecta sunt. Ille bellica virtute clarus, sæpe hostem fudit; at qui vincendo ferream demum fabam sibi cudit.

Opus à patre inchoatum prosequitur Sigebertus. Fortunat. vita S. Medardi. c. 11.

Cum enim Chilperico discrimini obiectus esset, Fredegunda Regina, vt maritum eximeret, Sigeberto suo cognato insidias collocans, aliena manu regium latus scelerato pugione hausit. Ex Lambra denique, vbi prius terræ mandatus fuerat, in Ecclesiam S. Medardi translatum, iuxta patrem ad aram maximam sepeliuerunt. Childebertus II. regni paterni nec non virtutum heroicarum hæres relictus est, quem vita defunctum cum auo patreque compositum ferunt; etsi auctorem nactus sim nullum, qui hoc pro certo habeat. Præpropero fato Theodeberto & Theodorico filiis, ereptus est, diuiso in eos regno. Eius ergo molem subiuit ac sustinuit Brunechildis, donec illi maturescerent sceptro. Præter plurima beneficia, quibus tam auia quā regij nepotes Monasterium sunt prosequuti, facile principem locum obtinet Priuilegium, à S. Gregorio Magno impetratum, nouum plane & sequentibus sæculis vel inuisum vel rarum. Magnitudo Pontificis, quodque exemplum hæc Bulla fuerit, ad quod hoc genus aliæ deinceps, qua visum esset, fierent, me subiguot vt eam huc afferam.

Lib. 12. Reg.

Gregorius omnibus Episcopis.

Pretiosissimis lapidibus in diademate Christi meritorum tenentibus, omnibusque Sancta Dei Ecclesiæ membris, quorum vniuersale caput est Christus, Gregorius licet sanctæ Romanæ Sedis Pontificio sublimetur, humillimus tamen seruorum Dei seruus. Quando Catholicorum Regum corda adtā, ad qua Pontificalibus monitis sunt prouocanda, ita ardenti desiderio diuina praueniente gratia succenduntur, vt ab

Gregorius Magnus prolixe Monasterio prospicit.

eis vltro poscantur, tanto sunt latius concedenda, quanto ea ipsa quæ cupiunt, si nollent facere, peti debuerant. Proinde iuxta filiorum nostrorum præcellentissimorum scripta, Regum Brunichildis ac nepotis eius Theodorici, Monasterio Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, ac Beatorum Petri Apostolorum Principis, nec non Protomartyris Christi Stephani, quod est in Suessorum ciuitate situm, vbi S. Medardus requiescere, & vir venerabilis Gairaldus Abbas præesse videtur, huiusmodi priuilegia auctoritatis nostræ decreto indulgemus, & ea plenius confirmamus priuilegia, quæ à bonæ memoriæ Domino Papa Iohanne, comitante illustrium Regum clementia, Clotarij scilicet & Sigeberti huius nostræ filiæ iugalis, ipsi loco sub anathematis vinculo sunt concessa, vel indulta, concedimus atque firmamus, statuentes, nullum Regum, Antistitum, vel iudicum, nullum quacunque præditum dignitate, ea quæ à præcellentissimis Regibus, vel quibuslibet aliis Deum timentibus, loco concessa sunt, vel conferentur, sub cuiuslibet occasionis specie minuere vel auferre, vel suis vsibus applicare, sed cuncta quæ Deo seruientibus Monachis oblata sunt, vel offerri contigerit, perenni tempore illibata, & sine aliqua inquietudine volumus possideri, eorum vsibus, pro quorum sustentatione concessa sunt, modis omnibus profutura. Concedimus etiam vt obeunte Abbate, non alius ibi quacunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem communis consensus Monachorum elegerit, aut prauiderit ordinandum. Caueant autem præfati Monachi Simoniacam hæresin, ne potentia Regum vel antistitum conuicti, loco pastoris suscipiant tyrannum, quod omnino fieri prohibemus. & eundem Abbatem causa ordinationis suæ aliquid dare præsumere vetamus, ne hac occasione quæ à fidelibus pijs locis offeruntur, vel oblata sunt, consumantur. Et quia fama religionis Deo seruientium Monachorum nostras peruenit ad aures, quibus vir vita venerabilis Garraldus præesse dignoscitur, iussu petitionibus præcellentissimorum Regum Brunichildis atque Theoderici fauentes ob amorem Domini Medardi, tantam diuini honoris dignitatem & securitatem concedimus, perenni tempore mansuram. Auctoritate igitur diuina vice Beati Petri apostolorum principis, consensu omnium Romanorum Pontificum, & voluntate totius senatus Romani, suadente nobis viro Apostolico Auserice, Suessorum vrbis Pontifice, & omnium Galliæ Episcoporum fauente iudicio, decernimus vt nullus Archiepiscoporum vel Archidiaconorum, fratres præfatæ Basilicæ de ordinatione sui Abbatis, vel Ecclesiasticorum graduum assumptione inquietet, sed secundum prærogatiuam ipsius loci vobis modo recitatam Beatissimi prædecessoris nostri Domini Ioannis Papæ tempore decretam, & Apostolica auctoritate firmatam, ordinationem sui Abbatis ipsi fratres peragant, & Ecclesiasticorum graduum dignitatem suscipiant, Consecrationes quoque fontium & scrutinij mysteria in ipso Monasterio celebrent: chrysmatis quoque, ac olei, altaris, corporalis, à quocunque voluerint Pontifice benedictionem expetant, ne tantus honor à quocunque rectore vllius occasionis causa vel necessitatis intermittatur, ne vilescat tantæ sublimitatis locus Sanctæ Mariæ & Beati Petri, nec non & Protomartyris, & Domini Medardi meritis sacratus, quem caput Monasteriorum totius Galliæ constituimus, nulliusque ditioni patimur subesse. Sed velut hæc sedes Romana speculationem suam toti orbi indicit, & nouas consuetudines mittit, & omnium personarum seruitio caret, ita præfatus locus remota omni consuetudine pessima Regum, Antistitum, iudicum, exemplum diuinæ religionis & honestatis cæteris exhibeat Monasterijs, & super ea plena gaudeat libertate: cuius rectores & filij præsentes, & successuri, tantum sub Regum custodia positi, admonitionem S. Petri, & successorum suorum huius sanctæ Romanæ Sedis Pontificum auctoritate pro. lament. Et si incumbit necessitas ad eam huius rei gratia fratribus dirigendis in via tanti itineris, Brunichildis Regina viginti mansos ingenuos, & totidem seruiles cuncta integritate æternaliter facta præceptione iuxta finem alpium contulit, & multos alios redditus terrarum ob hanc causam delegauit, sitos in eiusdem itineris spatio. Tusiacum vero & Mortinetum fiscos regios, communiter ad stipendia fratrum dedit, & ita omnes villas Deo & S. Medardo traditas, vel tradendas, sua præceptione conclusit, vt quicunque super terras Domini Medardi habitare voluerit, vel steterit, siue seruus, siue liber, cuiuscunque sit alterius dominio priuetur, & Sanctæ Genitricis seruitio aptetur, vel vltra redeundi licentiam habeat. Quod si fugerit, reputetur vt seruus, nunciatque Sanctæ Dei Ecclesiæ. De altaribus quoque iuxta institutionem Domini Iohannis Papæ, Apostolica auctoritate confirmamus, vt qui fuerit Rector præfati Monasterij, fiat præterea altarium, & præsul omnium Ecclesiarum sibi pertinentium, & inde præfatorum Sanctorũ præcipuo altari luminaria exhibeantur; & hospitalitas peregrinorum cum reuerentia agatur. Subiungimus & aliud edictum: si causa capitalis criminis Abbas est deponendus, non prius deponatur, donec depositores Apostolicam auctoritatem requirant, & ita sint tres Metropolitani cum Suffraganeis suis, & Abbates quamplurimi. In ipso autem concilio accusatores vnusquisque cum XII. testibus præsentes assistãt, & ita veri iudicij examine probent se vidisse, vt audiente concilio obtestantur. Ad vltimum vero ipse Abbas rationẽ suæ excusationis reddat: & iureiurandi pacto supra sacrorum mysteria quatuor Euangeliorum satisfaciat. Tunc vero si conuictus fuerit, correctione deponatur: sin autem, suo honori reddatur, & Ecclesiasticæ dignitatis mysteria recipiat, & inter sacra Missarum solẽnia

benedictionem, & prædicationem, iuxta instituta Domini Papæ Iohannis peragat, & sua conuersationis vitam melioribus exemplis deducat. Monachis quoque hanc proponimus sententiam, vt nullus eorum inuidia aut odio Abbatis (quod absit) comprimatur, vel extranearum personarum censura plectatur. Quod si culpa principalis vitij deliquerit, priuatim intra claustrum eiusdem Monasterij, ab ipso Abbate & spiritualibus fratribus arguatur, & à corpore sanctæ Cōgregationis segregetur. Quod si perseuerante contumacia abscissus fuerit, præcipimus illi vt precatorias accipiens litteras, quodcunque voluerit, ingrediatur Monasterium: aut causa pœnitentiæ huius Sedis Apostolicæ licentiam petat, & susceptis à Domino Papa litteris, liber suum Monasterium repetat. Hæc igitur omnia, quæ huius Apostolicæ auctoritatis, & nostræ præceptionis priuilegio cōtinentur, præfati Monasterij Rectoribus, & filiis præsentibus & futuris, & omnibus Monasteriis, ipsi loco subiectis vel sociatis, sub anathemate seruanda constituimus. Si quis autem Regum, Antistitum, iudicum, vel quorumcunque personarum sæcularium, huius Apostolicæ auctoritatis, & nostræ præceptionis decreta violauerit, aut contradixerit, aut negligenter duxerit, vel Fratres inquietauerit, vel conturbauerit, vel aliter ordinauerit, cuiuscunque dignitatis vel sublimitatis sit, honore suo priuetur, & vt Catholicæ fidei deprauator, vel Sanctæ Dei Ecclesiæ destructor, à consortio Christianitatis, & corpore & Sanguine Domini nostri Iesu Christi sequestretur, & omnium maledictionum anathemate, quibus infideles & hæretici ab initio sæculi vsque in præsens damnati sunt, cum Iuda traditore Domini in inferno inferiori damnetur, nisi digna pœnitentia præfatorum Sanctorum sibi propitiauerit clementiam, & Fratrum communem reconciliauerit concordiam.

Ego Gregorius Sanctæ Romanæ sedis Antistes huic priuilegio subscripsi.
Eutherius Arelatensis Archiep. subscripsit.
Gregorius Portuensis Episcopus subscripsit.
Andreas Albanensis Episc. subscripsit.
Augustinus Cantuariorum Episc. subscripsit.
Anastasius Tiburtina Episc. subscripsit.
Sergius Prænestina Episc. subscripsit.
Petrus Anania Episc. subscripsit.
Agnellus Sutrina Episc. subscripsit.
Mellitus Lundonia Episc. subscripsit.
Ioannes Veliternensium Episc. subscripsit.
Tiberius Sylua candida Episc. subscripsit.
Marinianus Rauennatis Episc. subscripsit.
Vitulinus Sipontin. Episc. subscripsit.
Iohannes Syracus. Episc. subscripsit.
Sabianus Tudertin. Episc. subscripsit.
Eulogius Alexandria Episc. subscripsit.
Dominicus Carthagin. Episc. subscripsit.
Fortunatus Neapolit. Episc. subscripsit.
Iohannes Surrentin. Episc. subscripsit.
Primenius Numen. Episc. subscripsit.
Felix Portuens. Episc. subscripsit.
Gloriosus Ostiensis Episc. subscripsit.
Constantius Narniens. Episc. subscripsit.
Constantius Mediolan. Episc. subscripsit.
Sutellius Burdegalens. Episc. subscripsit.
Vitalis Vesocensis Episc. subscripsit.
Bonifacius Placent. Episc. subscripsit.
Siagrius Augustodun. Episc. subscripsit.
Flauius Remorum Archiepisc. subscripsit.
Ansericus Suessorum Episc. subscripsit.
Theodoricus Rex subscripsit.
Brunechilda Regina subscripsit.
Ego Petrus Sanctæ Romanæ Sedis subscripsi & sigillaui. Dat. VII. Cal. Iunij, ann. ab incarnatione Domini D. XC.III. Indict. XI.

Non in paruo hoc ponendum est, D. Gregorium Monasterio S. Medardi ita subiecisse cætera per Galliam sparsa, vti Roma Ecclesias alias subiectas habet, quibus dat leges, nullas accipit. Ne tamen hanc præfecturam gerere posset, multa intercessere. Regno enim plures in partes scisso, acerba bella inter principes suscepta gestaqꝫ sunt, vt obstrepentibus armis Bulla audiri nequiuerit. Non tamen inficias iuero, à principio illi locum fuisse ea in Galliæ parte, quæ ad Sigebertum ac filios nepotesque spectabat. Quid enim aliud è magnificis Bullæ verbis conijcias? Disciplina integerrima multis sæculis hic stetit, neque audiui aliquando lapsam esse. Vnum è quatuor Monasteriis erat, in quibus ad Sanctorum sepulchra iuramenta publica edebantur ab ijs, qui in criminis alicuius venerant suspicionem. Sed Ludouicum Pium Imp. prætrire non possum, quem sui filij ante SS. Medardi ac Sebastiani aram Imperij insignia ponere, simulque Imperium exuere coegerunt. Quantas inimicitias Clotarius, Ludouicus, Pipinus, filij cum Pio patre Ludouico, Caroli Magni filio, susceperint, quantam vim eidem intulerint: neminem nisi in historia prorsus hospitem, fugit, quibus tamen nos supersedemus, cum ad nostrum argumentum haud spectent. Hoc tamen ad rem nostram facit, coronam, sceptrū, insignia ipsi à filiis adēpta. Porro Rerū administratione motus, inquit Paulus Æmilius, Diui Medardi Cœnobio tondetur, Monachi habitu suscepto. Ideo vero coram Diuis Sebastiano & Medardo Imperio se abdicare subactus est, vt incolæ regni noua religione perculsi, tanto æquiore animo à Ludouico desciscerent, filiis sese dederent. Spectaculum lachrymis dignum, Imperio maiorem Imperatorem, summo fastigio à filiis contumeliose deiectum, compingi in Monasterium, velut in carcerem: spoliatum paludamento, vili cucullo inuolui: decusso diade-

Ludouicus Pius humanæ sortis exemplum, ad S. Medardi coactus deponere imperiū. Aimon. l. 5. c. 14.

Paul. Æmil. in Ludou. Pio.

Robert. Gaguin. in Ludou. Pio.

diademate, caput nouaculæ debere subijcere, coronæ Monasticæ de pilis fingendæ. Tragœdiam hanc Robertus Gaguinus, Ordinis Sanctissimæ Trinitatis quondam Generalis, longe prosequitur, vnde nos præcipiti calamo quædam tantum libabimus. Appulerat iam pridem animum ad S. Medardi Monasterium Ludouicus, el bene cupiendo faciendoque; quod cum filij non ignorarent, recta secum reputarunt via, hic loci & minus ægre Imperio abiturum, & ætatis reliquum libenti pace consumpturum, Iuditha coniuge in Cœnobium aliud immissa. Quibus sic confectis, Monasterium S. Medardi frequenti milite cinxerunt, ne qua pater euadere posset. Has in angustias redactus Pius Cæsar, arcanam viam circumspicere cœpit, qua custodes falleret, deferretur autem ad Monachos, quorum congressu erigeretur, sumeretque tantæ ærumnæ ferendæ animos. Postremo deprehendit, qua clam excubiis penetraret in templum, vbi Monachos teneri probe sciebat. Init ergo conscium viam: peruenit in templum tacito vestigio: hicque fusus humi, obtestatur Monachos, pro coniuge demortua (nam mortuam esse sibi constare) proque viuo se à liberis oppresso, pium Numen velint propitiare. Religiosi prostratum inuadunt, attollunt, animos addunt: spe æquioris fortunæ implent, qua onustus retro suum in carcerem vestigia torquens, exitum præstolatus est. Meminerant Patres non tantum Regem, sed insuper suum Regem esse, nec ideo destituendum, quod regno per iniuriam excidisset: quocirca è custodia clanculum emiserunt, Priore fugientem (quod votum erat omnium) prosequente, cui animum sibi esse fassus est Ludouicus, ætatem sub habitu Monastico sanctaque Regula traducere, quo inuitus imprimis actus fuisset, nisi subditis, qui à sua parte stetissent, auxilium aduersus rebelles filios deberet. Prior hac gratia laudatum, dimisit. Eum Ordini propemodum inserere possemus, quod mirum Monasterij studium ipsum tenuerit: quod cucullum induerit: quod caput circumtonsus fuerit: quod in sacro cœtu degerit: sed quia hæc omnia ab inuito imprimis profecta sunt, nomen expungere cogimur. Cum tamen ad hunc locum animum adiecerit, si per Deum. Opt. ad sceptra se reuocantem, licuisset, facile intelligas S. Medardi Monasterium è præcipuis fuisse.

Fallit excubias.

Monachorum opera sui libertatem vindicetur.

In hos fluctus præceps Ludouicus à filija deuolutus est ob Carolum Caluum, quem ex Iuditha secunda coniuge susceperat. Natura enim senibus comparatum est, liberos natu minores præ adultis ac robustis complecti; in sinu gerere & fouere. Mater io omnem occasionem intenta, amorem quotidie lustrare: animum mariti in partes sui Caroli rapere: qui olim potitus imperio, quam optime de Monasterio meritus est, in quo suus pater tam magna beneficia accepisset. Nam templo veteri solo æquato, nouum constituit (quod narrat Nitardus) cui sacra lipsana, quorum magna copia erat, insigni pompa, raro exemplo, suis humeris religiose ipsus intulit. Nec breues tantum articuli, aut puluisculi fuere, sed tota corpora SS. Tiburtij, Petri, Marcellini, Marij, Marthæ, Audifacis, Abacuci, Onesini, Meresini, Mariani, Pelagij, Mauri, Floriani, eiusque sex fratrum, Sereni, Remigij Episcopi Rotomagensis. Medardi, eiusque fratris Gildardi, Sebastiani nobilissimi Martyris; vt parua frustilla omittamus. Sanctum Maurum in hunc Catalogum relatum, à nostro diuersum esse oportet, quem alibi asseruari constat. Cæterum Medardus & Gildardus fratres gemini, singularis prouidentiæ, qua Deus erga Cœli candidatos vtitur, præclara exempla sunt. Ab ortu vitæ vsque ad occasum in eadem semper naui fuere: quippe vna matre, eodemque die editi: simul educti: simul litteris imbuti: eadem luce Sacerdotio initiati, eademque ad mitram, ille Nouiomensem, iste Rotomagensem inaugurati: ijsdem omnino moribus ac virtutibus præditi: denique ad vi. Idus Iunij corporis vinculis soluti, gradum vna ad Superos fecerunt. Aduertit res hæc Galliæ Reges, ideoque vno in Monasterio vtrumque composuerunt. Neque ab vno tantum auctore idoneo hæc narrantur, sed ab omnibus, quotquot res istorum fratrum tangunt: scilicet præiuere viam SS. Audenus & Gregorius Turonensis; cæteri sequuntur. Posicum à S. Audeno Epitaphium in promptu est, à pedibus quidem tardum, at cœlo probatum:

Carolus Caluus multa magnaque beneficia in

Monasterium S. Medardi spargit.

Nitard. l. 4

Surius 8. Iunij.

Hi sunt Gildardus fratres gemini, atque Medardus:
Vna dies natos vtero vidit, q; sacratos:
Albis indutos, & ab ista carne solutos.

S. Gregorius Turonensis, fasto Sanctorum istorum celebrando, hoc Antiphonon fudit: *Auete magni toto orbe Præsules: ortu gemelli, sanctitate compares, sacrati simul, coronati pariter, iuncti dicastis diem festum, meritis S. Medardi cum Gildardo inclyto: opem poscenti semper ferte populo.*

Cum vero huic Monasterio cum templo quopiam Romano lis intercedat, verũ penes se corpus inclyti Martyris Sebastiani habeat, operæ pretium nos facturos duximus, si nostram sententiam auctoribus grauissimis firmaremus. Horum primus,

Sacra D. Sebastiani lipsana in Monasterio S. Medardi condita.

Aimo-

Aimon. l. 4. c. 141. Hist. Fräc.

Aimonius esto. Refert autem Hilduinum ad S. Medardi primo Abbatem, deinde Remis Archiepiscopum, legatione adornata ab Eugenio Papa corpus S. Sebastiani efflagitasse, suo in Monasterio publicæ venerationi exponendum, votique compotem factum. Ne quis autem hoc summi pretij munus in dubium vocaret, non communibus Numen miraculis eam translationem restatam fecisse. *Posuerunt*, inquit, *eius ossa iuxta S. Medardum, quæ tot miraculis & prodigiis illic fulserunt, vt neque eorum numerus, neque varietas à quoquam narrari satis possit. Quædam vero capacitatem infirmitatis humanæ prorsus excederent, nisi ex fide constaret Christum, pro quo S. Sebastianus est passus, efficere posse quicquid velit.* Hæc summa est. Idem eodem modo Annales incerti Auctoris memorãt, nuper operâ Petri Pithei denuo impressi cũ aliis duodecim libris, de rebus Galliæ conscriptis. Haud aliter is narrat, qui vitam Ludouici Pij composuit, additque tot tantaque esse miracula, *vt multitudo numerum excedat, qualitas fidem superet.* Hac in anchora

Adon ad an. 841.

etiam Ado hæret, atque ab anno octingentesimo quadragesimo primo non quisquam historicorum Gallorum, quod sciamus, in aliam sententiam iuit, cui fidem adeo omnes tum habuere, vt Patres Concilij Suessionensis sese in Ecclesia SS. Medardi & Sebastiani in suburbio sita, conuenisse asserant. Postquam enim sacra Martyris lipsana templum accepit, etiam eius sibi nomen

S. Antonin. tit. 16. c. 1. §. 3.

vindicauit. Ludouicum Pium ad SS. Medardum & Sebastianum à filiis exauctoratum, ferunt historici. S. Antoninus hanc quoque translationem litteris prodidit, & S. Sebastiano Gregorium Magnum adiunxit, etsi non suo iudicio. Si enim Galli, inquit, corpus tam celebre adepti essent, commissuri profecto nunquam fuissent, vt tam alto id silentio sepelirent. At neque verbum de hoc faciunt.

Illustres viri Monasterij D. Medardi, S. Arnulphus: S. Erebõdus:

Tot Sanctis aliunde adductis, accedunt domestici, veluti S. Arnulphus, Abbas Monasterij S. Medardi, & Episcopus Suessionẽsis, quem fama sub annum millesimum octogesimum per ora mire diffudit. S. Erebondus eiusdem magister, ambo quondam reclusi: sed Reclusorum formam alibi exprimemus.

Rodulphus: Leidradus:

S. Rodulphus Archiepiscopus Bituricensis, ante id Abbas ad S. Medardũ. Leidradus, qui deposito Archiepiscopatu Lugdunensi, caput suum sæculi fluctibus subducturus, animose portum hunc petiuit, sub leges S. P. N. Benedicti totum se mittens.

Pipinus Rex Aquitaniæ. *Concil. Suess. c. 3.*

Pipinus vltimus Rex Aquitaniæ, à Carolo Caluo patruo exutus regno, quo de Concilium Suessionense mentionem facit.

Laus hic perennis.

Fuit hoc in Monasterio diuinæ laudis quidem quasi orbis, Monachis sibi perpetuo in Chorum succedentibus, & psallentibus. Cum enim Clotarius id aliorum designasset caput, tantis opibus stipauit, vt magno Monachorum numero alendo esset. Viguit etiam hic quædam viuendi ratio, quam postea Monasteria iniuerunt infinita.

Multique Reclusi.

Valde ad ingenium S. Regulæ est, Religiosos ad obedientiam, corporis afflictationes, arduasque virtutes educatos, exercitos, ac insuper duratos, in Monasterio rude donare, in deserta dimittere, vbi cælestibus contemplationibus suspensi, ducant senectutem. Et sic quidem mos obtinuerat in Cœnobiis, per syluas, alpes, agros sparsis. Incolebant tamen Monasteria in vrbibus vel suburbiis posita viri sanctissimi, qui viã ad Deum per solitudinem & meditationem affectabant, neque cincti fratrum turba animo satisfacere poterant. Repertus igitur huic nodo cuneus est. Vti enim medici cum in promptu non habent, vnde conficiant medicinam, morbo pellendo quam aptissimam, capere seruntur *quid pro quo*, seu obuium aliquid, cui etiam nonnulla vis medendi insitsita. Monachi nostri contemplationi vehementer dediti, cum Eremo se destitutos viderent, in angustas cellulas, Abbatibus annuentibus, sese remouebant: paruam per fenestellam lucem & exiguam annonã admittebant, eoque in secreto carcere æuum terebant silendo, orãdo, mente cœlo hærendo, haud aliter, quam si in Ægypti aut Palæstinæ desertis abscõditi sidera adirent. Hunc viuendi modum Ordo S. Benedicti olim tenuit, plurimique Reclusorum nomine in Diuorum numerum venerunt. Sic SS. Erebondus & Arnulphus, relicto mundo, non tantum in Monasteria concesserunt, sed angustas huiusmodi cellas subiuerunt, à se ipsis capti. At at Arnulphi sanctitate prodita, è cellula erutum, clauo Abbatiæ, deinde Suessionensis Episcopatus admouerunt.

E cella in apertam lucem rapitur S. Arnulphus.

Plurima vero Asceteria sanctissimum hoc pœnitentiæ iugum sibi postmodum imposuerunt, tantaque constantia tulerunt, vt viri summi è humillimis occlusis cellulis prodierint. Porro cum Clotarius Monasterio Sancti Medardi cætera obnoxia esse voluerit: tum vero terenti Arnoldum Wion, perpetuo obuiam veniant Cõgregationes, iam Mauriana, Siciliana, iam Viclariensis, innumeræque aliæ, habeatque is pro certo, Monasteria S. Benedicti hoc tempore mutuo se nexu complexa esse, ac coiuisse in Congregationes, Monasteriis aliis ab vno dependentibus, hoc errore mihi absoluendus es. Altius igitur repetam, qua submis-

sione antiquiora Casino Monasteria, capta S. Benedicti Regula, eidem accesserint: vel quo nodo noua à Sancto Mauro per Galliam extructa Asceteria illi fuerint deuincta. Atque vt rem perspicias In SS. Basilij & Augustini Regulas te oculos conijcere velim. Formam hi Patres Congregationis hodiernam non expresserunt, non fanciuerunt. Neque mutuo vinculo vti hodie in Congregationibus vsuuenit, Monasteria tenebantur. Nō Generalia Capita legebātur, quæ singulis Monasterijs ius dicerent: non Definitores renuntiabantur, qui nouas leges conderent in Ordinum comitiis: non Visitatores designabantur, qui veluti Censores Monasteria obirent, & sinistre facta ad vnguem castigarent. Nihil horum Sanctis illius æui Patriarchis in mentem venit: non Regulas pro Congregationibus condere, sed Monasteriis singularibus ferre leges, animus erat. Hinc Capituli generalis, iurisdictionis, subiectionis, nullam faciunt, mentionem. Abbatem, Præpositum, Decanos, Cellarium, Ostiarium, Infirmarium constituunt, qui officia non per prouinciam, sed singulis in Monasterijs obeant. Basilius Magnus cum Gregorio Nazianzeno secesserat in Eremum. Multi se Monachi postea adiunxerunt, quibus S. Basilius normam præscripsit, secundum quam ducerent vitam. Ea tantopere Patribus Syriæ, Ægypti, Græciæ, probata fuit, quod sic vna domus prudentissime gubernari videretur, vt dimissis propriis ritibus ac legibus, illam omnibus numeris absolutam Regulam cupidissime amplecterentur. Ita S. Augustino in solitudinem seccedenti, multi Eremitæ accesserunt, quibus leges scripsit, domi obseruandas. Ad Episcopatum deinde auctoratus, fecit idem cum Canonicis, quibuscum vitam egit communem. Ad hanc amussim progressu temporis alia quoque Monasteria ædificata sunt, nullo subiectionis iure inter se obnoxia.

SS. Basilius & Augustinus Regulas scripsere Oeconomicas.

Idem in Europa scopus à S. P. N. Benedicto petitus fuit. Sed actum agimus, idem sæpius inculcando. Profecto non ideo quod vetera ac noua illius æui Monasteria, gloriosi Patriarchæ nostri Regulam, sapientissime conditam, suis legibus priuatis anteferrent, in illam iurarent, continuo vnum habuere Caput, ad cuius nutum obtemperarent. Neque enim Monasteria Italiæ subiecta erant Casino Monti: aut Gallica Glanofolio, à S. Mauro extructo: vel huic S. Medardi Monasterium SS. Petri & Pauli Congregationi cuipiam Anglicanæ imperauit, quam Wion nuncupat Giribenam. Vicariensem in Hispania, etiam nomen puta. Libera igitur singula Monasteria erant, præter Prioratus, quos Cellas appellabant. Vnum tamen Ordinem constituebant, quod vnum Ducem sequerentur, nō quod vnus præesset singulis cum imperio, veluti Dominicanis, Franciscanis, Iesuitis, sui Generales. Atque vt rei certissimæ iuxtaque clarissimæ finē imponam, multæ Ordinis D. Benedicti Ecclesiæ Cathedrales: multæ Collegiales: infinita Monasteria, in sua potestate erāt, iure ac arbitrio suo fruebantur: donec Monachi Abbatum sæcularium Commendatariorum insolentiam; Pontifices Monachorum eiusdem Ordinis diuersitatem, haud amplius ferre potuerunt. Adeo enim differentes mores ac ritus irrepserant in Cœnobia, vt huius incolæ cum illius comparati, viderentur Regulas profiteri diuersas. Hinc Congregationes institutæ, decreta Monachorum Comitia: renunciati Abbates: dicti Visitatores, qui censuram in mores ferrent: ad vnam normam omnia fingerent.

Asceterio, à Clotario cōdito: nec

Prima quæ in hoc nomen merito it, Cluniacensis Congregatio est, ad annum nongentesimum decimum tertiū erecta. Quod si in coniunctionem Monasteriorum ante id temporis incidas, non tanti sanguinis fuisse puta, vt ingenuum hunc colorem ducere possit, aut debeat. Nullum enim Monasterium Caput reliquorum fuit. Etsi vero Pontifex Max. Cœnobio Sancti Medardi coronam hanc imposue rit; dictum tamen, non factum fuit. Quamuis deinde Zacharias Papa Montem Casinum (vt est in priuilegio apud Leonem Ostiensem) Caput appellarit omnium Monasteriorum Ordinis, non illi idcirco censuram, ius, imperium, alia in Monasteria tribuit, sed pro fonte exemploque Monasticæ disciplinæ & sanctitatis haberi voluit, vnde reliqua per Orbem fusa Monasteria S. Regulam, Ordinis sui animam, traxissent. Ita maximum natu filium, familiæ seu gentis caput nominamus, non quod fratres minores seruorum sint numero vel subditorum censendi, sed quod is ante alios stirpem referat ac repræsentet, hacque gratia maiori honore sit dignus. Si à me exigis, quidnam sit Cōgregatio, haud grauate expediam. Coniunctio est multorum Monasteriorum, æque ante liberorum, postea vni Capiti subiectorum. Atque ita quidem res est. Vnde mihi cum Arnoldi Wion Congregationibus non conuenit. Hoc enim Sancti Medardi Monasterium Glanofolio subditum haud fuit, nec per Galliam cætera. Nam Sanctus

Congregatio Cluniacensis recentior omnes antecessit.

Leo Ostiens. ap. pend. histor. Casin.

Maurus

vilioribus manum inijcere, causam prætexendo, sibi quod magis conducerent escæ vulgares. Reginam ideo se esse arbitrabatur, alijs vt cōsuleret, inopiam ipsorum subleuando. Cui autem principum fœminarum ruborem non excutiat ad pedes pauperum prouoluta Radegunda, & sordida vestigia regijs manibus diligentissime abluens? Plagis etiam luridis, fœdis, grauissimo odore nares violantibus non modo medicam manum, sed subinde osculum quoque adhibebat. Quod si aliunde impedita miseros suis manibus curare non posset, curabat alienis. Captiuos pari charitate liberalitateque prosequuta est. Dona ab ipsa allata templis ac Monasterijs, quis tandem digne exequatur? Quicquid in manu erat, in egenos, & huc congestum est. Præter pecunias, ausa etiam carpere cimelia, corpori circumposita & detipere vestes, quibus oculos capi audiebat, cunctaque Numini dedicare. Diem illi oratio, lectio, meditatio auferebat, quem plerumque in æde sacra absumebat.

Stomachum Regi mouit:

Varios colores tot pijs operibus aspergebat Radegunda, ne virtus sua in oculos incurreret, sed operam lusit. Nam Rea sensit: gyneceum è specula vidit: totum regnum in egregia facta Reginę expediuit laude plenas linguas. Fuerunt etiam de aula, qui Regi in os dicerent, ductam ab ipso Monialem. Clotarius etsi pietatem non improbaret, alio tamen cymbam suam impellebat. Carere tali coniuge malebat: virtutem tamen missam facere non poterat. Nec ante frontem cauere, insontemque segregare à se ausus est, quam fratri ipsius ademisset vitam. Cædis causam non afferimus, cum nihil ad rhombum nostrum faciat. Inde magis magisque coniugem fastidire cœpit: vltimo repulit. Radegunda stomachoso marito liberata, veluti summo beneficio affecta, infinitas cœlo gratias meminit, quod is ad primum sponsum redeundi viam sibi aperuisset. Hoc vno iam vnice frui: cum hoc bonas horas comburere licere, quas antea Clotario propinare debuisset. Aliquamdiu egit in priuato, ambigua quo animo Rea laturus esset, si vota Monastica profiteretur. Tandem longioris moræ impatiens, S. Medardum Regi percharum aggressa est, obtestando vt iniecto velo se Numini consecraret. At cautus senea è re facturum se putauit, si tergum versaret, precibus fœminæ dissimulatis. Fieri enim posse, vt si ventos irritantia Radegundæ vela inspiraret, frangeret nauim. Mussabat regnum quoque totum, & quibus copia erat Reginæ saxum obijciebant, ne si ad capessendum velum progrederetur, Regi impotentem iram,

Inde longum valere iussa est.

A S. Medardo sacrum velum petit.

subditia periculum crearet. Sic repulsam passa, multo acrius cœli cellæque amore stimulabatur, *Eia, age Radegunda*, inquiens, *exple vota, quæ tam diu frustra trahis? accingere ad opus, quod Superi approbant!*

Quid fit? Cum officiosis pedissequis succedit templo: occasione bene fauente irrepit in Sacristiam: cultu regio impigre se ipsa spoliat: capit habitum monasticum, qui in promptu erat: induit. Rebus hunc in modum clanculo compositis, in lucem atq; adeo ad S. Medardum è Sacristia se produxit, multa ingeminans, nisi diuinæ Maiestati imposito velo se dedicaret, sanctum Numen, de cuius honore ageretur, testari se, animam arceri, reijci, perpetuo ipsi seruire cupientem. Itaque si repulsam ferat, supremi Iudicis Iesv Christi tribunal se appellaturam. Hoc fulmine ictus S. Medardus, velum ægre impetratum dedit: insuper Diaconissam initiauit. Gradus erat in veteri Ecclesia, quem fœminæ innocentia vitæ claræ ascendebant. Reperias etiam *Presbyteras*, nimirum mulieres moribus ac æuo graues. Nam Apostolicæ Constitutiones sexagenarijs minores ab hoc honore submouent. Ipsarum erat, peregrinos hospitio suscipere: pauperes à morbis abiectos curare. Hos enim Ecclesiæ ad se pertinere, non immerito credebant. At Diaconissæ, quæ è virginibus, vel semel tantum nuptis, legebantur, certa ministeria in templis obibant. Radegundam igitur quadragesimum annum attigisse ea legibus Apostolicis oportet, quando in Diaconissarum ordinem admissa fuit. Harum opus erat, fœminis, cum sacro fonte lustrarentur, sacrum Chrysma abstergere: deinde Ecclesiarum fores curare. Vnde S. Ignatius data epistola ad populum Antiochenum, *Saluto*, scribit, *custodias sanctarum portarum, quæ sunt Diaconissæ.* Neque enim confuso agmine per eandem portam se inserebat vterque sexus: sed Diaconissæ tantum mulieres admittebat, & cuique quà licebat locum conuenientem designabat. His & hoc genus alijs officijs fungi nulla permissa est, nisi voto castitatis prius nuncupato. Quocirca Concilia Chalcedonense & Wormatiense Presbyteras & Diaconissas ad secundas nuptias aspirantes, à communione fidelium remouent. Ergo Radegunda duobus hisce adamantinis vinculis se illigauerat Deo, vt ne auelli amplius, inque aulam ea aulæ fuga retrahi posset. Æquiore animo factum Rex tulit, quam sperabatur. Quin tantum abest vt hæc scenæ mutatio grauius eius animum euerberarit, vt Monasterium Pictauij nouum fine quondam Radegundæ excitarit: censu regio or-

Pulchro strategemate cūctantem Medardū vincit.

Constit. Ap. l. 3. c. 1.

Constit. l. 3. c. 19.

In Diaconissarum ordinem admittitur.

S. Ignat. epist. 12.

Concil. Chalced. sect. 15. Wormat. c. 73.

natir. Dum opifices moliebantur Parthenona, Radegunda peregrinatione suscepta, Sanctorum reliquias passim adibat, nunquam deinceps in publicū prodiitura. Quod cimeliorum, quod pecuniarum reliqui habuit in egenos, in templa effudit. Dum illa propositum iter terit, Clotario egregia eius forma, morum suauitas, etiam pietas, postliminio in mentem veniunt. Stat immobilis sententia, ad torum reuocare: quod vbi ad Radegundæ aures perlatum est, exterrita nuncio, mox peregrinationibus imposuit finem: in Monasterium, quod opere adhuc moliebantur, cito pede se recepit, nimirum Regis imperium præuentura. At quas adhibuit artes, Clotarij animum vehementius inflammarunt. Libet tamen digito monstrare calles, quos impar amori Rex disposuit. Consilium vultu tegit: Turonum per speciem S. Martini visendi iter intendit: inde præter expectationem volaturus Pictauium, Deoque pactam rapturus Radegundam. Regina vero postquam insidias sibi strui persensit, exploratores submisit, qui in Regis animum penetrarent: dolos vestigatum: se certiorem facerent. Nunquam opinor in veros somnos solutam esse, dum sic obsidebatur: nec quidem cæcam noctem, nisi tremulis oculis, accepisse. Spes ipsi bona in S. Germano Parisiorum Episcopo, sita erat, qui Regem comitabatur. Illum datis litteris supplex orabat, Clotario religionem iniiceret, ne sibi lacesseret negotium, nec violato sacramento quod Numini dixisset, è Monasterio se extraheret. S. Germanus occasione imminens alloquendi Regis, ad eius pedes semet abiecit, obtestans vt alio animum verteret, nam absque graui scandalo ipsum tantum nefas in se admittere non posse.

Raptum meditatur Clotarius.

Radegūda plenis velis euadit.

Tot deinde ictibus firmum Regis pectus, ariete admoto, pulsauit procumbens humi, vt is se dederit: Radegundam, iam iam Reginam denuo salutandam, bene valere iusserit. Elapsa plagis insidiosis Radegundā exultatione plenissima, in ordinem redegit suum Monasterium, quod ante per solicitos metus componere non licebat. Antistitis officium à se remouens, quod omnibus morem gerere mallet, Inen, sororem suam, id obire mandauit, virtutibus præstantem fæminam. Breui nobilissimus Galliæ sanguis eo confluxit. Refert Fortunatus seruatam hoc in Monasterio fuisse Regulam Arelatensem: nempe quam Cæsarius Arelatensis Episcopus Cæsareæ suæ germanæ præscripserat. Nam Regula S. P. N. Benedicti postea perrerrauit Galliam, quam S. Radegunda è palatio in Ascete-rium se coniecerat. Labentibus autem annis vna cum alijs Ordini gloriosi Patriarchæ Monachorum, veluti parui riuuli nobilis fluuio, se commisit. Impressa hæc à S. Radegunda & Ine regia vestigia, in Monasterium Pictauiense tendentia, multæ Regum filiæ, vel alias summo genere natæ, persequutæ sunt: veluti Basina, Chilperici Regis Franciæ filia: Crodielda Regis Chereberti soboles, cum adhuc superesset Radegunda. Numerum posteriora sæcula mirifice auxerunt. Genealogia Ducum Vandoniæ, in quam incidimus, Catharinam hoc sanguine cretam, Abbatissis Monasterij istius ad annum millesimum quingentesimum septuagesimum secundum adscribit. Post tantum temporis tractum etiamnum id stare, nostraque ætate regias filias præesse, admiratione dignum est.

Monasterij præfecturā sorori committit.

Basilic. Geneal. stirp. Vandom.

Libera igitur curis omnibus Radegunda, quę prius animū coquebant, Antistitis deinde onere in sororē translato, exercitijs spiritualibus se totam addixit: pœnitentiæ opera difficillima exequuta est, pristinis maculis, vti ferebat, eluendis, perinde ac si per scelera & voluptates ætatem agitasset. Fame, siti, propemodum corpus enecabat, quod nemo in rigorem effusam fæminam adductis habenis retineret. Victum adeo anguste sibi circumscripserat, vt leguminibus parcissime sumptis, & aqua non super quatuor vncias in diem pota, vitam toleraret, exemplo etiam in Sanctis pœnitentiæ studiosissimis perraro. Qui agrestia tantum fercula moderate cœnasunt, vel quibus culina sine igne ac fumo erat, multos numeres; at, oppido paucos qui faucium ardorem ac hepatis incendia tam exiguo poculo restinxerint. Horridum cilicium corpus inculpatum induit: crebris nodis teneros artus incaute premeritibus.

Inclemēter corpus habet.

Hæc tamen inter tormenta expostulare illa secum ob ignauiam, atque conqueri solebat, quod pro Christo subire martyrium sibi negaretur. Tyrannis, lictoribus, carnificibus etsi corpus excruciandum offerre percuperet, neminem tamen horum esse, qui manus iniiceret. Ergo vicariam operam ipsa præstitit, culpas non veras grauiter in se vindicando vlciscendoque. Cum aliquando solenni quadraginta dierū ieiunio plane impar huic patiendi desiderio esset, in tres circulos ferreos, rudi malleo fabrefactos, nō noxios artus indidit: circumductis deinde catenis, totum corpus in vincula coniecit. Nec crudele ferrum primam tantum violabat cutem, sed hac detrita, carni inhærebat, quæ annulis paullatim altius penetrantibus, nouam pellem inducebat,

vt abs-

vt absque incredibili dolore reuelli nequiuerint. Immo ad eximendum, chirurgo opus fuerat. Alias aliud consilium sui premendi animo volutans, hoc tormentum reperit. Crucem ære fusam viuis carbonibus imposuit, expectans donec excandesceret. Tum autem rapiente dextera reperiuit: duabus partibus corpori appressit. Sed cum focus maior arderet in pectore, stigma inurentem crucem non sensit. Talis in se Radegunda fuit, sed in socias adeo clemens, benigna, blanda, vt eandem esse, haud nouisses. Sororem, sorores inter vterinas versari, vel dominis ancillam misceri dixisses. Siqua incidisset in morbum, Radegunda astare lectulo, assidere: omnes in nutus intenta ministrare. Tacta hebdomadum ordine coquebat, verrebat scutellas, quadras lauabat. Alijs officium negligentibus, ipsa subibat non modo dextere, verum etiam cante, nequa cæterarum sentiret. Verbo expediam: infra vltimas ancillas animi submissione, industria, ministerio fuit. Nimirum, Ecclesiastico murem gessit, serio inculcanti: *Quanto maior es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Dum sic impense amabat, ab omnibus vicissim amabatur: omnium ancilla, omnium mater. Chorum, quoties per ipsam stetit, frequentauit quam diligentissime: inde priuatis incubuit precibus: preces excepit lectio: lectionem domesticus labor. Sic à se pendentem haud vulgaribus præmijs affecit Deus, arcana diuina ei reuelando: prodigia per ipsam patrando non solita. Nec facile alios apud Sanctos repertas miraculum, ob quod eis à mundo habitus sit honos, cuiusmodi non etiam à S. Radegunda editum fuerit. Cadaueri oblato dilapsam animam precibus restituit. Bona quędam mater magno nisu filiolum in lucem explicuerat, sed lumine vtaque cassum. Iter in Monasterium intendere: ad S. Radegundam miserorum publicum asylum citato gradu aduolare non licebat è partu decumbenti: cilicium tamen præ manibus erat, sanctæ fæminæ aliquando vsurpatum. In hoc funus inuoluit suum, absentem crebro Radegundam nomine clamans; nec vlla alia admota ope, vita puero rediit. Insignem illius pietatem, sacrorum lipsanorum incredibile studium prodidit. Non ab argento non ab auro manus abstinebat, quin istos in thesauros dilapidaret. Ad hos solum comparandos veteris fortunæ vsa splédido nomine, filiorum captauit gratiam, quos suus quondam Clotarius è coniuge altera tulerat. Hinc datæ litteræ Constantinopolim non ab ipsa tantum, sed etiam

Omnibus ancillatur.

Eccl. 3.

Miracula patrat.

Nonqui satis reliquiarum habuit.

quos memoraui Clotarij filijs, vt vel Oriens ardentissimo huic desiderio, quod Bandonina, quæ res eius litteris mandauit, hydropen vocat, satisfaceret. Bis suscepta expeditio est: bis bene insigni copia allata: omnibus tamen antecelluit eximia pars S. Crucis, ab Imperatore donum missa. Nonnulli quidem Episcopi intercesserunt, ne tanta pompa exciperetur sacrum lignum, quantam ipsa parabat; an quod ab Oriente imposturam timerent? Sed & his, & suæ Cruci, Opt. Max. Seruator noster per miracula obuiam iuit. Hæc breuiter ex actis cape. *Virtute diuina visum cæci, auditum surdi, loquelam muti, gressum claudi recipiunt: in fugam dæmones vertuntur: sed quid opus est verbis? Omnis generis homines quouis morbo graues cum huc se ferunt, fide ac confidentia in pectus sumpta, à S. Cruce capiunt salutem.* A principio huic Monasterio nomen sanctæ Mariæ inditum fuit, sed tum S. Crux Pictauiensis appellari cœpit. Cum sancta Radegunda diffluens gaudio omnem diligentiam impenderet, temque prolixe spargeret, vt felicis arboris Caluariæ hunc veluti decerptum ramusculum dignis honoribus recto acciperet, etiam Poëtas exemplo in suaues modulos prouocauit, quos inter laurum profecto meruit Fortunatus, nobiles Hymnos, *Vexilla Regis prodeunt, ac Pange lingua gloriosi prælium certaminis*; Ecclesiæ tam decantatos, effundendo: qui etiam S. Radegundæ, diligentiæ aliquo modo debentur. Idibus Augusti fatali telo icta, extrema suis mandata, & suam animam simul edidit. S. Gregorius Episcopus Turonensis funus eius curauit, qui aliquot miracula tam S. Cruci, quam S. Radegundæ patrata, litteris consignauit. Etiam illata iam tumulo, de miseris bene merendi iniuit rationes.

Bonam partem S. Crucis ab Oriente obtinuit.

Venant. Fortunat.

Martyrol. 13. Aug.

CAPVT II.

S. Columba rem Christianam & Benedictinam in Scotia promouet.

Hiberniam & Monachis & Monasterijs frequentissimam fuisse, dudum vidimus. Nunc annus quingentesimus sexagesimus quintus eodem nos reducit, spectatum Cœnobitarum plenissima habitacula, vnde non secus, quam ex alueatibus negotiosæ apes, alias in nationes prouolarunt. Duos Columbanos vna Hibernia simul habuit, quorum vterque sigillatim magno patriæ ornamento esse potuisset. Ambobus ijsdem mores, idem consilium erat, externa adire regna: excutere idola: circum

Duobus Columbanus felix Hibernia.

circumferre Euangelium: condere Monasteria. Alter horum S. Congello, nobilissimi Asceterij Benchor Antistite, vsus magistro erat, septusq; duodecim discipulis Angliam petiuit: inde Galliam, Alemanniam, demũ Italiam, in qua structis iam vbique gentium quas adierat Monasterijs, ad Cœlites iter fecit. Magna hic pars cum suis socijs Tomi sequentis erit. Nobis autem in præsens alio cum Columbano res est, quem Venerabilis Beda posteris commendauit, cuius in nomen haud omnes cõsentiunt. Quidam Columbanum, alij Columbum, nonnulli Columbam appellant, veluti Hector Boëth. Iohannes Lesleus, scriptores Scoti, quibus adhærere sententia est, vt inter vtrumque hoc nominis statuamus discrimen, quod dum historicorum aliqui neglexerunt, egregia amborum facta incaute miscuere.

Beda l. 3. c. 4.

Hector Boeth. l. 9. Lesleus l. 4. c. 49.

S. Columbæ compendium.

S. Columba gente Hibernus, professione Ordinis D. Benedicti Monachus, munere Antistes præclari Monasterij Armach, vbi pietatis studijs aliquãdiu floruit. Contracta deinde duodecim sociorũ manu, in Britanniam maiorem vela fecit, inde Angliam petiuit, vt Orci vires frangeret: animas cœlo assereret. Eam Insulæ partem, in quam primo inuectus est, Scotiam nominant. Has nimirum inter duas nationes magnum intercedebat commercium, quod origine pares essent. Scoti enim ante id Hiberniã coluere: verso deinde solo in hanc Albionis seu Angliæ partem concesserunt, quam ob causam Hiberni, à quibusdã auctoribus sunt appellati. Idiomate insuper, religione, moribus, nõ multum hi ab illis tum abludebant. Hinc ergo S. Columba voluit ducere initiũ, signa postea Euangelij alijs quoque prouincijs illaturus. Regno præerat Conualus, magni animi heros, lætus huiusmodi ad se venisse hospites, qui in re Christiana consumpturi curam essent. Etsi enim is vera Religione imbutus iam esset, nihilominus vndique boni mores exulabant. Nam cum regnum diuinorum præconum inopia vehementer laboraret, vitia facile excipiebantur, quibus exactis, multi S. Columbæ nomen dedetunt; quapropter sedes passim capere ac figere pro Monachis, instituit. Eremitæ Religiosi, iam ante quidem se insinuauerant Scotiæ, sed Regula destituti à S. Columba in ordinem redacti sunt.

Scotis vicini Picti erant, gens Incondita, pugnax, animosa, siue recta fide: immo idolatriæ dedita. Rebus igitur in Scotia compositis, ad Pictos cum nonnullis Sociorum promlit gradũ. Gnauiter ac strenue rem hic Christianam curauit, miseratus crudi populi cęcitatẽ; nec desudanti abfuit Numen. Nam expectatione citius explosis vanissimis Dijs, Bridius Rex ostensam sibi lucem Euangelij occupauit: caput baptizanti Columbæ submisit, quem summi deinceps infimiq; regni sunt imitati. Ne tamen denuo syluesceret hic ager, Monasteria per regnum disposuit sollicitus Pater, vnde coloni excurrerent: infelix lolium premerent: lætas segetes sedulo excolerent.

Cæterum vt amplissimum Asceterium moliri posset, quod aliorum arx & seminarium foret, Rex insulam ei quandam cessit. Educta moles, Hues dicta est. Inde viri doctrina & pietate admodum conspicui prodierunt, quorum ductu auspicioque omnes illæ prouinciæ aut turpi idolorum cultu, aut flagitiorum seruitio exiuerunt. Sed Venerabili Bedæ locum demus: *Ex quo vtroque Monasterio*, inquit, (nempe Armach & Hues) *plurima exinde Monasteria per discipulos eius, & in Britannia, & in Hibernia propagata sunt, in quibus omnibus idẽ Monasterium Insulanum, in quo ipse requiescit corpore, principatum tenet. Habere autem solet ipsa insula rectorem semper Abbatem Presbyterum, cuius ditioni & omnis prouincia, & ipsi etiam Episcopi, ordine inusitato, debeant esse subiecti, iuxta exemplum primi Doctoris illius, qui non Episcopus sed Presbyter extitit, & Monachus, de cuius vita & verbis nonnulla à discipulis eius feruntur scripta haberi. Verum qualiscunque fuerit ipse, nos de illo certum tenemus, quod reliquit successores magna continentia, ac diuino amore, regularique institutione insignes.*

Monasterium Hues condit.

Beda l. 3. c. 4.

Ergo Monasterium hoc diuini Numinis amore, & S. Regulæ studio mirifice arsit: viam ad cœlum omnibus præiuit. Non laus maior in Dei domum conferri potest. Ioannes Lesleus Episcopus de Sigenio Presbytero & Huensi Abbate agens, idem paucis verbis complectitur: *Hac ætate ad Benedictini Monasterij in Huensi insula clauum sedit Abbas, qui omnia Monachorum instituta ad Benedicti Regulam diligentissime exigebat.* Hoc Antistite sanctus Aidanus cum alijs viris illustribus expeditionem in Britanniam maiorem suscepit. Idem equus Troianus postmodum SS. Finanum, Colomannum, integrasque Monachorum copias effudit, quæ inferiorem, quæ superiorẽ Germaniam impleuerunt: vitijs ac erroribus prædicando exemerunt. Hisce adscribe sis SS. Albinum, Clementem, Adomanum, aliosque complures, in Superum censum relatos, quorum quidem obliuio nonnulla senescentem mundum cepit, nos autem suis locis producemus, neque diutius obscura à fama recondi patiemur.

Monasterio tota insula subiecta erat.

Abbatem Huesensem toti insulæ imperasse, vt ne quidē Episcopi se subducere potuerint, demiratur Beda, neque ex more id fuisse, ait. Non abnuimus enimuero, sæpius tamen id factum ostendemus. Quin hoc ipsum iam, post Casinense, alterum exemplum est. Amplissimæ iurisdictioni monachorum multitudo, census magnitudo, responderunt. Quamuis opes, cum Monasteria tractamus, in vltimis ponamus. Proinde sancti Columbæ calamum restituamus.

S. Columba censuras in Reges fert.

Scotos & Pictos triginta duos annos solidos, summis viribus annixus, in cœlum is tulit. Mitioribus iam ingenijs ac grauissima sanctitatis nec non prudentię eius opinione imbuti Reges, vltro illum in regni administrationē inuitabant, tantumq; apud omnes potuit, vt Reges solio imponeret, vicissimq, quos visum fuit, excuteret. Quem enim ille tyranni stigmate notauerat, nigris lapillis subditi cuncti petebant: cuncti auersabantur. Quem deinde is Regem renunciabat, nemo non probabat: nemo non illius potestati se permittebat. Dum vitam in his oris traxit, tres Reges ad Scotensis regni clauum admoti sunt, qui omnes amicitia animiq; submissione ita cum S. Columba cohærebant, vt non secus ipsi, quam sui monachi, morem gererent: omnia consilia, quibus momentum inesset, cum eodem communicarent. Subinde Monasteria à se fundata obibat: defunctus opere, ocyus insulam Hues repetens, in cellulam se conijciebat, animæ suæ negotia cū Bono Deo acturus, qui merita stipendia egregio bellatori victorique soluturus, grandem natu (quippe septuagesimum sextum annum ducentem) è longa statione in superas Beatorum sedes euocauit. Si Scotis fidem habes, in Huesensi Monasterio cōditus est, idq; ex ipsius voto ac iussu. Quod si potius credis Hibernis, Duno Hiberniæ oppido illatus est. Hi tamen apud venerabilem Bedam causa pridem ceciderunt, quam obtinuere Scoti. An postea illo sit deportatus, pro comperto nō habemus. Richardus Dubliniensis Appendice historiæ Hiberniæ, duos versiculos recitat, quos tota insula cantari asserit:

Animam edit.

De tumulo ipsius historicis lis est.

Hi tres in Duno tumulo tumulantur in vno:
Brigida, Patricius, atq; Columba pius.

Hector Boeth. supra.

Contra fert gradum Hector Boëthius, Columbam insulæ Ionæ affirmando. In hac enim Scotiæ Reges ad vnum omnes sepeliri voluisse, vt Columbæ tanto propius iungerentur. Adeo quippe animos Scotorum ceperat viuus, vt etiam demortuum summo affectu complecterentur: summis viribus eius ossa ad se traherent.

Sed antequam è portu soluamus, S. Cuentigernus, Columbę amicus, nobis adeundus est. Patrem habuit Eugenium, Scotiæ Regem, non minus eruditione, quam sanguine clarus. Steriles arenas Pictis obiecerat dæmon, hæresin Pelagianam, quæ se doctrinæ S. Columbæ late miscebat. Sociata igitur opera effusæ pesti prono vestigio obuiam iuerunt: grassanti obstiterunt: deprehensam eiecerunt, donec totum regnum labore improbo perpurgarunt. Episcopū agebat Glasguensem, vnde relicta sede nonnunquam ad oues suas curandas excurrebat. Frequenter animum vita monastica vellicabat: subiere quoque pectus reddendæ rationes: quocirca positis honoribus cum oneribus, Monasterium sexcentorum septuaginta Monachorum condidit, Arnoldo teste.

Ioan. Leslem l. 4.

Arnold. 13. Ian.

Eius inter discipulos S. Assafo eminuit, qué Abbatia post S. Cuentigernum excepit. Cum monachorum numero censuq; polleret Monasterium, Ecclesia Cathedralis esse iussum est. Pontificatum primus Assafus gessit, tanto subditorum applausu, vt eius memoriæ apud posteros vulgandæ, Episcopatum Assafensem appellarint. Festam quotannis diem Cuentigerno Idib. Ianuarij: Assafo Cal. Maij, Ecclesia instaurat. Vide Lesleum, Hectorem Boëthium, Chronographiam Britanniæ.

Martyrol. 1. May.

Annvs Christi 566. Annvs S. Benedicti 86.

S. Eugendus ex Ordine S. Benedicti Albo deletur.

Memorandus hoc anno S. Eugendus venit, in Ordinem S. Benedicti à quibusdā ascitus. At mihi tempus ad calculum exigenti quo Monachum induit, ac vitam eius examinanti, à quopiam discipulorum conscriptam, quā Surius refert, recte facturus videor, si ex Ordine submoueam; & tanto rectius, si SS. Romanum ac Lupicinum, Magistros ipsius, expungam. Cum enim auctor Regularum S. Basilij, S. Pachomij, Cassiani, Monasterij Lerinensis, diligenter meminerit, qui factum est, vt Regula sancti Benedicti gnauo scriptori excideret, si eam sanctus Eugendus in mente, in manibus, in ore, perpetuo habuit? An non tunica propior pallio est? Grandius pondus hoc, quod afferam, habet. *Iste Abbas sanctus* (inquit auctor vitæ ipsius) *nec mensulam suam, nec victum vnquam exceptauit à Fratribus, vt facere quosdam nuper audiui.* Atqui sanctus Benedictus omnia alia imperat: videlicet, *Mensa Abbatis cum peregrinis & hospitibus sit semper.* Qui primos illos sanctos Cœnobiarchas Regulam nauci fecisse contendit,

Surius 1. Ianuar.

SS. Eugēdum, Romanum, ac Lupicinum linea inducimus, & è catalogo nostro delemus.

S. Reg. c. 56.

tendit, aquam in mortario tundit. Obesæ proinde natis sit, cui non suboleat hic error: vel qui ad minimum ambigere nō incipiat. Aut cedo, quis in animum inducere queat, S. Eugendum nunquam fecisse, quod legis nostræ lator, vt semper fieret, præcepit? Veniam igitur mihi dabis, si homines certo nostros in lucem euoluam; incertos silentio inuoluam, aut aperte submoueam. Itaque si S. Eugendum petis, Surium adi: si SS. Romanum ac Lupicinum, Gregorium Turonensem. Demus autem, vt par est, tres istos Sanctos in Diui Benedicti Regulam haud iurasse, illorum tamen Monasteria, vt Galliæ & Germaniæ alia, in Ordinem ipsius concesserunt. Hanc viam triuisse Monasterium S. Claudij, cui S. Claudius Abbas, Episcopus Bizantinus, Ordinis S. Benedicti Monachus, præfuit, nemo nescit. Habitum is Religiosum in Cœnobio sumpsit quod ab alio pendebat, per ss. Lupicinum & Eugendum extructo.

Greg. Turonen. de vita Patrum.

Annvs Christi 567. Annvs S. Benedicti 87.

S. Launomarus Eremita, deinde Monachus Corbionensis in Gallia.

Annus Chilperico Regi Galliæ voluebatur secūdus, quo fama in S. Launomarum, Monasterij Corbionensis, Diœcesis Carnotensis (Chartres hodie) gnauiter incubuit. S. Bathilda Regina, fundauit aliud, ac nomen prope idem, Corbeia, imposuit. Diuersa tamen fuisse, Concilium Suessionense fidem facit, cui Adon Abbas Corbeiensis, & Hetteticus Abbas Corbionensis, subscripsere. Cæterum S. Launomarus paupere loco natus Carnoti, vbi ex parietibus emersit in campum, pecus in pascua egit, seruauitque. Animus tamen, Numine sic inclinante, alia in studia ferebatur, quam quæ pastores tenere solent. Mucidum panem à parentibus ingestū è pera eximens, egenis diuidebat: ipse vero totis diebus fame laborans, ientaculum & prandium in seram noctem differebat, quod genus premendæ gulæ nno vllo magistro, sed vnius Spiritus sancti suggestu imbiberat. Captarunt gnarum parentes, ac indolem senserunt. Ne igitur tanta & talis exolesceret, Cheremiro Clerico in fidem tradiderunt, primis elementis tingendum: & si intenderet animum litteris, in Ecclesia ministeria prouehendum. Incepit: didicit: sapuit: nec ita multum temporis defluxit, cum ad sacram aram auctoratus est. Incitatus donis, ac nouis obligatus honoribus, virtuti maiorem quoque in modum operari cœpit, publicum pietatis exemplum. Quia vero à teneris assueuerat solitudini, orationi, contemplationi, animū Eremi memoria identidem mordebat: interea vitam cum Clericis Carnotensibus ducebat communem, quodque in homine à turbis alieno mireris, etiam familiæ negotia bene ipsi sub manum succedebant.

S. Launomari natales ac prima pœnitentia.

Numini inuitatur.

Dum sic omnibus satisfaciebat, sibi vni non satisfecit. Quadam igitur nocte rebus relictis, ac densis tenebris palliatus, in locum desertum præcipiti pede se extulit: è ramis quos sylua offerebat, opere tumultuario mapale composuit, opibus & supellectile vacuum, at cœlesti nectare, ambrosia, fartum refertumque. Natauit aliquamdiu hic incredibili gaudio: tempus oratione: ventrem, improbū herum & assiduo imperantem, ieiunio fallens. Feliciter elapsus quidem fuerat, sed paulo post à cœlo proditus adiri cœpit: demum integros hominum greges in se conuertit. Quidam pressius vestigia ipsius lecturi, se in disciplinam tradiderunt: in Eremo tuguria cellulam magistri imitantia è ramis consertis & palea excitarunt.

E turba se aufert in Eremum.

Ordo S. P. N. Benedicti quamplurima Monasteria in digitos mittit, à Principibus, Reginis, Regibus, Imperatoribus, statim ab initio fundata, diffusis immodicis splendidisque ædificijs, vt spectantium oculos animosque raperent in admirationem. Tantas vero struxere moles Cœnobiorum templorumque, vi auri maxima impensa, quod digna regijs ossibus mausolea condere vellent aut suę in Numen pietati, qua par erat, prolixe indulgerent. Non enim arcas in homines, sed Deum effundere se arbitrabantur: Supremo Numini alta illa templa, non humilibus Monachis educi sat certi. Multo plura tamen Monasteria idem S. P. N. Benedictus numerat, quæ à mapalibus, à tugurijs, è ramis & corticibus compaginatis, origine ducta, ingens incrementum postea sumpserunt. Quot enim mortales, ne mundi fluctibus haurirentur, desertа non secus quam portum fidissimum petiuere? Ignotis primum ac priuatim degentibus, postea casu repertis, vel aliunde proditis, se alij, atque alij, rursumque alij applicarunt. Aucto deinde numero, pedem conferebant: excitatis Monasterijs vitam communem secundum Regulam S. Benedicti agebant. Ita S. Launomarus cum socijs rudes primo sedes fixerat in Eremo. His paulatim additæ sunt officinæ: triclinium, communis omnibus Ecclesia. Vicini autem cum viderent beneficia sibi non petitura quæ apud

Eremitoria sæpe in Monasteria versa.

hos

hos Dei seruos posuissent, vtraque manu afferebant.

S. Launomarus res mirandas patrat.

Tenues insuper fortunas etiam promouit Deus, S. Launomaro vim miracula patrandi cumulatim impertiendo. Nunquam irritis assultibus adortus est cacodæmonas, qui humana corpora subiuerant. Excitatum in domo incendium, crucis signo restinxit. Cuidã Ladocramo membris omnibus impedito, crebraque vota suscipienti, membra omnia expediuit, vbi primulum oleo, cui bene dixerat, ea inungere cœpit. His & huiusmodi alijs miraculis omnium linguas prouocauit Launomarus, nec iam priuato degere licebat, sed excita vndiq; turba pulsabat fores, alijs vt bene sibi precaretur: alijs vt salutem sibi ferret, obnixe poscentibus. Ergo spei se irritum cõspiciens, de solo vertendo consilium cum socijs iniuit. Sedem mutare, optimum factu visum est. Per valles iugaque montium altius penetrantes, locus cui Corbion nomen, excepit, vbi Monasterium priori simillimum, ædificarunt. Non procul densa sylua stabat, vbi materiem superbæ fabricæ cædere licebat. Vna vero arbor, cui submouendæ vix homines quadraginta fuissent, designatam Monasterio orbitam occupabat, nimis magnus operi persequendo futurus obex. Ergo truncus hic à Sancto precibus solicitatus, finibus illis excessit: Monachis fabricandi potestatem fecit. Is conscio Monacho studiose silentium indicens, non modo plausum sibi nullum fecit, sed vehementer timens, ne qua tantum facinus in sæculares efflueret, iterumq; se turbæ ingruenti eripere cogeretur. Nihil vero egit. Nam vicini fugientem per miraculorum vestigia denuo consequuti sunt, è quibus vnum saltem producemus, quo posteritatis memoriam imbuamus.

Mutat sedem cum socijs.

Arbor pulsata ipsius precibus, solũ vertit.

Nummos nequam ab vsurario oblatos reijcit

Eam oram Hermoaldus nobilis diuesq; incolebat, pessimus ingentium bonorum possessor. Nam opes, quibus incubabat, pleræque male partæ erant. Cum animaduerteret fatalem in se arcum à morte tendi: collabi vires: supremum diem obeundum: subducendas cum iustissimo Deo grauissimas rationes: ægre animam trahens, ac vtroque caput iactans, ex amicis quempiam acciuit, capesis, dictitans, cape sis hos quadraginta nummos solidos: Launomaro viro Dei eos munus fer, & roga meis verbis, vt Numinis mihi gratiam conciliet: viam ad Superos aperiat. Nam huc tandem brachia tendere consueuerunt, in barathrum absorbendi vsurarij. S. Launomarus caperata frõte reiecit male quæsitam pecuniam: facessere hominem ocyus, relegere vestigia iussit. Hic instare: vrgere: identidem obtrudere: caperet, æqui boniq; faceret argentum. Ergo agedum, subiecit Launomarus, experiamur an iustum cuique pondus sit, simul latorem ad aram sacram trahens, supplicauit supremo rerum arbitro Deo, vt male partos sibi proderet. Tum singulos promens expendit, librauit, scrupulose examinauit, latore fronte suspensa, humeris frequenter adductis coram assistente, nec secus quam in Lydium lapidem intento. Postquam sagacissimus censor periculum fecit omnium, in attonitum respiciens, hem tibi bone vir tuos solidos, dixit, è quibus vnus tantũ probus est, quem solum non aspernor: reliqui nequam sunt, quippe male parti, malisq; artibus in marsupium redacti. Refer autem meis verbis ægroto tuo, censum ipsius fere omnem ita malæ notæ esse. Proinde paret se fatis, ac rem fraudibus confectam, restituat, breui occubiturus. Si hoc æuum Launomaros ferret, qui corruptos scelere nummos ab integris dignoscere possent, quam longe aliter negotia, commercia, nundinæ exercerentur?

Mali corui, mala oua.

Carnotũ migrat.

Vir autem sanctus cum vanis ictibus auras se diuerberare videret latebras indagando, excussis turbis, Numinis hoc opus esse intellexit. Quocirca in vestigio hæsit: multitudini copiam sui fecit: viciniam ad frugem reduxit. Magnam hinc lætitiam Labinus Episcopus Carnotensis cepit: pro industria suis ouibus impensa gratias habuit: in vrbem inuitauit: denique obnitenti manus iniecit, atque è cella erutum in vrbem pertraxit. Sed magnis bonis diu frui non licet. Nam S. Launomarus paulo post in Episcopi & ciuium complexu mortuus est Idibus Ianuarij, cum prius vrbi excidium, post supremum Labini diem, obnunciasset. Abeuntem interuallo non longo sequutus Episcopus est: barbari obsidione cinxere ciuitatem: expugnarunt: incolis terrã mordentibus solo æquarunt. Vterque in S. Martini templo conditus est. Prioris honori Monasteria templaque dedicauit Gallia; præsertim Carnotenses meritum ei cultum religiose persoluunt. Sancti Iuonis epistolę frequẽtem Blesensis Cœnobij subijciunt mentionem, sancti Launomari tutelæ commissi, diuitis profecto & copiosi, quando Romæ pro Bulla Cõfirmationis mille quingentos florenos persoluere consueuit.

Martyrol. 13. Ian.

Iuo epist. 196. 218. 219.

* * *

ANNVS CHRISTI 568. ANNVS S. BENEDICTI 88.

Acta SS. Patrocli & Martij.

Greg. Turon. in vit. Patrum. c. 9.

SAncti Patroclus & Martius eadem ratione, qua Launomarus, ſibi viam muniuerunt ad Monaſteria ampla condenda. Patroclus domo Bituricenſis, parentibus tenuibus natus fuit, quippe qui Antonium filiorum alterum litteris diſcendis addixere, ipſo rus abire, ac pecus paſcere iuſſo. Fuit vt è paſcuis aliquando ſe domum corriperet ſub ipſiſſimum prandium, ſcilicet cauum ſtomachum fumante menſa expleturus. Hic frater vix primis dum elementis in ſchola tinctus, tollere ſupercilium: inflare buccas: Patroclum rure aduolantem præ ſe côtemnere: eodem ſecum accumbendi iure prohibere, quaſi doctis tantum præſerentur placentæ. Sed vide vt ratem noſtram, quo vult, agat Deus! Arceri ſe menſa à paucarum litterarum tyrone, iniquiſſimo animo tulit opilio: verſauit ſe ad omnes cogitationes: deniq; ſtatuit non amplius tenere pecudes, ſed in litteras incumbere. Fecit: ſudauit & alſit: non multo tempore fratrem antecelluit. Poſtea ad ſummum virum, quem Gregorius Turonenſis Momionum nominat, Childeberto Regi percharum, ſeſe applicuit: cuius opera in virtutis & doctrinæ culmen euaſit. Hæc inter amantiſſimi parentes ſubeunt memoriam: laceſſunt pectus: impellunt pedes. Repetito late patrio, ſolam matrem ſuperſtitem reperit, quæ infuſa collo matrimonium inire, ſuamque ſenectam leuare orat. Verum dulciſſimus gnatus, non modo exlegem capillum, quem ouium magiſter ſparſerat, pridem poſuerat, ſed inſuper quid *distarent æra lupinis*, æterna petituris, probe intelligebat. Hac offa igitur à matre obiecta, ſtomachari cœpit Patroclus, & quamuis cingeretur violentis amantiſſimæ matris brachijs, fugam explicauit tamen. Vbi Biturico ſe reddidit, in Diaconorum ordinem conceſſit, quibuſcum vitam, de more temporis, communem egit.

S. Patroclus pecoris Magiſter.

Res alias agere incipit.

Præter morem negligit prandia.

In noua iſta vincula indutus, vigilijs, ieiunio, lectioni, orationi ardêtius iam inhians, aliquoties à menſa aberat. Moleſte id Archidiaconus tulit, qui cœtus venerandi præfecturam gerebat. Vltimo bonis quoque auibus excedere iuſſit, niſi vna cum alijs menſæ accumbere, animo ſederet. Alterum hoc calcar, poſt illud fratris, Patroclo admouebatur, quo curſum ad maiorem intenderet perfectionem.

Igitur in villam imprimis Neerenſem veſtigia torquens, paucis diebus ibidem religiole conſumptis, Eremum petiuit: locum è ſententia nactus, ſedem fixit. Lętus inuentis, iam dutius in ſe animaduerti, excubijs, ieiunijs, orationibus lôgius productis. Quid multis? arduas virtutes egregie emenſus, tacem alijs ferre poterat. Certe nigris dæmonculis tantus terror iniectus eſt, vt eum præſentem ferre haud poſſent, ſed in corporibus deprehenſi, exemplo fugam inirent. Toties pulſi domicilio vindictam meditati ſunt. In apertum ſcelus inuitare ſanctum virum auſi non ſunt, quippe certi ſe operam luſuros. Quoſdam ſubinde capiunt hi ſtygis venatores prima tyrocinia ponentes, ſollicitam curam animarum alienarum illis ſubijciendo, vt ſuarum iacturam faciant. Ita ingens deſiderium iuuandi alios inceſſit Patroclum, vt propemodum religioni ſibi duceret, pereuntibus hominibus deſidere inter feras: occupare montes, quam ſi ſaxa vel arborum trunci ſtudio aut cura ipſius indigerent. Hæſitanti igitur, ac aliud, atque aliud, ita vt ſolet, iam probanti, nunc vero damnanti, oratio præſidio fuit. Humi enim fuſus, Numini demiſſo animo ſupplicauit, duceret ſe, quo vellet? Magnum huiuſmodi preces, à voluntate propria alienæ, pondus in cœlo habent. Aliquamdiu in vota ardentiſſima ſic incumbens Patroclus, viſus eſt ſibi de altiſſima columna oculos per orbem circumferre, homicidijs, adulterijs, furtis, proditionibus, periurijs, odijs, flagitijſq; alijs plane immerſum. Auerſis inde multum indignantibus luminibus, bono loco monachos & Anachoretas eſſe intellexit, qui tot laqueos, tot pericula, tot caſus exiſſent: nouasque gratias clementiſsimo Deo meminit, quod ſe tam multos ſcopulos prætervectum tutiſſimo portu excepiſſet: neque anxia aliorum cura diutius verſauit animum, à ſæculo vitijs obducto abhorrentem. Telam igitur ſuam, nutu Superum inceptam, pertexere grauiter inſtituit, octodecim annis in ſolitudine conditis, quo ingens demum multitudo confluxit, illecta miraculis: deinde vt eius ſanctitate & doctrina frueretur. Quocirca præter Parthenona ædificauit etiam viris Monaſterium, quod Columbarienſe vocant. Vtroq; Regula S.P.N. Benedicti, tum doctrina quoque ſua factiſque inſtructo, à Deo iter ad Cœlites expedire iuſſus, annorum bonorumque operum ſarcina onuſtus, ad XIX. Nouembris diem abiuit. Oſſa ſua in Columbarienſi monaſterio humari iuſſit, ad quæ multa poſtmodum miracula patrata ſunt, à S. Gregorio Turonenſi deſcripta. Duas imprimis fœminas luminibus caſſas, lucem recepiſſe narrat: mortales octo, ſtygios tyrannos ſuis corporibus

A dæmone in ſæculum retrahitur, ſed cauda vulpem prodit.

Monaſterium Columbarienſe extruit: obit.

Martyrol. 19. Nouēb.

cit-

circumferentes, liberatos: oleum cui is bene dixisset, ægris plurimis salutem attulisse.

S. Gregor. Turon. de vitis Patrũ. c. 14. Abbas alter (Martio erat nomen) natus in Aruernis à paruo puero, S. Gregorio Turonensi teste, documenta dedit, in magnum se virum olim euasurum, genuinas futuræ sanctitatis notas præferens parum edendo: pauperibus liberaliter dando: precibus diu indulgendo. S. Martius Eremum petit. Adultum iam mirum desiderium tenuit Eremi, quocirca domui parentibusque terga vertens, erupit in solitudinem, locumque inter inhospitales montes ac rupes emissis oculis norans, immigrauit: dies noctesque legendo, contemplando, orando, exhaurire solitus. Cultu diuini Numinis solutus, cellam sibi exeso in antro, & æquo angustiore, moliebatur diuturnus incola futurus. S. Launomarus comantia arborum brachia cum rugosis corticibus in casam compegerat: verum S. Martius rigentem rupem in lectum, mensam, sedem, *verbo*, in iustum hospitium edomuit, vt solam suppellectilē desiderasses. Immo Martio nihil præter vestem, qua corpus obducebat, habenti, nihil deerat. Ne tamen fame interiret, statis diebus à conscijs amicis alimoniam capiebat. Hoc in hiatu, quem rupes partim ipsa pandit, partim ipse improbo labore aperuerat, abditus, mundum latere non potuit, fama vitam eius asperam & prodigia latissime vulgante. Multi se discipuli applicuerunt, qui crebris quoque ligonibus obstinatæ cautu instabant, saxea domicilia machinando, vt tanto propiore gradu magistrum contingerent. Cultu illa quidem hodiernis Religiosorum cellis inferiora erant, è quibus tamen compendio in cœlum euolare licebat. D. Paulus dudum fotibus inscripserat: *In solitudinibus errantes: in montibus & speluncis, & in cauernis terræ.* Hebr. 11. Miracula quæ viuus & vita defunctus patrauit, S. Gregorius Turonensis ab obliuione suo calamo vindicauit. Moritur. Annis fessus (agebat autem nonagesimum) exhalauit vitam Idib. Aprilis, Ecclesiæ calculo Superis additus.

Annvs Christi 569. Annvs S. Benedicti 89.

CAPVT I.

S. Æmilianus Eremita: Cœnobita: Abbas: Ordinis S. Benedicti.

S. Æmilianus Monasterium condit. Sanctus Æmilianus multis annis in montibus Distertijs consumptis, stipati socijs cœpit: nimirum multis sese agglutinantibus, vt eo magistro cœlestem disciplinam perdiscerent. Tum vero religiosissimi Monasterij iuxtaque antiquissimi prima fundamenta iecit, quod *San Millan de la Cogella*, appellamus. Spiritum ac vitam adeo longe duxit, vt multos Hispaniæ Reges sit consequutus, veluti Athanagildum, qui sub annum quingentesimum sexagesimum fextum fatis concessit, cuius sceptra Luiua excepit, historicis Iberis parum celebratus, quod plerumque ætatis in Gallia Gothica (quam Franciæ partem hæc gens subegerat) contriuisset. Regni socium sibi asciuerat Leouigildum, Hispania ipsi commissa, fatis vltra montes Pyreneos sibi superesse ratus. Annis non amplius quinque fastigio insedit Luiua, quo deinde à fatis submoto, non tantum Hispania omnis, verum etiam Gallia Gothica coronam in vnam confluxere, quam postmodum Leouigildus tulit, quo regnante frequentem S. Æmiliani memoriam subijciunt historici.

Etsi vero verius sit, vitam ipsum Cœnobiticam post Eremiticam amplexum esse: Parthenonas ac Monasteria condidisse, quo tamen anno id factum, non perinde ad vnguem exploratum habemus. Prius depromere licet ex eius actis, quæ sanctus Braulius Episcopus Saragosanus litteris mandauit. S. Braul. vita S. Æmilian. c. 27. & 29. Nam Monachos preces Matutinas obeuntes memorat: item eius funus à multis Monachis curatum fuisse. Huius gratia ab antiquis Breuiarijs nomen Abbatis, hoc est Patris, obtinuit, ex quo facile intelligas Antistitem fuisse, ac filios habuisse, qui ipsi obedirent. Sed alia duo grauissima testimonia in manu sunt, quæ non modo Monachum, verum etiam ex Ordine S. P. N. Benedicti fuisse, palam faciunt. Vtrumque suppeditat S. Æmiliani de Suso Monasterium. Quippe in sacello quopiam angusto & obscuro Sepulcbrum hic stat; rudi Minerua compositum, quodque prima fronte longæuam ætatem, adeoque tempus, quo S. Æmilianus fuit conditus, prodat. Monachũ & Abbatem Ordinis S. Benedicti fuisse, lapis docet: Id tamen aperte vnus è cœlestibus ephebis, mausoleum circumuolitantibus, è libro quem manu tenet edocet, cui legendo sax à nobis admouenda fuit, quod charactere minuto eoque Gothico incisus esset: sacello autem angustissimo lux infundere se vix vlla possit. Attamen cape verba, & arbitrare: *Sanctissimus Æmilianus Monachus, & Abbas sub Regula S. Benedicti obijt Era* DC. XII. Veremur vt grauius testimonium requiras; quasi liber hic multis à condito S. Æmiliani funere annis sit inscriptus, cum angelus eum extra tumulum exhibeat, ornatum potius mausoleo additurus, quam rei veritatem expressurus, quæ rectius à

sarco-

Multos è Cœnobijs in Eremum euolasse, non imus inficias: at vicissim alij ascitis socijs quos idem vitæ communis tenebat studium, relictis Eremitorijs Monasticen amplexi sunt. Omnes ad maiorem ferebantur perfectionem: omnes in virtutum culmen, etsi diuerso tramite, enitebantur. Quidam id agebant, vt hominum coetibus diuiti, solo Deo fruerentur, nullis alijs curis impliciti: alij remos in rate Petri ducere instituebant, Ecclesiam filijs augendo: à norma dilapsos reuocando: cunctis viam ad Superos præeundo. Sic pede vtroque res Christiana suam ad metam progressa est. S. Æmilianus noster quantum in solitudine per assiduam contemplationem cum Deo Opt. Max. coaluerit, difficile dictu. Liber iam affectibus, quorum semina nobis natura iniecit: securus etiam periculorum, quæ adeunt, quibusque non raro pereunt, qui salutis alienæ curam suscipiunt, è Rachelis amplexu semet euoluens animum ad Liam applicuit onus Abbatis subeundo, quod gratius Numinis se facturum crederet, si pluribus prodesset. Fuerunt qui negarent sanctum Æmilianum egisse Abbatem, eo quod fere Clericus & Presbyter diceretur: sed verum nobis lapis sepulchralis monstrat. Deinde Religiosos olim sacerdotio initiatos, nō Monachos, sed *Presbyteros* appellabant, vsu ita ferente. Exempla sunto S. Hieronymus Presbyter: S. Columba Presbyter: Venerabilis Beda Presbyter: quos tamen Monachos fuisse, peruulgatissimum est. Cum enim illo æuo non omnibus permitteretur ad S. aram inaugurari, vt tanto maior honos sacerdotio haberetur, diuinos Mystas non Monachos sed *Presbyteros* nominare, abiuerat in morem. Quamuis igitur S. Æmiliano Monachi appellatio deberetur, quod hominum frequentia excedens, solitudini se crediderit: itemque quod Abbatis munus obiuerit: impositus illi tamen *Presbyteri* titulus fuit, quod per Didimum Episcopum Tarasonensem in horum censum venisset. Porro, vt marmor in Mausoleo deprehensum omnino nullum de hoc faceret verbum, nihilominus altaria, quæ superum ac inferum Monasterium in templis expandit, spectatores in sententiam adducere queant: itemque ebore ac auro diues arca, quæ ossa ipsius componit: nec non tota domo sparsæ picturæ. In quamcunque enim partē lumina conijcias, cucullo amictum, manu pedum tenentem (vt par est Abbatem huius Asceterij primum) conspicias. Testis etiam S. Braulius accedit, qui vltimos eius annos excipiens, ædificijs moliendis, ac vitæ tolerandæ necessarijs comparandis intentum fuisse, scribit. Quædam etiam miracula eius hunc in annum conijciemus, quamuis vitam ipse quingentesimo septuagesimo quarto effuderit, cum quod exiguum temporis intercedat spatium: tum vt cæteros socios Eremitas, quos eduximus, comitetur.

S. Æmilianus fit Cœnobita:

Postea Cœnobiarcha.

Multos mortales alebat, ideoque rei frumentariæ diligentius studendum ipsi fuit. Conductis ergo cū architecto operis, horreum cóndendæ annonæ excitauit. Dum iactantur fundamenta, assurguntque parietes, ecce tibi trabs vna iusto breuior, moram fabricæ iniecit, nequicquam manus fricante, ac frontem contrabente architecto. S. Æmilianus sollicitum bono animo esse iussit, indeque secessit, vt diuini officij pensum redderet: quo persoluto ad operas se retulit: vt trabem paullo ante iniquam trabe cum altera componerent, in mandatis dedit: miraculum! Æque iusta fuit, vt iam curator fabricæ nil desiderare posset. Immo, cæteras non tantum æquabat, quod S. Braulius monet, verum palmo toto, præter ligni ingenium, superabat, relicto indicio qua longius excreuerat, tanquam prodigij teste. Hinc certatim assulas & segmenta S. Braulij ætate auferebant religiosi homines, morbis auerruncandis sæpe præsentissima remedia, quos etiamnum hodie pellit. Quamuis enim loco admodum decenti seruetur, & ne quis rapacem manum admoliri queat, muniatur clathris, nihilominus tantus circumiacentis populi ardor est, vt cultellis alijsque instrumentis per transennam ferream insinuatis, trabem inuadant, fodiant, secent, carpant, & quicquid licet, eximant.

Trabem iusto breuiorem extendit. S. Braul. c.19.

S. Braul. c.21.22.

Postquā S. Æmilianus relicta Eremo sui copiam fecit, vt saluti etiam aliorum nauaret operam, nemo nō conuentum volebat. Cum aliquando promus nō haberet, quod tantæ multitudini apponeret, ideoque stomacharetur, anxius quo se verteret, à S. Æmiliano in reprehensionem vocatus, inque Deum reijcere spem iussus est, qui penuria sæpe maiori laborantibus opem tulisset. Immortale Numen! tanta repente alimenti copia in manibus fuit, vt consumendo hospites deessent. Altera quoque vice densa turba sextarium vini, ab Æmiliano leuandæ siti porrectum, ebibere nequiuit.

E penaria cella prope vacua fat superque cibi ac vini turbis promit.

Ità paucis pisciculis & panibus oblatis multa millia pauit Seruator.

* * *

Annvs Christi 573. Annvs S. Benedicti 93.

S. Æmilianus fato admonetur.

S. Braul. c. 25. & 26.

TOr inter curas, cunctis impensas, corpus suum adeo non curauit S. Æmilianus, vt per longum æuum (centenario maior erat) assidua ieiunia: insomnes noctes: labores reliquos: vix amplius ossibus hæreret. Cum à Deo certior esset factus, vltimum sibi annum labi, asperius quoque cutem habuit, ne solis annis augeretur. Tum vero sub quadraginta dierum solenne ieiunium Cantabriæ, nobilis vrbis, excidium cœlitus edoctus est, quem locum hodie Logronnum occupat. Ciuibus apud se festo Dominicæ Resurrectionis die frequentibus adesse iussis, exitium denunciauit, nisi quamprimum peccata expiarent, quibus Numinis iram prouucassent. Oraculum ab omnibus habitum sitir. Nam S. Æmilianum cuncti tanquam cœlitem attoniti contuebantur. Sulus quidam Abundantius obmurmurabat, senecionem delirare, ac intemperijs agi. Atqui tuo vel maxime capiti, excepit vir sanctus, tristis hæc calamitas iminet. Nec omen auertit vindex ludibrij Deus. Enimuero Leouigildus bellicosissimus Rex, aliquot locis in ditionem redactis, ad Cantabriam victorem exercitum admouit: vrbem antiquissimam inuasit: primus omnium Abundantius cecidit.

S. Æmilianus Cātabriæ vrbi cladem denūciat.

Annvs Christi 574. Annvs S. Benedicti 94.

CAPVT I.

Sancti Æmiliani suprema dies: funebria: miracula:

S. Braul. c. 27. 28. 29. 30. 31.

ANno post Christum natum quingentesimo septuagesimo quarto, cum S. Æmiliano verteretur centesimus primus, vita exutum, innumeræ virtutes ad æthera euexerunt. Beatum spiritum effundenti Aselus Presbyter adfuit, confluxereq; multi Monachi vt iusta funebria exequerentur. Conditus in suo oratorio est, quem locum diu tenuit, diuinaque virtute quamplurima miracula ibidem fecit, è quibus illa tantum se libaturum Braulius ait, quæ statim ab ipsius morte euenissent. Duobus luminis expertibus, lucis vsuram restituit. Festo sancti Iuliani extincta lampas, quod oleum ei suggestum non fuisset, confluentibus Monachis ad pensum nocturnum persoluendum, se ipsa instaurauit, claramque lucem fudit oleo innatantem. Quædam Euphrisia oculis & pedibus capta, & hos & illos oleo isto salutifero imbuens, è vestigio vidit initque cunctis spectatoribus admiratione suspensis. Puella quædam Longopratensis quatuor non amplius annos nata, difficili morbo, cui implicita erat, mœstos parentes propè ad mortem egerat. Consultant in medium, quid opis supersit: hæsitantibus S. Æmilianus in mentem venit. Ergo tollunt non grauem amantibus sarcinam: ad Sancti Æmiliani sepulchrum dulci cum pignore contendunt. Sed ecce dum bona spe pleni iter faciunt, mors tenuem vitam amantissimæ filiolæ sublegit. Viam prosequuti sunt tamen, ac vbi peruenerunt tristi funere suo ad pedem altaris collocato, sanctum Æmilianum idemtidem in vota vocarunt, exanimem sobolem vitæ compotem redderet. Has inter supplices preces, cadentesque lachrymas, nox atra cœlo ruens monuit parentes æde sacra exire. Igitur exportant inuitum pedem: tecta subeunt sub quibus longam noctem ducturi erant. Hic pectora dolore amoreque fatiscunt: oculi tam somni quam nigræ vmbræ impatientes, in feretro charum suum lumen contueri, ardent: pedes quoque pruriunt, iam iamque in templum præcipitant. Tertia hora nondum effluxerat, quod à funere discessissent, cum tremuli templum iterum subeunt, sobolemque viuam, incolumem, ac teneris vnguiculis ludibunde sindonem sacræ aræ vellicantem reperiunt. Cætera miracula à morte viri sancti serius patrata, Braulius, conditor Actorum eius, sigillatim nō explicat, sed in cumulum conijcit, quem imitari mihi per te fas sit, obsecro! Tanto namque temporis tractu ea hic facta esse puta, quæ obliuione sepeliri non debeant, nec memoriæ tamen incidi omnia queant. Nunc prœlium Simancanum referamus.

S. Æmilianus admiranda post mortem prodigia edit.

Abderramen Rex Cordubæ ingenti exercitu Christianorum terris sese infundens, omnes terrore compleuerat. Ramirus II. barbara multitudine consternatus, cum obuiam ire hosti non auderet: nec paruas suas copias nihil indulgenti acinazi obijcere vellet, oratores ad Garciam Sanchez Nauarræ Regem, tum etiam ad Ferdinandum Gonsalez Castiliæ Comitem, misit, petitum auxilia: aliter secum & de Christianis actum iri. Absque mora vterque vires suas contrahunt: Ramiro suppetias ferunt: in castra quicquid vndiq; lectum erat, cogitur: parua manus, si ad Mauros comparasses, è quibus singuli centum Christianis exitium ferro ferebant. Lustrato igitur milite, calcu-

Abderramen bello Christianos perit.

loque subducto cum se longe inferiores armis virisque animaduertissent, legationem aliam ad Deum exercituum adornarunt, summa rei SS. Iacobo & Æmiliano cõmissa. Obiuerunt Sancti legationem haud grauate: vtque Numen suas pariter copias in hostem cieret, persuaserūt optimi oratores: sed rem audi post homines natos raro auditam. Hisce duobus ducibus niueis equis insidentibus, nudosque gladios in ictus librantibus, immensa angelorū acies vacuum per aerem diffusa, intumescentem hostem inuasit: ferarum ritu mactauit: plus octoginta millibus cæsis, at reliquis fugam capessentibus ne simul caderēt. Hinc animus Ramiro additus est, diuini auxilij iam certo. Raptim igitur militem suum educit: agmen extremum consequitur: ferit, fodit, fundit, eaque strage affligit Mauros, vt qui Christianos deuoraturi iam hiabant, caput deinceps attollere, vel hiscere non auderēt. Prædæ vis ingens fuit. Reges militesque optantes incredibilem hanc victoriam SS. Iacobo & Æmiliano, exercitus ætherei ductoribus, grati in acceptis retulerunt. Duo litterarum monumenta fide plenissima, rem gestam, vti narrauimus, confirmant. Vnum, cui titulus, *Priuilegium donationis*, Monsterium S. Æmiliani de la Cogolla nobis suppeditauit, quod in Appendicem distulimus, ne moram Lectori inijceremus.

SS. Iacobus & Æmilianus contra barbaros ferrum stringūt.

Victoria à Christianis stat.

Append. script. 19.

Alterum vero veteri idiomate conscriptum, ex archiuo Cuellarensi deprompsimus. An vota S. Iacobo nuncupata ab hoc prœlio trahant originem, vti pro certo non habemus, ita de votis ad S. Æmilianum conceptis dubitare non licet, cũ præter historicos etiam monumētum id canat. Videlicet Comes Ferdinandus Gonsalez, audito Legionis Reges, singulari adusrsus S. Iacobum amore actos, tributo Apostoli regnum suum subiecisse, exemplum imitatus Castiliam tutelæ S. Æmiliani commisit, eodemque pacto addixit. Regni proinde cultos Patronusque fertur S. Æmilianus. Hoc ipse Castiliæ Comes Ferdinandus testatum fecit Priuilegio, quod nominant Votorum seu Deuotionis. Cum enim factum Ramiri Regis extulisset, attexuit: *Eodem modo cum tam dignum deuotum diuulgata relatio auribus nostris innotesceret, visum fuit nobis* (Castellanis) *& vniuersitati nostrorum militum & rusticorum, Cœnobium S. AEmiliani simili oblatione venerari debere, cuius venerendissimum corpus ad confinium nostrum diuina dispensatione tumulatum noueramus esse: cuiusque meritis & suffragiis apud Deum hostium propulsionem, ciuium tuitionem: frugum vbertatem: patriæ defensionem:*

Comes Ferdinandus Castiliam S. Æmiliano deuouit, atque tributo subiecit.

monarum propitiationem, procul dubio nobis non diffidebamus adesse. Igitur Castellani auspicio Ferdinandi Gonsalez à Carrione Flumio ad Argsra vsque, qui vndas suas per Nauarram vehit: deinde ab Arboyæ montibus vsque ad mare Biscainũ, se suasque domos S. AEmiliano, imposito sponte tributo quotannis pendendo, deuouerunt, quod præsentem eius opem bello periculosissimo fuissent experti, atque agnoscerent patronum. Priuilegium eorum populorum, qui voti se reos fecerunt, longissimum Catalogum describit, vnde religionem illius æui conijcias. Pauca nos posuimus, ne tædio afficeremus Lectorem. Quibus rebus quæuis prouincia maxime abundabat, inde tributum persoluebat. Hæc mittebat verueces, boues, caseos: illa frumentum, pisces, oleum, ceram: alia telam, ferrum, plumbum, quauis domo opes suas afferente.

Neque simplici tantum vice Hispanis bello implicitis opem tulit S. AEmilianus. Cum Garcia Sanctij filius Nauarræ regnum moderaretur, Maurorum res inclinare atque in casum impellere meditabatur. Destinata obsidioni Calahorra fuit. Admoto exercitu Rex aliquamdiu aquam tutudit in mortario, frustra propugnacula oppugnãdo, donec inter spem ac metũ hærenti S. AEmilianus se obiecit: qua vrbē inuaderet, monstrauit, militesque incertos alacr accendit. Tũ signo dato, densis globis ad mœnia ruunt: vrbem capiunt, viam aperiente S. AEmiliano, cui Rex tota deinceps vita maiorem in modum fuit addictus, deque ipsius Monasterio quam optime meritus est.

S. Æmiliani ductu capitur Calahorra.

Duobus hisce miraculis Nauarri & Castilia adductæ, quouis malo premente, S. AEmiliani deinceps auxilium implorarunt: ad eius sepulchrum contenderunt, vt iam non pauciores ad ipsum, quam ad Sanctos Iacobum & Martinum peregrinationes susciperentur. Neque vero limen hoc terebat plebs tantum infima, sed nobiles quoque, principes Regesque ipsi tertium, quartum, ac amplius, summa festa ad S. AEmilianum transegerūt. Cum insuper hæc duo regna mutuo bello agitarentur, nihil militibus in eos licebat, qui piam hanc peregrinationem obibant: tantum apud vtrosque exercitus S. AEmilianus valuit! quod facinus cum æterna memoria sit dignum, Diploma Sanctij Regis Nauarræ, era millesima centesima sexta promulgatum, subijciamus.

Ad Sancti Sepulchrũ piæ peregrinationes instituuntur.

Ego Don Sanctius per Dei gratiam Princeps, concedo hanc chartam testamentariam in honorem S. AEmiliani Presbyteri & Confessoris

Archiu. S. Æmiliani

 Christi.

Christi. Accidit vt incola Lara magna numero ad Ecclesiam S. AEmiliani venirent votorum persoluendorum causa. Tum autem caperentur, quod inter me atque Regem Alphonsum bellum gereretur. Quamobrem Consaluus Saluadores Lara dominus, missu nuntiis mihi significauit, parum me honari corporis S. AEmiliani consulere, prohibenda ne quis illud adiret. Ego vero, an ita quid euenisset, captos illica libertati restitui. Post hac cum Comite Consaluo ad S. AEmilianum conueni, & edixi; ne quis peregrinos vndecunque orandi causa ad sacras reliquias istas confluentes violare auderet; sed vt liberi securique vltra citraque commearent absque omni damno, sportulam & dolonem manu tenentes, vti moris erat iam inde à maioribus meis rege Ordonio, Garcia, Sanctio Garcia &c. Munnius Episcopus de Calahorra Aluarus Abbas, Blasius Abbas S. AEmiliani, Senior Azenar Garces, Senior Ximenus Fortuniones, Senior Don Marcella, Senior Ximenus Aznaris, Era millesima centesima sexta.

Milites à peregrinantibus manus abstinent.

Hinc apparet vntinas ad S. AEmilianum peregrinationes suscipiendi consuetudinē antiquissimam esse, quippe Ordoniis Sanctiis, Garcijs regnantibus iam tritam. Quāuis autem flagrantibus bellis Monasterium S. AEmiliani subinde mutarit dominum, securum nihilominus aditum ad eius sepulchrum abitumque semper præstabant Reges.

Qui aliū S. Æmilianum supponunt nostro, refutātur à Monachis, festū eius obeuntibus.

Ab alabastrite;

Ab omni tetro memoria.

A picturis

Cæterū istæ sacræ peregrinationes semper ad S. AEmilianum presbyterum & Cōfessorem institui dicebantur, cuius acta S. Braulius Episcopus Saragozanus litteris mandasset. Cum deinde Monasterium hoc ante mille triginta annos erectum, non longe à Sancti Patris morte eiusdem sibi nomen vindicauerit, Monachi semper professi sunt, se ad XII. Nouembris diem obire S. AEmiliani presbyteri festum, è Diœcesi Tarazonana oriundi. Lapis deinde incisus, atque sepulchro procul dubio ante Hispaniam deuastatam illatus, vt scrupulum hæsitantibus eximat, hunc AEmilianum S. Felicis discipulum manifesto appellat. Eum igitur AEmilianum esse oportet, cuius gesta S. Braulius describit, vti in primo libelli limine apparet. Idem lapis nos certiores facit, nullum AEmilianum Monachum præter nostrum S. Felicis discipulum, hos montes incoluisse. Pro illo ipso semper habitus fuit in Cœnobio Sancti AEmiliani de Cogolla cui nunquam defuere viri prudentia litterisque clarissimi. His autem videntibus & probantibus prodigiosa Sancti AEmiliani facta, à S. Braulio litteris expressa, coloribus in altaribus Monasteriorum S. AEmiliani de Suso & Iusso expressere pictores. Fasti quidē sacri AEmilianos haud minus octo memorant, Martyres & Episcopos; at nemo eorum Hispanus fuit: neque XI. Cal. Decemb. ab Ecclesia celebrantur. Cum igitur non tantum Monachi illius Monasterij, sed Hispani vndique ad XII. Nouembris diem cōfluxerint: festiuum S. AEmiliani diem obiuerint: allatis votiuis donis nomen suum, quod apud S. AEmilianum fecerant, liberarint: quis obsecro in animū inducat, vt credat eos hunc ad tumulum, hocque die, vndique aduolasse, vt S. AEmilianum Gallum, Syrum, Armenium, aut Afrum cultu prosequerentur? Nimirum S. AEmilianum Hispanum, suum popularem, à Regibus Arragoniæ & Castiliæ priuilegiis amplissimis, muneribus maximis affectum, animo voluebant: pedibus adibant.

Sanctius Maior D. Æmiliani ossa aræ max. imposuit.

Hæc sententia omnibus insidebat, antequam sacra eius ossa transferrētur, quæ anno millesimo tricesimo tertio Rex Sanctius Maior cum sua coniuge Doña Maiore seu Eluira, sepulchro exēpta, loco honoratiore collocauit. Præter Regem & Reginā interfuere Sanctius Abbas S. Saluatoris de Leyre: & Episcopus Pompeinpoleos, Don Iulianus de Oca: Don Nunno de Alaba: Don Sanctius de Aragonia: Don Mancius de Huesca. Vt vero semper ob oculos obuersaretur Diuus tutelaris, altari summo impositus est, cuius venerationem ipsa quoq; arca intendit accenditque. Nam cum ditissimis Hispaniæ arcis, auro, ebore, gemmis, certauerit; in qua miracula à S. Braulio memoriæ prodita, ars æmula effigiauit. Translationis illius pars magna erant Aragoniæ, Castiliæ ac Nauarræ Episcopi, qui veritati pōdus, sacræ vrnæ vero opes addiderunt. Postea ad annū millesimum quinquagesimū tertium Rex Garcia de Najara, Regis Sanctij Maioris filius, eadem sacra lipsana ex Monasterio S. Æmiliani de Suso repetita deposuit in locum, quem *infirmarium* appellabant. Quid animo agitauerit pro comperto non habetur. Quibusdam Najaram deportare velle visus est, quod ibi regium Monasterium moliretur: vel Monasterio S. AEmiliani de Iuso, quod eo tempore quoque surgebat, muneri daturus. Tandem pretio ac arte in admirabili arca consumptis; Rex Sanctius Nobilis, filius Regis Garciæ de Najara, Regis Sanctij Maioris nepos, ad annum millesimum sexagesimum septimum cum Regina Placencia ingentique Episcoporum, Abbatum, nobilium pompa, lectissima ossa ex infirmario, cui à patre credita fuerant, extulit: demum in stupendam arcam condidit, quam ita obseranit, vt non modo pars nulla, quamuis minima,

subduci

ſubduci poſſet, ſed neque aperiendi facultas foret. Neque deinceps S. Æmilianus ex hoc ſui nominis Monaſterio (cui cognomen de Suſo poſuere) vnquam migrauit: ſed huc veſtigio peregrini vertuot: hic omnis eum Hiſpania colit, veneratur, vocat atque inuocat: nec quiſquam de alio AEmiliano, quam Magno illo, Hiſpano, Eremita, Cœnobita, Cœnobiarcha, Presbytero, Confeſſore, ſomniat.

CAPVT II.

Noua quedam ſententia de S. AEmiliani hodierna vrna, ad Lydium lapidem examinatur.

Michael Martinez de antiquit. ciuitatis Calatayud.

QVamquam Hiſpania tota in eam hactenus iuerit ſententiam, corpus quo de agimus, in Monaſterio S. AEmiliani de la Cogolla poſitũ eſſe, nuper tamen quidam Doctor Michael Martinez del Villar, ab omnibus diſſentire auſus eſt, contendendo id Torrelapajam, adeoq; in Aragoniam ablatum eſſe, contra exempla euntium, & publicam famam Caſtiliæ, Nauarræ, Legionis, Iberiæ vniuerſæ: quæ vero S. Braulius de noſtro Monacho narrat, ſibi ſanaipſe ſuis affingit: ſed inuitis omnibus venatur. Mirum tamen non eſt, hiſtoriam quoque litigiorum feracem eſſe, quando philoſophia ſcientiæque reliquæ mortaliũ ingenia fauceſq; diſputationibus perpetuis fatigant. Lis de Sanctorum reliquiis ſuſcepta, frequẽter rectiſſime dirimitur, afferendo diuiſas eſſe; quod reſponſum ſi Doctori Martinez redderemus, non inurie frigere videremur. Nec enim vbi ſitus hodie ſit S. AEmilianus, tantummodo in dicandum nobis eſt, ſed etiam vnde domo fuerit. Nam Rioja à ſe in lucem editum cõtendit: eundẽ Aragonia ſibi vendicat. Quocirca omnia ad vnguem exigamus: vbi natus ſit gentium? vbinam vitam traduxerit? quo loco ſepultus? quam terram coluerint Cantabri? vbi Bilibium & Vergegium? Verumenimuero cum duabus in prouinciis naſci haud potuerit: nec idem populus differentes ad nationes ſpectare queat, aut idẽ corpus integrum duobus haberi locis, cõponi lis aliter nõ debet, quam allatis à partibus argumentis, ipſo Lectore iudice conſtituto; qui vt bonam cauſam Monaſterij S. AEmiliani de Cogolla tanto penitius cognoſcat, Doctorem Michaelem Martinez ad tribunal adſtituemus.

Michael Martinez nouæ ſententiæ faber, S. Æmilianum

S. Braulius, inquit, an non Vergegij & Bilibij meminit? Atqui prope Calatayudam veſtigia ſuperſunt Vergegij; ſcilicet Verdejo. Nec enim verbum à verbo multum abludit. Adhac Calatayud veteribus Bilbilis, cui egregiam famam Martialis peperit, dicta fuit. Deinde S. AEmilianum Epiſcopatui Tarazonenſi ſubditum fuiſſe, S. Braulius, Breuiaria, Martyrologia hiſtorici, teſtatum faciunt. Cum igitur Monaſterium S. AEmiliani in Epiſcopatu de Calahorra ſitum ſit, vbi ætatem is exegit, AEmilianum profecto quem Rioja tenet, diuerſum eſſe oportet. Is autem cuius vitam deſcripſit S. Braulius, Aragoniæ concedendus eſt.

Torrelapajæ ſedẽ fixiſſe.

Toto hic ſacco verba ſerit Doctor Michael, quaſi clauus hic pellendus clauo foret: quaſi hic cardo verteretur: ſed operam perdit. Nos enim S. AEmilianum Epiſcopo de Tarazonenſi ſubiectum fuiſſe, vltro damus. Nũc argumentum aliud producit: audiamus. *Tabula, quam Torrelapaja monſtrat, ab anno quingenteſimo profecta, nemini ſuſpecta eſſe debet. Hiſtoriam autem exhibet, quam S. Braulius calamo complexus eſt. Denique cum tertium Cerbunam Epiſcopum Tarazonenſem flagrantiſſima febris torreret, auxilium Sancti implorauit, qui Torrelapaja colitur, vt reddita ſibi valetudine, ſimul ceritas de corpore ipſius pateſieret. Emiſſo voto incidit in ſomnum: ſanus euigilauit.*

Hi ſunt arietes Michaelis Martinez, quibus mœnia noſtra quatit: iam quibus verbis pellem vendat nondum capta vrſa, etiã audiamus. *Prætera Alphonſus Ventro, Ambroſius de Morales Romanus, Trugillus, Mariana, Marieta, Villegas, quamuis ſint viri graues, & in veritate indaganda curioſi, aſſerunt S. AEmilianum cuius vitam ſcripſit S. Braulius, in Caſtilia vetere natum, videlicet in Rioja Epiſcopatu Calahorra. Eum denique eſſe, quem in Rioja appellans de la Cogolla, admiſſo grandi errore. Vnde clarum eſt, quod S. Braulium non viderint, nec ſcopum tetigerint, cum multis in rebus ſibi ipſi contradicant.* Atqui male conſulis cauſæ tuæ, Michael Martinez, qui Alphonſum Venerum, Ambroſium Morales, ac cæteros viros graues, & in veritate indaganda curioſos eſſe confiteris, paullo poſt iiſdem grandem errorem impingis; quam fibulam tibi rectiua affixiſſes. Tu vnus, illi multi ſunt, quique hiſtoriæ ſcribundæ omnem operam dedere. Non oculis, non manu vſurpauerint S. Braulium, qui toties facto præclara S. AEmiliani ab eo petiuerunt? ſuis libris inde excerpta intexuerunt? ſed miſſis altercationibus & ſpiculis in bonos viros tortis, ad rem accedamus. F. Prudentius de Sandoual Epiſcopus Tuyenſis, luculentiſſimis teſtimoniis S. AEmilianum, qui in Monaſterio ſeruatur quod vulgo S. Millan de la Cogolla nuncupant, eum eſſe demonſtrat, cuius vitam S. Braulius ſcripſit. Sed cum tabulæ, è quibus argumenta promi poterãt, per diuerſos forulos ſparſa eſſent, non omnes ille quidem luſtrauit,

Doctor Michael ſuum latus ſuo gladio haurit.

nec singula momenta, quæ archiuum suppeditat, in medium attulit. Quocirca arenam repetere, nouamque sententiam ordine aggredi, operæ pretium duximus, quo tamē labore supersedere, multo mallemus. Cæsarem appellauit Doctor Martinez, ad Cæsarem ergo absque mora ambulet. Vim nostræ causæ facturum se putauit, adducto S.Braulio: atqui nos huius verbis rem nostram conficiemus. Nam Cap.2. *Cum Æmilianus*, inquit, *audiuisset famam S. Felicis, quod viueret in Castro Bilibio, relicto grege, virum adijt, vt eius discipulus fieret.* Auide verba hæc occupans Martinez: *Ergo* clamat, *in Archidiaconatu Calatayudano Bilibium est: ergo S.Felix hac in terra vixit: ergo* S.Æmilianus in eadem natus est. Nam Bilbilis eadem est cum ciuitate Calatayud, vel loco proximo. Festiuum caput! Bilibium & Bilbilis non minus differunt, quam ficus & scapha. Calatayuda, quæ olim Bilbilis in Celtiberia posita erat: at Bilibium Cantabriæ insidet. Bilbilis vrbs olim splendida, à Strabone, Ptolomæo, Plinio, Martiale celebrata, non procul dillabat Salone fluuio, quem hodie Xalon vocamus: Bilibium postremæ semper notæ fuit, nec facilis inuentu, nisi vicinum Iberum, Mirādam, aut Arum nouisses. Ortelius æui huius diligentissimus Cosmographus, Bilbilim Celtiberis: Bilibium Najaræ nobiscum adscribit. Quid? cum S.Æmilianus ad vitā anachoreticam aspiraret, num Bilbilim se conferre debuit, hoc est, in vrbē vel nostro Doctore Michaele teste, frequentissimam; & non potius Bilibium, oppidum obscurum, petendum erat, ac ibi pes figendus, vbi magistrū indagauerat? Stetit illa floruitque, donec à Mauris deleta est: atque adeo S.Æmiliani ætate rem ridiculam quis commissurus fuisset, qui in addensata multitudine solitudinem captare voluisset. Item, linguæ latinæ suus honos ac cultus cōstabat apud Hispanos eo sæculo, quod S.Braulius vixit (ad calamū tam huius, quam coæui S.Isidori appello:) vnde nimis sinistre ad puerilem ferulam citatur Episcopus veluti ignarus declinandæ Bilbilis. Quem enim non errorem is in se admissurus fuisset, amabo te, si rudis Grammaticæ totque auctorum qui Bilbilim inculcant, nescius, *pro Bilbilis, Bilbilis, Bilbili, Bilbilim*, scripsisset Bilibium, Bilibij, Bilibio, Bilibiū, significaturus Calatayud? Saxum insuper in tumulo repertum ante ora prouoluere libet, vt errorem tibi excutiat. *Castellum Bilibiense* (verba sunt saxo deprompta) *decem & quinque milliaria à Vergegio distat*, seu quinque leucas: *& duadecim à Tritio* quæ conficiunt leucas quatuor. At immortalem Deum, quis tam hospes in

Ortelius eius errorem detegit thesauro Cosmographico.

Et lapisi

Hispania est, vt ignoret Calatayudā quinquaginta amplius milliaribus inde remotam esse?

His accedit Grimaldus Monachus, qui vixit Alphonso VI. regnū obtinente, testis ocularis translati S. Felicis in Monasterium S.Æmiliani. Refert enim cœtum Religiosum diu precibus animum Abbatis Blasij euerberasse, vt corpus S. Felicis magistri S. Æmiliani, à Rege Alphonso efflagitaret. Tādem annuisse hunc petitioni: ac Lupo Comiti de Haro, Biscaiæ Domino, significasse, Monachis ossa S.Felicis auferendi potestatē faceret. Hos Bilibiū profectos, sacra lipsana eruisse: viā relegisse. Recenset deinde miracula, quib⁹ clemētissimus Deus fidē auctoritatemque beatissimis ossibus sanciuit. Iam vero liquido constat Comiti Lupo nihil iuris in Aragoniç vrbem Calatayud fuisse, nec quidem Alphonso VI. Cum igitur Rex corpus S. Confessoris donò Monachis dederit: Don Lupus autem copiam eximendi & efferendi fecerit, vel lippis apparet Michaelem Martinez malis auibus ex Bilibio ædificasse Calatayudam.

Hæc cum ita, fundamento subsidēte ruinam hac parte trahit noua sententia, tanta verborum mole extructa. Nostram vero confirmant ore vno incolæ Hari & accolæ, Bilibium, dictitantes, vbi S. Felix ætatem degerat, Hari iurisdictione contineri. Item vicinia à multis annis imminti grandine aliisque cœli iniurijs petita, miserum in modum periit, ac tantum prata, horti, agri, Eremitorio Diui Felicis proximi, non vapularunt. Vnde annis vltimis magna habitatores religio incessit, quod adeo nihil sui Patroni haberent. Tandem anno millesimo sexcentesimo quinto doloris impatientia Iñeconi Fernandez de Velasco, Comiti de Haro, supplices fuere, Diui paruam sibi partem vt ab Antistite Monasterij Conuentuque impetraret pro toto corpore, quod olim auferri sibi passi essent. Abbatis munus Ferdinandus de Amescua (Regens hodie est professorque S.Theologiæ in Collegio Nostræ Dominæ de Yrache) qui petitione Comitis & incolarum exposita facile induxit suos, vt beneficium beneficio compensarent altero. Bene magnam igitur partem coxæ tam ardentibus studiis VI. Id. Octob. indulsit, Capitulo & Regimine Harensi sacrum munus excipientibus, solennissima vtrinque pompa instituta, sacro osse lætitiaque summa onustis Harensis ditionis ciuibus, immortales gratias diuino Numini meminerunt Monachi, eo ipso tempore, quo sibi lis super S. Æmiliani corpore mota fuisset, plurimos

Grimaldus quoque M. S. in archiuo Monast. S. Æmiliani.

Et publica vox.

testes

ieſtes præter expectationem aduolaſſe, qui veterem opinionem, hominum animis penitus inſculptam, nunc mala voius hominis opera abolendam, fulcirent: nimirum Bilibium, vbi S. AEmilianus eductus à S. Felice fuit, non eſſe antiquam illam Bilbilim, Celtiberiæ nobilem quōdam vrbem, ſed locum Cantabriæ, cuius pars hodie Rioja cenſetur.

S. Braul. c. 3.

S. Feliceem primam ſedem, cui Vergegio nomen, vbi hodie ipſius oſſa coluntur, repetiuiſſe, S. Braulius affirmat, ac paullo poſt ſubiungit, turbarum à quibus continuo appellabatur, impatientem, in edita montium Diſterciorum iuga elapſum, annos quadraginta ibi contriuiſſe. Hic Martinez autem ſcalpens, non procul Torrelapaja Verdejum vidit, moxque ſibi plauſum fecit, enimuero Vergegium S. Braulij eſſe, exclamans. Vt enim telam pertexeret, loca requirenda erant, nominibus non omnino diſſimilia. Fac amice Lector, te obſecro, in mentem tibi veniat duplicis apud Plautum Amphitryonis, itemque duplicis Soſiæ, quibus confuſis adeo lepidam tragœdiam familiæ iniecerat Mercurius, vt hæc non amplius ſemet noſceret. Ita duos AEmilianos in ſcenam nobis producit Martinez, ſtipantibus Vergegio & Verdejo, Bilbili atque Bilibio. Ac at, ficto nos Amphitryoni æmuloque Soſiæ perſonas detrahemus. Verum Bilibium digito iam monſtrauimus: nunc preſſo pede Vergegium nos ſequere. Sed ceſſo ire: lapis ſepulchralis nobis hanc litem diſputet. *Vergegium*, inquit, *à Caſtello Bilibienſi decem & quinque milliaria diſtat*: quod interuallum plane Verceo conuenit, quarta leucæ parte à S. AEmiliano diſſito, ac pedi montium Diſterciorum incumbenti. Nihil horum Verdejo aſſui poteſt, Archidiaconatui Calatayudano ſubiecto. vt notationẽ vtriuſque nominis omittamus. Vergegium enim rem inclinatam: Verdejo viridem ſignificat: etſi non magnam vim in huiuſmodi myſteriis ponamus.

Martinez Vergegiũ pro Verdejo vendit.

Ac hoc eſt fumos pro igne vendere.

Porro S. AEmilianum ad montes Diſtercios ſeceſſiſſe, S. Braulius auctor eſt. At hoc nomen habent montes, Beatiſſimæ Virgini de Valuanera, & S. AEmiliano vicini. En tibi fragmentum Priuilegij, ab Alphonſo VI. era milleſima centeſima triceſima Monaſterio Valuaneræ conceſſi. *Inſpirante inſpiratione Spiritus Sancti, venit in memoriam mei cordis, vt ſicut cætera Monaſteria & Eccleſias, quæ Omnipotentis Dei ſeruitio reſtituebam, ac reformabam, ita etiam Eccleſiam in honorem Sanctæ Dei Genitricis Mariæ ab antiquo tempore fundatam, & in monte, qui vocatur Diſtercij, & in valle Venaria poſitam, iam pene à ſua quondam nobilitate deiectam ac minoratam, ego pro honorificentia Omnipotentis Dei ſuo priſtino & antiquo honori, & decori redderem.* Viden' vt Rex vicinos Valuaneræ (& S. AEmiliano) montes, Diſtercios appellat! Cum igitur S. Æmilianus Vergegio in valle relicto, iuga illa aſcenderit, Verdejum pro Vergegio accipi non poteſt, cum illud viginti leucis ab his montibus ſemotum ſit. Hæc cum ita, nulla profecto elabendi patet rima, quin fatearis Vergegium eſſe, quod hodie etiamnum ad montium Diſterciorum radices conſpicimus, & Verecum dicimus.

Alphonſus VI. dubium abſtergit.

S. Braul. c. 5. & 6.

Memorat S. Braulius AEmilianum voluntate Didimi Epiſcopi de Tarazona ſacerdotio auctoratum, eique Vergegij curã commiſſam. A Clericis deinde numẽ ipſius ad eundem Didimum delatum, officioque motum fuiſſe. Hic lupum tenere ſe putat Martinez. Nam Verdejum Epiſcopatui Tarazonenſi ſubditum fuiſſe, nemo inficias iuerit. Hoc quoq; fatendum, S. AEmilianũ Clericum & presbyterum à Didimo Epiſcopo Tarazonenſi pependiſſe. Quando igitur Verceum & S. AEmiliani de Cogolla Monaſterium hodie ad Diœceſin Calahorranam pertinere videt Martinez in animũ inducere nequit, Verceum eſſe antiquum Vergegium; Monaſterium vero S. AEmiliani de Suſo, veterem ſerui Dei receſſum.

Martinez seducitur à mutatis Epiſcopatuum limitibus.

Facilis ad hoc, & expedita reſponſio eſt. Nonne enim Epiſcopatus vicini terminos ac limites frequenter mutant, permutant, miſcent, alibi atque alibi figunt! & iam huic loco Epiſcopus ius dicit, cui nihil antea iuris hunc in locum erat! Innumera exempla ſubijciam, ſi tibi moræ eſſe velim. Zamora, vrbs Epiſcopatus titulo hodie ornata, ſed olim à Mauris vexata, modo Aſtorgæ, modo Salmanticæ Præſulibus cum tota ſua ditione paruit. Epiſtolæ Innocentij II. id te doceant, qui litem has inter duas Eccleſias exortam componere ſtuduit. Cebrerum Prioratum, Monaſterio S. Benedicti Valliſoletano coniunctum, ad Aſtorgæ Epiſcopatum aliquando pertinuiſſe, archiuum indicat. Nunc autem Lucenſi morem gerere, palam eſt. Burgenſis & Oſmenſis Epiſcopatus funem contentioſum diutius traxerunt ſuper ſuis finibus, quam vt Doctorem Michaelem fugere queat, cui etiam hoc ſatisfacere debet, quod eũ ſæculis mutata quoque regna ſint, & cum regnis limites Epiſcopatuum, Nam captis prouinciis, Reges eos circumſcribere ad ſuum arbitrium ſolent, & à Diœceſibus regnorum

Loayſa in Concil. Hiſpan.

Molan. Indic.

alienorum auellere. Ita Philippus II. in omnibus Belgij prouinciis sibi subiectis nouos instituit Episcopatus, antiquis à Gallia dependentibus abolitis, Paulo IV. facinus comprobante. Similem sortem Calahorra & Tarasona subiuerunt. Namque Archiepiscopo Tarragonensi obtemperabant, Metropoli Saragosana nondum erecta. Postea Episcopatus prior Burgensi posterior Saragosano Archiepiscopis subditi fuerunt.

Dum regnis Aragoniæ & Castiliæ res antiqua manebat, montes Distercij quidem Tarasonensis Diœcesis cũ iugis S. Laurẽtij ad Episcopatũ Tarasonensem attinebant; Nam Concilium Toletanum, Episcopatuum limites designans, *Tirasona teneat*, inquit, *de Spargas vsque ad Planetam: de alto monte vsque ad Molesam.* Alti montis nomine, non iniuria editissimum totius Hispaniæ montem, vulgo *de S. Llorente*, seu S. Laurentij accipimus, cuius appendici Monasterium S. Æmiliani insistit. Illo proinde æuo Tarasonensis Diœcesis oratorium S. Æmiliani, Vergegium seu Verceum, totamque viciniam vna cum montibus Distercijs complectebatur. Vnde S. Braulius, *Peruenit*, ait, *AEmilianus ad remotiora Distercij montis.* Ac paullo post: *Erat in eius* (Didimi Episcopi) *Diœcesi.* Igitur S. Braulius montes Distercios Episcopatui assignat Tarasonẽsi & hac gratia S. Æmilianum Didimo Episcopo subiectum fuisse asserit. Multas præterea tabulas rei cõfirmandæ in promptu habet S. Æmiliani Monasterium quibus nomina sua subiecere Antistites. Exẽplum cape. *Ego Gomesanus Abbas S. AEmiliani, montis Distercij. Ego Petrus Abbas S. AEmiliani, montis Distercij.* Deindequando Monasteria, exempta obibant Capitula Ordinis prouincialia, hoc S. Æmiliani de la Cogolla, & illud alterũ Beatissimæ Virginis de Valuanera (quod sibi etiam montes Distercios vindicare diximus) ita Episcopatui Tarasonensi deuincta se credebant, vt ipsorum Abbates non in Castiliam, sed Aragoniam se conferrent. Si testimonium à nobis exigis, tabulas ex archiuo Cœnobij S. Æmiliani has affero. *Guillelmus Dei gratia Sabinianus Episcopus, Apostolicæ sedis Legatus, dilectis in Christo filiis Riuipolensi & aliis Abbatibus nigri ordinis per Terraconensem prouinciam constitutis, salutem. Cum dilecti filij S. AEmiliani & Valluenariæ Abbates in Calagorritana Diœcesi, in regno Castellæ consistentes, olim in vestro generali Capitulo consueuerint interesse, non attendentes quod ex hoc ipsi & eorum Monasteria grauia dispendia incurrerunt, cum ad ipsum Capitulum, non sine personarum & rerum periculo tum propter viarum dispendia, tum etiam propter alia multa grauia, non possent accedere, eisdem concedimus, vt in Capitulis, quæ in regno Castellæ de cætero celebrabuntur, cum Abbatibus sui Ordinis intersint. Dat. apud Vallem Oleti, An. Domini 1322.* Fuit hic Guillelmus è familia S. Dominici, vir eruditione clarissimus (talium Ordo iste ferax est:) Cardinalis S. Sabinæ, Legatus à latere Ioannis XXII. Vallisoletum ad Concilium celebrãdum missus. Quæso an non tot argumenta digito notent ac designent montes Distercios, & spatium quod à mõnte S. Laurentij Valuaneram vsque & amplius etiam excurrit, ad Episcopatum Tarasonensem pertinuisse? S. Æmilianum in eadem Diœcesi ortum, eductum, extinctum, sepultumque fuisse? Hinc Didimum Episcopum iure suo vsum, à sublimi sacerdotum gradu abhorrentem compellendo vt ascenderet, nec non sinistris delationibus prosecissum officio mouendo? Neque Parochi munere exutus Æmilianus toto Episcopatu excessit, quam offam nonnulli obijciunt, vt Lector errores tanto facilius deuoret. Nam S. Braulio teste, natus Vergegij, curam animarum ibidem gessit; nec longe inde in montem ac eremitorium concessit. Frustra deinde clauam vibrat Martinez nostrum Æmilianum dictitando, cuius ossa Monasterium de Rioja possidet, diuersum esse debere à Magno illo ac celebri Æmiliano. Hunc enim Tarasonensi Episcopo paruisse: at Cœnobium de Rioja Calahorritano obtemperare. Iam enim æuo S. Æmiliani adhuc Diœcesi Tarasonẽsi subditum fuisse, ostendimus, quod in actis à S. Braulio compositis illi videre licet, cui mentis acies non hebescit. Superest vt mutiat, non in Diœceseos Tarasonensis margine, sed medio sinu S. Æmilianum habitasse: sed ei S. Braulius duobus vel tribus Capitibus obuiam it, & contra tendentem, comprimere gressum subigit, non Celtiberiam, sed Riojam à Sancto cultã, tota manu indicando. Etenim Nepotianum quendam, senatorij ordinis clarissimum virum, malo genio à S. Æmiliano liberatum, scribit, hocque miraculum neminem in tota prouincia Cantabriæ præteriisse. Alibi memorat sanctum patrem itinere suscepto petiuisse Cantabriam vrbem, eamque ad frugem reuocasse: perituram nimirum nisi incolæ Numinis intentum flagellum precibus, lachrymis, morum innocentia occuparent. Ciuitates autem Calataiud seu Bilbilis, Verdejum, Torrepalaja, in Celtiberia sitæ sunt. Monasterium S. Æmiliani, Vergegium seu Verceum, tractus Harensis, in quo Bilibiũ. Cantabria habet, nisi omnes Cosmographos erroris condemnare ausis. Sed credo

S. Braul. t. 4. & 5.

Ubacon in Iohan. 22.

Monasterium S. Æmiliani nunc ad Diœces. Caligurritanam spectat: olim ad Tarasonensem.

S. Braul. nunquam Celtiberiæ meminit, in qua tamen Verdejũ.

tibi lapsum Doctoris Michaelis hinc quoque subolere, quod S. Braulio de gestis præclaris S. AEmiliani verba facienti, Celtiberiæ ne semel quidem in buccam venerit, Cantabriæ frequentissime: scilicet quod hanc, non illam coluerit. Adde quod ancillæ oculis cassæ impertita à S. AEmiliano luce, Sicorius senator, misellæ dominus eidem Rauengam dono dederit in Parpalinibus. Nam Garcia Rex cum Toda sua matre locum hunc à Sicorio pro salute tum propria tum ancillæ Monasterio oblatum, ad annum nongentesimum vicesimum cõfirmat. Num inficiari igitur potes, ipsos etiam Reges ei se AEmiliano ferre munera putasse, cuius vitam S. Braulius in litteras misisset! Item, hunc Dei seruum non in sinu Aragoniæ sedisse, sed in remota Cantabria, vbi Reuenga, Parpalines, Rioja? Sat superque argumentis à varijs locis petitis circumclusus est Martinez: nunc alio ex fonte homines hauriamus, quibus familiarissime vsus est S. AEmilianus. S. Braulius producit S. Felicem, ad cuius vnguem S. AEmilianus mores duxit: SS. Citonatum, Sophronium, Geruntium, Potamiam, quibus magister ipse fuit. Cedo iam quæ prouincia, quæ terra horum ossa habeat, vel aliquando habuerit? In Aragonia nullum vestigium tumuli, nullus corporum istorum puluisculus est, quia Rioja habet. S. Felicem ex Haro solemni pompa in Monasterium S. AEmiliani ductum, & pro sepulchro altare summum accepisse, supra narrauimus. Discipuli S. AEmiliani aliquamdiu in Monasterio S. Christophori de Tobia commorati sunt. Sed cũ id prius Valuaneræ insigni Asceterio subditum esset, post ea inita quadam rerum permutatione, obtigisset Monasterio S. AEmiliani, ægre tulere Monachi discipulos abesse à magistro. Quocirca inde vocatos & in arcam argenteam conditos aræ maximæ imposuerunt. S. Podamia ad S. Turdeji primum sepulta, nec non à tota ditione Rioja culta fuit. Vt maior tamen honor illi haberetur, agentibus Monachis ad annum millesimũ quingentesimum septuagesimum tertium pauperem ac minus frequentem locum celeberrimo cum Monasterio S. AEmiliani de Cogolla commutauit.

S. Braul. c. 11.

Familiares S. Æmiliano fuere Cãtabri.

Nunc te sententiam rogo, bone Lector, qui factum sit, vt hi omnes tam arcto quõdam vinculo Sancto Patri nostro AEmiliano deuincti: (nam viuenti ac morienti adfuerunt, & traductam ab ipso vitam à capite ad calcem S. Braulio exposuerunt) qui factum, inquam, sit vt hi ad vnum omnes in Rioja sepelirentur? permanerent prope Vergegium? Soli vero S. AEmiliano migrandum fuerit vsque Torrelapajam! Hominem captum esse vides? sed forte nimis multos arietes caduco parieti admouimus. Corpus tamen, ait, Tortepalajæ sepultum, fecit miraculum! Facere quilibet Dei amicus potuit, alius à S. AEmiliano. Adhæc, pro vno tibi millia nos annumeramus, non tantum per sacra ipsius lipsana, sed etiam prodigiosæ trabis assulas segmentaque facta. Veteribus multa noua accedunt: numerum augent. Quod si nec Hercules contra duos quicquam proficit, certe est quod Martinez spem vincendi deponat.

Magister & Discipuli S. Æmil. omnes in Rioja sepolti sũt: nec credendum, vni Æmiliano Tõtrelapajam vsque fuisse migrandũ.

CAPVT III.

Monasterium S. AEmiliani ab antiquitate, religione, opibus, ædificijs nobile.

Monasterium hoc à S. AEmiliano conditum Riojam, veteris Cantabriæ partem, tenet: tribus quasi leucis Najara, sex autem Logronno summotum. Excipitur appendice Iubedarum montium, quibus ardua S. Laurentij iuga adhærent. Illa vero pars rupium, quæ se Valuaneram tendenti obijcit, montium Distertiorum nomen habet.

S. Æmilianus conditor sui Monasterij.

Monasterio huic nomen *de la Cogolla* positum aiunt, vt ab alijs Ecclesiis distingueretur, S. AEmiliano dicatis, in quibus tamẽ Monachi nulli versarentur. Alij parum scite à *colligendo* etymon petunt, quod hoc in Monasterio essent qui tributa, à Comite Ferdinando Gonsalez toti Castiliæ, ob partam auxilio S. AEmiliani de mauris victoriam, imperata *colligerent*. Rem acu tangunt qui ex Priuilegio Regis Alphonsi era millesima ducentesima decima octaua concesso, cognomen hoc deducunt. De piscoso enim riuo S. AEmiliano assignant *Totum illud spatium, quod est inter Monasteriũ S. AEmiliani, & Cogollam.* Ita vero mons S. Laurentij appellatur, qua se submittens S. AEmilianum respicit.

Quamuis autem Reges Hispaniæ maiori studio Cœnobium hoc quam alia sint prosequuti, Monachi tamen pluris faciũt, quod eius Fundator fuerit S. AEmilianus. Vt enim amplissimo censu, tectis, Regum aliquot Mausoleis, egregie splendeat, nihil tamen hactenus fuit quod S. AEmiliani inditam appellationem potuerit abolere. Si singularium quorundam Monasteriorum historiam scribendam suscepissem, calamo hic indulgerem, narrando beneficia à Rege Sanctio Abarca, eiusque coniuge Toda, isti loco deuotissima: item à Garcia Sanchez filio, decimo Nauarræ Reges & à Sanctio Garcia XI. eiusque coniuge Vrraca

Quod reges Nauarræ & Castiliæ mirum in modum locupletarunt.

collata: quibus iure merito accensendus Don Garcia Sanchez Terribilis, eiusque vxor Ximena, ad S. AEmiliani de Suso sepulta. Reuoluerem quoque incredibilem Sanctij Maioris & Garciæ de Najara Regum pietatem, quorum beneficentiam sequuti nepotes Nauarræ Reges, quoties ad S. AEmilianum veneruut (veneruut autem ter quotannis quaterve) plenis semper manibus regia dona in Cœnobium profuderunt.

Quantos insuper maximorum donorum cumulos Castiliæ comites mihi obijcerent, atque Reges? Comes imprimis Ferdinandus Gonsalez, qui subditos suos tributo subiecit, S. AEmiliano persoluendo: deinde Alphonsus I. VI. & VIII. Reges? quod tamen animum meum maxime percellit, hoc est. Prouincia Rioja pomum Paridis erat, immortalium discordiarum mater. Strictis dentibus inhiabat Nauarra, inhiabat vicissim Castilia: inde atrocia bella. Martis vero ingenium est, templa Diuorum Monasteriaque in confinio collocata flammis absumere: incolas ferro conficere: nec Sanctorum modo, sed Numinis ipsius memoria deposita, sacra omnia cædibus, rapinis, flagitiis turpissimis incestare. Nihilominus flagrante inimico bello, adeo nullo damno Monachos affecerunt ferrei milites, vt positis armis per intervalla ad S. Æmilianum confluxerint: vota persoluerint: repetitis postmodum castris acerrime denuo pugnauerint, Prœlio perpetrato victi cultum, victores spolia deferebant tutelari Diuo.

Per milites Christianos incolume stetit.

Cumque Dei seruus suis manibus hoc extruxerit Asceterium, idque calidissimis precibus & lachrymis creuerit, nunquam penitus destructum aut excisum fuit. Etiam Mauri, quamuis ingentibus copiis tota Rioja (tunc armorum patria) volitarent, ab hoc Monasterio manus abstinuerunt, vt cū aliis omnibus antiquitate certare queat. Nam vnum è primis est, S. Benedicto in Hispania ædificatis, nec vnquam deinceps Monachis caruit, qui rem diuinam ibidem facerent. Alia quæ annis præcesserunt aliquoties vastata sunt, & incolis dissipatis, tectis solo æquatis, esse desierunt. Ignis qui alimentis suggestis perpetuo fouetur, quāuis multos menses vel annos comburat, pro vno tamen igne habetur: quod si is semel penitus restinguatur, tuque mox alium excites, prior tamen haud erit, nec vnus idemque censebitur. Ad hunc modum etiam de Monasteriis philosophari licet, atque de Ordinibus. *Si grege legato*, inquit Pomponius, *aliqua pecora viuo testatore mortua essent, inque eorum locum alia essent substituta, eundem gregem videri: & si diminutum ex eo grege pecus esset, eum vindicari posse, quamuis grex desiisset esse.* Cum igitur è ruinis reuocantur Cœnobia, dudum coli aut frequentari desita, non is potiore iure quam veteribus annumeres, quamuis vt plurimum vetus nomen adhæreat. Quocirca merito sibi gloriæ ducit S. AEmiliani Monasterium, quod tot sæculorum iniuriis euaserit, quæ felicissima sors paucis per Orbem terræ Cœnobiis obtigit. Iam enim annos quadraginta supra mille inter barbaros Gothos, nomini Christiano infensos Mauros, Monachis inimicos hæreticos, belligerantes Catholicos, saluum & incolume stetit.

Etiā per Mauros.

L. si grege leg. D. de legatis. 1.

Non hæc inani de olla, sed veridico tripode profundimus. Præter libros alios manu Gothica conscriptos, qui Monasterio suam affirmant longæuitatem, duos diligentius versauimus, quorum vnus æra quingentesima quinquagesima quinta: alter sexcentesima quinquagesima nona exaratus est, & quandā S. Isidori lucubrationem continet. Floreutiæ sorori destinatam; vt omittamus Concilia per Hispaniam celebrata. Volumen hoc, quod tot iam sæcula tulit, totiesque grauissimis scriptoribus laudatur, in regium Escuriale Monasterium transiuit, vt bibliothecæ ornamento esset. Annosissimæ quoque donationum, priuilegiorum, rerum aliarum tabulæ, tam ad S. Æmiliani, quam in Monasterijs subditis in promptu sunt, quæ non modo antiquitatem loci confirmant, sed præterea tenebras ab historia Hispaniensi dispellūt, variamque gentis fortunam soli ac Orbi ostendunt. Corticibus istis incumbens Garivay, clarissimus historicus, è multis difficultatibus enatauit. Mihi consilium est, bis in Annalibus exemplum imitari.

Eius antiquitas demonstrāta.

Archiui tabulæ.

Semiū adhæc Monasterij vetustissimum templum prodit, duas in naues augustas, rudes, inæquales distinctum, vt à rudi sæculo & angusto marsupio profectum esse, nullus dubites. A dextra paruum sacellum stat, vetus S. AEmiliani Mausoleum, in quo cum historicorum omnium consensu annos quingentos & tres conditus fuerat, donec millesimo tricesimo tertio tumulo exemptus, loco honoratiore collocatus est. Pessum per Mauros eunte Hispania communem cladem euaserit oportet, siue vltro Monachis pepercerint, siue regionem mōtibus obsessam (editum præsertim S. Laurentij iugum) in potestatem haud redegerint, vnde Christiani non arte sed natura muniti, arcere poterant hostes, plana tenentes. Vt vt factum sit, in famam posterûm profecto ire debet, non sepulchrum,

Vetustissimum templum S. Æmiliani de Suso.

non

non patriam mutasse S. Æmilianum, quantumuis Mauris Hispaniam vbique miscentibus: quæ cum grauiore tempestate iactaretur, S. Vincentius Abbas Legione Oniedum deportatus fuit: cum à Saracenis premeretur, SS. Alphonsus, Eulogius, Froilanus, cum aliis innumeris, velut in fugam coniecti, quo spes ferebat, summoti sunt. Quando igitur thesaurus hic subductus nunquam fuit, locum à Mauris nec captum nec tritum fuisse crede. Adde priscibus antiquitatis vestigiis non mutos tumulos, & quasdam cauernas S. Æmiliano habitatas, è quibus vna maxime celebratur, quod in ea Quadragesimam transigere solitus sit. Præterea decretoriam arenam, in quam cum dæmone descendit: prodigiosam trabem, precibus serui Dei extensam, quibus omnibus Mauri impias manus allaturi fuissent, si Monasterio potiti aliquando essent. Hostibus post tot strages à Christianis Regibus editas vehementer imminutis, Rioja animum resumpsit: Comites vero Castellæ nec non Reges Nauarræ vt partas victorias S. Æmiliano in acceptis ferrent, insigni munificentia Monasterium sunt prosequuti. Cum opibus auctus quoque Monachorum numerus fuit, quos cum angustum S. Æmiliani de Suso Cœnobium haud caperet, ratio ineunda fuit, qua dilataretur. A principio partem aliquam planicies exceperat, quæ superum inter ac inferum Monasterium supina iacet: sed cum totum illud spatium, quà mons se submittit, Monachorum multitudini impar esset, descendere ac infra propter flumen locum capere subacti sunt. Numerum excessisse visus est Rex Sanctius, quando Garcia Præsulis munus obeunte Monasterij fortunis adiecit Ormillam, vnde sustententur *agmina Monachorum*. Sedes proinde figenda erat loco plano, amplo, commodo, quam postea nunquam mutauit.

Mausolea, & cauernæ:

Trabs miraculosa.

Eius opes paulatim accisæ.

Tantum vero incrementum nouum Monasterium sumpsit, quantum verbis explicare vix possumus. Nam Reges & pij quique luculentis iam opibus mirum quantum addiderunt. Tributa ex voto à Ferdinando Castellæ Comite nuncupato ducentes mille nummûm aureorum excessisse, accepimus: quam summam fama (forte nō vana) etiam dimidio auxit. Nos autem rei prope immensæ modum statuere non possumus: animo tamen huius Monasterij facultates vtcumque concipere licebit, perpendenti nobilem vrbem Logronnum ad id pertinuisse, à Rege Nauarræ Garcia Sanchez ad annum Seruatoris nongentesimū vicesimum sextum dono acceptam: neque solam Castellam, sed insuper Nauarram quoque ab eodem Rege sub annum nongentesimum tricesimum quartum tributo subditam fuisse. Hanc summam si ad censum compares, qui S. Iacobo quotannis è Legionis regno terrisque adiunctis cedijt, illam superiorem fuisse pronunciabis. Etenim vnius tantum regni manus afferebant Apostolo; duorum vero S. Æmiliano. Quocirca rerum omnium copia ex voto affluẽte, inter præcipua Hispaniæ Monasteria locum obtinuit. Hodie tamen alia crumenæ mensura est. Bella quippe atrocia quibus regna hæc vexata sunt: extincta deinde in mortalium animis pietas: adeo pallium hoc succiderunt, vt collare tantum reliqui fecisse crederes. Quid enim sibi commodum non auferunt impigri milites? Quid vicissim sibi incommodum non iactant, spargunt, perdunt? Tributum quoque sacrum à profanis circumscribi cœpit, ac fere tantum ad monticolas quosdam denique redijt. Antiqui nihilominus splendoris nótas multas etiam hodie fert, & decus Congregationi addit. Templum maiestate admiranda multas Ecclesias Cathedrales antecedit. Tres enim in fornices ita amplos digessit architectus, vt singuli Basilicæ insignis speciem præbeant. Cætera ædificia, profecto magnifica, missa facimus. Quæ Numini sacra sunt, veluti vestes rei diuinæ operantibus indui solitæ: altarium apparatus: vasa argento auroque conflata: librorum thesauri, ad laudes Deo Opt. fundendas contuentem vehementer stimulant.

Hodie sacer thesaurus hic valet.

Porro sacræ Reliquiæ per Monasterium superum perque inferum per aras, per sacristias, distributæ sunt. Ara maxima argenteam exhibet arcam vna cum S. Felicis venerandis ossibus: itemque alteram Sanctis Citonato, Sophronio, & Gerontio, D. Æmiliani discipulis, plenam; tertiam S. Potamia possidet. Omnes vero S. Æmilianum stipant, cuius vrna sola cæteris tribus coniunctis, auro, gemmis, ebore, ac arte præstat. Carbunculum solito maiorem habere fertur, qui lucidam faciem introrsum auertat; scilicet ne præter oculos spectantis etiam manus in se conuertat, pulchris insidiosas. Nec enim res exemplo caret. Fulgore lapidis capta quædam Regina, à religioso cœtu munus petiuit. Passa repulsam, sacræ supellectilis custodem solum adorta est, eiusque animum compositis verbis euerberauit: vicit. Sed ia ante pœnas dedit, quam carbunculum. Adijt demens venerandam arcam; stellantes inter gemmas carbunculo, seu soli, manum iniecit: duxit, traxit, sequi recusantem nequicquam vellicauit, ignarus carbunculum in arca pedem fixisse,

Cui ædituus manum iniecit, ac pœnas dedit.

Dum tenaces digitos voluit repetere, ringendo, rumpendoque operam perdidit. Firmiſſime enim adhæſerant. Quantum ſudaſſe & alſiſſe hominem putas? Interea alij Monachorum aduolant, rurſumque alij: trepidus fur, turpeque ſurtuin, omnium manibus teuentur. Vix couſolabilis dolor inceſſit ſanctos Patres mox capto in arena cõſilio, S. Æmilianum ſuum precibus adieruut, vt ſacrilegos digitos furto abſolueret: fecit. Iu altari ſummo Diuæ Virginis ſignũ proſtat, (delicium & præſidium incolarũ) cubitum vnum altum: aureis laminis veſtitum: ſplendidis lapillis paſſim obſitum: quorum tamen pretium S. Crucis ſegmentum, Beatiſſimæ Matris lac, veli & amictus ipſius fruſta, prorſus exhauriunt. S. Lipſana exponere, quæ ſacriſtia concluſa tenet, longa mora ſit, cum propemodum ipſa multitudine laboret. Si rerum ac verborum compendium vis, oſſa beue magna multaque SS. Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum viginti tribus capſis metallinis, nec non argento varias in figuras ducto incluſa ſunt, quæ publicam iu ſupplicationem prolata, ſplendorem pompæ mire intendunt:, ſpectautibus religionem inijciunt. Monaſterium S. Æmiliani de Suſo, præter reliquias minores, adhuc ſepulchrũ Diui poſſidet: cumque dederit oſſa, ſibi ſeruauit carnes, in ciuerem redactas. Rupi ſacellum inſiſtit, in quo S. Aurea monialis contumulata, quæ in Monaſterio ſuperiore vitam recluſam egerat. Huie adiuncta ſua mater eſt, quam ea regio plurimum deueneratur.

Principis gentis ſepulchra ad S. Æmilianũ videas.

In monaſterio inſeriore ſepulchra conſpicias nobiliſſimarum ſamiliarum de Aro, de Mendoza, & Abalos, de Biſcaia, gentem olim ferme Regibus parem. Quodſi in Aſceterium de Suſo carpas viam, teque iu ſacellum inſeras, quod dextro lateri aræ ſummæ obiectum eſt, in trium Nauarræ reginarum mauſolea incidis, quod te vetuſta tabula hæc, prope aditum templi defixa, docuerit.

Regno appellata Nauarra, ſunt tumulata,
Toda, ſi e plena nec non Eluira, Ximena:
Tres hic Regina. ſit requies ſine ſine.

Ximena mater erat Regis Sanctij Maioris, Garciæ Terribilis Regis coniunx. Toda Regi Sanctio Abarca nupſerat. Hoc inſuper Monaſterio ſeptem infantes de Lara repoſiti ſunt vrnis diuerſis, octauam præfecto ipſorum occupante. Monaſterium S. Petri de Arlanza errore actum S. AEmiliano de la Cogolla litem ſuper iſtis ſeptem infantibus, in Hiſpania percelebratis, mouit: quocirca Placidus de Alegria Abbas anno poſt Chriſtum natum milleſimo ſexcenteſimo, III. Non. Decembris, indagandi veri gratia, ſepulchra reuelauit, Notario ac teſtibus idoneis inſpectantibus. Reperta ſunt ſeptem corpora, capitibus priuata. Cum igitur ad annum milleſimum quingenteſimum nonageſimum ſeptimum in Eccleſia parochiali de Salas ſeptem capita abſque corporibus deprehenſa ſint, merito ſententia ſecundum AEmilianum de la Cogolla ab æquis rei arbitris pronunciata fuit.

Antra & Eremitoria bona pars Monachorũ habitauit.

Aliquando me in Aſceterium de Suſo eduxeram: metitus oculis anguſtum ſpatium, mirari cœpi tantam Monachorum multitudinem in ſuſpenſo montis fragmine ſedem figere potuiſſe! Atqui verſando SS. AEmiliani & Dominici de Silos acta, animaduerti præter Monachos in Aſceterio anguſtè habitantes, multos per cauernas, ſpecus antra, fuiſſe ſparſos, ac veluti milites veteranos ſingulare bellum cum tartaro fortiſſime ſuſcepiſſe: Deo tantum & ſuperis ſpectantibus geſſiſſe: feliciter cõfeciſſe. Locus huiuſmodi militibus ſacris excipiendis multo ampliſſimus eſt: committuntur vero hi moutes cum iugis de Valuanera, quem locum vbi attigero, per Diſtercios montes innumeros Anachoretas fuſos, diuerſis caueis, cſſis, ſpeluncis ſecluſos, rupibus arborumque ramis intectos, educam. Quo die S. AEmilianus veſtigia in cœlum vertere viſus eſt, à mortalibus ad immortales abiturus, multos Monachos confluxiſſe ad curandum funus ac parentandum, S. Braulius auctor eſt. Si ergo vno die conuenerunt, non longe abfuiſſe oportet, adeoque vicinis ex Eremitoriis, in quibus ſupplicia abſque ſceleribus ſua ſponte expendebant, prouolantes, Monaſterium petiuerunt, vt illuſtrem chariſſimi Patris animam diſcedentem quisque proſequerentur. S. Dominicus de Silos vitam etiam eremiticam hic egit, priuſquam in S. P. N. Benedicti nomen iuiſſet. Monachos ac Eremitas confluxiſſe, vt demortuum ibi S. Auream (monialem noſtram recluſam) terræ mandarent, refert Robertus Monachus in eius vita. Vnde apparet quamplurimos Dei ſeruos in Monaſterio monti impoſito, quantumuis anguſto, tamen habitaſſe, antequam in planitie longe amplius conderetur, S. AEmiliani de Iuſo dictum. Enimuero ſeſe complicabant pauxillo terræ contenti, vt magni palatia cœli olim poſſidere liceret: deinde plurimi per Eremitoria abditi colebant. Congregati vero ingentem cœtum implebant, virtutibus nihilominus quam numero maiorem.

Id quod ex S. Braulio conſtat.

Poſtquam igitur fama ſparſit, tanto ardore Monachos S. Æmiliani deſpecta terra

in cœlum ferri: tanta contentione viam alios aliis præripere: multi inde acciti sunt vt Monasteria noua extruerent, aut labefactatam in veteribus disciplinam instaurarent. Hinc tot Cœnobia S. AEmiliano subdita fuere, quorum aliqua ipsa sex, septem, octo Prioratus habebant subiectos. Sed age syllabum vna cum æris, quibus eorum memoriam reperimus, subijciamus, ex archiuo Monasterij depromptum, quem proculdubio auxissemus, si operæ huic vacare diutius licuisset.

MONASTERIA S. AEMILIANO subiecta, quorum pars ab eius Monachis fundata, pars à tempore adiuncta.

Era 797. S. Michael de Pedroso, antiquissimum sacrarum Virginum Asceterium, era millesima octogesima septima à Rege Garcia Monasterio S. AEmiliani additum. Ab illo dependebant·

Era 982. S. Mames & S. Saluator.
S. Laurentius de Masoa.

1005. *S. Pia vel S. Crispina. Viginti octo numerauit Religiosos.*

1017. *S. Michael de Ezquerra.*

1065. *S. Quirce, Cœnobium Monialium.*

810. S. Martinus de Ferran.

812. S. Martinus de Yhama.

813. S. Romanus de Douiscle.

815. S. Medel, & Celedon de Taranco.

838. S Martinus de Mena.

905. S. Iohannes de Orbanannos.

905. S. Iustus & Pastor in Orbannos.

907. S. Felix de Auca, splendidum Monasterium à Rege Garcia eiusque coniuge Stephania cum Asceterio S. AEmiliani era millesima octogesima septima coniunctũ. Ab eo pendebãt.

Era 980. S. Vincentius de Barcena.

980. *SS. Iohannes & Eugenia de Barcena.*

980. *S. Iacobus de Azura.* Hæc monasteria Cnmiti Ferdinãdo Gonsalrz accepta debentur, cuius verba è tabulis promamus:

Ego Comes Ferdinandus do etiam alia Monasteria: videlicet S. Martini Episcopi: S. Iuliani & S. Basilisca: S. Vincentij, SS. Iusti & Rufini: S. Felicis Nolensis, & omnes Ecclesias fundatas in ponte Cercio: & concedo hæc Monasteria cum suis Monachis & Fratribus, vt Monasterio S. Felicis & Abbati Seuero subsint. Hic Abbas X. Decanias (Prioratibus similes erant) Monasterio S. Felicis de Auca obtulit.

Era 1036. S. AEmilianus de Porcilis.

Era 909. S. Vincentius Theocista.

911. S. Stephanus de Sarcedo.

941. S. Martinus de Manteto.

941. S. Maria de Fresno.

941. S. Andreas de Turpiana.

951. S Maria de Casiera.

960. S. Maria de Badaran, alias S. Maria de Villa Gonzalo.

962. S. Maria de Cañas.

962. S. Michael de Cañas.

965. S. Agatha in Najara.

965. S. Maria sub Peña mayor.

965. S. Crux Pompeiopoli.

976. S. AEmilianus de Fenestra, Monasterium insigne, era millesima nonagesima tertia S AEmiliano adiunctum. Ad id spectant:

Era 985. S. Iohannes Baptista, & S. AEmilianus de Beneli.

985. *SS. Victor & Facundus, in oppido Atlauza.*

997. *S. Thyrsus in Viruiesca.*

1037. *S Sebastianus in Viruiesca.*

Era 982. S Maria de Pazuengos.

985. S. Stephanus de Sarzeda.

985. S. Maria de Mardones.

1005. S. Christina in Valle Asur.

1039. S. Sebastianus in Najara.

1046. S. Æmilianus de Reuenga.

1051. S. Maria de Villar de Torre.

1052. S. Petrus de Villa noua.

1063. S. Iohannes prope Herbias.

1065. S. Medelus & S. Celedon.

1066. S. Iulianus de Montibus.

1068. S. Andreas prope S. Petrũ de Montib.

1069. S. Vincentius de P ña Abilæ, quod erat Reclusarum Asceterium.

1070. S. Saturninus de Ventola.

1073 S. Michael Pompeiopoli.

1075. Monasterium de Badastan, Pompeiopolim versus situm.

1075. S. Clemens de Bureba.

1078. S. Christophorus de Tobia.

1084. S Maria in Valle S. Vincentij.

1085. S. Saluator de Gurendes.

1886. S. Cyprianus de Castrelo.

1087. S. Victor de Hezquibal.

1088. S. Maria de Castro.

1088. S. Michael de Suazo, in Alaba.

1088. S. Romanus de Alaba.

1093. S. Antonius Ribaredooda, in Bureba.

1096. S. Æmilian⁹ & S. Euphemia de Lorãzo

1064. S. Mames in Obarenes.

1100. S. Vincentius de Ocboista.

1100. S. Maria de Villa Agucedo.

1100. S. Martinus de Mammelares.

1101. S. Martinus de Granon.

1101. S. Michael de Granon.

1101. S. Thomas de Granon.

Era 1101. S. AEmilianus de Foyo.

Era 1102. S. Mirhael de Villa Silos.

1105. S. Sebastianus de Artable.

1106. SS. Iustus & Pastor in Chrpania.
1108. S. Thomas in Riba Velloso.
1109. S. Maria de Ressa.
1110. S. Martinus de Iburiera, prope Durangum.
1112. S. Clemena de Indenio.
1112. S. Maria de Estibales.
1112. S. Maria de Mardones.
1113. S. Iacobus de Lanchrez.
1113. S. Maria de Bannares.
1113. S. Michael de Arandia.
1113. S. Salnator de Bernnes.
1115. S. Maria de Orsales.
1116. S. Maria in Villa Blascon.
1116. S. Crux de Bozo.
1116. Monasterium S. Assensij.
1118. Monasterium Albiani prope Ziguri.
1118. S. Andreas de Stigarriba.
1120. S. Vincentius de Hacarte.
1121. S. Maria de Izpega.
1122. S. Sebastian' in Valle Oja de Castro.
1123. S. Michael de Villafranca.
1124. S. Vincentius de Alcozar.
1124. S. Iacobus de Rafayo.
1124. S. Felix in Dabalos.
1125. S. Maria de Rodezno.
1125. S. Michael de Caycedo.
1127. Monasterium Lasarte.
1128. S. Christophorus de Ochando.
1130. S Salnator de Aboniza.
1138. S. Andreas prope Villam nouam.
1152. S. Clemens de Obaldia.
1154. S. Martinus de Soto.
1165. S. Crux de Antosanos.
1167. S. Iohannea de Fragenete.
1219. S. Bartholomæus de Cassares.
S. Maria del Espino.

Hoc Catalogo apparet, quam late ins per Hispaniam S. Æmiliani Monasterium dixerit. In Rioja ægre in locum paullo clariorem incidas, qui careat Monasterio, S. Æmiliano dedito. Nauarram, Castellam, Alabam, Biscaiam obeunti, plura occurrent, quæ Sancti quoque nomen ferant. Horum aliqua in Prioratus vel Ecclesias versa, parent Abbati: alia bellis incendiisque hausta, vel vetustate collapsa, graui nunc ruina feralique vmbra premuntur: adeo nihil rebus in humanis æternat!

Vti multis è riuis flumina incrementum ducunt, sic Diui Æmiliani Monasterium additis Cœnobiis minoribus, ad eam magnitudinem peruenit, quæ Regibus ipsis admirationi fuit. Quocirca cum Abbatis nomen non satia grande sonare ipsis videretur, præessent vero Monasterio viri vndique præstantissimi, operam dederunt vt quamplurimi in sedes Episcopales extollerentur. *Monast. S. Æmiliani plãtarium Episcoporũ.*

Designari etiam hic Episcopi solebant, vt vacante alicubi sede, mox imponerentur, ne quid detrimenti res Christiana per moram caperet, id quod apud Reges Nauarræ iam in morem abiuerat. Cum enim huic Monasterio vicini essent, sanctitatem eius ac eruditionem penitus habebant exploratam, quo proinde non secus quam Episcoporum seminario sunt vsi. Najara, Calahorra, Alaba, Pompelopolis, Tarasona, testes sunt. At vbi Reges Castiliæ Riojam in potestatem redegerunt, quorum oculos Abbatum virtus lacessere non poterat, quippe eminus spectantes, aut non intuentes, sibi suisque viuere permissi sunt. Neque splendore hoc adscito indiguit Monasterium, à seipso illustrissimum. Quamuis autem Abbates Episcopos agere desiuerint, à tot tamen retroactis annis Iurisdictionem quasi Episcopalem retinuerunt. In tabulis insuper, quibus Episcopi & regni proceres nomina sua adscripsere, frequentissime offendas S. Æmiliani Antistites.

Henricus II. Petri Seueri Regis frater, anno millesimo trecentesimo quinquagesimo quarto eosdem titulo Sacellanorum Castellæ Regum ornauit, quod bello plus quam ciuili ardente, duces prope Najaram castra posuerint: tum pugna cruenta edita, Abbas & Monachi cæsis à parte Henrici nobilibus sepulchra foderint in Monasterio. Liberalissimus Rex, vt nouum regnum sibi stabiliret, accisis reditibus regiis immensum donatiuum in milites effudit, quod Henricianum postea appellatum fuit. Cum autem se in ære Monasterij quoque esse videret, Abbatibus titulum Sacellani regij dedit, quem nuper Philippus II. Monasterio sponte affirmauit. *Abbates Regum Castiliæ Capellani sunt.*

Cæterum, magnum nos desiderium tenuit Catalogi Abbatum huius Monasterij videndi, sed quærẽdo operam perdidimus. Neque nobis otium fuit, tantam veterum monumentorum, in archiuo reconditorũ, lustrandi molem: euiscerandi sæcula: annos erasque componendi. Quidam Monachorum hac opera sibi sumpta, tres nobis Catalogos miserunt, In quibus singulis Abbates qui post reformationem præfuerunt, eodem ordine sunt positi: at qui antecesserunt, negotium nobis facessunt. Ab era nongentesima quinquagesima octaua Catalogi duo è tribus initium ducũt, quod rebus tum præfuisset Gomesanus, ipsiusq; nomẽ priuilegiis tum primum adscriptum deprehendissent. Tertius Catalogus ab ipso S. Æmiliano repetita successione, seriẽ pertexit, expressis eris, quibus ipsorum vel

manus vel memoria in tabulis reperta fuit. Quos Episcopi titulo prosequemur, Cathedra non signata, ad augendam Monasterij auctoritatem initiatos fuisse puta: quod etiam alibi factum.

CATALOGVS ABBATVM Monasterii S. Æmiliani.

1. S. Æmilianus Eremita, Ordinis sancti Benedicti Monachus, Monasterij Fundator, Abbas.

2. S. Zironatus, S. Æmiliani discipulus, vitæ miraculorumque testis. successit in Abbatiam Era 612.

3. Iohannes I. Era 629.

4. Paulus I. Archiuum eius meminit Era 640.

5. Martinus I. Era 670.

6. Iohannes II. Era 674. Hunc S. Braulij fratrem & successorem in episcupatu Saragosano fuisse, memorant.

7. Petrus I. Era 699.

8. Martinus II. Era 700.

9. Benedictus, Era 718.

10. Sanctius I. Era 729.

11. Maurellus, Era 744.

12. Æmilianus II. Era 794.

13. Valentinus Abbas & Episcopus regnante Fruela, Era 797.

14. Sanctius II. Abbas & Episcopus, Era 809.

15. Paulus II. Abbas & Episcopus, Era 840.

16. Gomesanus I. Era 851.

17. Iohannes III. Era 863.

18. Iohannes IV. Era 893.

19. Æmilianus III. Era 905.

20. Petrus II. Era 919.

21. Placidus. Era 943.

Hucusque Catalogus antiquissimos retulit Abbates, non memoriæ tantum, sed archiuo quoque propemodum elapsos. Sequentes, sæpe donationum & priuilegiorum litteras versantibus occurrunt.

22. Gomesanus II. seu Gomez, Era 958. vir etiam Episcopali mitra illustris, quo clauum tenente Garcia Sanchez, decimus Regum Nauarræ, cum Toda matre Alam & Logronnum, S. Æmiliano donarunt. Illa in Monasterio S. Æmiliani condita, supremum diem expectat promimm receptura.

23. Sanctius Era 971. Huius talem mentionem facit liber Gothice scriptus: *Sanctius Abbas in sancto Æmiliano, & ibi Hi tres Episcopi, Oriolus, Blasius, Benedictus, regulariter degentes. Amen.* Multos Episcopos hæc ætas è Monasterio S. Æmiliani produxit, quos sua virtus, & patria virtute Regum gratia, inuitis altioribus inuoluit. Insuper Hispania recepta, non tantum fines Diœcesium confusi erant, sed infideles quoque fidelibus mixti, quocirca Regibus optimum factu visum, si locis opportunis Episcopi crearentur prouinciales, qui nulli certæ vrbi affixi, quaquauersum excurrerent, atq; docendo, exhortando, impellendo, rem Christianã promouerent. Hinc quamplurimos à S. Æmiliano episcopos petitos ferunt, quod ad agrum Dominicum excolendũ promptè prouolarent: vitia strenue exscinderent: colonis deinde latius ductis idola nefanda exterminarent: eorumdem cultores vero Numini initiarent. Huiusmodi laboribus fessi, in veterem arcem sese subducebant, cum quietis capiendæ, tum pulueris etiam, qui facile de sæculo adhæret, discutiendi ergo. Collecto sic aliquamdiu spiritu, maioribus viribus Orci monstra iterum inuadebant. Qui Oriolum, Blasium, Benedictum, Episcopos tres ad sancti Æmiliani simul *degisse regulariter*, vt liber Gothicus habet, perpenderit, magnum numerum quem historici expununt, æqui bonique faciet. F. Prudentius de Sandoual triginta duos affert. Nos numerum duplo tantum in huius Monasterij memori quadam charta deprehendimus. Præter hos episcopos prouinciales seu regionarios etiam multos certarum sedium numerat sanctus Æmilianus. Hoc Alaba, hoc Nagera, Oca, Calahorra, Burgi, Pompeiopolis, vrbesque clarissimæ aliæ sonant: affirmat episcopus Tuyensis.

Voluenti mihi Cœnobij istius tabulas, sæpe scrupulus iniectus est, cur vno anno eademque era plures Abbates coniungerentur! Nunc in promptu causa est. Si quis creabatur episcopus, non ideo Abbatis nomen exuebat, eoque titulo simul etiam appellari solebat qui in munus succedebat.

24. Fortunius Abbas Era 973. pro sancto viro habitus, quẽ Comes Ferdinandus Gonsalez suum Dominum & gloriosum Abbatẽ nominat. Effecit enim singularis Monasterij huius religio, vt non modo Nauarræ Reges, verum etiam Castellæ Comites de eo bene mererentur. Monasteria annectendo. Quod vero hi in alium illiq; vicissim in alium Abbatem eodem tempore dona sua cõtulerint (hac enim ipsa tempestate Reges Nauarræ bene fecisse Gomesano, nõ Fortunio, monumenta produnt) causam crediderim, quod vnus iam capessiuisset habenas episcopatus, alter Monasterij. Ita Nauarræ Reges in tabulis compellant Gomesanum, iam Episcopum: Castellani vero cum suo Comite Ferdinando verba faciunt non Gumesano Episcopo, sed Fortunio Abbati.

25. Gomelanus, Era 974. Quidam lanati Isidori Etymologijs Gothica manu conscriptis à fine subiecit: *Explicitus est liber Etymologiarum Era 984. 13. Calend. Septembris, luna cursu discurrente 23. Regnante Rege Ranemiro in Legione, & Garsea Sancio in Pampilona, Gomesano denique Abbate sancti Æmiliani Distercij Monasterij Regente.* Nanarræ & Legionis meminit scriptor, quod in confinio vtriusque regni staret Monasterium. Ferdinandus Gonsalez dominabatur quidem Castellæ, sed ita vt à Rege Legionis penderet. Aduerte sis quoque Gomesanum ab illo Abbatem nominari Monasterij S. Æmiliani, in monte Distercio siti; magnum firmamentum causæ nostræ, quam supra egimus, montes Distercios Riojæ insidere, non Aragoniæ, illicque sanctum Æmilianum ætatem posuisse.

26. Blasius I. Era 985. Breui ex Abbate creatus Episcopus.

27. Lupercus, Era 1008. Sanctio X I. Nauarræ Rege, & Ferdinando Gonsalez Castellæ Comite viri præclari officium egregie exequutus; ab vtroque magnis beneficijs est affectus.

28. Sisebutus, Era 1019. postea Osceusis Episcopus, quę sedes vertentibus omnia annis, Burgos translata est.

29. Stephanus, Era 1022. A Sanctio XI. Nauarræ Rege oppidum Cardenas accepit.

30. Garcia I. Era 1032.

31. Ferrucius I. Era 1034.

32. Sanctius IV. Abbas & Episcopus S. Æmiliani.

33. Ferrucios II. Era 1039. regnante Sanctio Maiore, vitæ integritate sanctitatis opinionem sibi peperit. Vnde Monachi eum prope S. Æmilianum in Ecclesia de Suso condiderunt.

34. Gomesanus IV. Era 1060.

35. Sanctius V. Abbas & Episcopus, Era 1066.

36. Garcia II. Abbas & Episcopus Era 1072. Hi duo postremi Beatorum numero habentur, quos S. Auria, in Monasterio S. Æmiliani de Suso Reclusa, inter Cœlites versari vidit.

37. Gomesanus V. Abbas Era 1076. sub hoc tempus Monasterium quoque curauit Sanctius Episcopus. Ita namque tabulis subscripsit: *Me Sanctio Episcopo pastorali cura Monasterium S. Æmiliani regente.*

38. Garcia III. Abbas & Episcopus, Era 1083. Cui Rex Garcia de Najara: *Tibi Abbati Episcopo sub Regula sancti Benedicti.*

39. Gomelanus VI. Abbas, Era 1083. Caliguritanæ Sedis Episcopus, vt be à Garcia in potestatem redacta. Confluxerant hac tempestate in luę matris sinum Episcopi, instaurandi spiritus ergo. Præclaro facto inei-tati Reges nouis beneficijs obruere Monasterium. Litteras donationis hisce verbis Garcia, Era 1087. absoluit. *Nec non & Dominis nostris Episcopis Gomesano & Garseano, cæterisque Monachis sub Regula S. Benedicti, in Cœnobio prædicto S. Æmiliani Deo militantibus.*

40. Gonsaluus Abbas, Era 1087.

41. Garcia IV. Abbas & Episcopus, Era 1093.

42. Gomesanus VII. Abbas & Episcopus S. Æmiliani, Era 1089.

43. Petrus III. Era 1099.

44. Blasius II. Abbas & Episcopus, Era 1108.

45. Aluarus Abbas, Era 1118.

46. Blasius III. Abbas, Era 1125.

47. Garcia V. Era 1133. de Abbate factus Burgorum Episcopus.

48. Blasius IV. Era 1140.

49. Iohannes V. Era 1147.

50. Petrus IV. Era 1156.

51. Felix, Era 1181.

52. Lucas, Era 1191.

53. Petrus V. Era 1196.

54. Garcia VII. Era 1209.

55. Ferdinandus I Era 1217.

56. Iohannes VI. Era 1228.

57. Ferdinandus II. Era 1239.

58. Iohannes VII. Zanchez, Era 1246.

59. Petrus VI. Era 1282.

60. Martinus Lopez I. Era 1285.

61. Iohannes VIII. Era 1287.

62. Sanctius VI. Era 1299.

63. Iohannes IX. Era 1302.

64. Enueco Fernandez, Era 1306.

65. Martinus Lopez II. Era 1323.

66. Ferdinandus III. Era 1324.

67. Mathæus, Era 1327.

68. Sanctius VII. Era 1337.

69. Martinus Lopez III. Era 1340.

70. Diego Lopez I. Era 1364.

71. Petrus VII. Era 1366.

72. Diego Lopez II. Era 1370.

73. Iohannes X. Era 1395. quem Heurieus II. sub Eram 1401. Sacellani titulo ornauit.

74. Diego Lopez III. Era 1408.

75. Iohannes XI. Era 1420.

76. Martinus de Vergara, anno 1454.

77. Petrus Sanchez de Castillo an. 1468. virtute, prudentia, eruditione clarissimus Abbas: non alia re melius de suo Monasterio meritus, quam Reformationi fundamen- Bonum factum Petri Sanchez.

damenta iaciendo, dum proprijs reditibus se abdicauit: Abbatibus perpetuis finem imposuit.

78. Iohannes de Soria, an. 1502. primus Abbas Reformatorum suffragijs lectus. Disciplinam ad nouas leges seuere exegit, quæ etiamnum sanctè durant.

79. Michaël de Alzaga, qui dum res monasterij defendit, morte occubuit.

80. Diego de Salazar I. an. 1502. Bis Abbas renunciatus.

81. Diego de Rosas, an. 1518.

82. Petrus de Arenzana, an. 1538.

83. Gonsaluus de San Millam, Visitator Generalis Congregationis an. 1553.

84. Andreas de Quintauilla, an. 1558. cui Philippus II. ob eius prudentiam singularem, hospitalis Burgensis visitationem commisit.

85. Iohannes de Cañas, an. 1560.

86. Petrus de Gueuara.

87. Diego de Monroya.

88. Diego de Aluarado, an. 1568.

89. Bartholomęus de Pedrolo, an. 1569.

90. Petrus de Medina. an. 1571.

91. Martinus de Calleja. Bis Abbas fuit: posteriore vice ad an. 1590.

92. Aluarus de Salazar, anno 1581. & 1586. Abbas, quo ego Professore Theologiæ sum vsus. Iussu Philippi II. Congregationem regni Portugalliæ visitauit, atque vna cum alijs auctor fuit Recollectionis, in Monasterio S. Æmiliani de Suso olim institutæ.

93. Martinus Yzquierdo, an. 1584. & 1595. Abbas, cuius alibi meminero.

94. Martinus Pilon, an. 1591. & 1601. Abbas.

95. Antonius de Cordoua, an. 1592. Fuit Visitator Generalis.

96. Placidus de Alegria, an. 1598. Fuit etiam Visitator Gen.

97. Ferdinandus de Amescua, an. 1604. Hodie Regens Vniuersitatis S. Mariæ de Yrache.

98. Diego de Salazar. Hunc an. 1607. è Cathedra Theologica deductum, sedes Abbatialis accepit.

A Pontif. & Regibus instaurata Monasteria Hispaniæ. Magna huic Monasterio auctoritas fuit, magna disciplinæ fama, donec res inter Abbatem ac Conuentum diuisa, & ab illo plenaque consumpta fuit: quod malum cum non hoc tantummodo Monasterium, sed multa per Hispaniam alia corripuisset, Summi Pontifices cum Regibus Catholicis opportunum remedium adhibuere, sanciendo videlicet vt certis annis Abbatum dignitas ac iurisdictio circumscriberetur, quibus exactis, gradu decederent. Item, vt in commune conferrentur omnia, ne dum Abbates furtiuis suis tanquam proprijs incumberent, animos in mille curas vilissimarum rerum discerperent: vltra oleas ferrentur: exercitia spiritualia improbis habendi laboribus postponerent: diuini amoris iacturam facerent. Igitur in Congregationem S. Benedicti Vallisoletanam itum est, in qua grande nefas habetur commune ærarium in riuulos deducere, id quod antea faciebant Abbates, Priores, Oeconomi, Custodes, hospitum Præfecti. Graues tum crumenis erant hi tales profectò, sicubi incubabant. Anno à Seruatore nato millesimo quingentesimo telam hanc ineundæ Congregationis Iuhannes de Susia, Monasterij S. Æmiliani Antistes, magno animo cœpit, edito in Capitulo iuramento, se Abbatesq; posteros triennio elapso, infulam ac fasces posituros, nec non in potestate Reuerendissimi P. Generalis futuros. Vertente postmodum anno supra millesimum quingentesimo secundo Alexander VI. mouente opus Rege Catholico, cessionem Antonij Cardinalis S. Praxedis, cui demortuo Antistite in Abbatiam vacantem ius erat, acceptauit: suppressoque perpetui Abbatis titulo, Monasterium arbitrio visitationi correctioni Reuerendissimi Generalis subiecit, vt primum Abbatem, triennio præfuturum, ipse renunciaret: cæteros deinceps Conuentus legeret, Generalis confirmaret. Anno tamen millesimo quingentesimo vndecimo Abbatiæ negotium nondum penitus erat confectum: nam quidam F. Michaël de Alzaga, cuius mentionem Iulius II. in Bulla facit, contra torrentem niti ausus, iter intendit Romam: sed in oppido Aguilar à sicarijs cæsus, litem diremit vita & causa cadendo simul. *Operi sanctissimo intercessit F. Michael de Alzaga, magno suo malo.* Quocirca Pontifex qualicunque hoc ubice sublato, Bulla sua, anno millesimo quingentesimo vndecimo, Calend. Septembris data, stari iussit. Cum iam nemo amplius tam sancto conatui intercederet, Monasterium se penitus Congregationi addixit: virisque egregie perfectis hactenus semper fluxit, quos inter merito P. Franciscum de Lesanco veneramur. item P. Menam, de quo Vallisoleti, vbi vixit aliquamdiu ac sepultus est, res admirandas, & in publica acta merito referendas, memorant: neque committemus nos vt viros tam præclaros tacite olim prætereamus.

* *
*

CAPUT IV.

Monasterium Beatissimæ Virginis de Valuanera.

Multum temporis in montibus Distercijs triuimus, nunc volupe esset plana repetere, nisi vicinum Valuaneræ Monasterium, & Diuæ Virginis prodigiosum signum, ad se nos inuitarent. Huius certe in Hispaniæ historijs prima fit mētio eo anno, quo Rex Leouigildus Cantabriam vrbem in ditionem redegit. Garibaius Valuaneræ memoriam ad annū quingentesimum septuagesimum secundum retro trahit. Atqui si de illa tum primū (quod aiunt) agi cœptum est, quando Leouigildus subacta Cantabriæ prouincia, etiam metropolim subegit: & si huic vrbi S. Æmilianus anno postremo exitium ominatus est, nisi ad frugem se reciperet, nos profectō propius scopum tangimus. Sed dispiciamus potius quo tempore Beatissimę Virginis simulachrum in hominum manus inciderit. Quidam ferunt sub Ferdinando I. Rege Castellæ, & Garcia de Najara, eius fratre. Alij Leouigildo bellum mouente Cantabriæ. Sed tam hi quam illi se in errorem induisse videntur. Nos rem altius, & quod aiunt, ab ouo repetamus ex Monasterij archiuo. Casus enim stupendus lucem historiæ accendet.

Garibaius l.3.c.21.

Quidam Munius Onnex (alijs Nunius) in monte nigro ortus, infamis à latrocinijs, montes Distercios insederat: viciniæ totius terror. Fors è lustro se promens obibat vias, si incautus viator obuiam se ferret, quem degluberet. Nam tondere tantum, latroni iocus erat. Postquam diu per notos tramites errauit, ecce tibi, homo agrestis duos ante se boues stimulis agens, aruum proximum culturus, illac iter intendit, ignarus sibi collocati insidias. Lupus in fabula. Libuit tamen nefario latroni speculari aliquamdiu post senticetum, & spectando hominem rusticum nonnihil animum oblectare. Colonus insigniter pius, antequam quicquam rerum aliarum ageret, genu vtrumque posuit, tum callosis manibus cœlo intentis: capite sublato, & oculis sublime hærentibus, *Supplico tibi, æternum Numen*, alta voce dixit: *supplico tibi, multiplica hæc grana, quæ sparsurus sum, vt familiam alere: pauperibus & Ecclesijs inde benefacere queam! Audi me, obsecro!* Iam dudum Munius prouolare: in virum inuadere: rebus vitaque exuere parabat: sed clementissimus Deus, bonis boni rustici verbis non secus quam sagittis, traiecit insidiosi latronis pectus, fecitque vt subito alter ab illo fieret. Sic quondam Saulus vincula & cædes spirans in Christianos, de cœlo tactus dedit manus. Igitur Munius vitæ rationes secum exigens, misertimo loco res suas esse sitas, vidit: miseriore futuras, nisi in tempore corrigeret. Perculit vehementer animum, tam se diuersum ab insonte agricola esse. Illum ingenti labore quatere aratrum: proscindere terram atque serere vt familiam sustentare, vt egenorum inopiam leuare, vt Ecclesijs & Ecclesiasticis aliquid impendere liceret: se autem ex sudore alieno victum sibi iniquissime conficere: mendicis, copiosis, Monachis, Clericis, omnibus nimium quantum grauem esse. Vbi deinde immania scelera, quibus affinem se fecerat, curiosius contemplatus est, labente in præcordia sanguine, tremulus inhorruit. Sine mora constituit secum, abrumpere scelerum funes quibus incinctus esset: agere pœnitentiam.

Archiu. Valuan.

Munius Onnez agricolæ tendit insidias.

Mutat mentem ictus exēplo pij aratoris.

Subiuit primo vna cum filio cauernam, ad fluuium Neyla, seu Najarilla, (corrupto nomine Tromuallum appellant, quod tres illic valles coëant) conspectam: at gnatus breui excessit è vita, nutu videlicet Numinis, ne patri longa ieiunia, vigilias, orationes, corporis afflictiones asperrimas molienti impedimento esset. Duram hic loci vitam per aliquot temporis spatium ducenti, Sacerdos (Dominico nomen erat de Brieba) dirigente Deo se adiunxit: graui peccatorum pondere pressum erexit: animos ei à clementia Numinis, à meritis Christi, à misericordia Matris Christi fecit. Flagitiorum immanitas, ac inde incussus menti horror, sæpe tantum in sceleratissimis mortalium suscitant dolorem, quantum in mediocriter malis raro videas. Incredibile dictu est quam semet oderint, abominentur, detestentur; quam vicissim amore Dei feruęant, ardeant, colliquescant, vbi primum lynceis oculis se contemplari incipiunt! Quare cum intelligant se à Creatore suo verso tergore quam longissime secessisse, præcipiti gradu ad eundem referre se anxie nituntur. Munius profectō noster tot annos per scelera fusos, compendio emendaturus, multo asperrimam vitam duxit, nihil sibi remittens: qua pia contentione non modo in culmen perfectionis euasit, sed etiam arcanorum cœlestium particeps est factus. Etenim huic viro D. Virginis de Valuanera sacrum signum debemus, quam Hispania tota insigni cultu prosequitur. Vallem hi montes vtrinq; arcebant,

In cauernam se condit.

Dei paréntis signû in quercu inuenit.

baut, quam *de las Veneras* (corrupte *Valnauera*) appellabant, nulla re ante id nobilem. Munius autem cœlitus didicit proceram ibi stare quercum & solidum continere thesaurum. Sed iret tantum, & quæ vertice toto supra alias quercus esset, conscenderet: in cauo foramine, quo arbor hiaret apertissime, Genetricis Dei signum inuenturum. Eximeret, ibique sedem poneret. It bonus iam vir: inuestigat: duce Deo ad quercum peruenit. Examinat studiose summa arborum culmina: deprehendit quæ altissime caput tollebat, argumentum cœlitus suggestum. Hæret tamen, & à capite ad calcem oculis obit ambiguus: sed animi pendere diu non potuit, quod liquidus fons è radice prorumperet, quem postea *sanctum* ob miracula dixere. Apum deinde conspexit ceream non sine fauo cellam, & emicantes patente de quercu radios. Ingens lætitia oboritur curiose singula rimantibus (nam Dominicus Sacerdos se iunxerat quærenti:) nec iam laborem, quo via senticetis implicita, sæpe ferro aperiunda erat, computant, sed cauum in antrum arboris enitentes, prodigiosam imaginem eruunt: tenerrime complectuntur. In tuto mel vestium collocastis sedulæ apes. Hæc de Domina perpetuo Ecclesia cantat: *Fauus distillans labia tua, sponsa: mel & lac sub lingua tua.* Thesaurum sic adepti, propter arborem fixere sedem perfusi gaudio, tam præsenti Dei matre sibi frui licere, non frustra operam à se sumptã dictitantes. Postquam alij, quoque resciuerunt, teri locus cœpit, adeunte quoque Munij sorore, cui luminibus cassæ maiet infimorum restituit lucem.

Cant. 4.

Mox Eremitæ se adiūgunt.

Fama miraculi huius aliorumque per regionem dilapsa, vndique multitudinem exciuit, è qua multi non tantum visendæ Virginis ergo, sed etiam iuxta habitandi gratia accurrebant, nec illos vel loci asperitas, vel inculta rupium facies auertebat. Tempore non multo centum & sex, positis è truncis ac ramis circum tugurijs, vitam Eremiticam complexos, tabulæ testantur. Quibus fors vasto hiatu speluncam, vel densis virgultis præcinctum antrum offerebat, subibant, nec aliud spectabant, quam vt aduersis tempestatibus corpora subducerent. Nam illis hi montes creberrime infestantur. Sex dies solide suis in latibulis orando, legendo, contemplando trahebant, herbis & radicibus vitam tolerantes: die Dominico è specubus, cauernis, antrisque emergebant: in commune Oratorium Beatissimæ Virgini excitatum confluebant: peccata expiabant: sacram

Diuersi habitaut:

Dieq; solis conueniunt.

Euchatistiam sumebant, refectique ad suum quisque latibulum properabant, fundentes Deo gratias, à quo tam bene habiti fuissent. Hem quanti boni caput latro fuit, cœlo disponente! Hic vero in speluncam, qua vix asperior in Iberia altera est, se abdidit, quam dum hodie adeunt religionis ergo peregrini, suspenso supercilio stant defixi & obstupescunt, quemquam mortalium id loci incolere potuisse. Cauerna enim profunda est, tenebricosa, non exesa vetustate, vel à rupis genio depressa, sed ipsius Munij opera in squallidũ carcerem modum elaborata.

Munij egregia in rupe domus.

Lectulum excipiendo corpori, vigilijs fatigato, eadem arte sibi fabricauit. Locus frigore inclementer affligitur: soli inaccessus est: nisi quod luce perfusus fuerit quotidiana splendidiore, cum beatam is animam ederet. Postquam ad Superos abijt, fructus pœnitentiæ percepturus. Dominicus Sacerdos funus duxit, prosequentibus mœstissimis Monachis, sponteque sua quati visum æs campanum. Ante mortem sanciuit, ne in Monasterio vel Diuæ Virginis sacello se sepelirent, quod indignus loco esset: infra rupem, fere quinquaginta passibus à sacello distantem, patere patuam caternam: ibi corpus abstruderent. Hodie à S. Cruce nomen habet, cultu nostri Munij nobilis. Sub hæc sacra statua latius eunulgata, inuisi frequentius cœpit: plures quoque Eremum illam occuparunt, quam angusta Ecclesia potuisset admittere. Quocirca sacellum maius (chorum appellant alij) addiderunt, lateribus quoque per duo sacella alia extentis, quam formam hodie quoque refert. Dominicus, vita integerrime functus, in Monasterio conditus est, cuius memoriam nulla vnquam vetustas abolebit. Hæc calamis concordibus referunt historici, suntque ex antiquissimo huius Cœnobij libro deprompta, in quo folia non minus tria desiderantur, deinde hæc subijciuntur: *Post obitum Regis Garcia regnauerunt filij eius.* Ideoque multi animum induxerunt vt crederent, Garcia de Najata imperante imaginem repertam esse. At multo ante id accidisse, Priuilegium docet, ab Alphonso VI. Era millesima centesima tricesima, nimirum anno à Virgineo partu millesimo nonagesimo secundo, concessum, quod cum multa etiam alia de hoc Monasterio exponat, huc afferre consilium est.

Et sub rupe Mausoleum.

* *
*

Tabulæ donationis Regis Alphonsi VI. domitoris Toleti, datæ Monasterio Valuaneræ.

IN nomine sancta & indiuidua Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus sancti. Ego Aldephonsus gratia Dei, & non meis meritis, Hispaniarum Rex, Filius Fredilandi Sanctij, serenissimi Regis, vna cum dilectissima coniuge mea Constantia Regina, dum donante misericordia Dei omnium bonorum inspiratoris ac donatoris nobiliter ac feliciter regerem apicem regni mihi à Deo concessi, placuit mihi, & optimum dignum duxi, vt sicut pietas supremi Regis me honorificauerat ac decorauerat sublimitate regali, ita & ego pro posse & scire intra omnes fines regni mei amplificarem & augmentarem culturam ac decus ipsius diuini & multum colendi & amandi seruitij. Cui diuina causa dum assiduo studio ac felici labore peruigil cum omnibus primatibus ac nobilibus regni mei insisterem, & auxiliante diuina clemētia multa ad laudabilem effectum perducerem, inspirante inspiratione Spiritus sancti venit in memoriam mei cordis, vt sicut catera Monasteria ac templa, qua Omnipotentis Dei seruitio restituebam ac reformabam, ita etiam Ecclesiam in honorem sancta Dei *Genetricis* Mariæ, *ab antiquo tempore fundatam, & in monte qui vocatur Distercij, in valle Venaria positam, iam pene à sua quondam nobilitate deiectam ac minoratam, ego pro honorificentia Omnipotentis Dei suo pristino & antiquo honori ac decori redderem: & etiam maiori & ampliori amplitudine decorarem: Mando & concedo, vt huius Monasterij pecora commune habeant pastū cum villa Matute, & Tubia, & Villanoua, & Anguidanos &c. Et mādo vt de collato de Campastro vsq; ad vallem de Zankos. & de eadem villa sursum, vsq; ad Pinellu ad Iussum, vsque ad collū de Campastro. Et mando vt nullus hominū aliquem laborē facias intra hos terminos, sed sit ad pastum pecorū Monasterij. Qui vero hanc prohibitionem nostram infringere prasumpserit, & intra hos terminos aliquem laborem facere tentauerit, tres mille scutos reddat regio exactori. Mando etiam vt sicut in die Congregationis prafata Ecclesia constitutum est à Domino Sancio Episcopo, & à Domino Garsea Episcopo, & à Domino Gomesano Episcopo, & à Domino Abbate Dominico, vt nulla fæminarum intraret istum terminum, ita nunc constituo & confirmo, vt nulla ibi introeat, quod si introierit, capiatur vsque dum reddat sexaginta solidos procuratori Regis. Reddo etiam predicta Ecclesia vnam Ecclesiam sitam in Villanoua, in honorem sancta Maria dedicatam, cum suis exitibus, & ingressibus, cum terris & vineis, & cum omni sua hareditate, quam vsque ad prasens tempus comparauit, vel pro viuis & defunctis acquisiuit, & quod deinceps per aliquam donationem vel comparationem acquirere poterit. Habeat etiam potestatem amplificare suos labores in omnibus vicinis montibus; & habeat communem pastum cum Villanoua & Anguidanos. Et habeat potestatem piscandi in riuulo de Nagerilla vbicunq; sibi placuerit. Qui ergo hanc meam donationem vel cōfirmationem frangere prasumpserit, inprimis iram Dei incurrat, & cum diabolo partem habeat, nisi cum digna satisfactione emendauerit. Hac autem scriptura in perpetuum firma permaneat. Facta est charta ista in Era* M. C. XXX. *die Kalendarum Maiarum in Monasterio S. Saluatoris Oniensis.*

Alphonsus VI. Valuaneram instaurat.

Ego Aldephonsus Rex hanc chartam fieri iussi, & hoc scriptum confirmans, & testibus ad roborandam tradidi. Ego Constantia Regina confirmans. Raymundus gener Regis confirmans. Gomesanus Burgensis Episcopus confirmans. Petrus Najarensis Episcopus cōfirmans. Garsea Ordoniz confir. Iohannes Abbas prafati Monasterij Oniensis, cum omni Congregatione mea confirmans. Garsea & alter Garsea germani filij Sanctij Regis Najarensis. Ferdinandus & Raymundus confir. Antolino Nuniz confir. Comes Lupus Alauensis conf. Aluarus Didaz conf. Gonsaluus Nuniz confir. Didacus Sangiz confir. Tello Didaz Prapositus Regis, confirmans.

Ex harum litterarum exordio conijcias Diuæ Virginis imaginem de Valuanera non esse inuentam, Garcia ad regni clauum sedente. Cum enim Alphonsus VI. eius fuerit nepos, tantum temporis interuallum intercedere non potuit, vt hisce verbis locus esset: *Ecclesiam S. Dei Genetricis Maria ab antiquo tempore fundatam.* Item *à sua quōdam nobilitate deiectam ac minoratam.* Magna enim vti non subito nascuntur, ita nec cito occidunt: immo longæ vix ætati succumbunt. A donis in Monasterium Valuaneræ à Rege Garcia collatis vsque ad hoc priuilegium ab Alphonso concessum, triginta ad summum effluxere anni, quod ex monumentis donationum apparet: quo pacto autem tantillo temporis spatio nobile opus tam variam potuit subire fortunam! Antiquiora proinde tempora indagant sagaces. Neque in eorum concedo sententiam, qui statuam hanc regnante Leouigildo inuentam esse sentiunt. Etenim Munius, Onéz nomen & cognomē, illis sæculis

qui-

quibus Gothi rerum Domini erant, plane ignota fuerunt. Deinde Eremitorium, in quo vitam duxit Munius, S. Columbæ Virgini dicatum erat, à qua Rioja tanto studio dependet; hæc autem martyrium Cordubæ passa ante non est, quam Mauri Hispaniæ bonam partem subegerunt. Addamus etiam id quod magis nos mouet; historiam anno millesimo ducentesimo octogesimo secundo Abbates post imaginem beatissimæ Virginis in quercu deprehensam, octodecim numerare. At si quis tempus à Leonigildo lapsum computet, multo plures facile admittet. Non tamen otiose aërem è spongia exprimunt, qui contendunt Rege isto imperante statuam ex arbore fuisse depromptam. Quippe legerant Leouigildo per Riojam aut Cantabriam iter habente, sacram statuam fuisse cultam; sed illico confusis temporibus, eiusdem inuentionem ad huius Regis ætatem male retulere. Nobis vero omnia ad tabulas, & monumenta, cõtinuam memoriam Monasterij, nec non ad historias de Hispania editas exigentibus, aliam in sententiam est discedendum, nimirum sæculis antiquissimis, adeoque non tantum Gothis imperantibus, aut ijs annis quos nunc volumus, sed etiamnum Romanis rerum Dominis, quoddam Genetricis Dei simulachrum montibus in Distercijs magno in precio fuisse, & Leouigildo hanc prouinciam ingresso, etiam à Gothis, quantumuis Arianis, cultam. Succedentibus deinde Mauris, ac templa cum imaginibus pariter vrentibus, Christianos huic Matris Dei signo timentibus, id è templo sublatum, in secretam quercum abdidisse: Hispania denique, pulsis Mauris, restaurata, à Munio Oñez, duce Deo, repertam. Cum historia certum non ferat annum, quo id factum, non assignare, non audemus. Saltem ex argumentis supra allatis appatet, Ferdinandum & Garciam Reges, hoc Asceterio posteriores fuisse. Cum chartas & libros ibidem volueremus ac reuolueremus, casu in Regulam S. Benedicti Gothice scriptam incidimus, eram nongentesimam nonagesimam secundam (seu annum Christi quingentesimum quartum) referentem, vna cum hac appendice, *Regnante Ordonno & Comite Ferdinando in Castella.* Iste vero Ferdinandus Gonsalez auus Regis Garciæ de Najara fuit. Quis proinde hæsitet, Monasterium Valuaneræ multo ante Ferdinandum Castellæ Comitem, & Garciam Regem de Najara stetisse? Regulam S. Benedicti obseruasse? floruisse? Vetustus hic liber alium mihi in memoriam reuocauit, ablatum in Monasterium Escuriale, cuius mentionem Morales facit. Nimirum Biblia sacra erant, longo æuo trita, charactere Gothico exarata. Margines vero (quod merito magni æstimat Morales) varias editiones, ac translationes Aquilę, Theodotionis, LXX. Interpretum exponit: verba græca ad latina comparat: luculento profecto indicio, varia eruditione hic loci imbutos fuisse Monachos.

Statua B. V. in montibus Distercijs longe antiquissima.

Moral. l. 17. c. 48.

Vetusta monumenta præter Munium & Dominicum, qui magnum decus Monasterio addunt, Enneconem Abbatem VI. à miraculis in vita & post mortem patratis illustrem, memorant. Sed repertũ viginti quatuor primorum Abbatum syllabum, vna cũ adiunctis Epithetis, consilium est luci ac tibi dare: alicubi tamen nec diem nec Consulem videas, adeoque annos desideres quibus lecti, vel fato defuncti sunt. Etiam te monemus, non paucos Abbates obliuione deletos, à nobis præteriri debuisse, quam veterum incuriam resarcit recentiorum diligentia. Catalogus enim Abbatum qui post Reformationem rebus præfuerunt, integer est.

Sidus Monasterij etiam Enneco Abbas fuit.

SYLLABVS ALIQVOT ABBATVM,

Quos antiquissima charta produnt.

1. Sanctius. Bonus Abbas.
2. Dominicus.
3. Munius. Pietate insignis.
4. Munius. Excellens administrator.
5. Aluarus. Multum vtilis Monasterio.
6. Enneco. Valde sanctus.
7. Lupus. Alti sanguinis.
8. Iohannes. Amabilis & rectus.
9. Velascus. Pater venerabilis.
10. Dominicus. Bonus Abbas.
11. Gomecius. Doctissimus, & gratus.
12. Dominicus. de Castro veteri. Vtilissimus Monasterio.
13. Mames de Alarcon. Ore ac moribus spectabilis.
14. Petrus de Najera. Mansuetus & misericors.
15. Iohannes de Terrero. Valde auxit Cœnobium.
16. Petrus de Vanguas. Gratia & virtutibus clarus.
17. Nunno.
18. Iohannes II. Vir egregius: à Monachis multum amatus. Archiuum hoc tempore etiam Iohannis Sanz Abbatis meminit, de quo chartas Era millesima trecentesima secunda verba facere aiunt. Sed nostrum non est, Catalogo interpolato, seriem mutare.

19. Lupeticus. Motum honestate clatus.

20. Velascus. Magno ingenio præditus: de Monasterio bene meritus.

21. Petrus de Anguiano. Pro seruitio diuino multum laborauit.

22. Martinus. Homo dexter.

23. Rodericus de Matute. Nobilis sanguine, & vita.

24. Sanctius de Ordoña. Vir generosus. Multis è chartis liquet, Rodericum de Portugallia Abbatis titulo insignem fuisse. Cur autem à Dominico de Castro, qui in munus ei successit, & Catalogum Antecessorum contexuit, fuerit prætèritus, non facile expediuerimus.

25. Dominicus de Castro. Floruit sub annum millesimum, quadringêtesimum vicesimũ nonum. Hic historiam inuentæ statuæ Matris Dei memoriæ prodidit. Nunc Catalogum ab isto Abbate destitutum, qua licet, prosequamur. Multos obliuione sepultos esse, pro explorato habemus.

26. Iohannes, Era 1433. Regis Sacellanus.

27. Iohannes de Otel, an. 1448.

28. Sanctius Perez, an. 1487.

29. Petrus Fernandez de Arteaga. 1490.

30. Petrus de Anguiano, Regis Sacellanus. Hic quidẽ Monachos suos noua Congregationis Vallisoletanæ disciplina imbui permisit: ipse tamen caput suum Reformationi subducens, Anguianum secessit impositis Valuaneræ Vicariis, qui disciplinam curarent.

31. Dominicus de Sobratias, è Monte Serrato accitus. Præfuit tres annos.

32. Petrus de Arenzana, ex Præside Valuaneræ factus Abbas, Diegonis de Toro opera, an. 1530. accersitus è Monasterio S. Æmiliani.

33. Martinus de Artiaga, à Monachis lectus, an. 1535. Cum elapsu triennio ex lege & more Congregationis magistratu sacro abiuisset, agentibus iis, quorum intererat, eundem adhuc bis gessit.

34. Martinus de Rasillo. Abbas renunciatus an. 1544. quo munere quattum functus est.

35. Martinus de Velorado, electus anno 1553. Tribus lustris, sed interpolatis, præfuit.

36. Andreas de Lizana. A Monte Serrato petitus, an. 1559.

37. Franciscus de la Arena, an. 1565.

38. Prudentius de Calahorra, an. 1568. sexennium præfuit.

39. Antonius de Abalos, an. 1580.

40. Petrus de Torrecilla, 1586.

41. Hieronymus de Cannas an. 1589. Monasterio ter præfectus.

42. Ferdinandus Marron, à S. Saluatore de Onna postulatus, an. 1592.

43. Iohannes Salcedo, 1598.

44. Laurentius Nieto, re in Monte Serrato egregie administrata, Valueranæ desiderium sui excitauit, an. 1601. A Philippo III. Episcopus Alensis renunciatus.

45. Bartholomæus Matute, Visitator generalis, Abbas creatus, an. 1602.

46. Benedictus Marin, an. 1607. electus.

Præter Monachos etiam quamplurimos Eremitas hi montes numerabant, qui cum alijs huius Cœnobij Religiosis vitam sanctissime traducebant. *Locum sacrum* appellant, partem ambitus Monasterij, vbi sepulti simul sunt. Ferunt hanc quoque tam celebris tituli causam, quod cadauer illatum octo dierum spatio in pulueres abeat, solis ossibus relictis. Nec ita multi fluxere anni, quod Monachus rei experiundæ cupidus vna cum tribus alijs Clerici tumulum exhausit, idque factum nono die ab eo, quo conditus fuit. Præter nuda ossa nihil comparuit. Ad huc Cœmeterium tam sæculares quam Monachi vehementer olim adspirabant, quando sibi expirandum esse sentiebant. Sed cum mihi sæpe auditum sit, in templo maximo Vallisoleti, inque Parochia de la Antigua sepulchretum esse, hospitali Esgueua assignatum, vbi citius octiduo cadauera consumantur, nihil hic pro miraculo extrudo. — Monachorum & Anachoretarũ feraces montes Diserciij.

Viris illustribus huius Monasterij, quidam Athanasium Monachum adiunxerunt. Cum enim animaduerterent ab anuis longissime retroactis semper hic cultum quendam Athanasium fuisse, neque causam vel originem venerationis perspicerent, diuinare ausi duos finxere Athanasios, quorum vnus imperante Constantino Magno Archiepiscopum Alexandrinum, alter Monachũ huius loci egerit, grandi profectu errore. Non enim alius quam Archiepiscopus Alexandrinus hic coli consueuit, cuius signum in ara maxima infra Virginem prostabat. Etiam hoc te vincat, altare aliud S. Athanasio dicatum, res eius cum Ario gestas & miracula patrata ad amussim exponere. Quo igitur iure quis sanctum hunc Archiepiscopum limine pellat, & non notum introducat Monachum? Hoc certe telum exire nõ potest, sed manus nobis dabis, eo quod antiquum Monasterij Martyrologium, vitam & peregrinationes S. Athanasij referens, *sanctissimum Patrem nostrum Athanasium, Episcopum Alexandrinum* appellat. Insuper quouis die Martis, nullo alio Diuorum — Valuanera S Athanasio denota.

intercedente, sacra officia Valuaneræ de S. Athanasio, Doctore & Archiepiscopo Alexandrino, fieri solebant de more Ordinis nostri, qui eum diem Diuis tutelaribus cedere consueuit. Præterea inter Sanctorum commemorationes, quæ Laudibus ac Vesperis connecti solent, in Monasterio Valuaneræ locum S. Athanasius Alexandrinus habet, cuius vestem sacrificam, vulgo Casulam, sacristia religiose seruat, quam si tu Fratri & coquo laico inieceris, quod aliqui fecere, prius risum sapientibus moueris, quam persuaseris. Error autem longe grauior fuerit, in animum inducere, Athanasium Magnum Ordini S. Benedicti deberi, cũ is anno trecentesimo septuagesimo secundo humana absoluerit: S. Benedictus vero quadringentesimo octogesimo vita primum frui cœperit. Inquirendum igitur nobis est, quorsum huic Ecclesiæ Grecæ Doctori tantus in Monasterio Valuaneræ cultus sit habitus: vnde animorum propensio tanta?

Non fuit monachus S. Benedicti Athanasius.

Arium cardine verso Ecclesiam Catholicam adortum Imperatore Constantino Magno, nemo nescit. Huius se hostem acerrimum Athanasius professus est, Archidiaconus imprimis Alexandrinus: deinde Secretarius Alexandri Archiepiscopi: demum Archiepiscopus ipse. Multis annis sedem Alexandrinam sic tenuit, vt infiniti labores ei fuerint exhauriendi. Nec enim ab Episcopis tantum Arianis grauiter vexabatur, sed etiam à corruptis hæresi Imperatoribus, perpetuis fere exilijs actus est, illorum profecto numero habendus, qui pro fidei Catholicæ defensione quam maxime desudarunt, ac vltima perpessi sunt. Pleni sunt libri: plenæ historiæ. *Ingens liber conficiendus foret*, inquit S. Gregorius Nazianzenus, *si quis laudes, in excellentissimum hunc Sacerdotem a Patribus profusas, colligere vellet. Quanta hasitaret lingua, quæ initas cum hereticis velitationes, Constantino imprimis & Constantio Imperatoribus: deinde gesta cum ijsdem decretoria bella Iuliano & Valentiniano sceptrum Romanum torquentibus, expedienda sibi sumeret. Audacter affirmo, post Apostolos neminem in Ecclesia Dei sinceram fidem acrius & diutius propugnasse, nec eius causa duriora tulisse. Igitur Magnus profecto & valde Magnus Athanasius est.* Enimuero Alexandriæ nonnunquam persistendum erat, ac premendi insultantes hæretici, simulque subeundi carceres: tolerandus squallor: perferenda fames, sitis. Alias è custodia emissum, orbe toto proscribebant. Aliquando se ipse in sepulchra & cauernas abstrudebat: subinde in deserta & montes se subducebat, captando prouolandi occasionem. Hoc toties ac tam diu factum, vt Ruffinus vbique exagitatum, vndique fugatum, asserat, nec vllum mundi angulum, quamuis in omnes se partes verteret, fugienti securitatem præstare potuisse Tribunos, Præfectos, Comites, etiam exercitus ab Imperatoribus excitatos, ad vestigandum latitantem. Latori capitis adempti (viuus si comprehendi nequiuisset) prœmia proposita: sed frustra Imperatores suas in ipsum consumptisse vires, Deo scutum obijciente. Narrari, sex annos in exhausta cisterna sine sole, sine luna, delituisse. Addit, ancillam secreti consciam ab hero submissam, quæ famelico quandoque annonam suggereret. Quia vero hic sexus id solum tacet, quod nescit, ab eadem temere proditum, vt fuga illi ineunda denuo fuerit.

Multa pro Ecclesia Dei fecit.

D. Gregor. Naz. orat. in laudem Heron.

Multaque tulit.

Ruff. l. 1. c. 18.

Hæc cum ita, à maioribus suis continuis sæculis accepere Valuaneræ Monachi, etiam huc fuga delatum, suique memoriam ac venerationem loco reliquisse. Monasterium aspero & confragoso monti coniunctum est, cuius ad verticem, si efferre te velis, aliquot leucas conficias oportet. Quamuis autem hodie arbustis & senticetis excisis, eminentibus item radicibus excussis, via pateat, difficilis nihilominus ascensus est, etiam reptantibus ægre superandus. Qui descendunt, plane in casum pendent. Quippe Cœnobium profundæ valli, nec non angustæ, insidet, quod sol hybernus vix radijs extremis aspergit. Res summa admiratione digna, iam sæculis illis antiquis fuisse, qui mulcentem mundum fugerent: hisce iugis inhospitalibus se conderent. Sanctus Athanasius quoties fuga intendenda erat, solitudinem petebat, secretos inter Eremitas, si res ferret, tempus positurus. Ita in Ægypto illis se miscuit, vbi nactus occasionem sancti Antonij captandi, dicta factaque eius stylo elegantissimo consignauit. Cæterum montes Dístercij à Pyreneis, quos sanctus Athanasius incoluisse fertur, profusi sunt. Cum igitur nullibi tanti hospitis magni, quanta Valuaneræ, vestigia reperiantur, quod sciamus, vero simile putant, hic loci consedisse. Pro teste etiam adducere solent rem prorsus stupendam, & quam nemo facile assequatur, nisi in S. Athanasium, quondam incolam, referat.

Fama est Valuaneram peruenisse.

Cum enim Deus non absque graui causa miracula faciat, grande arcanum huic rei quam narrabimus, subesse oportet. Nullus namque labitur mensis, dies, hora, quin contingat id, quod summa admiratione dignum foret, si semel in anno visueniret. Olleti in Hispania (quam vrbem veteres

Iuliam

Iuliam Constantiam dixere) vespera Resurrectionis Dominicæ Baptisterium quotannis vi quadam diuina repletum vndis narrauit, quod S. Gregorius Turonensis narrat. Sed hoc semel in anno: certo die: tandemque desijt. Si iuuat etiam in Orientales Indias vela facere, celebris ciuitas, cui Cbranganor nomen, à Lusitanis in potestatem redacta, saxum in promptu habet, martyrio sancti Thomæ nobile, quod octauo à Paschate die sanguine fluit, dum verba Christi, contumaciam Apostoli perstringentis atque ad se inuitantis, hæc recitantur: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Durat etiamnum portentum, sed vice non sæpius vna per annum spectabile, cuius generis alia quoque alibi miracula videre licet: verum, vt diximus, semel duodecim mensium spatio. Nostrum vero, quod tractamus miraculum, & antiquissimum, & recentissimum, verbo, quotidianum est: sed ne diutius suauem tibi moueamus, hoc est. In Monasterio Valuaneræ culina stat, peregrinis & hospitibus diuersantibus, nec non pauperibus & familiæ domus semper prompta, quam ideo *sanctam* nominant. Ignis hic, si vllibi, perpetuus est, die noctéq; vt plurimum splendente foco. Culina autem cum sit amplissima, bene magnas ligni strues quotidie consumit: immo subinde onustos carros: nunquam tamen plus cineris reliqui facit, quam prunæ obuelandæ satis sit. Multæ per Cœnobium culinæ aliæ de eadem sylua ardent, stipitibus etiam paucioribus suggestis, negotium tamen coquis facessunt cinerum accrescentes cumuli, qnos identidem amoliri coguntur. At è foco *culinæ sanctæ* ne discum quidem plenum abstuleris, quasi superfit. Neque hic finem miraculo culina facit: in quemcunque enim vsum hunc cinerem vertas, ab ingenio cineris descissit. Si candelabra, si scutellas, si cantharos eo perfusos defrices, non solum operam perdes atque cineres, sed etiam candelabra, scutellas, cantharos. Si lixiuium inde confectum, adhibueris candefaciendæ telæ, denuo laterem laueris. Nam fœdas tela maculas imbibet. Sine labe vel exitio cinis iste nihil abire finit. An quia ad certum mysterium à Numine destinatus, hoc solo fungi officio vult, non trahi alio! Rem tam inauditam, nouam, inuisam, sæpe nobis Monachi, Donati seu Conuersi, famuli, bona fide Valuanetæ, quo aliquoties diuertimus, recensuere. Quid? Hispaniarum Regina Isabella, fumos sibi hac de culina vendi rata, eo iter suscepit, culinam intrauit: rogum struì ac incendi iussit: focum indidem instaurando spectandoque multum temporis combussit: scena demum absoluta, non plus cineris inuenit, quam cum ingressa esset. Hocce periculum fecere quoque multi alij, ac hodie quoque faciunt. Miraculi testes sunt, si produci cupias, Logronium, Najara, San Domingo, vicinæ vrbes: Rioja tota: è Castilia, è Nauarra, vndecunque aduolantes peregrini: neque tot nos verbis affirmaturi essemus, nisi compertum haberemus. Huius prodigij originem & causam tam Monasterium quam circumiecta ditio in S. Athanasij aduentum ac moram ibi tractam reponit. Si enim is solidum sexennium cæca cisterna se condidit, quo nec soli nec lunæ via patuit, quod Ruffinus asserit, non fuerit vero admodum dissimile, in hæc loca delatum, secura, tuta quippe, magnam partem niuibus sepulta, ita tempus inter Eremitas contriuisse, vt ardens charitate tam in socios quam pauperes, opus fecerit in culina. Hæc quidem incolæ & accolæ in ore habent: sparsum toto orbe Athanasium, huc quoque penetrasse: sibi, Anachoretis cæteris, pauperibus, syluestres hic loci dapes parasse. Addunt, cineris copia frequenter impeditum ac detentum, precibus Deum appellasse, vt hac se molestia absolueret, ne dum hac illac effusos puluetes conuerteret, colligeret, efferret, orandi, contemplandi, legendique pensum accidere cogetetur. Voti mox compotem factum: nec aliam esse *culinæ sanctæ* originem. Ad nos quod attinet, rerum precium nec augemus, nec imminuimus. Certa pro certis, dubia pro talibus narramus. Id quod in coquina quotidie visuenit, candide, vereque exposuimus: Sanctum Athanasium exilijs actum profugisse in Hispaniam, nemo historicorum veterum in literas misit. Maiores minoribus, senes iuuenibus tradiderunt, & etiamnum tradunt. In traditione & coniecturis hæc sita res est. Tu in vtram vis sententiam ito, per nos licet. Argumentis tamen Monasterij pondus inesse ad faciendum S. Athanasio festum, inficias ire non potes.

Insuper pro miraculo memorat, nullam fæminam voti soluendi & sacræ imaginis colendæ gratia, huc profectam, vltra nouem dies noctesque (nouenas appellant) in Monasterio absque graui infortunio hærere posse. Quasdam temere produxisse tempus, sed vel damno aliquo affectas, vel morte extinctas. Sed cum experimentum capere hodie nulla velit, nitendum

S. Gregor. Turon. de glor. Conf. c. 23.

Valuaneræ culina sancta:

Eius origo ad Magnum Athanasiũ refertur.

Fæminarum nulla vltra nouem dies, voto persoluendo præscriptos, in Monasterio manserit incolumis.

tendum iterum malorum relatione est. Monachi superstites à senioribus se suis accepisse ferunt, dira olim peste per montes stragem edente, quandam fœminam Anguiano oriundam vna cum patua filiola huc pedem tulisse: Nouenas peregisse. Conditis iam nouem diebus totidemque noctibus, hospitio Monasterij excessisse, at sobolem dulci somno incumbentem, ibidem reliquisse, taram ad teneram ætatulam seueram illam legem haud pertinere. Vbi reuertisset suam filiolam repetitum, exanime corpusculum repperisse. Numnam præter antiquissimam traditionem historiæ quoque facem Alphonsi VI. tabulæ accendant! *Mando*, inquit Rex, *vt sicut in die Congregationis prafata Ecclesia constitutum est à Domino Garsea Episcopo, & a Domino Gomesano Episcopo, & à Domino Abbate Dominico, vt nulla fæminarum intraret istum terminum, ita nunc constituo & confirmo.* Nec solum huic sexui nefas erat limen terere Monasterij, sed multo tempore ad quartam leucæ partem, fixis circumquaque crucibus arcebantur, donec Pontifex adeundi potestatem ea lege fecit, vt peractis nouem diebus pedem referrent. Imprimus igitur sancitum fuit, fœminas non admittere. Virginis postea salutandæ causa patuere illis fores, sic tamen vt lapsis nouem diebus mox se amouerent. Inde mentibus penitissime opinio insedit, periculum adire quæ diutius hærerent. Exempla, quæ prouocatus Deus in audaces & temeratias statuisse visus est, opinionem confirmauit. Hæc cum ita, nobis persuademus: pertæsos mundum Anachoretas huc secessisse: vitam sanctissimam vixisse: qui si deserta Ægypti coluissent, vel habuissent qui documenta virtutis & specimina sanctitatis, quæ dabant, calamo excepissent, orbe toto celeberrimos futuros fuisse. At Bonum Numen historicorum vicem miraculis expleuit, quæ in hoc terræ palmo alpibus incluso patrat, vt seruos suos in famam æternam euehat, quorum lucem in culina sancta extingui nunquam permittit.

Plus virtutis quã auri Valuaneræ fuit. Porro Reges tot prodigijs, nec non incolarum admirabili innocentia prouocati, ingentibus meritis Valuaneram obruerunt: velun Rex Garcia de Najara, Regis Sanctij Maioris filius: Regum Castellæ celeberrimus Alphonsus VI. cui nobile cognomen *de la mano horadada*, seu manûs perforatæ, liberalitas fecit: Alphonsus VIII., victoria de las Nauas de Tolosa immortalis: Alphonsus Rex Aragoniæ (quem nonnulli septimum dicunt) ascita in totum Vrraca, Alphonsi VI. filia, regiæ munificentiæ non paucâ monumenta hoc in Cœnobio statuit. Tabulas donationum ad calcem reiecimus, ne te hic moraremur. Locus quidem religione semper magis polluit, quam opibus, sed tamen hæ quoque adfuerunt. E fortunis ad alios vario casu dilapsis adhuc Anguianum & Cneuas, non vltimæ notæ oppida, tenet. Villanueua in patuum prædium desijt. Philippus II. beneficia ab Antecessoribus suis collata, confirmauit: annuam pecuniam in septem lampades ante Aram D. Virginis suspensas impendendam, addidit. Cum enim anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo peteret Aragoniam, ad Monasterium Ordinis sancti Hieronymi, (Stella nomen est) flectens, in morbum incidit. Sudantibus medicis, tertio die certum hominem Valuaneram misit, qui sibi aquam è fonte sancto Beatissimæ Virginis haustam afferret, quam non modo bibit, verum etiam subigendo in cibum pani adhibuit: conualuit: Magnæ Matri septem lampadibus gratias retulit: in qua ornanda Philippus Infans suam quoque operam posuit, tam Matrem quam Filiolum aureâ corona donando. Script. 24. 25. 26.

Alexander III. Innocentius III. Gregorius VIII. Clemens V. Summi Pontifices, magnam quoque loco dignitatem collatis indulgentijs confirmatisque possessionibus conciliarunt. Bulla certe Innocentij III. quæ omnes Ecclesias & Monasteria Valuaneræ subiecta complectitur, à nobis prætereunda haud fuit, quam proinde Regum Priuilegijs à fine addidimus.

Diues sacris lipsanis est Monasterium. Cæterum diuisatum per Aras Sanctorum Reliquiarum magna copia est, è quibus maxima bene magnam partem S. Crucis habet: frustum, de mappa Cœnæ Domini resectum: aliud de sepulchro, iterumque aliud de columna facta excussum. In promptu quoque est sancti Athanasij, Tutelaris Diui, caput vna cum lingua. Eiusdem casulæ, quam Sacristia seruat, superius meminimus. Item hic brachium videas sancti Ildephonsi (qui sacram imaginem stupando etiam hodie Matri castissimæ obsequium præstat:) Sanctorum Petri, Pauli, Philippi, Iacobi, Bartholomæi, Iohannis Euangelistæ, Iohannis Baptistæ, Stephani, Martini, Æmiliani, Medelis, Cheledonis, Quiricij, Iuliæ, Cæciliæ, Cypriani, Christophori, Felicis: quibus digitum iunge sancti Iacobi Zebedæi. Altari sancto Michaëli dedicato terram è spelunca

hau

haustam, in qua is conspiciendum se obiecit, imposuere. Priuilegiorum tabulæ in Hispania frequenter Reliquias sancti Michaëlis præferunt, quæ nisi è Gargano monte petitæ sint, diuinare haud possumus vnde sint. Præterea idem altare tibi quoque expedit ossa sancti Patris nostri Benedicti, SS. Antonij Abbatis, Iulianæ, Iuliani, Basiliæ, Sebastiani, Eulaliæ Barcinonensis. Altare aliud D. Andreæ Apostolo sacrum, lipsanis ss. Facundi, Clementis, Iusti, Pastoris, Laurentij, Cosmæ, Damiani, Seruandi, Germani, Prudentij, Dominici de Silos, Iohannis de Ortega, instructum est. Etiam ara in specu, quæ Munij Onnez mausoleum est, (s. Crucem sub Rupe appellant) huiusmodi thesauro est diues. Omne tamen precium fatigant spinæ non minus tres de corona, quæ sacrum Domini caput incinxerat, decerptæ. Si Monasterium de la Espina, Congregationis Cisterciensis, magnæ sibi gloriæ ducit, vnam solam possidere, tribus merito triumphat Valuanera.

Pro thesauro incomparabili statuam Diuæ Virginis habet. Nobilissimum porro spectaculum præbet magnæ Matris statua, à plangente ac scelera in specu expiante Munio detecta. Altare ita cum quercu (felici arbore!) commissum est, vt Beata Virgo illius verticem premere videatur. Thesaurum hunc, si recte rationes subducas, maximi profecto facies. Nam inuenit latro, sceleratum quondam caput; post à clementissimo Deo in gratiam receptus. Locus non obuius, non apertus est, sed arcanus admodum: soli fere ac lunæ impenetrabilis. Ori nescio quis occultus vigor ac sensus arte maior insidet. Miracula quæ facit, non tantum quotidiana, sed etiam ordinem excedentia sunt. Etsi vero *vbique in spiritu & veritate adoretur Deus*, nemo tamen inficias iuerit, loca eum capere quædam singularia, vbi velit coli. Montes cæteris anteponere consueuit, Sione & Carmelo testibus, vnde *Deus montium* ab Assyrijs est appellatus. Filium imitatur Mater: colles & montes amat, quam si velis familiarius conuenire, bue concedendum est. Rupes Franciæ, Mons Serratus, Montes Distercij scandendi sunt. Nempe quod rupes ac montes sint eos virtutis, nec mollis ducat via ad astra.

Iohan. 4.

3. Reg. 20.

Mater gratiæ in Ordine D. Benedicti sedē fixit. Haud parantur vili, magna. Subit animum illud quoque toto pectore gaudere ac gloriæ ducere, hanc Cœli Reginam adeo Ordinem nostrum in delicijs habere, vt præcipuas per orbem sedes fere eius in Monasterijs collocarit. At quæsumus te, si vacuus es, circumage caput & lumina in Montem Serratum effer: defige in Valuaneram: Iberia relicta, sublime caput iterum in Rupem Franciæ attolle: inde Eremum vulgo Einsidel, in Heluetia adi: tum in Cellam Beatæ Virginis carpe viam, in Styria à Monacho humili erectam: vt Oettingam Bauariæ prætereamus, quæ olim ad nos quoque spectabat. Tot publica orbis asyla vno in Ordine sita esse, profecto obstupesces. Sed quo nos ducit amor? Retro vestigia Valuaneram conuertamus, rupem, si vlla alia, certe asperrimam.

Si pnemus annos, nulla statuam hanc antecedit nisi illa, quam sacratiorem Zaragosanum possidet, qua non antiquior vlla in Hispania est. Etenim Ferdinando & Garcia regnantibus, votiuis peregrinationibus iam colebatur: omnium ore celebrabatur. Imperante autem Leouigildo, Gothis innotuit: Sancti Athanasij ætate (si perpetua incolarum relatio non laborat) frequentata fuit.

Omnium confessione, quotquot adiuere, occulta vis quædam intuentis ac salutantis animum lacessit, horrore sacro à summo vertice ad imos talos nonnunquam corpus peruadente, nec non conscium pectus pulsante. Vt igitur peccatores actæ vitæ scenam explicare, sibique & Ecclesiæ restitui possent, summi Pontifices Monachis à grauissimis criminibus absoluendi fecere potestatem. Veterem hunc S. Reliquiarum Catalogum cape, & lege. Mire animos spectantium euerberat Valuaneræ.

In Altari maiore dictæ Ecclesiæ imago Virginis MARIÆ *est, miraculis potens, quæ peccatori Munio Honne apparuit in signum, quod esset aduocata peccatorum, ac omnes, qui sanctum hunc locum deuote visitaturi, aut se deuote commendaturi essent, plenos diuina consolatione, & peccatorum remissione impetrata abituros. Non reperitur imago alia cui tantum insit reuerentia vel artis.*

Forma (ita nos fides amet scita) ante alias Hispaniæ ac forsan totius Europæ imagines est, digna quæ sit Matris Dei vera effigies. Quod si igitur illa filij tulit ora, præ cæteris mortalium formosi, quod Doctoribus sacris videtur, dabis profecto nobis pulcherrimam fuisse, & ab imagine elegantissima omnium optime exprimi, talemque meliore iure, quam alias MARIÆ Virginis inscriptionem sibi vindicare. Quocirca omnes quotquot statuam Diuæ hic conspiciunt, suspensi hærent: dilaudant: percelebrant: ora Virginis belle exprimi iudicant, & vix omnino abesse sensum putant.

Diceres ipsam Dei Genitricem pro sui imagine veraque effigie simulachrum hoc agnoscere, eo quod præsentem opem ferat huc conuolantibus. Nam morbis fractoa vel styge subactos quosque liberat : demortuos in vitam reuocat. Vidimus ipsi innomeras bonæ fidci tabulas, in quas miracula relata sunt : non paucadescripsimus edendi animo, vt satisfaceremus amori quo dudum nos tenet hæc Mater, & ista eius imago : atqui liber mihi singolaris codendus fuisset, neque in ista se effundere potest historia generalis. Recte proninciam hanc suscipe rent Monachi Valuaneræ, quos culpa penitus absoluere non possumus, prodigia tam rara illaudabili silentio prementes. Obeuntibus nobia testimoniorum monumenta, viginti prope occurrerunt, vita denuo donati. Cætera quasi numero carent. Sed pauca tamen, antequam progrediamur, exponamus, cum nihil non Optimæ Maximæ Matri debeamus.

Miracula edit.

Miracula à Beatissima Virgine Maria Valuaneræ patrata : è tabulis Monasterij petita.

De mortuo vitam restituit.

IN oppido Altfaro, qnidam bomo, Garciezquer dictns, lechaliter agrotanit. Cnm medici an;maduerterent se operam in eo cnrando perdero, vxori & cognatu suggesserunt, de vita actum esse : curaut deinceps in funus conuerterent, vt pro facultatibns boneste duceretur. Mater ac liberi in lacbrymas soluti. Fatalec expedinntnr cerei, facesque octo. Cnm hæc & alia promerent, fnnebri apparatui necessaria, Garciezqner tumida lingua orn bistum impleuit, elingnis tamen erat, qnod verbum nnllum facere posset. Ocnls prope extincts, ferale nucabant: nares folliculu vtrinque adductu, acute definebant : pectus crebris pestilentia n cu re spersum, fugam meditantem animam modo violenta tnssi eijciebat : medo rec·procante singultn thoracem qnatiens, morantem protrndebat. Ergo candelam corripiunt: dextera non cenaci, è Christianornm more, insernnt. Qnid fit ! Hac inter negotia vxor lacbrymu ora, eiulatu lectum fatigaus, Sancta Maria, alta voce clamat, Sancta Maria de Valuanera, multarum virtnnm Domina, subueni mibi ! sensit maritus, vxorem ad Virginem Mariam de Valuanera vocem tollere : eidem animam & corpuc suum commendanit. Postmodum egisse animam, ac fato concessisse, ab omnibnc indicatus est. Conduntur lapsa lnmina : ora comprimnuntur: cella qua moreuum induat, prodn.itur : olla adsticuitur igni, vt calida exanime cadauer abluatnr : vocantur fæmina, funeribus mundandu ac inuoluendu id loci destinata. Aduolant sedula, ac bene, dum quadam balneum instruunt, alia vero forficem agitaus luctatur cnm sindone, aquum mortuo vt rescindat indusinm, Garciezquer coopeitns iam, ne quem pauore incusso exanimaret, velnt expergefactuc capitu volamen sua manu amolitur, snblataque voco, O Sancta Maria, ingeminat, qnam bona via est, qua ducit Valuaneram ? Consternati spectaculo & clamore omnes, quorum vnuc paullo ante brachia decussatim supra pectns disponere conclamato iam, atque vt videbatur mortuo; alter oc occludere, inter vltima obsequia nu merabant, fusi circum funus rediuiuum, auribuc & oculu, dicta factaque excipiebant. Tum Garciezquer collecta voce, Ego enimuero, dixit, non vobis imposni : edidi animam: vitam vere exbalani. Illam corpore dilapsam, & angelus & diabolus inuasernnt : bonus autem Geniuc, dentes stringente cacodæmone, Valuaneram duxit, qnod è corpore abituram Sancta Maria qua ibi religiose colitur, pie commondassem. Delati ad Crucem Terract fixam, terribilem speciem obiecit Orcus, vt sanctum Monasterium conspicere non liceret. Incredibile dictu est, quantnm attonita cespitaret, donec Virgo gloriosa cælituc aduecta, reprehenso Diabolo qnod sibi commendatam adoriri ausus fuisset, ex vnguibuc trepidam extorsit, inque snam ditionem accepit, illo in tartarnm facessere iusso. Non mora, Acbernntia larua mille boacus edeuc in fugam se coniecic. Tnm angeluc denuo exceptam, tulit Valuaneram, cui Diua fronto ac voce blanda in mandatic daro visa est, Alfarnm repeteret : corpori deserto animam redderet. Hac via in vitam redij. At cnm mibi fidem non babeatu, agite, fidem vobu faciam, itinern Monasteriique vestigia certa indicando, mihi ante hunc diem nunquam visornm. Mox aliqui via templique gnari se admouere : ille absque vllo errore narraro locum cui à Tobia nomen, duas post leucas obninm : recensere calles superatn difficiles : ascensnc, descensus, Cruces, campos : alcarium & lampadum numerum planissime exponere. Admiracione snspensi vniuersi, actis Deo & Matri gratin, votnm nuncnparunt, itnroc se cnm Garciezquer rediuiuo Valnaneram. In peruigilio Pentecostes, anno Christi millesimo qnadringentesimo vicesimo octano votum soluernnc. Cognati, vicini, peregrinacionu comitec, iu vitam reduci testimoninm perbibnernnt : is vero linteamen, qno vltimo vestiendus erat, faces funeri illustrando paratas secum fereuc, quinque

Vitæ feruatæ fpecimen infigne.

floreuis rebusque aliis Saramouerauit, seque pro familiari & confratre Monasterio addixit. Anno millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, VII. Id. Septemb. huc se tulit Bartholomaus Martinez Clericus Beneficiatus in Palazuelos & Villamel, Burgensis Episcopi in toto Lara Archipresbyteratu Vicarius, & quadragesima iam vice Natiuitatu Beatissima Virginis Maria festa se Valuanera agere, narrauit, eo quod puer adhuc fatali morbo correptus & extinctus fuisset. Matrem hoc & testes fide plenos affirmasse. Caterum ab illa iam ante Numinis seruitio se destinatum. Spe autem à morte pracisa, bonam faminam in genua pronolutam Dei parenti supplicasse, guato vitam restitueret, quotannis cum ipso venturam Valuaneram. Denique negotium daturam filio, vt postquam supremum diem obiisset, annis singulu sacrum hoc limen is tereret. Matrem absoluisse votum, se rebus humanis iam exemptum sine mora ad viuos reuertisse: vtrumque pollicitis rite semper stetisse. Forte hanc ipsam sacram peregrinationem obiturus iste Martinez, viam habuit per locum cui Villamel nomen. Rogatus à Clerico suo sobrino quonam tenderet? Valuaneram peto ex more, subiecit. Et is, quin tantisper hæres, inquit, ac funus fœminæ cuiuspiam, terra mox obruendæ, prosequeris? Rogauit quænam fuisset, quove malo è viuis submota esset? E partu occubuisse, retulit alter: nam binam sobolem fudisse simul. Haud ægre annuit: funua animo, videndi funeris. adiuit, vidit. Lachrymis natans maritus cum liberis, spectantis pectus facile in misericordiam flexere. Ergo defixis humi poplitibus cœloque intentis manibus. *Virgo Maris de Valuanera*, ait, *Sanctissima Virgo, mulieris huius, obsecro, te misereseat!* Ei si lucem recuperauerit. *Valuaneram nudis pedibus ipsa comite contendam. Quodsi commitari noluerit, alium quempiam mortalem ære meo perducam.* Miraculum! Fœmina vita defuncta, subito verba expedire: cibum flagitare: recte valere: votique rea cum Vicario aliisque Valuaneram venit: immortales gratias Matri ac Filio dixit. Nunc afferre libet propinquiora.

* *

*

Diego Gonſalez Gante.

Naves vado hærentes explicat.

AD gloriam Iesu Christi Domini Nostri, veri Dei ac hominis, nec non gloriosa Virginis Maria ipsius Matris. Ego Diego Gonsalez de Heredia & Gante, Catholica Maiestatis Commissarius, &c. sub finem anni millesimi quingentesimi septuagesimi secundi à Duce Albano, Prouinciarum Belgij Gubernatore generali, in mandatis accepi, vt insulas Zelandia adirem, & ducentas hareticorum rebellium naues, luculentis mercibus onustas, qua forte in portus inuecta erant, interciperem. Cum igitur ij status, auctore ac duce Principe Vrania, aliorumque mala opera, à Rege desciscere cœpissent, sine mora fidas nauiũ stationes illarũ insularum transitusq; occuparunt, *ne illac Catholici, Regi suo fidi, vela facere, & Middelburgio magnas in angustias redacto, suppetias ferre possent. Periculoso itinere, cum propter hostes, tum syrtes imminentes anno millesimo quingentesimo tertio suscepto, sub noctem qua à trium Regum festo octaua agebatur, inuitante mari è portu solui. Eam noctem totam bombis tormentorum traxere haretici. Senserunt me nauigare quocirca nouem longis nauibus, milite, armis, remigo, quam optime instructis, milliari vix confecto mihi collocarunt insidias: quos vbi viribus longe superiores esse intellexi, ne littus ararem, conuersis proris portum ocyus petiui. Illi tanquam signo dato proualantes, nostris lateribus classem suam adegerunt: globos infestos vtrinque ingesserunt: (nec enim vltra sclopi iactum à fulminibus istis aberamus:) tandem mercatoris nauim, quise mihi iunxerat, in potestatem redegerunt. Vehebat illa quendam vigiliarum prafectum, id temporis vero Middelburgi gubernatorem, duodecim militibus Leodiensibus stipatum. Dum hunc in modum quartam hora partem nobis inhaeserunt, sape in vada impulsi agre naues pendentes excussimus, vltima prasertim vice, qua hareticis de proximo incumbentibus, adeo despondérunt animum milites cum nautis, vt aliqui infidis fluctibus sese crediderint, spe euadendi. Rebus sic pessum euntibus, corripio remum: lapsos militibus & remigibus animos reuoco: tenaci cum vado vi summa luctor: improbo labori hac bona verba addo: O Virgo Maria: nostra Domina de Valuanera! Proh Superum fidem! vix syllabam edidi extremam, cum naues mea explicata auolarunt, hareticorum vero eodem inuecta non prius, nequicquam turba nautica moliente iter, à vado dimissa sunt, quam nos teneremus portum, nostraque exposuissemus. Accola euentum rei mirati, sancte affirmarunt, astum solito tardius ea nocte prolapsas reuocasse vndas. Absque hoc fuisset, pra*

dam

dam nos hæreticis futuram fuisse, quos spe iam antè deuorarant. Nauigij intercepti gubernator, quem sublime aliquamdiu pendentem laqueo absoluerant (at præfectum vigiliarum cum militibus serio suspenderunt) diuersa illos in me tormenta parasse, retulit, nec tamen rabiem suam expleturi erant. Hæc cum ita, submisse rogo cœleste Numen, vt hanc tabulam, qua tres reges, Regem verum adorantes, exprimit, tollas in beneficij monumentum, grato de animo profectum, capere, mihique vitam ad ipsius gloriam traducendam, cum felici fine largiri dignetur. Amen.

Diego Gonzalez de Heredia.

Beatissima Virgo de Valuanera quosdam Religiosos Franciscanos periculo eximit.

Periturā sine clauo nauim in portum dirigit.

EGo F. Michael Lopez de Hermastegui. Custos Prouinciæ Mechoacan & Xalisco nec non Commissarius, profecturus ad Capitulum Generale, quatuor fere menses in Noua Hispania portu hæsi, cui à S. Iohanne de Vlua & vera Cruce nomen est, cum classe Hispanica vela facturus. At hæc soluere non ausa, quod Angli septemdecim nauium classe aduersa, nobis tenderent insidias. Pertæsus longam moram dubium mare ac certam nauim peto. Forte me sociumque meum F. Iohannem Didaz Iohannis Gonsalez Vluensis carina excepit, Iucatam tendens nomine Sanctæ Mariæ de Valuanera insignis felixque. Voluebatur à Christo nato annus millesimus quingentesimus nonagesimus secundus, Septembris dies vicesimus sextus, nimirum plagarum S. Francisci peruigilium, cum credita ventis rate inimus cœnam, & hem protervum ventus malum agitans, medium fregit: vela quoque incumbens huc illuc raptata scidit: clauum extorsit decumanus fluctus. totam denique crebro verbere afflixit nauim, vt fatiscens in suum exitium sentina imbiberet mare, cui exhauriendo tot manus pares non erant. Vbi omnes animum despondere vidi, Domini, *dixi*, chari domini, trunca natamus naui; nec ratio & improbus labor hic possunt. Perimus, nisi aliunde auxilium accersimus. Deus id feret ipsiusque mater; huic enim naui S. Mariæ nomen est de Valuanera, vbi me fuisse, & à miraculis percelebrari audiuisse, memini. Agite: Magnæ Matri vos intimis sensibus commendate: ego vero omnium vestrum nomine votum nuncupo, peregrinationem me Valuaneram suscepturum. *Dictum, factum. Paullopost velum minus* (nostra clades) *à prora tumens, crebro verbere fractum, infestæ tempestati se submisit; nec tamen omnes nos periculo liberauit, insanis fluctibus adhuc vndique mortem intentantibus. Cæterum ne nesciremus penitus, vbi tandem periremus, hominem sedulum acu nautica & laterna instructum, sub bene firmo tegmine collocauimus, eique negotium dedimus, vt obseruaret quorsum nos iratus ferret Oceanus. Semper bene nos prouehi, clamauit. Prima luce iureiurando affirmauit, non segnius nauigium tenuisse cursum, quam si clauo & gubernaculo instructum fuisset. Certi de supremi Numinis beneficio, & Beatissimæ Virginis ductu, cui nos deuoueramus, vnius noctis spatio, & sequentis diei parte, fatales inter fluctus triginta amplius leucas confecimus. Denique præter spem allabimur oræ & oppido Campeche: quo viso in gaudia plaususque soluti, immortales Deo gratias persoluimus. Sed cum potiri portu non possemus, eo quod gubernaculum pridem ab inuidis fluctibus fuisset reuulsum, ipsæ vndæ in ministeriū assurgentes, laterū diuq; vexatū nauigium littori admouerunt: quo salui atque occupato, sublatis ad cœlū palmis, gratias instaurauimus, Matri ac Filio debitas. Sequenti die rem sacram, qua licuit festiuitate, fecimus. Ego vero voti exoluendi causa, peregrinatione suscepta huc veni: collatam à Virgine opem litteris mandaui: iuroque in verbo sacerdotis, rem ita se habuisse. Immo, maiorem quam exposui nostram miseriam, maiorem Dei Genitricis fuisse misericordiam, cui me maximum in modum commendo.*

F. Michael Lopez de Hermaztegui.

Hoc miraculum à P. F. Michaele Lopez referri nos audiuimus F. Diego de Rodezno.

F. Antonius Nauarrus.
F. Iohannes Vrban.

Addimus pro mantissa, Sacellanos Matris amabilis de Valuanera Monachos fuisse Ordinis S. P. N. Benedicti, idque constare ex productis Priuilegiis. Qui putant regnante Garcia imaginem repertam, ab eo Monachos nostros ibi curare iussos, asserunt. Atqui Comite Ferdinando Gonsalez, auo ipsius rerum Domino iam cultui expositam fuisse, supra ostendimus. Quid de ea actum sit prius, quam in arborem reconderetur, nemo diuinauerit. Hoc autem tempore quod voluimus, montes Distercios qua Monasterium S. Æmiliani respiciunt, Eremitis Regulam D. Benedicti professis cultos fuisse, palam est. Quid si Valuaneram vsque hinc colonia ducta fuit? plane hoc nobis persuademus. Cæterum Auctores dum illius loci incolas appellant Eremitas, non nemini suspicionem mouent, è familia S. P. N. Benedicti haud fuisse. At qui rebus in nostris non omnino hospes est, cōsuetudinem primis sæculis in Ordine

obtinuisse haud ignorat, vt diu exerciti in Monasterio, ac suo iam cortice nare valeotes, à cœtu secederent in solitudinem. Lecta S. Fructuosi Regula, quam Monachis Eremitis S. Petri de Montibus scripsit, nosque Gothice exaratam in manibus habemus, multo properantius in hanc sententiam iuimus. Ad eum enim modum etiam Eremitæ de Valuanera sex dies in suis mapalibus & antris agebant diuersi: septimo in Monasterio primario conueniebant: conscientias lustrabant: alij rem sacram faciebant, alij aderant, diuinum ferculum sumebant, Antistiti exhortanti aures dabant, hocque pacto vitam sanctissime traducebant. Tomo secundo luce clarius ostendemus, Monachos S. Petri de Montibus Regulam S. Benedicti professos esse, cuius illa commentarius, quam S. Fructuosus lucubrauit, censeri queat. Si coniecturæ pondus habent in historia, istæ profecto reijci non debent. Non tamen pertinaciter nimis pugnamus, vno hoc contenti quod sit locus virtute sanctitate nobilis: sedes Reginæ Cœli, quæ incolas occulta quadam pietate imbuere soleat. Nam disciplina hic firma constitit sub Abbatibus, vt vocamus, *perpetuis*, Commendatarijs, ac illis qui solum triennium præfuere. Nam anno millesimo quingentesimo vicesimo quarto in Congregationem S. Benedicti Vallisoletanam per Bullam Clementis VII. concessit, admissa clausura, & Abbate primo à Generali Congregationis renunciato. Anno tamen millesimo quingentesimo tricesimo ad rem primum ventum est, quo P. Diego de Liciniana Ordinis Visitator, nomine P. Alphonsi de Toro Abbatis Vallisoletani & Generalis Monasterium hoc cum nostra Congregatione coniunxit.

Valuanera sedes Reginæ Cœli.

ANNVS CHRISTI 575. ANNVS S. BENEDICTI 95.

CAPVT I.

Benedictus I Pontifex Max. Longobardorum tyrannis. Hospitius & Chalupus Reclusi.

Benedictus I. De Benedicti alumnus.

SAncti Patris nostri nomen merito plenum bono omine cuiuis videatur. Præsagit enim benedictionem, gratias, beneficia, quibus olim Deus Opt. Ordinem Ipsius affecturus erat. Et quemadmodum is sanctissimam Religionem condidit, ita Benedictus I. Pontifex Max. quem Patriarchæ illius alumnum fuisse, multi ferunt, eidem noua luce illustrauit. Qui ex recentioribus in hanc sententiam concedũt, Cathedram Pontificiam, à Raymundo Hispano editam, adducunt, quam cum viri eruditione clarissimi non raro firmandis suis scriptis adhibeant, non est quare nos fidem ipsius in dubium vocemus. Accedit Monasterium Ordinis S. Benedicti Mantuanum, quod præter picturas alias antiquas, quas oculis passim obijcit, inter Monachos Benedictinos Benedictum I. ponit cum hac inscriptione: *Benedictus primus, ex Monacho seruus seruorum Dei electus, & vocatus.* Ideoque animum nos inducimus vt credamus, virum gloriosi Patris sui studio actum, Bonosi nomen eum Benedicti commutasse. Etsi autem anno quingentesimo septuagesimo tertio summum Ecclesiæ imperium nactus sit, nos tamen huc distulimus ne S. Æmiliani & Beatissimæ Virginis de Valuanera historiæ aliam misceremus. Domo Romanus fuit, Bonifacio illustri viro ortus. Singularis prudentia & in rebus agendis dexteritas felicitatem ipsi præstitissent, nisi Numen æternum permisisset vt Longobardi, veluti lege humanitatis soluti, præcipuas vrbes vastando Italiam fœda clade affecissent. Summa improborum votorum Roma erat, quam tamen ne caperent, Pontifex obstitit. Obsidione liberata vrbs, dira fame pessum itura erat, quæ misere totam Italiam vexabat, sed diligentia Benedicti fregit eius rabiem, obtentis à Tiberio Imperatore multis nauibus, frumento onustis. Barbarum agmen anno quingentesimo septuagesimo octauo quidam Albinus ducebat, homo inter paucos bellicosus, audax fortisque. Successibus paullatim erectus, pro Rege se gessit. Narses autẽ qui Gothos Italia eiecit, pluribus verbis ab historicis celebratus, Lõgobardos inuitauit: penetrantibus viam aperuit: quo tamen crimine absoluitur à Baronio. Quis etiam credat, virum clarissimum rebus egregie gestis turpissimum stigma hoc, nullo suo abolendum, inurere voluisse? Nimirum Longobardi ingenio feroces armorumque studiosi stipendia sub ipso fecerant. Solotis postea militari sacramento exauctoratisque, delitiæ Italiæ identidem in mentem venere, tantumque apud memores potuerunt, vt sumptia hastis eo se retulerint. Alboini regnum Clephus excepit: at Longobardi non multo post Reges pertæsi, triginta Duces renunciarunt, qui prouinciis subactis præessent. Non dirius venenum vel in ipsos Longobardos, vel in Italiam Orcus euomere potuit. Quid opus est verbis? Rex vnus esto, si consulendum populo sit. Barbaram gentẽ effuderat Septentrio, de quo diuinus Vates: *Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores*

August. Florentin. Camald. l. 1. c. 14. Plat. l. 1. c. 12. Cathed. Pontif. VVion. lib. 2. c. 3.

Prudentia & consilio defendit Romã.

Longobardi Italiam sursum ac deorsum vertunt. Ier. c. 1.

bitatores terra. Triginta igitur in Duces distracti, Italiam imis propemodum radicibus vulsam, crudo furore solo afflixerūt. Quacunque se ferebant, ferro flammaque inhumanissimæ crudelitatis tristissima exempla edebant. In Monasteria templaque vltima scelera sunt ausi idololatræ. Regnum Neapolitanum Beneuenti Dux (Zoto nomen erat) flagellauit, verso etiam sacro Casini monte. Labente porro quingentesimo septuagesimo quinto anno opibus Italicis nondum saturi, per Alpes in Galliam penetrantes, eadem crudissimæ indolis monumenta vbique statuerunt, Amo Zsban & Rodano ducibus. Obuium in Alpibus egregium Noualleense Cœnobium, paucis milliaribus Turino dissitum, ex more demoliti sunt. Pars Monachorum in vrbem dilapsa; S. Arnulphus autem cum aliis deprehensus, atque martyrio affectus est. Inde in Galliam Transalpinam ruerunt, vt eam non secus in potestatem redigerent, quam Cisalpinam, quam ab ipsis Longobardiam dicimus. Omnia longe lateque vastarunt, vt pro frequentia vbique fere occurreret solitudo. Id temporis Reclusi vitam Nizæ (Massiliensium colonia est) in turri agebat S. Hospitius. Sola fenestella patebat, per quam subinde verba faciebat, & necessaria inferebat.

Itemque Galliam.

S. Hospitius Reclusi Monachiomnes numeros absoluit Nizæ: *S Greg. Turon. l. 6. c. 6.*

S. Gregorius Turonensis, qui acta eius calamo vulgauit, patriam ac parentes præteriuit, vt non aliunde quam à sanctitate nec non rigore incredibili nobis sit notus. Sua sponte illum in carcerem sese immiserat, nec aliquando efferebat gradum. Nudum corpus induerat catena, & ne qua pars vacaret tormento, horridum cilicium ferro impofuit. Indomitam famem pane vel dactylis placabat, quibus delitijs per solenne ieiunium sibi temperabat, radicibus victitans, quas ipsi ex Ægypto & Palæstina Eremitarum penu, mercatores afferebant. Magni æstimabatur à tota vicinia ob raras virtutes, quæ semper in publicam laudem ire solent. Præditus prophetiæ spiritu Longobardorum in Franciam irruptionem multo ante denunciauit, incolas accedentes aspere plectendo verbis, quod legem diuinam nil pensi haberent, furtis, homicidijs, periuriis affines se facerent: primos fructus Deo debitos, sibi sublegerent: pauperes & egenos in minimis ponerent: inedia confici permitterent. Imminente iam exitio, Monachis suis auctor fuit, omnem supellectilem, quæque rapaces manus inuitare possent, alio transferrent. Ægre solum verterunt, illo tamen instante ac vrgente, ouultu rebus in viam se dederunt, consultore in turri relicto, quam hostes frustra oppugnaturam, vaticinatus est. Paullo post aduolant Longobardi: cingunt S. Hospitij arcem. Excitus incondito clamore vir Dei, fenestræ se admouet: videt, videturque. Rapiunt de proximo scalas: applicant: duo in tectum euadunt atque penetrant: prædæ materiam quærunt, operam perdunt. Cum deinde Hospitium à capite ad calcem curiosis oculis obirent, attoniti vnum hominem tot catenis onustum vinctumque, pro facinoroso, & sceleratorum duce habuerunt. Sciscitantibus, ecquis mortalium esset, peccatorem, enimuero se esse, respondit. Alter ense ducto, fulmen terrificum librauit in insontem, sed brachium sublime elatum mox obstupuit. Tum alij, iterumque alij irrumpentes, in Numinis præsentissima vindicta suspensis oculis hæsere circa socium fusi. Hos etiam maiorem in admirationem Hospitius conicit, quando militi rigidum brachium restituit; qui perculsus miraculo, Dei Opt. nutum sequens, deinceps Monachum professus est. Rogantibus cæteris, quid vero consilij caperent ipsi? pedem referre domum iussit. Qui bene consulenti obtemperare detrectarunt, victoribus Francis furtorum, homicidiorum, tyrannidis pœnas persoluerunt.

Militi brachium reddidit.

Paul. Diac. loco citato.

Spiritum prophetiæ virtus expellendi dæmones comitabatur. Quotiescum Sancto questi sunt vario vlulatu, se suis sedibus iniuria manifesta exui, proscribi, eijci! Neque ad expugnanda hæc Orci propugnacula multis opus fuit. Simul manum energumenis imponebat, sine mora coruiauolabant. Cuidam Andegauensi maligna febris non modo aures & linguam vitiauerat, sed vsum prorsus ademerat. Hospitius (id quod consueuerat) oleo cui bene prius dixerat hanc & illas in Crucis formam illeuit, Iesu Christi sacrum nomen ciendo: voti salutisque mox compotem fecit. Sed filum è glomere longius explicare libet. Forte Diaconus quidam ad limina Apostolorum affectabat iter. Parentes surdi mutique, cuius meminimus, hoc audito, multis precibus à Diacono contenderunt, filium suum eo perduceret, spe pleni salutem relaturum. Annuit precibus Diaconus, cumque iter facerent qua fama Hospitium egregie celebrabat, nefas esse ratus præterire tantum hominem, aut viam prosequi insalutato turris hospite Hospitio. Ergo adit: sermones cum eo cædit, vnde Sanctus intellexit, lingua & auribus captum duci à Diacono Romam. Illico eum sibi prius sisti petiit, quam proficiscerentur. Nam *sensit* (inquit S. Grego-

Stygios coruos multis è nidis excussit.

Linguam & aures muto surdoque connexit.

rius Turonensis, optimus cœlestium rerum censor) *sensit vir beatus per spiritum, Domini adesse virtutem.* Nec enim temere miracula aggrediuntur Sancti, sed potius occulta quadam vi impulsi. Diaconus morem gerit. Hospitius capillis præhensum infirmum, sibi admouit: eius linguam auresque oleo inunxit, hæc sacra verba addens: *In nomine Iesu Christi aperiantur hæ aures: & is qui dæmonium surdum ac mutum eiecit, suam hanc linguam soluat.* Post hæc iussus edere suum nomen, imperium audiuit, nomen expressit: Deo Sospitatori & Hospitio gratias egit.

Cæco natiuo tenebras abstersit.

Aliquando cæcus ad eum se tulit, cæcus natus. Duobus vel tribus mensibus in Monasterio detentum (quod cœlum citius haud annuisset) rogauit, num lucefrui cuperet? Et ille, enimuero summum hoc sibi votum esse, subiecit. Mirabilia se de luce audire, nec tamen animo concipere posse. Ergo, excepit Hospitius, *in nomine Christi aperi oculos, & lucem cape, cuius tanto desiderio teneris.* Cæcus continuo diducere palpebras; haurire diem: mirari rerum nouitatem: præ gaudio apud se non satis esse: in mille gratias linguam expedire. Multa alia miracula S. Gregorius se præterire ait, quod in ijs memorandis iam alij suam operam contriuissent, quorum tamen lucubrationes per temporum iniurias perierunt. Paulus Diaconus, Bonfinius, Martyrologia, nihil diuersi à nostris referunt. Hinc multa publico digna, obliuione sepulta iacent. Supremum vitæ diem cœlitus edoctus, Priorem Monasterij aduocauit: tumulum sibi fodi, atque Nizareo Episcopo denunciari iussit, intra triduum se concessurum.

Bonfin. Dec.1.l.8.

Moriturus in libertatem se restituit.

Sub hæc Crescentius ciuis Hospitium inuisit, non modo graui morbo, sed etiam pondere catenarum obrutum, vermibus passim scatentibus, & hospitium in Hospitio molientibus. Ergo obstupefactus rogauit, qui tantos dolores ferre posset? & cur catenis infirmum corpus non extricaret? Is mihi vires suggerit, respondit æger, cuius amore ferrum hoc fero. Iam iam Deus ipse me hisce vinculis eximet: medebitur exesis lacunis. Die tertio catenas exuit, quibus tot annos pressus fuit: in scamno (quod ei forte pro lecto erat) extendit: tum pluribus verbis preces fudit: demum pedibus protensis, tam diu captiuis: nec non brachiis sublatis, beatam animam efflauit, felici libertate æternum fruituram. Vermes, longi tortores, illico Hospitium deseruere, ita vt nullus amplius compareret. Episcopus, qui dudum aderat, vna cum Monachis funus curauit: sepulchrum Deus miraculis illustrauit, è quibus hoc S. Gregorius Turonensis refert.

S. Greg. Turon de gloria Confes. 97.

Cum exanime corpus conderetur, quidam eius ante id studiosissimus è tumulo puluisculos sublegit: Monasterio Lerinensi pro magno thesauro laturus. In portu nauis stabat, iura Marsiliam. Patroni Iudæi erant qui faciebant mercaturam. Ille excipi rogat: conuenitur de naulo: at de sacris pulueribus altum silentium. Nauis prouehitur portu: properantes venti impellunt vela: Superi! præter expectationem stat velis ac remis cita nauis. Quærunt in causam subitæ stationis attoniti nautæ, sed frustra quærunt. Nec enim remora piscis hanc moram iniecerat, sed is qui pulueres è sepulchro S. Hospitij hsustos, tacitus ferebat. Cum igitur intellexisset vnde sisteretur cursus, arcanum aperuit. Iudæi capto consilio in arena, parent necessitati: conuertitur prora: petitur Asceterium Lerinense: secundis ventis denuo nauigationi incumbentibus, peruenitur. Ille sacrum de pulueribus thesaurum in manus sanctorum Monachorum exonerat: miraculum recenset: omnibus testimonium ferentibus. Rebus sic confectis, in vagam ratem se iterum imponunt: expetito littore potiuntur. Ecclesia festum Sancti XII. Cal. Iunij obit.

Martyrol. 21. Maij.

Sub idem tempus Calupanus in Monasterio Meletensi prope Aruerniam Regulam S. Benedicti professus, vitam reclusam duxit, vnde quoque nomen Reclusi tulit. Non procul Monasterio curua se effundebat vallis, in cuius vmbilico rupes ad quinquaginta pedes verticem efferens, nulli se committebat monti, sed libera vndique, nisi quod præterlabens amnis officiose immanem pedem amplectereretur. Fuisse olim castellum, hostibus obiectum, cauus hiatus indicat, quo milites recipi potuere. Huc ergo Abbate annuente se insinuauit Calupanus noster: hic paruum Oratorium excitauit: hic dies noctesque supplicando legendoque condidit, in Deum præsentem adeo semper intentus, vt S. Gregorius affirmet nec quidem edentem ab eo animum diuertisse. Panem famelico suggerebant ex Monasterio. Si quis de vicino per gradus enitens visisset, ac sua de culina mensam lautiorem attulisset, nec primoribus is quidem labris attingebat, sed mendicabulis epulas inde instruebat. Hunc viuendi modum quem religiose tenuit, multis miraculis Deus compensauit. Quot enim mortales afflicta valetudine liberauit? Quoties dæmonum insidias exinit, vimque repulit à styge allatam? Omnem enim lapidem hæc mouit, vt hæren-

S. Greg. Turon. vita Patrum.

Calupanus Reclusus alter.

tem in rupe Calupanum loco exueret. Etiam hinc Deo amicum fuisse, cognosce. Cum cellam Incoleret admodum editam, ægre ipsi faciebat, profundam in vallem semper descendere, petitum aquam. Ergo cœlo intendit palmas: remedium orat: extemplo cella ipsa tantum vndæ cœpit fundere, quantum extinguendæ siti, si vel ipse vel minister ardentissima laborasset, satis esset. S. Gregorius Turonensis oculatum se fontis testem offert: nam eum Abito Episcopo seruum Dei aliquando inuiserat. Quinquaginta annis obsitum vires ac vita defecerunt, era Christi quingentesima septuagesima nona V. Non. Martij, qui dies ipsi per Ecclesiam sacer est.

Martyrol. e. Mart.

VVeltenburgum, antiquissimum Monasterium.

Res ab ætate nostra longe remotas sæpius coniecturis & diuinationibus, quam solidis vestigiis consequi licet. Nihil noui itaque faciunt, qui originē vetusti Monasterij Weltenburg non eodem tempore proferunt. Nos vt imminentem virgulam censoriam euadamus, potius aliis narrandi partes dabimus. Hundius hæc affert: *De fundatione huius Monasterij Ordinis S. Benedicti scribit Iohannes Auentinus l.3. fol. 265. quod tempore Theodonis Ducis Bauariæ, qui cum filio Theodoperto à D. Ruperto Reginoburgij aqua cœlesti lustratus est, post, extructa templa tam Reginoburgij quam Vnini Christo Deo atque eius Genitrici dicata, atque à D. Ruperto consecrata (verumque adhuc AEdicula seu Capella verus vocatur) posthac per omnes Boiorum Regiones sacra ædes amplissima ædificata sunt, à D. Ruperto & sociis consecrata, vt VVeltenburgij, quod ipse Valentiam vocat, & extra mœnia Reginoburgensia S. Georgio, Tutelari Christianorum militum Diuo. Quædam S. Martino Maximilianoque templa dicata, quæ adhuc monstrantur.* Andreas Brunner, quasi periculosæ plenum opus esset aleæ, pedem in lubrico figere, *VVeltenburgum*, inquit, *vetus, quod constat, Monasterium, initia sua ad D. Rupertum refert; nobis annosam opinionem conuellere animus non est: At enim in Syllabo, quo perpetua præsulum series, inde ab anno quingentesimo octogesimo, quo quidem Rupertus in BOIARIA nondum pedem posuerat, texitur, ad tantam rem comprobandam nego satis virium esse.* Audiendus etiam Christophorus Gevvoldus est: *Ad Monasterium VVeltenburg quod attinet, monumentum illud post se reliquisse Theßalonem I. D. Ruperti tempore anno Christi 575. tradit Appianus in Chronographia Bauariæ. Hundius veriora certioraque sequutus, Theodoni III. Duci qui cum filio Theodoperto & prouincialibus à D. Ruperto Ratubona aqua cœlesti lustratus est, fundationem huius ascœterij transcribit.* Præteriri à nobis non debet huius loci Antistes, A. R. D. Matthias Abelen, quem domestica minus fugere potuerunt, quam externos. Edita igitur non ita pridem Chronographica Instructione, *VVeltenburg S. Georgio patrono fundant*, ait, *Theßalo Dux Bauariæ ann. 575.* Nonos aliquando colonos introductos fuisse, ex Auentino sic refert Hundius. *Alibi idem Auentinus l. 6. fol. 614. scribit: Eodem tempore Hardonicus Episcopus Reginoburgensis Valentiam, hoc est, VVeltenburg, templum D. Georgio dicatum, pulsis Monachis Benedictinis, tradit Augustalibus flaminibus, hoc est, Canonicis Regularibus D. Augustini, accito Hardonico eius Ordinis ex Norico de æde Diui Floriani, id est, ex Monasterio S. Floriani in Austria supra Anassum. Conradus, itidem Episcopus Reginoburgensis, quinque post annos Monachos Benedictinos rursum restituit, ipsisque Fridericum præficit. Monasterium hoc Danubio septem quinque millia passuum infra Abensperg; ibi cineres Arrobriga, quæ, teste Ptolomæo, caput olim Vindelicorum fuit, monstrantur: de quo Auentin. l. 2. & 3. Annalium.*

Hund. tom. 3. metrop. Salisb. fol. 480.

Brunn. tom. 1. an. Boicorū.


Notis in Hund.

Henricus III inter alios bene de Monasterio isto meritus fuit. Cape Diploma, vel ipsa antiquitate reuerenter contingendum.

In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Henricus* diuina fauente elementia Rex. Nouerint omnes Christi nostrique fideles, tam futuri quam præsentes, qualiter nos pro pij genitoris nostri felicis memoriæ, *Chunradi* Imperatoris Augusti, nostræque remedio *VVeltenburgensis* Ecclesiæ Abbati nomine *Buolo* suisque successoribus quoddam nostri iuris prædium *Bozinyvanch* dictum in pago *Chelsgouue* in comitatu *Ottonis* Comitis situm, cum omni pertinentia seu vtilitatibus in sylua, quibus ipsi Ecclesiæ indiget, in proprium tradimus cum terris, cultis & incultis, quæsitis & inquirendis, seu cum omni vtilitate, quæ vllo modo inde poterit prouenire. Eo nimirum tenore, vt præscriptus Abbas *Buolo* suique successores de eodem prædio liberam deinceps habeant potestatem tenendi, commutandi, vel quicquid sibi placuerit, inde faciendi ad

vtilitatem scilicet prætitulatæ Ecclesiæ, in honorem *S. Georgij* Martyris constructæ. Et vt hæc nostræ traditionis auctoritas per succedentia tempora stabilis & inconuulsa permaneat, hoc præceptum inde conscriptum manuque propria corroboratum, sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum Domini Henrici tertij, regis inuictissimi:



Theodoricus Cancellarius vice *Bardonis* Archicancellarij, recognouit. Data Id. Ianuar. Indict. au. VIII. Dominicæ Incarnationis millesimo quadragesimo. Anno autē Domini *Henrici III.* ordinatiouis XII. regni vero . . . . .

Actum Augustæ feliciter, *Amen.*

Instruct. Chronograph. Catalogus (res magna est!) CXXXVIII. Abbates apud Hundium exhibet. Visundum Abbatem primum à Fundatore Casinensi è Monasterio accersitum fuisse, Antistes hodiernus affirmat. D. Cyriacum Empel, cui Ebersperga maculam, imposuisse visa est, hisce verbis in publicum producit. *Cyriacus Empel Abbas eligitur an.* 1598. *mense Aprili. Hic Cyriacus erat primus Canonicus in Ebersperg: postea ibidem administrator tribus annis, ac tuidem mensibus. Post deuolutum autem Monasterium Ebersperg ense à Benedictinis Monachis ad PP. Soc IESV, præfatus Cyriacus vna cum aliquot Professis ibi. ad Monasterium Mallersdo ff amandatus fuit hac promissione, quod in proximam Abbatiam vacantem sit promouendus. Defuncta igitur VVolffgango Vilsmair, Abbatia huius VVeltenburgensis clauum accepit, ac Optime præfuit annis vndecim, mensibus octo diebusque duodecim. Obiit autem ann.*1610. *die* 18. *Decemb.* Quidam ipsi Eberspergam administranti, dicam impactam fuisse crediderunt, quod officium sinistre functus esset; verum hîc hominem, vt in speculo, vides.

* *
*

Annvs Christi 576. — Annvs Benedicti, 96.

CAPVT I.

Georgius Magnus, Pontifex Maximus.

PRouidentiæ diuinæ opus est, mala permittere, ac bene vertere. Vnde physicorum vox est, eas terras quæ venena fundunt, etiam remedia suppetere. Nimirum permiserat supremum Numen, vt Longobardi, cruda & duris cautibus nata gens, cultissimam Italiam fœde popularetur: at simul eidem de Magno quodam Gregorio prospexit, qui rem restitueret, præsertim Monasterium condendo, vnde viri doctrina & sanctitate clarissimi prodierunt, qui illos ipsos indociles barbaros fide Christiana imbuerunt promotisque deinde signis in Angliam expeditionem sacram aduersus idola susceperunt. Porro nobis cum Iohanne Diacono persuademus, Gregorium hoc quingentesimo septuagesimo sexto anno iam Monachum egisse, ac Ordini nomen dedisse, Iohanne III. claues & clauum Ecclesiæ tenente. Atqui cum certi nihil constet, gestorum ipsius exordia in annum præsentem duximus differenda: sub hoc enim tempusè Monasterio euocatus, & à Benedicto I. Diaconus Cardinalis creatus censetur. Qua super re cum Cardinalis Baronius historiæ litem moueat, malui loco vno pedem conserere, quam vbique pugnare. Sed agedum! certa primo adducamus: deinde incerta. Viri huius, plane suo mi, dicta factaque auctores grauissimi complexi sunt, veluti S. Gregorius Turonensis, illius æqualis, Venerabilis Beda, Anastasius Bibliothecarius, antiquorum scriptorum numero merito habendus, quique de Pontificibus certa præ aliis retulisse existimatur, è cuius fonte & latina & Onuphrius hauserunt. Nemo tamen prolixius de illo scripsit quam Iohannes Diaconus & Cæsar Baronius, Cardinales duo; ille octingentis abhinc annis, iste ætate nostra, grauissimus auctor vterque. Magnum proinde nobis negotium facessunt, dum non semper in vna eademque naui nauigant, sed quandoque dissentiunt, vnderationum momenta, quæ ab vtraque afferuntur, nobis nonnunquam examinanda sunt Nunc ad rem.

D. Gregorius columna Ecclesiæ.

Beda l. s. Histor. Anglic.

Fuit S. Gregorius ciuis Romanus, non leuius vrbis ornamentum, quam olim Scipiones, Cæsar, Pompeius Magnus. Insigni eruditione, sanctitate, rebus præclare

Patria Romanus fuit.

gestis,

gestis, Magni cognomen meruit, hoc titulo dignus, si vel vno illorum decorum excelluisset. Sanguinem de illustrissima Aniciorum gente duxisse, quidam Itali contestantur, ego tamen fumosas imagines, nobiles ceras, clarum genus, *& quæ non fecimus ipsi*, vti nostra non puto, ita in minimis pono, neque ipsum S. P. N. Benedictum huius gratia alte extoli. Cur enim, quæso te, alienis plumis vestiamus, splendide niteutẽ suis? Patri, Gordiano nomen erat: Matri Syluiæ, sancti filij, sancti parentes. Certe matrem in Cœlitum fastos Ecclesia retulit, qui bonos etiam Tharsillæ & Æmilianæ, amitis ipsius obtigit. Eruditionis igitur & pietatis capax animula, quicquid boni domi suæ vidit, quicquid vsquam egregij, in se transtulit, vt hausta quasi cum lacte innocentia, ipsi à natura comparata, non vero aliunde accersita, videretur. Hinc nunquam à se ipso descivit. In Grammatica, Dialectica & Rhetorica eos progressus fecit, vt Roma tunc, qui Gregorium anteiret, habuerit neminem. S. Gregorius Turonensis est testis. In virum iam ab annis eductus, maiora ingenij virtutisque exempla statuit. Postquam omnes Romæ magistratus prudentissime fortissimeque gesserat, inclinante Imperio Vrbis præfecturam adire iussus est, quem summum honorem Cassiodorus describit. Conspicuus hoc gradu, omnium oculos oraque in se conuertit, omnium horarum munerumque vir, in quo nec sanctitas dignitati, neque hæc illi officiebat. Cœli tamen cura maior perpetuo diuisum vellicabat animum, vt de mundi compedibus exuendis serio cogitaret. Non enim fallebat perspicacissimam mentem, quanto spatio astra anteirent lutum. Sed ipse de se dicat. *Diu longeque conuersionis gratiam distuli, & postquam cœlesti desiderio sum afflatus, sæcularem habitum contemnere melius putaui. Aperiebatur enim mihi iam de æternitatis amore, quod quærerem, sed mo. lita me consuetudo deuinxerat, ne exteriorem cultum mutarem. Cumque adhuc me cogeret animus præsenti mundo specie tenus deseruire, cœperunt multa contra me ex eiusdem mundi cura succrescere, vt in eo iam non specie sed quod est grauius, mente retinerer. Quæ tandem cuncta solicite fugiens, portum Monasterij petij, & relictis quæ mundi sunt, vt frustra tunc credidi, ex huius mundi naufragio nudus euasi.* Ante vero, quam Religioni nomen daret, bonam fortunarum suarum partem in pauperes ac Monasteria effudit. Nam sex in Sicilia extruxit: septimum ac præcipuum Romæ posuit, vbi sæculo excusso latitare, vitamque religiose degere animo sederat. Ita bombyx sericam sibi casam molitur, in qua viuat, ac opere exacto vitam exhalet: conditurque digno se mausoleo.

S. Greg. Turon. l. 10. hist. Franc. c. 1.
Varios in vrbe magistratus gessit.

Cassiod. variar. l. 7. c. 4.

D. Greg. Mag. prolog. Moral.
Catenam a mundo iniectam fortiter rupit.

Quam arcte se vero cum Deo coniungere instituerit, vel hinc cognosce, quod statim in primo limine ea abiecerit, quæ cæteri summo studio conquirunt. Ædes enim parentum maiorumque, nulla familiæ habita ratione, æquauit solo: earum loco Monasterium ad maiorem Dei gloriam statuit. Charitatem erga alios, serio Christum suis discipulis inculcasse didicerat: quocirca Cœnobio hospitium adiunxit, quod egenis pateret, vbi irrepentes humanissime excepit: fame, siti, morbis laborantes, curauit. Cæterum domus Gordiani, patris Diui Gregorij, Cliuum Scauri insederat, nobilem montis Cælij portionem, ædificiorum magnificentia olim superbi; at singulis immorari, nostrum non est. Sufficit dixisse, maiorem eius partem aliquando ad S. Benedictũ pertinuisse. Illum ipsum cliuum Patritius Tertullus, S. Placidi protomartyris nostri genitor, incoluit. Ædium locum postea Monasterium S. Erasmo dicatum occupauit, superstite etiamnum glorioso Patre nostro. Ibidem insigne Monasterium SS. Iohannis & Pauli positum est, domicilijs ipsorum in templum Dei versis. Incolas primos ab Ordine S. Benedicti accepit: quibus labentibus annis Canonici: his autem agente Nicolao V. Iesuati, Congregationis pauperum Christi, quam S. Columbinus instituit, successerunt. Eundem quoque montem tenuit Asceterium S. Stephani Rotundi, cui hoc nomen à templi forma natum. Demum vastato à Longobardis Monte Casino, Monachis Romam se recipientibus Pelagius Pontifex Max. Ecclesiam S. Iohannis Lateranensem concessit, quam etiam Mons Cœlius fert: sed in Cliuum Scauri nos reducamus.

Monasterium & hospitale condidit in monte Cœlio.

P. Petrus Arenalus procurat. Cong.

Descendenti de monte, SS. Iohannis & Pauli Monasterium à dextra occurrit: fronti Septizonium, Septimij Seueri Imperatoris opus, se obijcit. Ædes Gordiani illum situm occupasse suspicamur, quem antiquissimum Mineruæ templum quondam habuit. Debebatur profecto locus sapientiæ dicatus D. Gregorio eiusque Monasterio, vnde tanta lux toti terrarum Orbi, tanta sapientia aspersa fuit. De Mineruæ fano hæc canit Ouidius:

Ouidius 3 Fast.

Cœlius ex alto qua mons descendit in æquum,
Hic vbi non plana est, sed prope plana via est.

Parua licet videas vasta delubra Mineruæ:
Quæ Dea nata'i cæpit habere suo.

Paruæ reliquiæ magnifici operis supersunt hodie.

Viden' hæc in Cliuum Scauri conuenire? Hic proinde D. Gregorius Cœnobium, quod seruos Dei Monachos, Ptochodochium seu hospitium quod pauperes acciperet, posuit, inter præcipua Romæ habitum. Sed tempus quod omnia consumit, nobis parum reliqui fecit. Monasterium igitur cum templo, S. Andreæ Apostolo dicatum fuit, à quo Gregorius deuote pendebat. Sequentes anni S. Andreæ S. Luciam: vel quod ferunt alij, S. Lucam addidit. Nam obita Constantinopoli legatione illius brachium, huius autem caput attulit. Hac deinceps appellatione abolita, SS. Andreæ & Gregorij nomen asciuit: vltimo huius solius constanter hæsit. Facies loci nunc talis est.

Parietinæ veteres in casum pendent passimque magnorum ædificiorum ruinæ, quid fuerint, testantur. Nihil hodie integri, nihil ornati cultiue conspicias, præter cœnationem seu pauperum triclinium; nec tamen certo constat, num illi sæculo debeatur. Subeuntes portam, exiguam in Ecclesiam incidunt, à dextra stantem, solo S. Andreæ titulo insignem, & tum primum erectam, quando magnifico S. Andreæ templo à D. Gregorio condito, conditoris nomen impositum fuit. Interesse enim videbatur, vt S. Andreæ nomen in paruo saltem sacello perduraret. Prima domus area, cui à tergo triclinium pauperum quotidie olim ibi discumbentium adhæret, ambulacrum exhibet, viginti passus longum, firmis de marmore columnis laquearia sustinentibus. Anterior pars elatior in quatuordecim passus explicatur, & hemicycli formam refert. Hic pede stat in vno transuersa de lapide pario mensa, quindecim ferè palmos longa, quinque lata, vnum crassa. Marmoreum hoc fulcrum rotundum est, septemque palmos altum, cuius ambitus duodecim numerat, in varias effigies elaboratus. In pretio hic lapis est, quod S. Gregorium & duodecim pauperes quotidie conuiuio acceperit. Parietes passim miracula huius Diui exhibent.

Ædes S. Andreæ.

Triclinium pauperum.

Vlterius tendenti obuiam fit ædes Cardinalis Commendatarij, quem sex millia nummûm aureorum quotannis ex Monasterij huius reditibus capere dicitant. Inde in domum Monasterij templumque olim S. Andreæ, nunc D. Gregorij, deserta, si non conditu, saltem forma situque huius Sancti. Gratia & pietas fabricæ intelt, sine splendore tamen, quē hodie captat Roma. Dextrum latus Choro proximū sacellum aperit, D. Gregorio sacrum. Huic aditus paruam in cellam patet potius, quam sacellum, in qua depressa cauerna hiat, hominis vnius incumbentis capax. D. Gregorij quiescentis imaginem exhibet. Lectum pœnitentis fuisse, aiunt. Clathria munitur illucente lampade, magnamque spectantibus inijcit religionem.

Lectus pœnitētis

Re vna hoc templum antecellit omnibus templis, Romæ ac alibi locorum gentiumque sitis. Videlicet quatuor altaria priuilegiata numerat, hac gratia ab ipso D. Gregorio donata. Vnum, pro ara maxima est: Alterum, sacellum tenet: tertium & quartum spatia alia occupant. Nulla in Ecclesia Dei antiquiora sunt, quæ hoc priuilegio gaudeant. Prima igitur ac cæterorum exempla sunt. Hinc Bullis ea clausula annecti consueuit, ita concedi priuilegia, sicuti instituerit suisque altaribus concesserit S. Gregorius. Nimirum vt ex vltricibus flammis animam eximat sacerdos, si ad huiusmodi aram pro ipsa sacrum faciat. In templum, quo de agimus, sacri mystæ totis octo diebus, quibus fidelium animarum memoria fit, densi confluunt. Accedit, hanc vrbis partem olim valde cultam; Monasterium vero commune Mausoleum fuisse. Vestigia luce clariora cœmeterium, ac altæ ossium strues sunt, vt totam prope Romam eo confluxisse existimes. Quin reliquo etiam anno feruet hoc limen à dicentibus ac audientibus triginta missas, quas vocant Gregorianas, eo quod ab ipso pro instrandis demortuis sint institutæ. Reliqua rudera haud libet persequi. Locus hodie parum salubris habetur, quod aer non vt olim hominum frequentia, & excitatis vbique focis expietur. Qua de causa Patres Camaldulenses, qui Monasterium possident, alias in ædes secedunt æstate incumbente, relictis tantum qui Ecclesiam curent.

Quatuor aræ priuilegiatæ.

Variam sortem Monasterium hoc subiit. D. Gregorius à principio Monachos Ordinis S. P. N. Benedicti introduxit, cui ipse quoque nomen dedit. Densum egregiorum virorum numerum ibidem eduxit, qui bonam operam non modo in Italia, sed foris etiam rei Christianæ nauarunt. Cui enim non auditus Marinianus est, Archiepiscopus Rauennas? S. Maximus, Archiepiscopus Saragozanus? SS. Augustinus, Laurentius, Honorius, Iohannes, Archiepiscopi Cantuarienses: Paulinus Eboracensis, Mellitus Londinensis (post Cantuariensis,) Mellitus Rocestrensis, Episcopi, celebres illi Angliæ Apostoli? His S. Isidorum addimus, Siciliæ Episcopum, quem aliqui imperite Isidorum faciunt Hispalensem Archiepiscopū, quasi D. Gregorio in disci-

Præclara lumina Orbi & vrbi accendit S. Andreæ Monasterium.

in disciplinam se daturus, ex Hispania traiecerit in Italiam, quem errorem alibi vngue notabimus. Ei XV. Ianuarij dies sacer est. Monasterio insuper S. Andreæ debentur SS. Antonius, Merulus, Iohannes, quos ad XVI. Cal. Februarij Ecclesiæ fasti notant. Sed quis insignes heroas, quos reque hic Troianus effudit, memorando assequatur? Lapsis aliquot sæculis à nostris ibidem peractis, Monasterium Monachos accepit Græcos, idoneo teste Iohanne Diacono. *Quapropter*, inquit, *sicut constat Gregorianum Monasterium à Latinitate in Græcitatem necessitate potius quam voluntate conuersum, ita fideliter præstolamur in Latinitatis cultum denuo reuersurum.* Tempus causamque mutati Ordinis frustra indagauimus, id tamē animaduertimus etiam Monachos Græcos in hoc D. Gregorij Asceterio frugi fuisse. Nam Nicolaus primus Pontif. Max. SS. Cyrillum & Methodium inde prōptos, Euangeliū promulgare iussit, qui sacra expeditione suscepta, varias prouincias regnaque obieruot, veluti Poloniam, Bohemiam, Morauiam, quorum sudore Ecclesia Dei maiorem in modum aucta fuit. Vota ounc cupauerat Iohannes Diaconus, vt Superis fauentibus migrarent Græci, postliminio redirent Latini: votorum compos factus est. Nam Monasterium Ordini S. Benedicti, & hic Monasterio restitutus est. Multi deinceps Abbates, multi Cardinales hinc petiti, quod virtus ac eruditio Benedictina suum mōtem denuo obtinuissent. Eos suo loco sistemus. Demum Roma toties inimicis bellis vexata; Abbatibus quoq; Cōmendatariis maiorem fortunarum partē auide glutientibus, ad rerū hominumq; penuriam nobile Monasterium redactum est, quod Gregorius XIII. tandem Monachis Congregationis Camalduleñis credidit. Magno nobis solatio esse debet, supra millesimum annum euectū Asceterium, in eam deniq; Congregationem incidisse, quæ Regulam gloriosi Patris Nostri Benedicti profitetur, quæ grauitate, sanctitate, seueræ disciplinæ studio tota Italia celebratur ac omnium ora meretur.

Iohan. Diac. de S. Greg. l. 4. c. 26.

Hodie à Camaldulensibus possidetur.

Vbi fabrica supremā accepit manum, nil antiquius habuit Gregorius quā vt Domini consilio morē gerendo, *omnia diuenderet: pauperibus diuideret.* Postmodum veluti fracta tempestatibus naui, nuda, teste Iohanne Diacono, portum Religionis tenuit: arte laboratas vestes, aurū, gemmas, cupidius exuit, quam induerat. Vultus animusque succedentis Monasterio ita ardebant, vt facile intelligeres Dei amore succensum, tantum opus aggredi. Orationis & sacrorum voluminum multo studiosissimus erat, quibus voluendis etiam cū adhuc magistratus gereret, bonas horas impendere consueuerat. Corpus adeo molliter non habebat, vt potius tanquam in hostem, grauiter in id animaduerteret. Quæsitissimæ deliciæ, quas in Monasterio admittebat, legumina erant, à S. Syluia matre cocta, missaque. Pater iam diem suum ante obiuerat, quam ipse Religioni nomen dedisset. Spiritus longa abstinentia, continua oratione, cōtemplatione, perpetuis vigiliis, pœnis vltro asceitis effultus, sublime tolli debuit profecto, & in adamantem durari: at corpus hoc modo fractum extenuatumque ita demum defecit, vt aliquando pridie Paschatis ieiunium tolerare haud potuisset, nisi S. Eleutherius vires ipsi cœlitus impetrasset. Vt vero totū S Gregorium cognoscas, non absurde fecero si speculum tibi obiecero; cuiusmodi ipse exhibuit, cum Orbi S. P. N. Benedictū ostenderet. *Cuius si quis velit subtilius mores, inquit, vitamque cognoscere, potest in institutione Regulæ omnes magisterij illius actus inuenire: quia sanctus vir nullo modo potuit aliter docere, quam vixit.* Cape sis ergo Commentarios, quos vir hic diuinus in Iobum lucubrauit. Mores, virtutes heroicas, quibus præditus fuit, tanquam in claro speculo vel scita tabula conspicies. Qui altius mora, lea in virtutes penetrauerit, qui pulchrius in lucem eas protulerit, sol alium nō vidit, Ecclesia Dei non habuit. Quod si igitur Sancti id faciunt quod dicunt, certe passibus æquis doctrina S. Gregorij moresque in Monasterio ambularunt.

Matth. 19.

Ioh. Diac. l. 1. c. 6. Positis honoribus humilem Monachum D. Gregorius induit.

D. Greg. l. 2. Dial. c. 36.

CAPVT II.

D. Gregorius Monachus Ordinis S. P. N. Benedicti fuit.

Ea quæ hactenus retulimus, tenebris ac litibus carent. At deinceps magno murmure cœlū nobis terraq; miscebitur, Cæsare Baronio auctoritate, gratia, gloria, quibus florebat, solum ipsum non secus quā nube prætexente, ac Ordini nostro litē super monachismo D Gregorij summis viribus mouente. Enimuero hic Ecclesiæ Dei Doctor communi veterum nouorumque scriptorum calculo in Album Monachorū S. P. N. Benedicti dudum illatus, nuper à Baronio expunctus est. Nobis in mentem venit, dicere in illustrissimum Cardinalem, quod D. Gregorius In incredulum Apostolū: *Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem quā fides discipulorū credentiū profuit.* Omnes quot quot res Gregorij Magni hactenus attigerunt, Ordinis S Benedicti fuisse ingenue affirmarunt, neque argumenta ad fidem faciendam attulerunt, quod nemo omnium

Baronius Gregoriū Magnum ex albo Monachorum D. Benedicti expungit.

D. Greg. hom 26.

homi-

hominum esset, qui in dubium id vocaret. Solus nunc Cardinalis instat & vrget, vt omnes credamus contrarium. Proinde ad viuum resecanda res est, tantoque diligentius, quod sæculi sui phœnix inter historicos Baronius auctoritate polleat; nec vnquam sine pondere ictum vibret. Ne vero multæ quæstiones ab historia nos abducant, rectissime nos facturos putauimus, si vnum in locum capita litis conijceremus, quam Baronius Iohanni Diacono intendit, vt illi quibus bilem aut nauseam huiusmodi certamina ciere solent, vno saltu in viam, hac disputatione distractam, traijcere se possent.

Iohan. Diacon. 4. lib. Asserimus igitur ex Iohanne Diacono, D. Gregorium habitum S. Benedicti ad S. Andreæ Romæ sumpsisse: in Monasterio sanctissimam vitam duxisse: iugum Regulæ subijsse: religiosissime tulisse: cœtum illum sacrum, tantis præclaræ eruditionis virtutumque exemplis perculsum, Abbatem ac ducem legisse. Sub hos vero annos à Benedicto I. Pontifice Max. Diaconum Cardinalem creatum: à Pelagio, qui in sedem Romanam Benedicto successit, Constantinopolim Legati nomine missum Hæc cum Iohanne Diacono sentiunt, scribunt, dictitant, euulgãt, omnes historici, Baronio vbiq; caput quassante. sed age sis, audiamus quę verba historicis antiquis historicus nouus inijciat. Gregorius fuit Monachus, inquit, instituti S. Equitij, cuius ipse vitã litteris prodidit: nec tã cito habitum induit, quã Iohannes Diaconus sibi persuadet. A vero enim alienissimum autumat, Benedicto I. sacrorum summo Antistite, inter Monachos iam nomen professum Gregorium: multo minus fieri potuisse, vt in senatum Patrum purpuratorum conscriberetur, in quem sub Pelagio II. primum sit admissus. Vt vero dicta sibi ad vnguem conueniant, Monachismum Gregorij in breuissimum cogit tempus: nimirum anno quingentesimo octogesimo primo Monachum induisse: quingentesimo octogesimo tertio à Pelagio Diaconum Cardinalem renunciatum, nec biennio quidem integro in Religione extracto. Vnde profecto aliter facere non potest, quam vt fasces Monasterij eidem eripiat negando Abbatis munere functum, quod facit. Vnius enim ac dimidij anni spatio ita multa ei accidere haud potuissent, quæ Iohannes Diaconus memorat. Vt alia igitur dissimulemus, quatuor capitibus pugnant, quem diximus, Iohannes Diaconus & Baronius: quam Regulam Gregorius sectatus sit: quot annis Monachum egerit: num Monachis præfuerit, quo tempore Cardinalis creatus sit.

Tribem. de scrip. Eccles. Postquam Baronius in aliam viam se conieceit, vt à Iohanne Diacono (quem cum aliis Trithemius à moribus & doctrina percelebrat) diuersus iret, suis, vt fit, vinculis implicitum se sensit, è quibus vt euaderet, sui facti rationem sic reddit. *Baro. 581.* *Aggressuri itaque iam nos ordine temporum res mirifice gestas eiusdem Sancti Gregorij recensere quoniam contingit interdum à Iohannis Diaconi, qui vitam eius scripsit sententia discrepare, ne hoc nimirum audax alicui videri possit, cum auctor absque reprehensione hactenus lectus fuerit, hic primum de ipsius auctoris tempore, quo scripsit, pauca agendum putamus.* Floruit Leone IV Nicolao I. Adriano, & Iohanne VIII. Pontificibus, ac vltimo inscripsit opus. Præsensit igitur Baronius futuros qui parum probarent, quod candido scriptori laudatoque hactenus, labem vnus ipse solusque imponere auderet. Ne porro hac de causa culpandus censeretur, Iohannem Diaconum trecentis fere annis Gregorio posteriorem, non oculatum sed auritum duntaxat testem rerum ab eo gestarum esse, admonet. At si ob trecentos annos, nec eos integros, à grauissimo auctore discedere licet, veniam nobis profecto illustrissimus Cardinalis Baronius dabit, si in ipsius sententiam nouam D. Gregorio tanto posterioris, haud eamus. Nam mille post Gregorium annis calamum in manus sumpsit, totque sæculis à Diuo remotus, nil concedendum putat multo propinquiori. *Suo se gladio iugulat Baron.* Si oculatus testis non est, qui abhinc septingentis quinquaginta annis acta Magni Gregorij scripsit quid ille viderit qui mille annos post venit, non videmus.

Solet cætera Cardinalis os eo referre, vbi Pontifices summos vestigia habere animaduertit: laudare quæ illi probant: vituperare quæ reprehendunt: vt non iniuria miremur, cur hic consuetudine versa ad incudem S. Gregorij vitam vocarit, à Iohanne Diacono conscriptam, cui Iohannes VIII. non modo vnguem nullibi impressit, sed plausum dedit, quod ex auctoris prologo ostendere promptum est. Forte Episcopi ad festa D. Gregorij agenda frequentes confluxerant. Cum in peruigilio arrectis omnibus lectio de Paulino Episcopo Nolano recitaretur, vehemens cunctos incessit admiratio, Sanctissimum Pontificem tot seruorum Dei acta memoriæ prodidisse, carere tamen Lectionibus propriis in Ecclesia Romana, quam gloriosissime gubernasset, cum proprias Longobardi & Saxones præ manibus haberent. Inde Iohannes Papa VIII. negotium Iohanni Diacono dedit, vt vitam illius componeret. Causam cur tergiuersatus sit prius, quam hunc

Iohan. Diac. prologo.

laborem caperet, ipse exponat. *Dum ego propria inertia conscius me meis prioribus, ac per hoc sapientioribus, qui vitam eius, licet breuiter, tamen pio conatu pulcherrimoque stylo scripserant, conferre penitus dubitarem, identidem iubendo vehementer hortatus es, vt Romanæ sedis Pontificem, eiusdem sedis Præsulis auctoritate, cui Deus Omnipotens probandorum seu repellendarum scriptorum omnium specialem dederit procul dubio potestatem. Itaque tam imperiosis auctoritatibus tandem compulsus, vix primum librum Gregorianæ vitæ compleueram, quando in eiusdem Vigiliis annua vertigine reuolutis, sua probauit pariter ac publicauit auctoritas. Ergo sollicitior factus, pauca de multis, te susceptore, te præceptore, te fautore, teque iudice colligens, in libris quatuor, auxiliante Domino, coarctaui.*

Historiã de Gregorio Magno à Iohanne Diacono cõditam Põtifex Max. approbauit.

Vides vt Pontificis Iussu auspicioque opus hoc cœptũ, perfectumque est? vulgatum per Ecclesiam? excerptæ inde Lectiones, festiua luce huius Diui recitandæ pro Matutino? Neque Papæ approbationem à nobis requiras, quasi Iohanni Diacono in promptu fuerit de se scribere quod lubebat: nam Imposturæ locus esse non potuit. Libros Pontifici inscripsit: quod egregium laborem eiusdem imperio susceperit, ipsum Pontificem testatus est: quæ nec vanissimus bipedum fingere ausit. Sed exemplum ab ipso Baronio petamus, dignum quod per litteras æternet. Clemens VIII. æstimata illustrissimi viri erud tione cum virtute coniuncta, venerandam ei purpuram voluit imponere: sed cordatus ille aduersus honores, obniti, resistere, abnuere, alia omnia malle: nec prius humeros submisit, quam summus Pontifex pro imperio iuberet. Hanc vero pugnam & Papæ victoriam ipsemet describit Prologo, quo septimo Annalium Tomo proludit. Quem iam tanta ceperit dementia, vt earum hoc & memorabile animi submissi exemplum in dubium adducere queat, cum Baronius Pontificem ipsum, cui Tomum illum dedicatum iuit, in testimonium vocet? Pro certo igitur habendum, D. Gregorij vitam à Iohanne Diacono conscriptam Iohanni VIII. Pontifici Max. visam, lectam, probatamque esse: proinde nullius dentibus rodendam, nullius litura inducendam, minime vero omnium Cardinalis Baronij, auctoritatem sedis Apostolicæ vbique ardentissime propugnantis. Quamuis enim liber obtento Pontificis calculo, non ideo sacer & Canonicus censendus sit, omni errore vacuus, meretur tamen maiorem fidem, dicamus etiam reuerentiam, quam Cæsar Baronius actis D Gregorij habeat, à Iohanne Diacono

Baron. Prol. to. 7.

lucubratis, non triuiali viro, sed sui sæculi sequentiumque ornamento: optimæ apud Pontifices & historicos semper notæ, donec nuper Baronio alterisceis opportunus visus est. Nunc ad rem.

Negat Cardinalis Gregorium vnquam D. Benedicto, nostri Ordinis Duci, nomen dedisse: affirmat Iohannes Diaconus, qui translationem Gregorij Magni à Gregorio IV factam describens, *Porro*, ait, *in exilitate baltei, qui vnius pollicis mensuram nunquam excedit, speciem propositi Regularis, olim à S. Benedicto statuti, cuius ipse vitam describens in Dialogo, Regulam quoque laudauerat, eum seruasse, luce clarius manifestat: præsertim cum idem Venerabilis Doctor Gregorius græcam linguam nesciuerit, & sui Monasterij Monachos, Benedicti vtique Regulis mancipatos, in Saxoniam destinauerit.* Quibus verbis nouam facem cap. 82. accendit: *Quod vero Monachi*, dictitans, *qui à Gregorio in Saxoniam missi sunt, S. Benedicti Regulæ fuerint mancipati, inter alia etiam illud ostendit, quod ex ipsius discipulis vix potest in illis partibus Monachus aliquis inueniri, à quo non obseruetur tam in proposito Regula Benedicti quam in habitu.* Hisce tam luculentis Iohannis Diaconi argumentis nihil addimus: eorum tamen momenta expendere operæ precium est.

D. Gregorius fuit Monachus S.P. N. Benedicti.

Iohan. Diac. l. 4. c. 80. & 82.

Primum argumentum ab habitu S. Gregorij ducitur; nimirum inspectas fuisse vestes cum transferretur, indeque apparuisse, Ordini eum D. Benedicti deberi. Zonam enim, quæ magni Ecclesiæ Doctoris coercuisset togam, vnum tantum digitum fuisse latam. Faciamus nunc forte fortuna aperiri sepulchrum: in eo deprehendi compertæ sanctitatis Religiosum, quem alba vestis inuoluat, qualem nos apud Augustiniani & Dominicani induunt. Orta quæstione, vtrius Ordinis fuerit, si cingulum quatuor digitos latum corpus vinciat, ad S. Augustini familiam eum pertinere, exclamabimus, eo quod Dominicanorum cingulum longe angustius esse consueuerit. Sub annum octingentesimum septuagesimum, quo Iohannes Diaconus litteris ac fama floruit, in tam multas tamque diuersas familias effusi Monachi haud erant in Italia, velut hodie. Monasteria enim huius nationis iam in Regulam S. P N. Benedicti concesserant, nisi quod pauci Græci, qui ab Imperatoribus Constantinopolitanis acerbe vexati, Romam confugerant, à Pontificibus vrbe donati, Regulam Sancti Basilij sequerentur, per Asiam vulgatam: lumbos autem zona coriacea lata præcingebant secus quam nostrates qui vte-

Nam cingulum Benedictinum in tumulo ipsius repertum, fidem facit.

bantur angusta. De Regula S. Equitij nihil à quoquã memoratur. *Quod non est*, inquit Aristoteles, *non scitur*. Regulam sanciuit nullam, proinde nullos Monachos habuit, qui eam profiterentur. Quodsi aliquibus præfuit, leges illis dixit potius quam scripserit, vt id temporis consuetudo apud multos etiam alios Abbates obtinuerat. Huiusmodi autem præcepta cum ipsis Monachorum Antistitibus sunt extincta. Quid? si D. Gregorius in Regulam aliquam Equitij iurasset, cur amabo te, nullam Regulæ illius facit mentionem, dum vitam Sancti huius solerti calamo diuulgat? Quocirca Ordo S. Equitij, Regula S. Equitij, nomina sunt, ideæ Platonicæ sunt. Italiam Monachis Latinis & Græcis cultam, Iohannes Diaconus affirmat: Ordinem Equitianum silentio premit, quod nemini visus, nemini auditus esset. Latini, sub signis gloriosi Patris Benedicti merebant, cingulo coriaceo angusto lumbos vincti: Græci adhibebant latum. At corpus D. Gregorij è sepulchro erutum zona ambiebat, cuius latitudo digitum toto non excedebat. Præter hanc genuinam habitus Benedictini notam, etiam hoc Iohannis Diaconi argumentum habe: *D. Gregorium Græca lingua peritum haud fuisse, ideoque Regulæ S. Benedicti adhæsisse*: quam argumentandi rationem Logici sibilis exciperent, si Regulis etiam aliis quam Sancti Benedicti Romæ locus fuisset.

Ordinis vel Regulæ S. Equitij non meminit Gregorius, qui tamen eius acta litteris mãdauit.

Baronius, dum annum quingentesimũ octogesimũ primum euoluit, & Catalogo Monachorum S. Benedicti nomẽ Gregorij subducit hoc telum itavitat, vt argumentũ tacitus prætereat. Pari silentio sub annum octingentesimum vicesimum octauum etiam quibusdam aliis respondet, cum tamen firmamenta, quæ suæ sententiæ stabiliendæ affert Iohannes Diaconus, dissimulare non debuisset. Igitur non castria, non armis exuit pugnantem pro Ordine nostro antiquissimum scriptorem Iohannem Diaconum, sed tantum Fulgentius & Cassianus, inquit, omnes Occidentis Monachos huiusce formæ cingula vsurpasse, referunt. Atqui S. Fulgentium & Cassianum nil moramur, quando integra annorum centuria D. Gregorium antecesserunt. Vel cedo, nũ huius rei testes esse potuerint, quibus ne lincis quidem oculis futura intueri licuit? Iohannes Diaconus narrat sua ætate gesta: à maioribus continua annorum serie accepta, sæculis superioribus comperta.

Alterum argumentum Diaconus petit à laudibus, affectu, verbis singularibus, quibus D. Gregorius Regulam nostri Patris fere prosequutus est, quoties eius iniecit mentionem. Pondus huic argumẽto inesse is demum intelliget, qui ardentem, qui spirantem ipsius animum, quasi ex insidiis, obseruauerit, dum de Regula S. Benedicti verba facit. *Nolo te lateat Petre*, inquit, *quod vir Dei inter tot miracula, quibus in mundo claruit, doctrina quoque verbo non mediocriter fulsit. Nam scripsit Monachorum Regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam*. Non satis fuerat Ecclesiæ Doctori, laudibus extulisse S. P. Nostri vitam, nisi encomiis Regulam quoque ipsius cumulasset. Porro cum diuinos libros explicat, rarissime auctores alios attingit; Commentario tamen in 4. librum Regum, quo Deum non faciles populo præbuisse aures memorat, Regem poscenti, quod status ita leuiter mutandus haud sit, sed finis respiciendus, num perdurare queat, S. P. N Benedictum in exemplum producit. *Qui arctissimam*, inquit, *conuersationis viam imperant, nouiter accedentibus facile habitum non impendant. Quare & eiusdem arctissimæ vitæ magister optimus, summæ veritatis discipulus eruditus, præcipit dicens: Probate spiritus si ex Deo sint*. Et iterum: *nuncientur ei dura & aspera, per quæ itur ad Deum*. Ne te igitur lateret, quanti ipse S. P. N. Benedictum faceret, lucem scripturæ sacræ declarandæ ipsius de Regula accendit. *Insuper proprio nomine presso, Magistrum optimum arctissimæ vitæ, & Discipulum summæ Veritatis eruditum*, appellat. Si proinde D. Gregorius, mundo valere iusso, ad vitam aspirauit perfectam (nam S. Equitij habitum ab eo sumptum affirmat Baronius, quod in prouincia Valeriæ Monasteria essent perfectissima) non erat profecto cur foris foderet puteos, cũ domi fõtes haberet. Regula S. Benedicti ante oculos posita erat: Regula, ipsiusmet testimonio discretione præcipua. Vitæ arctissimæ magistrum optimum S Benedictum credebat: eruditum summæ Veritatis discipulum. Cur igitur se vertisset alio, disciplinæ cœlestis addiscendæ studio? Vel cum arduam ad Superos viam affectaret, *cur arctissimæ vitæ Magistro optimo* prætérito, nescio vbi locorum quæsiuisset alterum? Ergo illi operam dedisse existima, quem tantopere laudauit: quem cæteris antepofuit.

Iohan. Diac. c. 80 Regulam S. Benedicti verbis singularibus commendauit: D. Greg. l. 2. Dial. c. 30.

Idem l. 4. Reg. c. 9.

Reg. S Bened. c. 58.

Hinc tanta quoque diligentia Regulam S. P. Nostri approbauit, vt eam non modo laudibus efferret, sed etiam seruari iuberet, qua lingua latina pateret. Approbationem in archiuo Sublacensi inuentam esse Baronius vltro fatetur. Adhæc anno sexcentesimo primo idem Pontifex, grauissimis tum quidem negotiis implicitus, Concilium Romæ coegit, quo Monachorum Ordinis nostri quieti & liber-

Baron. ann. 595. Eandem approbauit. Concil. Lateran. sub Greg. I

Vt Monachis nigris consuleret, Romæ Conciliũ coegit.

tati consuluit. In hoc, nec non etiã in Epistolis Decretolibus Registri, sæpe ipsis Regulæ verbis vtitur, vnde facile intelligas eum S. Regulam sæpissime triuisse, vel etiam memoria tenuisse. Aliter huius verba aut phrosin ita in promptu habiturus non fuisset. Argumentum hoc etsi ignaros Regulæ forte non moueat, apud nos tamen eadem imbutos, mogni ponderis est. Italus vel Gallus linguæ suæ idiotismum facile sentit, quem exterus non aduertit, non penetrat: ita nos S. Benedicti stylus ac verbo fallere non possunt. Atqui nec ouum ouo tam simile est, quam Concilium Regulæ, si spectes dictionem, vt facile intelligas D. Gregorium S. Benedicti filium, ore sui patris verbo fecisse. Si denique veteri veroque fertur prouerbio, *qualis vir, talis oratio*, nec colloquium cum alio inimus, quin io officij sortisque suæ quom primum inijciat mentionem, inficiari profecto non possumus, D. Gregorium S. Benedicti fuisse discipulum, cuius dictionem verbaque ita passim fundit, vt non aliunde quam ob hoc magistro imbibisse fatendum sit.

Verba Regulæ in promptu habuit.

Reg. S. Bened. c. 64.

Breui interuallo Cõcilium, auctore Gregorio, ter S. Regulæ verba subijcit, videlicet statuendo vt Abbas præficiatur, *Quem concors fratrum societas elegerit*. Et ne Monachi vagentur extra Monasterium, *Quia non expedit omnino animabus eorum* Item, ne Episcopi Abbatum iurisdictionem imminuant, *Quatenus Monachi semper maneant in Abbatum suorum potestate*. Neque dubium est illos, qui litem hanc nobis intendunt, nostram in sententiam concessuros, si Regulam S. Benedicti memoriter callerent, quod Nouitij nostri facere consueuerunt. Cum igitur Mognus iste Pontifex Regulam Sancti Benedicti summis laudibus offecerit: cum eam opprobaucrit vt primum potuit: cum libertati & quieti Monochorum sedulo prospexerit, qui in eandem iurassent: cum illius verba tam in prompto habuerit: cum rationem regendi Monachos ex eadem petiuerit, recte profecto Iohonnes Diaconus contendit, illum S. Benedicto nomen dedisse: Regulam penitus imbibisse laudandoque, tanto Magistro gloriatum esse. Quod si familiæ S. Equitij se intulisset, quis tandem eius de Regula Equitiona silentium æquo animo ferret, te obsecro! Nec semel quidem eius meminit, ac non modo non laudat, non probat, verum ne nominat quidem. Insuper S. Equitium nec Patrem, neque mogistrum appellat: nullibi verbum de eo iacit, nisi quod libro primo Dialogorum quædam ipsius miracula paucis exponat. Ar-

Reg. c. 66.

Cap. 23.

S. Benedictum pro patre & magistro celebrauit.

qui S. Benedicto totum librum secundum Dialogorum impendit. Aliorum Sanctorum res cito pede obit, paucis quibusdam notatis: S. Benedictum à capite ad calcem describit: initio à maioribus & incunabilia ducto, persequitur omnes ætatis eius gradus. Immo non prius manum de tabula sustulit quam gloriosum Patriarcham cœlo intulisset.

Tertium argumentum Iohannes Diaconus duo in capita disponit, quod maioris ponderis esse visa sint, quam superiora. Igitur. *Apparet*, inquit, *S. Gregorium S. Benedicti Regulam professum esse, quia discipuli sancti illius Pontificis, quos in Angliam ad prædicandum Euangelium misit, eam obseruarunt*. Item, *Monachos a S. Gregorio in Saxoniam missos, Regula S. Benedicti fuisse mancipatos, inter alia etiam illud ostendit, quod ex ipsius discipulis vix potest in illis partibus Monachus aliquis reperiri, à quo non obseruetur tam in proposito quã in habitu Regula S. Benedicti*. Palmare argumentum, ab experientia, veritatis matre, profectum. Monachi enim qui de Ordine Sancti Francisci expeditionem in Peruana regna susceperunt, non condiderunt Monasteria Carmelitis: neque Trinitarij in noua Hispania sacram Mercenoriorum familiam propagarunt. Quid tibi vis? Tunica propior pallio est. Quilibet Ordo in id incumbit, vt sibi aret, sibi serat, sibi metat, sibi, non aliis, domicilia ponat. Neminem autem fugit illud, quod D. Gregorius sæpe memorat, Monachos ad Anglosaxones excolendum missos, è Monasterio S. Andreæ eductos, eiusdem Gregorij fuisse filios ac discipulos, veluti S. Augustinum, legationis caput, ante id ad S. Andreæ Priorem: S. Laurentium, S. Iustum, S. Mellitum, S. Paulinum. Hos omnes certum est Monasteria Ordinis S. Benedicti excitasse. Nam S. Augustinus Eliense condidit, nec non aliud D. Petro sacrum extra Cantuariam: S. Mellitus Westmonasteriense, historicis decantatissimum: sed ne longum faciamus, nullus horum vel sociorum S. Equitio Asceterium vel domum extruxit: quin potius omnia statere D. Benedicto. Polydorus Virgilius, calamo suo nobilis, infinita refert. Baronius ad annum sexcentesimum sexagesimum quartum Monachos ait Fundatorum suorum studiosissimos esse, neque pati acta eorum è memoria sibi eradi. Sed ipsa Cardinalis verba cape. *Videmus exemplis, quosuis etiam regularis disciplinæ solutissimos Monachos sui ipsorum institutoris memoria tenacissimos esse, vt pro ea conseruanda parati sint vitam quoque profundere*. Summis igitur viribus parta tuentur boni malique sine discrimine, Baronio fa-

Iohan. Diac. c. 80

l. 4. c. 32. Illius discipuli fuere D. Benedicto initiati.

Amplissima Monasteria S. Benedicto condiderunt, at S. Equitio ne quidem exiguam casam.

Polyd. Virg. l. 4. & 5.

Memorabilis vox Baronij.

teute, suum Institutorem, quæq; alia à maioribus acceperunt, mordicus tenent. Ergo si Monasteria, quæ discipuli ac filij Gregorij Magni fundarunt, Ordinis S. Benedicti fuere, cui tandem prudenti in mentem venire potest, ipsum Regulā diuersam sequutum esse? Vel cedo, si tam ipse, quam discipuli quos in Angliam misit, de familia S. Equitij fuere: si deinde Monachi tam impotenti studio in proprium feruntur Ordinē; qui factum quod Monasteriū omnino nullum suo Duci ac Patri Equitio, vel quod Regulam ipsius profiteretur, excitarūt? Cur eius incrementum adeo supine neglexerūt? Forte illis non fuit integrum, scilicet, Regulam bonam latius fundere. Nam si mala fuit, quo pacto S. Gregorius adduci potuit, vt ei nomen daret? Bonam sua fuit propagare. Ingratos ergo suum in Patrem fuisse oportet (quod tamen vitium à Sanctis alienissimum est) nullum ei penitus statuendo mnemosynon: nullum relinquendo Equitiani Ordinis vestigium; nullum eius Religionis indicium. Nec excusabunt Diuu insignem hanc pudendamq; Religionis suæ incuriam: per totam Angliam & Scotiā non Abbatiam vel Cœnobium, non Prioratum, non Cellam, non saltem humile mapale Equitianæ familiæ erexisse. At cessamus soli facem accendere, & arbores monstrare in sylua. Haud enim Ordinē alienū antepositurī fuissēt proprio, honoris sui Patris prodigi Quis, quęso, magno opere colit alienū agrum suo neglecto? Apparet igitur à vero minime Iohannē Diaconum aberrasse, scribentem vix Monachum suo æuo in Anglia reperiendum, qui aliam quam S. Benedicti Regulam profiteatur. Hæc vero sub annū octingentesimum septuagesimum tanquā testis ocular[9] publico calamo edidit. Quod si à principio Monasteria S. Equitij condita hisce in regnis fuissent, tam cito, tā funditus perire haud potuissent. Immo non solum Abbatiæ, sed etiā Ecclesiæ Cathedrales Ordinis S. Benedicti erant. Cum enim ipsius filij prouincias istas religione vera imbuissent, Gregorius Magnus S. Augustino in mandatis dedit, vt ad normam primitiuæ Ecclesiæ in locis Cathedralibus se componerent Monachi; hocque pacto vita Cœnobitica in huiusmodi Ecclesias introducta fuit. Cantuariensis, Lindisfarnēsis, Wigorneusis, Eliensis, aliæ, exemplum sunto. Nos suos in annos digessimus singulas, hic summo tantum ore contingimus. Ante alias autem breui sedes occurret Cantuariensis, à S. Augustino erecta, quæ solus excepit S. Benedicti Monachos, pro Archiepiscopo non secus quam pro Abbate suffragia ferente Religiosorum cœtu.

Discipuli D. Gregorij Ecclesias Cathedrales fundarūt.

Denique cum S. Mellitus ex Anglia redux Concilio adesset, à Bonifacio IV. Romæ habito, Clerici de gradu sacrorum Ordinū Monachos depellere conati sunt; quibus tamen Pontifex summus obstitit, atq; illos arcendos haud esse duxit, eo quod à S. P. Benedicto sacra hæc munia obire nō prohiberentur. Præsente igitur S. Mellito, Lōdinensi Episcopo, non aliud responsum Angliæ tulere Episcopi, quam Monachis administrare Sacramenta per Regulam licere. Ex quo S. Benedicti auctoritatem, quam ibidem obtinuerat, conijcias. Neq; tantum discipuli D. Gregorij Angliam impleuere Benedictinis Monasteriis, sed horum nepotes atq; posteri per Frisiam, Saxoniā, Thuringiam, Westphaliam, per inferiorē ac superiorem Germaniam effusi, pari cura, labore, vigilia Ordini S. P. N. Benedicti studuerunt, non magis S. Equitij memores, quam hominis non nati.

Beda l. 2. c. 4. vide Caus. 16. q. 1. c. Sunt nonnulli.

CAPVT III.

Diluuntur Cardinalis Baronij argumenta.

Argumenta nunc Baronij ad trutinā exigamus, vt tanto clarius appareat, quantum pondus insit veritati, nostra à parte stanti Equitius, ait, Pater multorum Monasteriorum fuit in Valeria, Italiæ prouincia. Deinde Valentius, qui imprimis Monasterio cuipiam Valeriæ præfuit, postea Abbas Monasterij S. Gregorij factus est. Igitur nullo is nexu Monachis Casinensibus iunctus fuit, sed illis potius qui è Valeria originem ducebant, vbi multa ipse Monasteria numerabat. Cum autem non nemo S. Equitium fecerit S. Benedicti discipulum, multus in hoc est, vt ostendat illum hunc antecessisse, prioremque monasticen coluisse. Item duodecim Monasteria Benedictum, ait, constituisse in Sublacu, sua vero Equitium Imposuisse Valeriæ. Fieri proinde non potuisse, vt iste esset illi subiectus. Cæterum Monasteria Sancti Benedicti Sublacum, Sancti Equitij Valeriam tenuisse, multis ex D. Gregorio confirmat, quasi alicui in mentem venisset, dubitare. Postremo cum Iohanne Diacono expostulat, quod D. Gregorij Abbatem nō fecerit Valentium. Neque hoc satis habet, sed Casino, Laterano, S. Andreæ Cœnobio Romæ, trib[9] nostri Ordinis clarissimis Monasterijs, Antistites ignotos imponit: necnō catalogos, à nostris multum diuersos, conficit. Cui non excidit historia, huc vsque à nobis perducta, suo Marte Baronij argumenta expugnauerit, me infenuatis manibus otiose spectante. Opus igitur

Momēta quæ affert Baronius.

tantum est, vellicare parumper memoriam.

Monachi Europæi in nomen S.Benedicti concesserunt.

SS. Basilius, Augustinus, Benedictus, percelebrati Religiosarum familiarum duces, non primi Monasteriorum fuere conditores, leges tamen quas suis quisque tulere, adeo ad Numinis diuini nutum exactæ factæque erant, vt pleraque Asiæ Asceteria, iam ante id excitata, in Regulam D. Basilij: Africæ, in D. Augustini: Europæ, & Occidentis, in D. Benedicti, concesserint, regulis particularibus non secus quam stellis à sole extinctis: vel riuulis à nobili fluuio exhaustis. Velim etiam in mentem tibi veniant multa Monasteria, viuente S. P. N. Benedicto fundata, iam superius relata, quibus breuitatis studio hic supersedemus. Si duodecim, non amplius, fuere: si deinde in sublacu ad vnum omnia stetere, herbam Cardinali Baronio porrigimus, vt par est. Quod si per Tusciam, Campaniam, Alpes, Siciliam, Galliam, Hispaniam fuere sparsa, ille pedem referat, necesse est. Certe cum S. Maurus quorundam animos mœrore depressos breui exhortatione erigeret, *Nam & Abraham Patriarcha,* dixit, *imperio Dei egressus de domo & de cognatione sua, terram peregrinationis suæ in posteris accepit in hareditatem. Itaque & nos nostra congaudentes peregrinationi, expectemus vt deuotissimi serui, consolationem Domini, & per omnia vestigia Patris nostri sanctissimi Benedicti imitari satagamus, qui relicta domo & rebus patriis, & ad vltimum nutricem suam occulte fugiens, ac soli Deo placere desiderans, tantam à Domino promeruit gratiam, vt nemini post Beatos & primos Apostolos vnquam fuerit secundus, sed potius Deo se iuuante, tot Sanctorum extiterit fundator Cœnobiorum, tantaque Domino acquisierit millia perfectorum Monachorum.* Atqui in sublacu nec quidem ducentos Monachos numerauit Sanctus Benedictus, quocirca eum alibi quoque terrarum Monasteria habuisse oportet. Tanta enim multitudinis deprædicatio in duodecim Monasteria, ducentosque Monachos non conuenit: nec S. Maurus, quippe testis oculatus, falli potuit.

Faust. vita S. Mauri apud Sur. 15. Ian.

Qui adhuc superstes quamplurima numerauit Monasteria.

Nisi forte clauum te expulisse credas, dictitando, S. Benedictum post fata primum sua tot *Sanctorum extitisse fundatorem Cœnobiorum, & tanta Domino acquisiuisse millia perfectorum Monachorum.* hanc enim exhortationem S. Maurus statim habuit, atq; gloriosum P. N. diem supremum obijsse, cœlitus didicit, quo temporis spatio ne vnus quidem Prioratus extructus fuit. Eorũ igitur Cœnobiorum meminit, quæ vel ipse S. Benedictus, vel eius filij, viuo suo Patre, fundarunt. Idem de tot millenis Monachis cense. Atque cum aliqua Hispaniæ Monasteria, veluti S. Petri Cardeñæ, S. Claudij Legione, S. Turibij Lenianæ, Lorbanense in Portugallia, condita fuerint vitã adhuc trahente D. Benedicto, verosimillimum est bonam partem infinitorum Monasteriorum, quæ S. Maurus tangit, ad Italiam pertinuisse, totius Ordinis originem, fontem ac caput. Ipse Baronius ad annum quingentesimum vicesimum nonum, postquam Prædicatorum, Doctorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, Præsulum, Episcoporum, Cardinalium, summorum Pontificum Ordinis S. Benedicti, qui Ecclesiã Dei partim illustrarunt, partim humeris suis tulerunt, ingentem copiam fuisse ostendit, vno de fonte tanta flumina profusa, ait, vt longe lateque prouoluta, totum impleuerint Occidentem. Admiratione profecto dignũ sit, diluuium hoc, quod totum Occidentem occupauit, tantum Valeriæ nullam guttam aspersisse.

Baron. 529.

Cæterum cum Baronius argumenta sua super hac lite à D. Gregorio petat, nolumus nos tabulas aut monumenta litterarum ex archiuis Hispaniæ afferre. Fausti quoque & Gordiani auctoritatẽ prætermittimus, qui nominatim exprimunt Cœnobia, diuersis locis à S. Benedicto posita. Collato igitur pede, D. Gregorium pariter adducimus, qui præter duodecim Monasteria sublacensia, alia insuper in promptu habet. *Alio quoque tempore,* inquit, *à quodam fideli viro fuerat rogatus* (S. Benedictus) *vt in eius prædio iuxta Tarracinensem vrbem, missis discipulis suis construere Monasterium debuisset. Qui roganti consentiens, deputatis fratribus Patrem constituit, & qui ei secundus esset, ordinauit. Quibus euntibus spopondit, dicens. ite, & die illo ego venio, & ostendo vobis in quo loco Oratorium, in quo Refectorium fratrũ, in quo susceptionem hospitũ, vel quæque sunt necessaria, ædificare debeatis. Nocte vero eadem qua promissus illucescebat dies, eidem seruo Dei, quem illic Patrem constituerat, atque eius præposito vir Domini in somnis apparuit. & loca singula vbi quid ædificare debuissent, subtiliter designauit.* Capite 35. aliud in Campania situ, Liberio Patritio conditore, memorat, vnde Seruandus Abbas ad eũ excurrere solebat. Sed nolo tempus & calamũ in re notissima conterere. Quod si Baronius duodecim tantũ Monasteria à S Benedicto extructa putauit, antequã in Monte Casino sedẽ fixit, à vero quidẽ non aberrauit, monere tamen Lectorem debuisset. Post captũ enim Casinum Montẽ, Monasteriis auctũ esse, sua & discipulorũ opera, quis inficiari, vel omnino hiscere, ausit contra tot testes?

D. Greg. l. 2. Dial. c. 22. Et quidẽ alia præter sublacensia.

Cap. 35.

Tritheм. l.3.c.11. VVion. 11. Aug.

An S. Equitius Regulæ D. Benedicti se submiserit, non pugnamus.

Aduertis etiam næ S. Equitium in familiam S. Benedicti haud trahere, quamuis Trithemius & Wion non sine causa id fecerint. Nam vt demus S. Equitium Nostro Patre fuisse maiorem ætate, nihil tamen absurdi commissurus fuisset, si Regulam ipsius, ita omnibus numeris absolutam, cum suis legibus priuatis commutasset. Nimirum in S. Romani senis vestigia iuisset, qui huiua rei exemplum fecit. Vt vt sit, pro comperto neutrum habetur. Nec constat quod Regulam vllam præscripserit; neque veteres auctores hoc Regulæ verbum vsurparuut, quando Equitij meminerunt: nouit etsi graues sint, auctoritate tamen ac fide laborant, cum ipsis integrum non sit, res antiquissimas historiæ inserere à priscis scriptoribus non acceptas, neque ex archiuis erutas, quæ solent errores detegere. Cardinalis Baronius nec tabulas producit, nec libros, neque archiuorum monumenta, qui bus confirmet S. Equitium instituisse Ordinem. Accedit eum neque Generalis seu capitis suæ familiæ nomine, cui alij atque alij deinceps successissent, Regulam tradidisse. Quocirca pro certo habeo, non modo Gregorium Magnum ipsius discipulum haud fuisse, sed illo demortuo, Monachos relictos S. Benedicto nomina dedisse, cuius Regulam id temporis Italia tota probabat, capiebat, pressis manibus tenebat. Multa quidem Monasteria, quasi iurabant in verba Abbatum suorum, eaque seruabant quousque superstites illi erant, quibus vita defunctis etiam expirabant ab ipsis sancitæ leges: qui vero iu munus succedebat, noua ex arbitrio suo condebat præcepta: demum in Regulam statam scriptamque concessum est. Hoc in Oriente euenit Regulæ S. Basilij: nec alia de causa omnes auctores S. Benedictum Patrem Monachorum Occidentis vocant, nisi quod Monasteria abdicatis Regulis particularibus, cōmunem ab hoc Patriaccha scriptam ceeeperint quam postea D. Gregorius approbauit obseruarique iussit, *vbicunque lingua latina legeretur*. Pontifici morem esse gestū, Iohannea Diaconus docet. Etenim factus fidem D. Gregorium Ordini nostro asserendum, non fuit Monachus Græcua, inquit; ergo Ordinis S. Benedicti. Claudo profecto argumento vsus esset, si aliis quoque Religionibus & viuendi modis in Italia tum locus fuisset.

Baronius vi magna nobis vult auferre, quē vltro damus.

Forte sat superque Baronio respondisse videbimur, S. Equitium frustra magno conatu è censu Monachorum S. Benedicti submouenti, eum à nobis adscitus non sit, nihil forte peccatoris, si aliorum auctorum momentis nixi, id fecissemus. Primum illius argumentum varie laborat. Non enim si Abbas Valentius imprimis S. Equitium est sequutus, postea ad S. Benedictum transire non potuit, exemplo cæterorum Monachorum Italiæ, qui Regulam S Benedicti tam perfectam, tam id temporis celebratam, obuiis manibus occuparunt.

Argumētum ipsius laborat.

Vim deinde summam in hoc ariete Baronius ponit: Valentium fuisse Abbatem in prouincia Valeriæ, iu qua S. Equitius multa habuerit Monasteria, proinde Monachum de familia S. Equitij censendum. Atqui cum ea prouincia longe lateque pateerit, variæ Monachorum familiæ eam incolere potuerunt. Gallicia exemplo sit, insignibus Monasteriis Ordinis S. Benedicti Congregationis Cluniacensis ac Cistereiēsis frequentissima, quo deinde Ordines quoque mendicantes successece. Proinde extra Dialecticorum orbitam fertur hæc consequentia: *Valentius fuit Abbas in Valeria; igitur Monachus S. Equitij.* Quasi non alterius quoque instituti Monachi eam incolere potuerint, vti reuera incoluere Benedictini, è quorum numero Valentius erat: qui inde Romam profectus, Abbas ad D. Gregorij factus est. Baronius cōtendit S Equitium in Valeria, S. Benedictum in sublaco, non alibi, ius dixisse, atque huius Monasteria ad duodecim redigit. At quem sagacem inducat Cardinalis vt eredat, S. Equitium ita magna in prouincia regnum obtinuisse, vt nefas aliarum familiarum Monachis fuerit, pedem inferre, domosque ibi condere! Præterea S. Benedictum pec totam Europam suam Regulam, sua sparsisse Monasteria. lippis quoque notum est, vt vehementer admiremur, Baronium in scirpo nodum quærere voluisse, Gregorium Magnum Ordinis & Ecclesiæ lumen, nobis vti adimeret.

Notantur errores, quos in Catalogos Abbatum admisit trium Monasteriorum.

Postremo laccessit Iohannem Diaconū, quod in Album Abbatum ad S. Andreæ Romæ retulerit Hilarionem, prætcriuerit Valentium. Hinc tcium Monasteriorum Abbates primos producit, Valentinianum dictitaus S Benedicto in Monte Casino in fasces successisse. In Monasterio S. Andreæ Romæ primum Abbatem egisse Valentiū: secundum Maximianum: tertium Pretiosum: quartum Probum. In Monasterio Lateranensi eo munere functum imprimia Valentinianum: deinde Simplicium: Honoratum: Maximum. Quando manu animoque versaui hos Catalogos, obstupui tam diuersos esse ab illis, quos ante id videram. Cum enim hæc Cœnobia primæ sint notæ nostro iu Ordine: cum deinde hoc argumentum foro de meo sit; tam notos habeo Monasteriorum istorum Abbates, quam

Errores corriguntur.

digitos noui meos, neque mihi dubium, Baronio impositum esse ab illis, à quibus Catalogos accepit. In monte Casino Abbatis munus statim à morte D. Benedicti non Valentinianus sed Constantinus obiuit: inde S. Simplicius: S. Vitalis: S. Bonitus, postes primus Abbas in Laterano, quem locum Baronius Valentiniano per errorem cedit. Syllabum Abbatum Casinensium Cardinalis Ostiensis nobis suggessit, deinde Arnoldus Wion; quorum prior filius familias fuit; alter ibidem eductus: vt neutri fides hac in re abrogari possit. Insuper ne quis somnus nobis obreperet, ex archiuo Casinensi Catalogum singularem depromi curauimus, quem ad annum quingentesimum vicesimum nonum exposuimus. Syllabus Abbatum Monasterij S. Andreæ, qui lite nobis mouet, bis impingit. Non enim omnes refert Abbates, qui ad Probum vsque clauum tenuerunt, quarto loco positum. Deinde Baronius Pretiosum Præpositum facit Abbatem, qui Abbas non fuit. An vero Hilarion primus hoc munere sit functus, quem Iohannes Diaconus & Aristotem & D. Gregorij Magistrum fuisse memorat: an vero Valentius quem idem Pontifex aliquoties suũ Abbatem vocat: denique an ipse Gregorius aliquando hanc prouinciam ibidem gesserit; hic expedire non est animus. Nunc solum id affirmamus, Probum quarto loco mouendum, quod eum nonnulli antecesserint, quos Baronius tacite præteriuit, veluti Candidus, cuius Gregorius Magnus clarissimam mentionem facit, componendo litem, quæ ei cum Maurentio militiæ magistro intercesserat. *Quoniam inter te*, inquit, *& Candidum Abbatem Monasterij S. Andreæ Apostoli, positi in hac vrbe Romana in cliuo Scauri &c.* Abbatem, eius nomen, Monasterium, huiusque locum habes. Quid porro desideras? Item, *Latorem præsentium, dilectissimum filium nostrum Cyriacum Monasterij nostri patrem, vobis in omnibus commendamus.* Et epistola 113. Synodum in Gallia cogi iubet, *vbi præsente dilectissimo filio Cyriaco Abbate &c.* Abbatem vocat Monasterij S. Andreæ, ne quis animum inducat alia de causa Patrem dictum. Hunc etiam Baronius omittit. Neque Petri meminit de quo Hic Gregorius. *Ad cuius sepulchrum (Meruli) cum Petrus, qui nunc Monasterio meo præest, sibi sepulturam facere post annos quatuordecim voluisset* Monasterium vero S. Andreæ, suum appellare consueuit. Cæterum hos Abbates non è concatenatione detraxit Iohannes Diaconus, sed a Gregorio Magno oblatos accepit. Iam vero illum Baronij errorem quis ferat, quo

Ostiens. l. 1. c. 2. & 3. VVion. l. 1. c. 3.

Lib. 7. epist. 1. indict. 1.

Lib. 7. epist. 79. indict. 11.

Lib. 4. Dial. c. 41.

Pretioso tertium locum in syllabo Abbatum Monasterij S. Andreæ designat, eo quod D. Gregorius ipsum bis *Præpositum sui Monasterij* appellet? Quid Cardinalem hunc in errorem egerit, facile apparet. Olim Præpositi Monasteriorum dicebantur, quos hodie Priores appellamus. Hinc S. P. N. Benedictus Capiti 64. *De ordinando Abbate*, subiecit 65. de Præposito Monasterij. Res clara est apud nostros Regulæ, cuius eum in Monasterio S. Gregorij studiosissimi essent, Antistites vocabant Abbates: Priores vero Præpositos, more in omnibus Cœnobijs nostris recepto. Monachi res sui Ordinis cominus aspiciunt: alij non nisi eminus: vnde mirum non est, si quandoque oculorum ludibrium patiatur.

Lib. 4. Dial. c. 11.

Quod si Catalogus Abbatum S. Andreæ a Baronio vulgatus tot vitijs laborat, vt Abbatem faciat, qui eum magistratum nũquam gessit; præterea vero qui munus id obierunt, eur, amabo te, non potius fidem Iohanni Diacono habeamus, auctori vetustissimo, Romana archiua excutienti, & post adhibitam diligentiam maximam Hilarionem ad S. Andreæ Abbatem fuisse, asserenti? si tamen locum illum obstinate vindices Valentio, adsunt qui dicant vni vtrumque nomen fuisse. Ego vero affirmare nihil ausim, vbi argumenta me deficiunt. Culpa profecto vacat Iohannes Diaconus, ob quam acerbe in ius vocatur. Nõ enim negauit Valentium Abbatẽ fuisse, sed quosdam alios, qui munus illud functi sunt, recensuit. Ponamus igitur primo loco Valentium, cui deinde succedant, D. Gregorius, Hilarion, Maximianus, Petrus, Candidus, Cyriacus, Probus. Hęc autẽ lima Catalogo Cardinalis necessario adhibenda fuit. Syllabus Abbatum Lateranensium grandioribus adhuc næuis premitur, quem non potius ab auctoribus adductis petiuimus, à quibus hoc ordine texitur. 1. Bonitus. 2. Valentinianus. 3. Gregorius. 4. S. Theodorus. Reliquos omitto, quod ad rem nostram non faciant. Similitudo nominum Benedicti & Boniti eum errorem peperit, vt non nemo crederet Valentinianum in munus successisse S. Benedicto, cum successerit S. Bonito, primo Abbati Lateranensi.

Potius Iohanni Diacono fides habenda.

Qui hos Catalogos Baronio suggesserũt, affingunt Gregorio Magno, quod is nunquã somniauerat. *Huius omnia gesta*, inquit, *non didici, sed pauca quæ narro, quatuor eius discipulis referentibus agnoui, Constantino scilicet reuerendissimo valde viro, qui ei in Monasterij regimine successit: Valentiniano quoque qui annis multis Lateranensi Monasterio præfuit: Simplicio, qui Congregationem illius post eum tertius*

D. Greg. l. 2. Dial. c. 2.

rexit: *Honorato etiam qui nunc adhuc Cella eius in qua prius conuersatus fuerat, praest.* Igitur quatuor testes è diuersis locis excitos, D. Gregorius producit, ad miracula confirmanda quæ S. P. N. Benedictus patrauit. Constantinus & Simplicius clauum tenuerein Monsterio Casinensi. Valentinianus in solo Lateranensi: Honoratus in Sublacensi, vbi Sanctus Patriarcha imprimis Monachum egit. Qui vero Catalogum confecerunt Abbatum Lateranensium, vt fabam nobis cuderent, omnes hos quatuor in illum coniecerunt: & cum sanctissimus Pontifex è diuersis Monasterijs Abbates produxerit, qui testimonium ferrent, isti ex vno Lateranensi accersunt. Quocirca affingunt Gregorio Magno, quod ei nunquam in mentem venerat: deinde in numerum ac ordinem Abbatum tam manifesto peccant, quam si studio errare voluissent.

Ductu alieno lapsus est Baronius.

Hæc cum ita, nemo me adduxerit vt credam, hosce Catalogos tot vitijs laborantes, à Cæsare Baronio profectos, viro tam attento, cautoque. Videlicet, aquila non capit muscas; neque compositis alis ab æthere se demittit, vt humi lacertas, mures, aut passerculos excipiat: regias dapes insectatur regia ales, inferioris notæ volucribus tanquam quisquiliis relictis. Ita Erasmus ille, magis eloquens quam pius, quando moliebatur librum, aliorum quoque opera vtebatur diuersis diuersa argumenta diuidebat, quæ lecta postmodum ad eum referebant. Ipse summus arbiter rerum, allata ab alijs censebat, in ordinem digerebat, verborum cultu illustrabat. Hinc tantam nobis fecit librorum copiam. Hanc scribendi rationem subinde iniuisse Cardinalem Baronium, innumeris rebus implicitum, plane persuasum habeo. Ipsum nimirum summos Pontifices, Imperatores, regna & imperia sibi sumpsisse, quibus tempus & ingenium impenderet: deinde amanuensibus negotium dedisse, vt minuta vestigarent: hic Catalogum Abbatum Montis Casini: ille Monasterij Lateranensis promeret: quod genus hominum sæpius scribenti impedimento est, quam adiumento. Vt enim varia doctrina sint præditi, historiæ tamen Ordinū non æque sunt periti, quam etiam sua nihil interesse putant. A talpis igitur, non à lyncibus vel aquilis (quo numero illustrissimum Cardinalem Baronium terrarū Orbis habet) huiusmodi Catalogi mēdosi proficiscontur. Porro non tantum operæ in re parua, nimirum syllabo Abbatū vtriusque Monasterij perpurgando sumpsissem, nisi Baronius inde Iobanni Diacono fidem: Ordini vero magnum lumen, Gregoriū Magnum subducere conatus esset. Fas nobis fuit, digito monstrare, qua nauis fatisceret, tantis viribus in nos acta. Falsi testes non tantum fidem haud faciunt, sed insuper causæ nocentiā tribunali repulsam ferunt. Cum autem Iobannis Diaconi argumenta tantum pondus habeant, vt prorsus persuadeant, Gregorium Magnum Ordini S. Benedicti aliquando dedisse nomen, par est profecto, vt secundum ipsum sententis pronuncietur. Immo spes me forte non vana lactat, Baronium multo amplissimum virum, incredibili doctrina & sapientia præditum, expensis argumentorum momentis nostram in sententiam iturum. Cum Philippus Macedo contra subditum aliquando iudicasset, prouocauit hic ad Regē melius de causa edocendum: quam cum is penitius cognouisset, subditum absoluit. Si mihi illustrissimum Cardinalem adire, pedes eius osculo contingere: argumenta deinde quæ in promptu habemus, exponere liceret, non dubito redditurum nobis S. Gregorium, tot nominibus nostrum.

Vellicarem etiam sacram purpuram, ac in aurem dicerem, Annales ipsius suspensa fronte legi, probariq; elato pollice ab Hispania, tantum nouæ huic sententiæ neminē applaudere. Sed ne putet solos Monachos de Ordine S. Benedicti veterem in cudem tundere, & fabricatam heri sententiam oppugnare, consilium est Doctorem Gregorium Lopez Madera, virum in regnis istis clarissimum adducere, qui anno millesimo sexcentesimo primo librum eruditione plenum de certitudine sacrarum Reliquiarum, Granatæ detectarum edidit, ex cuius Capite 5. hæc habe.

Baronij sententiā obelisco figit Doctor Gregorius Lopez.

Aliam nouitatem ipse Cardinalis Baronius introducit, quam propter deuotionem qua erga S. Gregorium M. afficior, dissimulare non possum quin impugnem. Communis profecto opinio, & traditio antiquissima Ordinis S. Benedicti, è qua iste insignis Pontifex fuit, maiores pro se coniecturas habet, quam sententia contraria. Ingens pietas, qua S. Gregorium erga hunc Ordinem tenuit, satis indicat, quod eum professus sit: cumque primus eundem approbauerit, etiam alias Religiosas familias, per Italiam sine capite & regimine sparsas, ad istum reuocauit, ideoque Concilium Romanum celebrauit, in fauorem nigrarum Monachorum coactum. Incredibile prorsus est, pro amplissimis Monasterijs, quæ Romæ & in Sicilia fundauit, quæsisse & accitos ab eo Monachos S. Equitij, sine Regula & Congregatione viuentes. Ista sententia noua hoc sola fulcra nititur, quod Monachos D. Gregorius pro suo Monasterio accersiuerit è prouincia Valeria: ex qua propositione affirmatiua mox conclusionem negatiuam inferunt,

Mona-

Monasterium Sancti Benedicti ea in prouincia nullum fuisse : quod vero simile non est , nec cum antecedente cohæret , quocirca nihil probat. Quod autem S. Gregorius miracula Equitij ex suo Abbate Valentio cognouerit , non sequitur eum Monachum Sancti Equitij fuisse , cum ea scire potuerit quamuis Ordinem Sancti Benedicti profiteretur. Immo etsi Valentius imprimis duce Equitio fuisset vsus , inde nihilominus ad Congregationem Sancti Benedicti transire potuit , quod tunc quasi more fiebat , vti apparet in SS. Romualdo , Petro Damiano , aliisque multis , præsertim postquam Regula ipsius tam celebrata & recepta fuit. Sed faciamus Valentium de familia Sancti Equitij fuisse , nihil absurdi commissurus fuisset Sanctus Gregorius , si religione ipsius maturisque annis inductus è Valeria euocatum , alicui Monasterio Benedictino præfecisset , quod tunc moliebatur. Cum enim id temporis ea Monasticorum Ordinum distinctio non esset , quam hodie videmus, mos obtinuerat ex vna Congregatione Abbates petere pro alia. Ita quidem ipsum Sanctum Benedictum ex eremo euocarunt vicini Monachi , eique Monasterij sui habenas commiserunt. Diuersum respectum , quem erga hos duos sanctos Magnus iste Pontifex habuit, satis ostendit, dum S. Equitium ad summum reuerendissimum virum : Sanctum Benedictum vero semper Patrem appellat : quo palam facit , pro Patre à se habitum. Hæc omnia attuli vt errorem eximerem minus litteratis, vtque viderent præstare non nimis in huiuscemodi rebus nouandis subtilem esse , nulla spe fructus allucente.

Lib. 2. Dialo. 4. lib. 2. c. 17. & sequ.

Boz. l. 5. sig. 12. c. 3.

Sed ne videamur ex vltima tantum Iberia testem aduersus Baronium adduxisse, prodeat Bozius , qui Italiam, qui Romam, principem vrbem, colit : qui sub eodem Congregationis Oratorii tecto habitat. Huic Baronius frustra nouam suam sententiam propinauit. Salmanticæ, vbi nunc degimus, Cathedra Theologica est, quam variorum Ordinum Monachi obsident ac inuadunt , vt expugnent disputando. Nam doctissimo cedit. Si competitor cum iudicibus queratur , *iniuria se repulsam ferre* , obmutescit cum primum audit , etiam suffragio sui Ordinis se destitutum. Thomas Bozius Congregationis Oratorij nobilis pars , *De signis Ecclesiæ* , insignem librum lucubrauit, ab vno non satis laudandum ; ita multum eruditionis & lectionis habet. Cæterum perpetuo quasi de industria S. Gregorium Magnum in theatrum producit , habitu D. Benedicti spectandum. Vigesies , si recte recordor, hoc facit. Quæso oculos ac aures admoue. Lib. 5. c. 3. signo. 12. *Gregorius Magnus* , inquit, *nobilissimo ortus genere, primusque Romæ honoribus perfunctus, tandem spretis omnibus Ordini S. Benedicti se deuouens, Monachum professus est, Romæque extruxit præter alia aliis in locis ædificata , Monasterium in cliuo Scauri. In eo & solidam pietatem , & cœlestem doctrinam plurimi didicerunt, Ordinique S. Benedicti se se addixerunt. Illinc eduxit Gregorius Augustinum, & Mellitum, Iustum, Paulinum , Laurentium, Ioannemque, & alios Monachos. de quibus Beda & alij, per quos Christi cultus inter Anglos est dissominatus & confirmatus , multaque eiusdem Ordinis Monasteria constructa.* Libro deinde 6. signo 23. c. 6. Parentem nostrum dilaudans; *Tot post se sectatores adduxit,* inquit, *vt eorum numerus iniri nullo modo possit. Ex eius vero familia prodierunt tot ac tanti in omni laudum genere virtutumque florentes viri, vt quoquo te conuertas , admiratione, defixus teneare. Quot enim Martyres , quæso ex illius Ordine ? Quot miraculis ac sanctimonia præstantissimi viri extiterunt ? Quot Pontifices summi & admirandi? vnus instar omnium producatur à nobis exempli causa , Gregorius primus , cui quidem quicquid habent boni, debent Angli.* Denique lib 9. signo c. 35. c. 4. *Ex hisce Ordinibus prodierunt difficillimis Ecclesiæ temporibus summi Pontifices, qui excelso inuictoque animo ingruentes hostium procellas superarunt , ac sedarunt. Horum vero Pontificum fuit, Christianorum mores optimis sanctionibus emendare ; Pontificiamque auctoritatem & potestatem aduersus Reges & Imperatores , vbi opus fuit , tutari. Verbi gratia, Gregorius Magnus , cum pleraque inter Christianos multis criminibus obnoxia inuenisset, emendauit. Quæ vero fuerint illa , & quibus rationibus correxerit, apparet ex eius vita , à Iohanne Diacono conscripta. Fuit ipse ex Ordine S. Benedicti, eoque sedente Longobardi in Italia , VVisigothi in Hispaniis ab hæresi Ariana ad Catholicam veritatem redierunt : Anglia Christo se adiunxit :* &c. Viden' vt Bozius causam Baronij deserit , cui tamen multis nominibus coniunctus erat , quippe idem vitæ institutum professus? Neque vno tantum loco , sed quam plurimis, à parte stat nostra.

Baroniũ destituit Thomas Bozius.

Quo enim pacto in sententiam concederet Baronij, cum ne vestigium quidẽ veri appareat ? vt enim vero aliquid simile sit in historia, argumentis vel auctoritate nitatur oportet ; neutrum affert Baronius. Nam ad argumenta quod attinet , ea quæ exposuit , nemo non impugnat & expugnat, cum viribus plane careant. Auctoritate quoque destituitur , quando nemo, seu veterum seu nouorum historicorum somniauit, scripsit, dixit id, quod ipse in forum attulit. Ordo vero Sancti Benedicti

Baronius dum Gregoriũ M. S. Benedicto è complexu eripit, neminem

ſequitur: nemo ſequetur Baronium.

præter firmiſſima argumenta, facile hiſtoricorum gregem, ſecum ſentientium, producit, ſiue antiquos deſideres, ſiue modernos, vt mirum prorſus fecerit Baronius, tam aduerſo flumine lembum ſuum agendo. Omnes hic in aciem diſponere mora ſit: ſumpſit hanc ſibi operam Conſtantinus Belottus Monachus Caſinenſis, qui Dialogo 3. initium à Iohanne Diacono, D. Thoma, S. Antonino, Cardinale Turrecremata, Trithemio, Onuphrio Panuino capiens, innumeros recentiores ex Italia, Hiſpania, Anglia memorat. Duos de antiquis præteriuit, qui cum ſoli hos fumos diſpellere poſſint, producendi ſunt. Aimonius primus eſto. In calce Prologi, *Non putauimus prætermittendum hoc*, inquit, *quod diuina pietas huic noſtro paſtori inter cætera largitatis ſuæ contulit munera. Quia videlicet ad ea promenda, quæ de ſe retulerant digna, nullius extraneæ perſonæ eguit vnquam ſupplemento. Quinimmo ipſius clientuli in eius Cœnobiis illius ope educati atque edocti, quicquid in eius laude promendum erat, poſterorum mandare memoriæ, ſufficientes inuenti ſunt, poſt Beatum duntaxat Papam Gregorium, qui & ipſe eius Regulæ ſubditus diſciplinis, quantis idem Pater effulſerit virtutibus, eloquentiſſimo enucleauit ſermone.* Sexcentos ante annos floruit Aimonius, quocirca Iohannes Boſcus, Congregationis Cœleſtinorum Monachus, qui Bibliothecam Floriacenſem in lucem edidit, hoc ſcholio Aimonij verba proſequitur: *S. Gregorius Magnus fuit ſub Regula S. Benedicti: ex quo miror Cardinalem Baronium contra veterum auctorum omnium ſententiam, illum D. Benedicto eripere niti.*

Hiſtoricorũ agmen totũ noſtram ſententiam defendit.

Aimon. Prolog. l. 2. de mirac. S. Bened.

Iohã. Boſc.

Etſi Iohannes Diaconus & Aimonius, antiqui auctores iuxtaque graues, magnũ apud nos pondus habeant, tamen S. Adelmus Anglus, de Abbate factus Epiſcopus Sareſburienſis, homo doctiſſimus ac Bedæ Venerabili multum laudatus, rem certiore digito monſtrat. Præter multas itaque alias lucubrationes, librum *De laude Sanctorum* (cuius Aimonius meminit ſermone de D. Benedicto à ſe compoſito) verſibus pro ſæculo concinnis edidit, Nominisque extulit in Patriarcham noſtrum fauorem, quo hiſtoriens ipſi obtigerit Gregorius Magn. Sed canenti animum ac aures aduertamus.

Beda l. 5. c. 19.

S. Adelmus.

Primo qui ſtatuit noſtra certamina vitæ,
Qualiter optatam teneant Cœnobia normã,
Quoq; modo properet directo tramite ſanctus,
Ad Superum ſcandens cælorũ culmina cultor:
Cuius præclaram, pandens ab origine vitam
Gregorius Præſul, chartis deſcripſerat olim,
Ac Ætheream donec felix migraret in arcem.
Huius alumnorũ numero glomerãtur ouãtes,
Quos gerit in gremio fœcunda Britãnia, ciues,
A quo iam nobis Baptiſmi gratia fluxit,
Atq; magiſtrorum venerãda caterua cucurrit.

Floruit S. Adelmus ad annum à Seruatore nato ſeptingenteſimum, adeoque diſcipulos SS. Auguſtini ac Melliti eſt aſſequutus. Cæterum, Monachos qui Angliam excoluerint, è ſchola S. Benedicti prodiiſſe, canit. Atqui hos ipſos Angliæ Apoſtolos Gregorij Magni diſcipulos fuiſſe, inque Monaſterio vbi Sanctus Doctor Abbatem, Auguſtinus Priorem agebat, eductos, ad vnum omnes hiſtorici publico calamo referunt, idque ſæpiſſime inculcat Baronius. Quod ſi igitur ſubditi, qui incoluerũt Monaſterium S. Gregorij, addicti fuere S. P. N. Benedicti Regulæ, luce profecto clarius eſt, ipſum quoque Antiſtitem Gregorium non aliam ſequutum eſſe. Cum enim S. Adelmus in humanis eſſet, ſolius D. Benedicti Regulam Anglia nouerat, quã D. Gregorij diſcipulos intuliſſe certum eſt. Male proinde Iohannem Diaconum erroris cõdemnauit Baronius, auctorem bonæ fidei, teſtem idoneum, omnibus ſæculis probatũ, & quem ea non fugiebant, quæ S. Adelmus memoriæ prodiderat. Cum enim D. Gregorius S. Benedicto eiuſque Ordini quauis occaſione oblata, vel etiam captata, mirifice ſemper ſtuduerit: cum illius Regulam approbarit: præter morem Patrem appellarit: Ordinis ipſius euehendi cauſa Conciliũ indixerit, aliam profecto opinionẽ is induere haud debuit. Adde non aliquem proximo nouilunio natum, huius ſententiæ auctorẽ eſſe, ſed tres clariſſimos viros, quorũ vnus abhinc ſeptingentis amplius annis: alter ante ſeptingentos quinquaginta: tertius ante nongentos inter homines fuere. Senſus etiam hic communis fuit totius Eccleſiæ Dei, contra quem nemo hiare eſt auſus, donec Baronius leuibus coniecturis inductus, ſententiam tam alte omnium animis conditam, nuper euellere ſummis viribus eſt conatus. Fonti igitur ſuo reddatur nobilis fluuius: habeat Eccleſia Catholica ſanctiſſimum Pontificem (à quo tanta emolumenta cepit) pro genuino S. Benedicti filio, pro quo antehac ſemper habuit.

Nouum hiſtoricũ antiquis verba dare, difficile eſt.

Si quænis velitatio fatigat, tum vero iuſtũ prœlium cum Cæſare initum non poteſt non vires frangere. Quocirca laſſum me ex arena referre pedem fateor, nec quicquam mihi iam ita volupe eſt, quam arma ponere: mei tamen officij eſſe puto, etiam Iohannis Diaconi cauſam ſuſcipere, qua impugnatur à Baronio: præſertim cum ad hanc hiſtoriam pertineat in lucem euoluere, quamdiu D. Gregorius vitã Monaſticã

D. Gregorius bene diu Abbatis officio functus eſt.

egerit?

egerit ? an aliquando Monaſterio S. Andreæ præfuerit ? Ego equidem pro certo habeo multos eum annos in Religioſorum cœtu contriuiſſe. *Magis voluit parere,* inquit Iohannes Diaconus, *quam imperare: nihilominus cum labentibus annis à toto Conuentu Abbas eligeretur, ſubiuit onus.*

Iohan. Diac. l. 1. c. 6.

Sanctus Antoninus de P. N. S. Benedicto agens, prorſus omnem dubitationem exhaurit. verba viri accipe. *Huius etiam vitam ſcripſit virtutibus plenam Gregorius ſecundo Dialogorum per totum, quam etiam auxit, & Monachus & Abbas ſub dicta Regula militauit, antequam Papa fieret.* Quid hic lucis deſideras bone Lector ? Quod ſi non tantum Monachus, verum etiā Abbas Ordinis D. Benedicti fuit, plus temporis eū in Cœnobio traxiſſe oportet quam concedat Baronius, à quo nec biennium integrum impetrare licet. In Iohannis Diaconi & Sancti Antonini ſententiam, præter grauiſſimum vtriuſque nomen, mera piunt cum agendi modus, quem D. Gregorius tenuit: tum Lateranenſe Concilium, ab ipſo coactum. Nam bonos prœmio affecit: ab errantibus pœnas ſumpſit: in Monaſterio etiam multa imperauit, geſſit, fecit, quibus priuato Monacho ſe miſcere, fas non fuiſſet. Exempla poſtmodum promemus. Deinde cum Monachorum quietem turbarent eorumque libertatem premerent Eccleſiarum Antiſtites, hoc autem D. Gregorium minime fugeret, quippe antea Monachum, ſacra Comitia in Lateranum indixit, vt Monachis nigris conſultum iret. Sed prima Comitij verba ibi admetiamur. *Quam ſit neceſſarium Monachorum quieti proſpicere, & de eorum perpetua ſecuritate tractare, anteactum nos officium, quod in regimine officij exhibuimus, informat. Et quia in pleruque Monaſterijs multa à Præſulibus præiudicia & grauamina Monachos pertuliſſe cognouimus oportet vt noſtræ fraternitatis prouiſio de futura eorum quiete ſalubri diſponat ordinatione.* Ecce! Monachos à Præſulibus Eccleſiarum vexari non fama ſe accepiſſe, ſed experientia didiciſſe, ait, cum officium Abbatis obiret, ac Monachos regeret: Hinc etiam palam fit plus temporis eum in Monaſterio duxiſſe, quam Baronio viſum ſit. Etenim annum vnum in tyrocinio ſeu Nouitiatu, ex præſcripto Regulæ, contriuit: iam vero quiſnam mortalium animum inducere poteſt, vt credat reliquo illum medio anno res tam multas tamque magnas gerere potuiſſe? Abſoluendus ergo Iohannes Diaconus eſt, quod Gregorium Magnum aliquot annis Monachum, deinde vero Abbatem ad S. Andreæ fuiſſe, memoriæ prodiderit. Cæterum fons, vnde Baronius nouas imbibit opiniones, quædam, vt apparet, D. Gregorij epiſtola eſt, qua ſignificat Laurentium Mediolanenſem Epiſcopum mox vt prouinciam adiiſſet, confeſſionem fidei Romano Pontifici tranſmiſiſſe. Teſtificationi Laurentij (ita appellant) præter alios ipſe quoque Gregorius, id temporis vrbis Præfectus, ſubſcripſit. Atqui Laurentius, ſecundum Onuphrium & Galeſinum, anno quingenteſimo octogeſimo primo Epiſcopatum Mediolanenſem iniuit. Quod ſi igitur Gregorius anno illo Monachum nondum induerat, & anno quingenteſimo octogeſimo tertio, quod certo conſtat, Conſtantinopolim à Pelagio miſſus eſt, legationem apud Imperatorem obiturus, ſole clarius eſt, iudice Baronio, nec biennio quidem integro Monachum egiſſe. Hoc argumentum partim à S. Gregorio petitum; multis verbis calamiſtratis extollit: omnes qui diſſentiunt, in triumphum ducit.

S. Antonin. tit. 11. c. 12.

Concil. Lateran. ſub Greg. I.

S. Reg. 58.

Baron. an 581. D. Greg. l. 3 ep. 1. Aties à Baronio ſententiæ noſtræ admotus Gregoriū diu Monachum egiſſe: *Onuph. in Faſtu, & Galeſin.*

At æqui bonique faciet eloquentiſſimus orator, & Dialecticæ iuxta peritiſſimus, ſi tritum inter Logicos verbum ei in memoriam reuocauero, nimirum *Concluſionem deteriorem partem ſequi.* Valida prima Syllogiſmi pars eſt, quippe quæ robur à Gregorio Magno habeat: verum pars altera viribus defecta vacillat, labat, nec tantillum nos vrget. Vis enim eius tota in auctoritate duorum modernorum ſcriptorum ſita eſt, cum in re veteri potius veterum verbis ſit ſtandum. Quapropter non, vt par eſt, Iohannem Diaconum Baronius habet, dum Onuphrio credit, Laurentium anno quingenteſimo octogeſimo primo Epiſcopatum Mediolanenſem capeſſiuiſſe affirmanti, hocque tam fragili vecte hiſtorias omnium animis inſitas, cunctis ſæculis probatas receptaſque, imis à radicibus eruere molitur, violato etiam temporum ſucceſſu. Potius in publicam terrarum orbis eamus ſententiam, à tot retro ſæculis acceptam, D. Gregorium & Monachum S. Benedicti & Abbatem fuiſſe: à Benedicto I. creatum Cardinalem. Nunc capitibus diuerſis vtrumque oſtendere, animo ſedet.

Debilior eſt, quam vt perfringat murum.

CAPVT IV.

Res à Gregorio Abbate geſta.

CVm Iohannes Diaconus non expreſſerit annorum numerum, quibus S. Gregorius Abbatis munus eſt functus: nec

illu-

illustrium virorum quos ad summa erudiuit, syllabum ediderit, nos profecto tanto posteriores nihil certi in re incerta statuere possumus, nisi quod eius discipuli impleuerint Europam. Quamdiu ad clauum Monasterij sedit, *dirum magistri, pium patris ostendit affectum*, quam legem Abbatibus sanciuit D. Benedictus. Iohannes Diaconus ante magistrum, quam patrem producit. Nobis decretum elt imitari exemplum. Fuit igitur vt duos is Monachos mitteret, alicuius rei comparandæ gratia. Alter ætate nondum adulta, alter bene prouecta erat, custos additus iuniori. Quid fit? eunt, emũt: senex sui commodi studiosus, per flagitium clam iuuene partem peculij in suum redigit marsupium. Negotio sic explicato foris, repetunt Monasterium. Vt primum ad templum peruentum est, malus genius apud furem cœpit hospitari. Quid autem, postquam hoc est factum? suboluit audax scelus D. Gregorio: quocirca rogauit miserum, an furti crimen in se admisisset? Ille caput quassare: inficias ire. Non tulit dæmon prodigiosum mendacium, sed iactauit, distulit, compressit effrontem, ne qua posset euadere mẽtiendo. Neque subita impatientia actus Antistes, aliquid grauius in ipsum statuit, sed miseratus insaniã octies percunctatus est, num æs depeculatus esset? num clepsisset? *Minime gentium* octaua is vice retulit; totiesque dæmoni supplicium persoluit. Vltimo facti pœnitens, ad pedes S. Gregorij se abiecit: voce flebili veniam orauit: quem cum is mulctasset & expiasset, dæmon sine mora in fugam se coniecit. Alias duo Monachi è Monasterio elapsi, vt fallerent insidias & exploratorca, Ierosolymam se votiuam peregrinationem suscipere, mentiti sunt.

S. Reg. c. 2.

Iohan. Diac. l. 1. c. 11.

D. Gregorius à Monacho depeculatore pœnas exigit.

Item à duobus fugitiuis.

Hac industria sibi cauebant, vt ne è fuga retraherentur. Itaque viam imprimis Appiam iniuerunt, sed mox ad Flaminiam flexere, atque trepidi obuias specus subierunt, ora lapidibus & ruderibus obstruentes, ne proderentur. Concedente iam die desiderati quæsitique sunt. Cum fratres domi vestigando operam perdidissent, S. Gregorius quibusdam negotium dedit, vt equis fugitiuos insequerentur. Dictum, factum. Volitant per viam Appiam & Salariam: indagant, rimantur, oculis vicina remotaq; obeunt, dumque nullum vestigium, quo se tulissent, conspiciunt. per viam Flaminiam domum tendunt. Vbi latibula attigere, prô Superi! Sonipedes capita iactare: iubas quatere: gradum obstinate figere. Effundunt illi habenas: calcaria lateribus vtrinque adigunt: alte fodiunt: scutica immerentes quoque vexant: nil tamen proficiunt. Ergo ex equis descendunt: specus adeunt: alias semper apertas, tum vero occlusas, vident. Quocirca consilium capiunt viam relegendi, qua venissent. Notis mox verbis quadrupedes excitant: primam in viam reuocant, ardua capita collaque sudantia blandis manibus remulcentes: at surdis cecinerunt fabulam. Neque enim vt sulum id verterent pertinacibus persuadere vel efficere potuerunt. Tandem hæsitantibus ac suspensis admiratione in mentem venit, non de nihilo equos neque blandimentis, neque incussis verberibus promoueri posse. Inde specuum ostia moliuntur: penetrant: fugitiuos deprehendunt: euoluunt pallidos, & domum perducunt. Graues ab insolenti leuitate pœnas exegit Gregorius, Reos subiit pœnitendo: cæteros sui Antistitis incessit metus, quod eum tam bono loco apud Deum esse, animaduerterent.

Nunc auribus accipiamus, quod narrat ipse Antistes Gregorius. *Neque hoc silendum existimo quod actum in meo monasterio ante hoc triennium reminiscor. Quidam Monachus Iustus nomine, medicinali arte fuerat imbutus, qui mihi in eodem Monasterio constituto sedulo obsequi, atque in assiduis agritudinibus meis excubare consueuerat. Hic itaque languore corporis preuentus, ad extremum deductus est, cui in ipsa sua molestia frater germanus nomine Copiosus seruiebat, qui ipse quoque nunc in hac vrbe per eandem medicinæ artem temporalis vitæ stipendia sectatur. Sed prædictus Iustus cum iam se ad extremum peruenisse cognouisset, eidem Copioso fratri suo quia occultatos tres aureos haberet, innotuit, quod nimirum fratribus non potuit celari, sed subtiliter indagantes, atque illius omnia medicamenta perscrutantes, eosdem tres aureos inuenerunt absconsos in medicamine. Quod mox vt mihi nunciatum est tantum malum de fratre, qui nobiscum communiter vixerat, æquanimiter ferre non valui. quippe quia eiusdem mei Monasterij Regula semper fuerat, vt cuncti fratres ita communiter viuerent, quatenus eis singulis nulla habere propria liceret. Tunc nimio mœrore perculsus, cogitare cœpi vel quid ad purgationem morientis facerem, vel quid ad exemplum viuentibus fratribus prouiderem. Pretioso igitur eiusdem Monasterij Præposito ad me accersito, dixi; vide vt nullus ex fratribus se ad eum morientem iungat: nec sermonem consolationis ex cuiuslibet eorum ore percipiat. sed cum in morte constitutus fratres exquisierit, ei*

Iohan. Diac. l. 1. c. 15. D. Greg. l. 4. Dial. c. 55.

Grauissimam sententiam fert in Monachũ proprietarium.

suus

suus carnalis frater dicat, quia propter aureos, quot occultatos habuit, à cunctis fratribus abominatus sit: vt saltem in morte de culpa sua mentem ipsius amaritudo transuerberet, atque à peccato quod perpetrauit, purget. Cum vero mortuus fuerit, corpus illius cum fratrum corporibus non ponatur, sed quolibet in sterquilinio fossam facite, & in ea corpus eius proijcite, ibique super eum tres aureos, quos reliquit, iactate, omnes simul clamantes: Pecunia tua tecum sit in perditione: & sic eum terra operite. In quibus vtrisque rebus vnam morienti, alteram vero volui prodesse fratribus viuentibus, vt & illum amaritudo mortis à culpa solubilem faceret, & istos auaritia tanta damnatio terreret, atque à culpa prohiberet, quod ita factum est. Nam cum idem Monachus peruenisset ad mortem, atque anxie se quaereret commendare fratribus, & nullus è fratribus ei applicari & loqui dignaretur, ei carnalis frater cur ab omnibus fratribus esset abominatus, indicauit. Qui protinus de reatu suo vehementer ingemuit, atque in ipsa sua tristitia è corpore exiuit, qui ita est sepultus: vt dixeram. Sed fratres omnes ex eadem eius sententia conturbati, coeperunt singuli extrema quaque & vilia, & quae eis habere regulariter semper licuerat, ad medium proferre, vehementerque formidare, ne quid apud eos esset, vnde reprehendi potuissent. Cum vero post mortem eius triginta iam dies essent euoluti, coepit animus meus defuncto fratri compati, eiusque cum dolore graui supplicia pensare, & si quod esset ereptionis eius remedium quaerere. Tunc euocato ad me eodem Pretioso, Monasterij mei Praeposito, tristis dixi: diu est quod frater ille, qui defunctus est, in igne cruciatur. Debemus ei aliquid charitatis impendere, & eum in quantum possumus, vt eripiatur, adiuuare. Vade itaque, & ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo sacrificium stude, vt nullus omnino praetermittatur dies, quo pro absolutione illius hostia salutaris non offeratur. Qui protinus abscessit, & dictis paruit. Nobis autem alia curantibus, atque dies euolutos non numerantibus, idem frater qui defunctus fuerat, nocte quadam fratri suo germano Copioso per visionem apparuit, quem ille cum vidisset, inquisiuit dicens: Quid est frater? quomodo es? Cui respondit: Nunc vsque male fui, sed iam modo bene sum, quia hodie communionem recepi. Quod idem Copiosus pergens, protinus indicauit fratribus in Monasterio. Fratres vero sollicite computauerunt dies, & ipse dies extiterat, quo pro eo tricesima oblatio fuerat impleta.

xxx. Missis funebrib' initium facit

Ab hoc miraculo consuetudo in Ecclesiam Dei fluxit, tricesies pro demortuis sacrificandi. Ea sacra vocant Missas Gregorianas. Pretiosum, cuius sanctus Gregorius mentionem facit, atque secundum Regulam Praepositum (hodie Priorem) appellat, Cardinalis Baronius subito Abbatem creat; qui si Abbas fuisset, suum profecto munus suo in Coenobio ipse obijsset, neque prouinciam D. Gregorio commisisset, vel eius imperium expectasset. Sed cur repetimus arenam, toties fastiditam? Aestimare hucusque licuit in Magno Gregorio seueritatem, Magistro subinde adhibendam: nunc exempla pij Patris expendamus. Iohannes Diaconus hic Antonium, Merulum, Iohannem, quos Fasti XVI. Calend. Februarij memorant, producit: nos pictos à sancto Gregorio ipso tibi damus.

Ioh. Diac. c. 17. D. Gregor. l. 4. Dial. c. 46.

S. Antonius à Superis inuitatur.

Quidam mecum frater in Monasterio, Antonius nomine, viuebat, qui multis quotidianis lachrymis ad gaudia patriae caelestis anhelabat. Cumque studiosissime, & cum magno feruore desiderij sacra eloquia meditaretur, non in eis verba scientiae, sed fletum compunctionis inquirebat quatenus per haec excitata mens eius inardesceret, & ima deserens ad regionem caelestis patriae per contemplationem volaret. Non quidem miramur: nam viam & exemplum praeibat tum Gregorius, quod Prologus eius in Iobum satis prodit. *Huic per visionem nocturnam dictum est: paratus esto, quia Dominus iussit migrare te. Cumque ille non habere se sumptus ad migrandum diceret.* (quis enim sine viatico adeat aeternitatem?) *responsum audiuit protinus dicens: si de peccatis tuis agitur, dimissa sunt. Quod cum semel audisset, & magno adhuc metu trepidaret, nocte quoque alia eisdem verbis est admonitus. Tunc post quinque dies febre correptus, cunctis fratribus orantibus, flentibusque, defunctus est.* Hic autem ad perfectionis culmen, ductu Patris sui S. Gregorij, peruenit, pij Patris officium omnibus numeris absoluentis.

Merulus adhuc viuus à Caelitibus coronatus.

Alius frater in eodem Monasterio Merulus dicebatur, vehementer lachrymis atque eleemosynis intentus: Psalmodia vero ex ore illius pene nullo tempore cessare consueuerat, excepto cum aut alimentum corpori, aut membra dedisset sopori. Huic nocturna visione apparuit, quod ex albis floribus corona de caelo in caput illius descendebat. Qui mox molestia corporis occupatus, cum magna securitate animi atque hilaritate defunctus est: ad cuius sepulchrum dum Petrus, qui nunc Monasterio meo praeest, sibi sepulturam facere post annos quatuor-

decim voluisset, (mos enim obtinuerat in nostro Ordine, fossas prius fodere, quam vitam exhalare, exempla à S. P. N. Benedicto introducto) *tanta, vt asserit, de eodem sepulchro illius fragrantia suauitatis emanauit, ac si illic florum omnium odoramenta fuissent congregata. Quæ ex re manifeste patuit, quam verum fuit, quod per nocturnam visionem vidit.*

S. Iohannes è sepulchro in sepulchrum inuitatur.

In eodem quoque Monasterio alius quidam Iohannes dictus est, magna indolis adolescens, qui ætatem suam intellectu, & humilitate, dulcedine, & grauitate transigebat. Huic ægrotanti atque ad extremum deducto, per nocturnam visionem quidam senex apparuit, & hunc virga tetigit, eique dixit: Surge, ex hac enim molestia modo minime morieris, sed paratus esto, quia longum tempus hic facturus non eris. Qui dum iam esset à medicis desperatus, repente sanatus est, atque conualuit: rem quam viderat narrauit, seque per biennium in Dei seruitio, sicut prædixi, vltra ætatis suæ annos exhibuit. Ante hoc autem triennium cum quidam frater fuisset mortuus, atque in eiusdem Monasterij cœmiterio à nobis sepultus, cunctis nobis ab eodem cœmiterio exeuntibus, idem Iohannes, sicut postea pallens & tremens indicauit, illic nobis discedentibus inuentus, ab eodem fratre qui mortuus fuerat, de sepulchro vocatus est, quod mox etiam subsequens finis edocuit. Nam post dies decem inuasus febribus, carne solutus est. Horum trium Sanctorum vitam, velut Iliadem in nuce, dedimus. Cum enim de Ordine nostro fuerint: cum D. Gregorij & Iohannis Diaconi calamos meruerint: cum constare orbi interfit, quam felicem mortem discipuli eiusdem Antistitis oppetierint, à nobis præteriri non debuerunt. His comitem addam Geruntium.

D Gregor. l. 4. dial. c 20. Ioã Diac. l. 1 c. 10. Geruntius mortis candidatos in Catalogum referri videt.

In Monasterio meo (rem D. Gregorius narrat) *quidam frater ante decennium Geruntius dicebatur, qui cum graui molestia corporis fuisset depressus, in visione nocturna albatos viros, & clari omnimodo habitus, in hoc ipsum Monasterium descendere desuperioribus aspexit: qui dum coram lecto iacentis assisterent, vnus eorum dixit: ad hoc venimus, vt de Monasterio Gregorij quosdam fratres in militiam mittamus: atque alteri præcipiens adiunxit: scribe Marcellum, Valentinianum, Agnellum, atque alios quorum nunc minime recordor. Quibus expletis, addidit dicens: scribe & hunc ipsum, qui nos aspicit. Ex qua visione certus redditus prædictus frater, facto mane innotuit fratribus, qui essent in breui ex eadem cella morituri, quos se etiam denunciauit esse sequuturum. Cumque die alio prædicti fratres mori cœperunt, atque sub eodem ordine se in morte sequuti sunt, quo fuerant in descriptione nominati, ad extremum vero & ipse obijt, qui eosdem fratres morituros prævidit.* Tantum incolis huius Monasterij cum cœlicolis intercessit commercium, vt de suprema die, deque æterna gloria, qua essent fruituri, ab his fierent certiores. Cæterum te specimen tantum, non vero Album integrum discipulorum sancti Gregorij, feliciter vitam commutantium, accepisse puta. Ex breuibus istis vnguibus magnos illos leones æstima, qui hac in schola educti, per totam Europam supremi Numinis signa circumtulerunt. Quod si tyrones (nam quos retulimus iuuenes erant) tanta virtute fuere præditi, quid de veteranis, de triarijs censebimus? magnam nobis partarum victoriarum materiam præbebunt. At missis discipulis ad magistrum Gregorium Monasterij Antistitem, nos recipiamus.

D. Gregorius Xenodochium adiunxit Monasterio.

Non suorum duntaxat Monachorum curam susceperat hic pater, sed exteris quoque studuit, opis indigentibus. Hac gratia Xenodochium iuxta Cœnobium extruxit, quo pauperes, quo peregrinos acciperet. Sunt qui patrios penates in id diuersorium ab eo mutatum, asserant; nec aberrant. Nam Monasterium & Xenodochium paternæ domus locum occuparunt. Videlicet legem tulerat gloriosus Parens noster, *Vt mensa Abbatis cum peregrinis & hospitibus esset semper*; vnde vt plurimum Cœnobijs Xenodochia adiungi solebant, quod etiam hodie ad sanctum Iohannem apparet Burgis. Adde Ordinis nostri quandam esse Congregationem (Scotorum appellant) cuius Monachi ex lege sibi sancita omni officiorum genere hospites ac pauperes prosequuntur in Xenodochijs, quamlibet seruitutem illis seruiunt: quos alio differimus. His Diuus Gregorius quicquid temporis ipsi à contemplatione, scriptione, oratione, lectione, Monasterij administratione, reliquum erat, impendebat. In hos opimum patrimonium profundebat. Aliquando cœlestis genius cultum nauticum indutus occupauit scribentem, fracta naui omnium fortunarum iacturam se fecisse, quiritans. Inde ad humiles preces narrationem transtulit, etiam atque etiam Antistitis opem implorando. Hic ad miserias leuandas pronus, sex nummos ei dari iussit, quibus damnum aliquo modo resarciret. Peculio hoc instructus ex ædibus se subduxit tum quidem, at paullo post

S. Reg. c. 56.

Angelum cultu nautico tectũ ære iuuit.

rener-

reuertit, causatus emplastrum minus fuisse vulnere: misereretur sui etiam altera vice, vt facilius impetraret, per Deum obtestatus est. Sanctus Gregorius nummos sex alteros piscatori numerari mandauit. Tertio die iterum se maioribus questibus intulit, egestatem suam mari contractam, toto flumine eloquentiæ intendens. Facilis precibus Antistes œconomo in mandatis dedit, pro tot verbis quæ fecerat naufragus, iterum sex nummos reponeret: At at eleëmosynæ iam pridem ærarium exhauserant vsque ad teruntium: quod cum Sanctus rescisset, cura sis, dixit, vt vel amictu, vel rudis argenti frustillo hominem iuues. Solam scutellam argenteam in domo superesse, excepit œconomus, qua mater Syluia ipsi legumina mittere consuesset. Frater, subiecit Magnus Gregorius, frater, ne pauper iste à nobis abscedat tristis, donemus ei hanc quoque argenteam scutellam. Accito deinde naufrago, explicata in lætitiam fronte vas porrexit. Personatus nauta accepit, easque gratias retulit, quas compendio narrabimus, etsi tempus anteuertamus.

Ioh. Diac. l. 2. c. 26.

Idē personatus nauta cōuiuis Gregorij se miscuit.

Cum adhuc Abbatis munus in Monasterio S. Andreæ obiret Gregorius, duodecim pauperes suam ad mensam adhibere consueuerat; nec mutauit morem postquam Pontifex renunciatus est. Aliquando cum discubuisset, sparsis per mensam oculis, conuiuarum suorum numerum iniuit: tredecim deprehendit. Ergo ministrum leuiter perstringens, cur statum numerum excessisset, quæsiuit. Hic rubore suffusus, negat se officium male implesse. Non enim tredecim sed duodecim conuiuari. Fatigantur vterque numerando, donec Pontifex animaduertit, à se proximum præferre speciem humana maiorem, & iam florentis iuuenis, iam incani senis ora sumere. Sæpe diuque hæsit in spectaculo, suspensus admiratione, quamobrem eandem frontem modo explicaret, iterumque conderet: se tamen cernere dissimulauit. Remota demum mensa, cæteros conuiuas missos fecit, hunc autem in secretius conclaue seductum, per Deum obtestatus est, posita persona, se quisnam esset ostenderet. Cur, subiecit alter, cur edere me iubes, meum nomen, quod est admirabile? Cætera, ego ille sum qui fregi nauim, cui tu ad incitas redacto duodecim nummos, deinde scutellam argento factam, suggessisti. Pro certo habe, eo me die, quo huiusmodi eleëmosynam ita prompta manu, tam serena fronte mihi impertiuisti, cognouisse me à Numine te ad summum Pontificatum euectum iri. Institit Gregorius, qui sciuerit? Ille se angelum esse, excepit, pauperis vero personam egisse, Opt. Max. Dei iussu. Opem deinde suam prolixe Gregorio pollicitus est. Hic sine mora humi se prosternens, sine fine gratias persoluit Deo, quod paucos nummos cum scutella, tantis beneficijs sibi compensaret. Posthæc se ipse incitauit ad maiora accedendum patrandumq;, certus non perdere oleum, qui pauperes vngeret.

Porro, qui bono se loco apud Deum esse sentiunt, non ideo cristas sumunt, sed potius tanto profundius animos submittunt, ac opera maiora meditantur, quibus cœleste Numen demereantur. Exemplum D. Gregorius esto: nam præter duodecim pauperes, qui salem ipsius quotidie lingebant, etiam peregrinos vndecunque aduolantes inuitauit: secum discumbendi potestatem fecit. Immo quamuis summum Pontificatum gereret, manibus tamen hospitum aquam infundere consueuit. Hoc obsequij genus cum aliquando obiret, iamque defunctus ministerio, vrceum poneret, ecce tibi! is qui manus abluerat oculis subito se exemit. Officiosus Gregorius multa secum volutans attonitus stetit, & quisnam fuisset animi pendens, cum Iesvs Christus se in conspectum dedit, alias me in meis ministris tua mensa accepisti, dictitans, at hodie ego ipse assedi. Beneuolentia igitur & beneficentia in pauperes nō modo angelos, verum etiam Deum cœlo detrahunt, efficiuntque vt hominibus se familiariter adiungant. Exempla ante tempus attuli, vt appareret D. Gregorium Iobo simillimum fuisse, quo-cum ab infantia creuit miseratio. Adhuc enim sæcularis quantas opes in egenos profudit? Monachus deinde ac Abbas, fecit idem. Euectus denique ad Pontificatum, census vndique ex Italia congestos cum pauperibus concoxit: nec tamen magno animo satisfacere potuit.

Tandem etiā Christus se admiscuit.

Incredibile vero dictu est quanto desiderio animas iuuandi arserit, qui tantum studium in corporibus pascendis posuit. Forte se Romæ agebat per forum, cum prostare venalium capitum loco vidit ingenuos adolescentes, formaq; bona, & vultu adeo venusto, vt nil supra. Ictus spectaculo rogauit mercatorem, vndenam domo essent, quos ipse tam infami mercatura distraheret? deinde quanam tenerentur religione? Ex Anglia oriundos, excepit ille: vacuos religione, nisi quod idolis sacra facerent. Indoluit Sanctus tam informes animas in tam formosis corporibus versa-

D. Gregorius sacram expeditionē suscipere voluit in Angliam.

ti: ideoque protinus Benedictum I. (secundum Iohanuem Diaconum id temporis Pontificem) adiuit: vt sacros Euangelicæ Legis præcones in Angliam mitteret, orauit: operam quoque suam obtulit. Petitionis compos à Pontifice factus, nihil potius habuit, quam ad iter se parare; quem vt conuasare, immo iam iter intendere Roma animaduertit, impatiens eius absentiæ, Pontificem obtestata est, retraheret abeuntem. Annuit hic prolixis precibus, scilicet Deo id agente, qui iam pridem in summum Ecclesiæ suæ fastigium attollere Gregorium statuerat. Huc se obuius infert Baronius, negatque ista Pontifice Benedicto I. accidere potuisse. Ego tamen viam quam iniui, prosequar, hoc est Iohannem Diaconum sequar: nec me morabitur Baronius.

Cum enim sanctum Gregorium plures annos in Monasterio contriuisse ostenderim, tempus ad susceptam ab eo nutu Benedicti I. expeditionem, minime desiderauero. Nec aliud incommodum video, cuius gratia iter illud ab eodem confici nequiuerit. Neque argumentum Baronius habet, quo suam nobis sententiam persuadeat. Quæ nos attulimus, feruentissimo studio, quo efferebatur vt ingenua natio fide Catholica imbueretur, pulcherrime respondent. Quid? Etiam cum Pontificatum gereret, Anglorum conuertendorum curam suscepit, magna pecunia pueros Anglos venum expositos comparando, qui legem Christi edocti repeterent patriam, illaque instituerent populares.

CAPVT V.

Diuus Gregorius bene multo tempore Monachus Ordinis sancti Benedicti fuit: Monasterio S. Andreæ præfuit.

Remiseramus iam hanc quidem chordam, sed ea iterum oberrandum est. Nimirum tardius mihi Apologia oblata est, anno millesimo sexcentesimo quarto ab Antonio Gallonio, Congregationis Clericorum Oratorij presbytero aduersus Constantinum Bellottum, Monachum Casinensem, vulgata. Causam is Cardinalis Baronij suscepit, qui vbi primum nouam in orbem edidit sententiam, pernegando D. Gregorium de Ordine S. P. N. Benedicti fuisse, tota Religio nostra classicum sibi cani rata, defensionem veteris possessionis, vt par erat, cœpit meditari, cui nemo ante Baronium afferre manus est ausus. Hinc quidam Monachus Casinensis, cuius me nomen fugit, Animaduersiones scripsit, ea animi moderatione visus, vt priusquam typis mandaret, Camillo Patriarchæ Alexandrino Romam mitteret, censuram ipsius subituras. Orauit insuper, si è re videretur, etiam Baronio monstraret. Sed aliquid promamus ex Præfatione. *Supplico Cardinali Baronio*, inquit, *quem semper summe veneratus sum, bonis hunc Tractatum consulat, ac visa veritate, Ordini nostro decus suum restituat, hoc est, reddat sanctum Gregorium sanctæ Ecclesiæ Romanæ Pontificem, & Magnum Doctorem, quem à nostro corpore dismembrauit.* Legit Monachi huius lucubrationes Cardinalis, nihilominus non modo in spongiam non incubuit, nouam ac ante id non auditam sententiam abolendo, vt potius Antonio Gallonio negotium dederit (cuius eruditioni plurimum confidebat) Monachi refutandi. Is animo calamoque promptus iugalit Animaduersiones: rem Baronij inclinatam, qua potuit, fulsit: simul plurimis locis Priuilegia Leoni Ostiensi pro Appendice addita, suam ad incudem vocauit: male excepit: & nil intentatum nil inausum reliquit, quo persuaderet Orbi, nucleos se, nos putamina vendere. Quocirca Constantinus Bellottus, Casinas, & Monasterij sancti Michaëlis de Teliore Prior, eruditione præstanti vir, non iam sub rosa longius mussandum, sed in publicam arenam prodeundum ratus, totam disputationem in Dialogos digessit, Baronij nomine in Bernhardi verso; aut vt facile excusares, si peccaret contra τὸ πρέπον? an vero vt melius intelligeres, quid vellet? Igitur oblique sic tactum à Bellotto vt defenderet Gallonius, correpto calamo Apologiam composuit, prœloque subiecit, qua omnes ingenij vires intendit, vt Baronio victoriam pararet: omnem lapidem mouit vt in aëre arcem ædificaret. Hæc res fecit, vt in arenam, à me iam ante satis tritam, redirem. Antonio Gallonio respondendum est: quod paucis mihi faciendum esse duxi, cum quod longo mihi esse non liceat, immensum opus mouenti: tum quod sero Apologiam viderim.

Ardentibus animis vicissim tela ingesserunt Bellottus & Gallonius: ille actus amore sui Ordinis: hic studio incitatus Baronij: vtinam vero vtreque sibi imperasset, styli impetum cohibuisset, cum hæreticis res in nostras vehementer intentis nil quicquam magis volupe sit, quam Apologias legere, quibus Catholici indignis modis se mutuo lacerant. Quem enim de calumnijs

Monach. quidã Casinen. D. Gregorij Ordini vindicauit.

Ant. Gallonius cõtra pedẽ tulit.

Quẽ Bellottus repressit.

Alter alterum Italo perfidi aceto.

fructum Lector capiat? Fatetur hoc ipse Gallonius, testem S. Paulum adducens, cuius vox: *Nolite contendere verbis: ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium.* (2. Tim. 2.)

Ordinis magnum esse ornamentum, ingens decus, summum habere Ecclesiæ Dei Doctorem, quis neget? Quod si haberi nō possit, nisi alius proscindatur conuitijs, malim causa cadere: malim iacturam pati. *Deum enim timeo* cū Iosepho (Gen. c. 42.): ac nescio quam grauiter animum meum verberet dictum Sapientiæ (Sap. 1.): *Benignus est enim spiritus Sapientiæ, & non liberabit maledicum à labijs suis: quoniam renum illius testis est Deus, & cordis eius scrutator est verus.* Solent improbi flagitia in se admittere, spe impellente facile veniam impetrandi. Atqui maledici scelus suum haud impune ferent, etsi Deus benignus & misericors sit. Venenum enim præcordijs reconditum is videt, quo deinde linguas suas hi imbuunt. Quid autem moto stomacho vomerent, nisi venenum? Si, *qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis* (Matth. 5.), quo non supplicio dignus erit, qui idem scripserit sua manu? Vox subito in auras euanescit: at conuitia chartis ac typis commissa, per omnes nationes & regna, per omnium manus volitant, auidis animis hauriuntur, nec cito inde abolentur, sed reposita manent: damno irreparabili afficiunt. Si meum in stylum caderet, quod Virgilius de Æneа canit:

Et nostro sequitur de vulnere sanguis:

nemo me profecto adduxerit vt scriberem, hoc est, figerem, ne fusus isto modo sanguis perpetuo clamorem aduersus me in cœlum tolleret (Gen. 4.), à supremo Iudice vindictam expetentem. Se namque pœnas sumpturum, ait, neque hoc munus cuiquam mortalium cedere.

Imprimis igitur conuitijs abstinebo, ne Deum offendam, qui suorum honorem curæ habet. Huius amicitia propter dictum aliquod insolens, excidere velle non vltima stultitia est. Deinde veritas per iurgia mihi amitti videtur: tum etiam puerorum & fœminarum arma, verba sunt, quæ ipsis impotens ira obijcit ad vindicandum. (Lingua, fœmineū telum est: leuis calamus, ensis non viri, sed effœminati est.) Vallisoleti, Alcalæ, Salmanticæ, nobilissimis Academijs, tanta animorum ac verborum disputatur moderatione, vt infame sibi stigma inurat, quisquis argumentis relictis, in altercationem & conuitia insurgit. Nobilem Hispanum si indigno incessas verbo, os claudet: manum ad machæram referet. Linguæ silentium imperabit, manibus vindictam. Vir doctus argumentis rem gerit, non inconditis clamoribus, iniuriarum plenis. Dauid imitandus est ardentibus istis scriptoribus & disputatoribus. *Posui*, inquit, *ori meo custodiam, & ostium circumstantiæ labijs meis.* (Psal. 140.) Accedit, Monachos sancti Benedicti singulari lege teneri, male ipsis dicentibus talionem non reponere, sed iniuriam remittere. (S Reg. c. 4.)

Paulo longius à via digressus sum, vt hanc mihi lineam ipse ducerem, quam transilire summo studio cauebo. (Mihi stat sententia, à modestia non discedere.) Videbit etiam quandoque frigere me Lector, vbi calore, animi contentione, spiritu opus esse censebit. Sed veniam mihi dabit merito timenti, vbi iam pronus est lapsus. Malo peccare in breuitatem, quam verbis toto sacco effusis, calumniæ periculum adire. Neque historici est, incumbere in Apologias, sed res gestas narrare ex vero. Atqui amor, odium, bilis, *Faciunt iudicem non cognoscere verum.* Igneus scriptor, cholerico stylo armatus, non modo infirmum animum prodit, sed etiam ipsam veritatem in dubium adducit. Mordaces proinde Satyras Poëtis relinquamus, qui Apolline agitati fingunt, fundunt, canunt, quicquid in mentem, & buccam venit. Potius Religionis Catholicæ hostes hæretici, qui è discordijs nostris insignem voluptatem capiunt, stylo apologetico sunt premendi. Minarum nos memores simus, quas S. Paulus dicacibus intendit: *Si inuicem mordetis*, inquiens, *& comeditis, videte ne ab inuicem consumamini.* (Gal. 5.)

Nunc ad rem sine felle, sine bile. Tria molitur Gallonius. Imprimis Priuilegia, quę Leoni Ostiensi adiuncta appendix complectitur, nihili fieri cupit: quod vt efficeret Apologię mantissam adiecit, qua Monachum Casinensem anonymum incessit. Deinde, argumenta quædam à Constantino Bellotto aduersus Cardinalem Baronium allata, refutare nititur. Denique Ordini sancti Benedicti D. Gregorium eripere conatur. Duo priora capita paucis persequar: in vltimo pedem figam. Ad primum quod attinet, Priuilegia quæ Appendix Ostiensis refert, non multum pugnamus varijs vitijs laborare, cum tabulas, vt vocant, originales inspicere mihi non liceat. Suscipiant hanc prouinciam Monachi Casinates, multi doctique, quibus ex litteræ sunt in promptu, vnde imminentem Gallonium terro agant. *Si scripturam authenticam non videmus*, inquit Gregorius IX. *ad exemplaria nihil facere possumus. Item sancimus, vt authentica ipsa atque originalia rescripta, & nostra etiam manu subscripta, non exempla eorum insinuentur.* (Cap. de fide instr. & L. Sancimus, l. de diversis rescript. L. 44. tit. 18. part. 3.)

Nostri quoque regni lex est, exemplaribus Priuilegiorum fidem adhiberi non debere. Fundum igitur hunc, vt dixi, colant Casinates, & Priuilegia anno millesimo quingentesimo decimo tertio impressa ad litteras authenticas expendant: vbi opus est, ad incudem vocent atq; corrigant. Ante Gallonium idem animaduerti: atque sub annum quingentesimum quinquagesimũ tertium Casinensibus auctor fui, Priuilegia illa prœlo denuo subijcerent, quibus absq; dubio typothetæ oscitantia multos impoluit errores. Tabulas namq; originales aliquando dissentire, certissimum est. Vt vero nihil est quod historiam magis, quam vetusta Priuilegia, sine errore producta, illustret, ita nihil eandem turpius confundit, quam ipsorum exempla mendis infecta. In Hispania quidem characterum Gothicorum peritum esse oportet, qui antiquas huiusmodi tabulas versari cupit; alias pro quadraginta sæpe decem, pro nonaginta, sexaginta numerauerit: cumque Longobardi, domitores Italiæ, non secus quam Gothi è Scandia fuerint oriundi, propter viciniam eadem lingua scripturaque vsos putem, & Priuilegia Casinensium pari laborare legendi difficultate. Rudi vero ætate illa, qua edita fuere, neglectis originalibus exempla perperam ab illiteratis descripta, adhibita sunt. Hinc tot errores aspersi annis.

Amanuenses & typothetæ corrũperũt priuilegia quæ Appendix Leonis Ostiensis refert.

Quanto purius ex ipso fonte bibantur aquæ, didici experientia, dum superioribus temporibus archiua Ordinis nostri multarumque Ecclesiarum Cathedralium obiui, lustrauique. Periculum ex Ambrosio Morali faciamus. Hic Reges hactenus inauditos populo maritimo Asturiæ, vulgo Gyon, imposuit, nouum se hoc regnum, Ouiedano & Legionensi antiquius, in quodam priuilegio Gothice scripto Monasterij B. Virginis Obonæ inuenisse ratus. Ferebat id æra octingentesima decima octaua Principem Adelgestrum, Regis Gyon filium, fundasse illud Monasterium. Dum igitur putauit verum illud esse priuilegium, adeoque non exemplum sed prototypon, fidem habuit: longissimam telam ea super re texuit. Sententias nouas nunquam ego quidem obuijs manibus accipio: neque bibo è riuulis ambiguos per alueos seductis è flumine. Ideoque omnes historicos veteres oscitantiæ vel inscitiæ condemnare non potui, qui neque regni neque Regum Gyon vspiam meminerunt. Oraui copiam mihi facerent Priuilegij, cui molem suam inædificasset Morales: fecerunt. Rogaui postea, tabulas authenticas Gothice scriptas exhiberent. Illico promplerunt: porrexerunt: ego vagis oculis perlegi. At in his non *Adelgaster filius Regis Gyonis, seu Gixonis*, sed *Adelgaster filius Regis Silonis* ponitur. Quis autem non intelligit, Silonem & Gyonem toto cœlo distare? Ille vsque superque notus est famæ ac historię, cui æræ cæteraque mirifice correspondent. Inde apparet Monasterij Obonæ Fundatorem fuisse Regis Silonis filium: Moralem vero Reges Gyon nobis obtrusisse, quod exemplari male descripto incaute fidem habuisset. Non igitur tantopere Gallonius obstupescat, aut indignetur, si Priuilegia impressa euoluendo, quandoq; incidat in errores. Vero namq; simillimum est, iam olim fuisse descripta, ea diligentia scilicet, qua litteræ Cœnobij Obonensis. Quod si animaduerterit vitium inesse ipsis annis Dñi, quibus huiusmodi litteræ fuere datę, obsecro sistat pedẽ, nec tempus consumat magnam absurdorum molem educendo, ne ipsi occinant Philosophi, *Ex impossibili sequi quodlibet.* Vbi enim id mendi Priuilegijs irrepsit, continuo tot inconuenientia in promptu habebit, vnde vel libros componat, Tostati voluminibus nec pauciores, nec minores, quod est mortuos figere, oleum ac operam perdere.

Morales Lib. 6, 23.

Quod Morali accidit, alijs accidere potuit.

Erroris sui culpam litteris originalibus Morales impingere non potest. Neque enim falsarij Priuilegijs attulere manus, vt totum terrarum orbem inducerent in errorem. Ita quoque archiuum Casini montis sine labe esse, credendum, cui Petrus Diaconus, Leo Ostiensis, Anastasius Bibliothecarius, & Paulus Diaconus, viri grauissimi, præfuerunt. Amanuensibus & typographis obrepsit somnus. Operæ profecto pretium facturi essent Casinenses, si promptis ex archiuo tabulis originalibus, tanquam ad Lydium lapidem, typum castigarent. *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum.* Si enim expungant ea, quæ huiusmodi Priuilegijs vel rude sæculum, vel typographorum indiligentia adiecit, magnum omnino pondus sunt habitura.

Prou. 25.

Ad spicula quod attinet, quibus se mutuo incessunt Constantinus Bellottus & Gallonius, cum Poëta canimus:

Non nostrum inter vos tantas componere lites.

Ex Bellotti lucubrationibus ea duntaxat legi quæ ipsius antagonista attulit. Illico ex vngue leonem cognoscens, eruditio, dixi, & eloquentia non patientur virum hunc terga dare. Vtrumque tamen, ac alios quoque per viscera IESV Christi oro & obtestor, bili ac stylo imperent, ne hæreticis cachinnos excutiant: candidiores animas offendant: timentibus Deum lachrymas moueant, animad-

Benedictis certãdũ potius, quã maledictis.

nimadnertentibus per venena quæri veritatem. Neque Rufinum & Hieronymum, aliosque viros grauissimos exempla sibi præiuisse dicant, quos nulla ad scribendum bilis egit: nullus ardor tam longe, vt Bellottum & Gallonium prouexit. Sed faciamus quosdam nō tantum aceto, sed etiam multo felle suos antagonistas perfudisse, multo tamen maior eorum est numerus, qui adhibuere modum. Sed ita hominibus comparatum esse, Venerabilis Beda ait, vt auidius initam à discipulis Christi pugnam legant, quis eorum videretur esse maior, quam multitudini credentium cor fuisse vnum, & animam vnam: Firmius quoque memoria tenere, Paulo cum Barnaba aliquando ita parum conuenisse, vt alter ab altero discesserit, quam quod idem Doctor gentium dixerit: *Cum inter vos æmulationes & contentiones habueritis, nonne homines estis?* Quasi vero Scriptura sacta nobis Sanctorum infirmitates ob oculos posuerit, vt eas imitaremur, & non potius ipsos conualuisse ostenderit, de sua infirmitate, & stetisse fortes in bello. Ita est profecto. Quis enim sibi parat laudem iniuria afficiendo hostem, cum tanto splendidior sit victoria, quanto pluris fit is, qui vincitur? Sic Homerus pater Poetarum, ad sidera euecturus Achillem, maiorem in modum extulit Hectoris bellicam virtutem. Non vero quisquam lauro donādum censuisset, si Thersitem, nauci militem, superasset. Proinde prudentiam Christianā & eloquentiam conserris dexteris amice cōsidere videas, quas diuellere nihil attinet. Immo apud Deum hominesque plus fidei habet, qui conuitijs abstinet: antagonistam iniuria nulla, honore plurimo afficit, quam ille qui toto libro sarcasmorum largissimam sementem facit. Sed nunc scopum post ambages petamus.

Beda in c. 22. Luca.

Argumenta quæ Gallonius exponit, vt D. Gregorium Ordini subducat, vel à me non intelliguntur, vel vim auctori suo ferunt, nobis victoriam. Oportet hic memoria repetere, Iohannem Diaconum inter ac Baronium non conuenire de anno, quo D. Gregorius Monachum induerit: nec de Abbatia, quam in Monasterio S. Andreæ Diuum Gregorium gessisse, negat Baronius: nec de Pontifice, qui Cardinalem creauerit: nec denique de Regula cui nomen dederit. Iam mihi videtis, quam veritas subigi non possit, quin semper caput attollat, reducto velo è tenebris quoque prospiciat? Monasterio S. Andreæ cum imperio præfuisse, Gallonius hisce verbis testatum facit. *Scias enim ipsum, vbi Romam rediit, mox ad suum Monasterium esse reuersum, eidemque summa præfectura præfuisse, nempe Abbatis, prout ipse Gregorius satis aperte docet, dum narrat historiam de Monacho proprietario, in quem vt Abbas censuram illam exercuit, vt sepeliretur in sterquilinium.* Meminit autem legationis, quam obierat Constantinopoli. Baronius alio dollom vertit. *Nam constat*, inquit, *diuersum fuisse Monasterium S. Andreæ ab illo Lateranensi, vt ex diuersa etiam Abbatum serie intelligi potest. Lateranensi enim primum Valentinianus Abbas, inde Simplicius, & post eum præfuit Honoratus, vt idem ipse Gregorius docet. In Monasterio autem S. Andreæ primo (vt eiusdem Gregorij testificatione diximus) Valentius siue Valentinus, inde Maximianus, tertio loco Pretiosus, atq; postea substitutus est Probus.* Quo Catalogo reponit Abbatem primum, à quo D. Gregorius habitum monasticum accepit: ac vltimum, quo munus obeunte, ille iam summū Pontificatum gerebat. Dum igitur eundem in syllabo præterit, Abbatem S. Andreæ fuisse negat. Vel igitur Gallonius non stipat eundem Baronium, vel Baronius nobis committit dexteram, fatendo D. Gregorium Abbatem fuisse: nam Pretiosus, (alijs Speciosus) quem is Abbatem tertium numerat, Abbatum gradu plane mouendus est. Etenim D. Gregorius eum *Præpositum sui Monasterij*, hoc est, Priorem appellat. Pro certo ego equidem habeo, Baronium acerrimi iudicij virum, chronologiæ peritissimum, iam tum intellexisse, suas operas à meta aberrasse, dum Pretiosum Monasterij S. Andreæ fecere Abbatem: ideoque per Gallonium oraculum aliud edere voluisse: nimirum D. Gregorium Abbatis munere functum, quando à monacho, occulti peculij reo, sumpsit pœnas: Pretiosum vero tum egisse Priorem.

D. Gregorius ad S. Andreæ Abbatem egit, teste Gallonio pag. 17.

Negat Baronius.

S. Gregor. l. 4. dial. c. 21.

Hinc palam fit, Catalogum Abbatum Monasterij S. Andreæ, à Baronio digestū, non ferre omne punctum: non vacare errore. Rem se restituere putat Gallonius subijciendo: *Post hæc autem tua prosequens scripta, inuenimus te sugillasse Baronium, eo quod numerant Abbates Monasterij S. Gregorij aliquot prætermiserit. Quid tum! Non eam susceptt prouinciam, vt Chronicon Abbatum Monasterij S. Gregorij compilaret, sed obiter ea attingens, quantum institutum ferret, ad alia tractanda se ex more conuertit. Inferius vero dum arguis eum, quod Abbatem vocet, quem Præpositum Monasterij S. Gregorius, quod ita S. Benedicti Regula traderet, appellarit, hoc est quod disputatur, num eiusdem Regulæ sancti Benedicti sanctus Gregorius esset, vt dici posset, eadem fuisse nomina præfecturarum. Sed leuia prætermit*

tamus ista, quod neque in his Baronius immoretur. Ecce vt in syllabo Abbatum Monasterij S. Andreæ errores duo locũ obtinuere, quos Itali cominus, alij eminus videre! vanis verbis aures onerat Gallonius, Baronium non eam prouinciam suscepisse, dictitando, vt omnes Abbates Ascererij S. Andreæ promeret: etiam extra culpam esse, quod Pretiosum Priorem, appellauerit Abbatem, cum in id præcipue incubuerit, vt palam faceret num S. Gregorius de Ordine fuerit S. Benedicti, nec ne. Tum enim in expedito futurum fuisse, quæ nomina præfecturæ illius Ordinis habuerint, cui ipse nomen dedisset. At cotem nouacula dissecat Gallonius. Etenim Baronius nõ obiter Abbatum S. Andreæ meminit, sed ad certos numeros digerit: primum, secundum, tertium, quartum notat: D. Gregorium silentio premit: Pretiosum Abbatem facit, qui Abbas non fuit. Antistites huius Cœnobij Abbates dictos fuisse fatetur, Valentium, Maximianum, Probum Abbates nominando: quid vis amplius? Quomodo Baronius potuit dubitare, num Antistes Monasterij S. Andreæ Prior nuncupandus esset, an vero Abbas, postquã toties eos qui præerant Abbates appellauit, ac in syllabum redegit? In dubiũ frustra vocatur id, quod toties confessus est Baronius. Forte Prælati Valeriæ non etiam Abbates à Baronio appellantur! Res manibus tenetur.

Antistites Monasterij S. Andreæ fuerunt Abbates.

Siue igitur D. Gregorius sancti Equitij, siue sancti Benedicti Monachus fuerit, pro certo habetur, Antistites Monasterij S. Andreæ Abbates fuisse, Abbatis titulo insignitos fuisse, quem illis adimere, nunquam somniauit Cardinalis, vt facile appareat futiles horum Abbatum Catalogos nõ à Cardinale Baronio, sed à quopiam eius succenturiatore profectos, historiæ Ordinis nostri parum periro. Bene sibi consuluit Gallonius obmussando: *sed leuia prætermittamus ista, quod neque in his Baronius immoretur.* Rectissime! Baronio condendi anni Domini cura est: cum Regibus, Imperatoribus, Maximis Pontificibus negotium est: tanta sub mole minuta curare non potest, quæ tamen meos humeros haud secus quam magna pondera premunt, ingenium fatigant, industriam meã exhauriunt. Formica mordicus trahens granum, tam subigitur quam elephas onustus turri. Idcirco illustrissimum Cardinalem etiam atque etiam oro, parua hæc, impedita tamen, mihi cum Gallonio expedienda relinquat, qui vicissim hanc prouinciam suscepit, at sinistre, vt videtur, obit. D. Gregorium in Monasterio S. Andreæ Abbatis munus esse functum, sponte sua nobis dat: igitur diu Monachum egisse oportet antequam Diaconus Cardinalis renunciaretur. At hoc pacto Baronio vulnus imponit, qui id inficiatur, & Ioannem Diaconum de errore postulat. Missis nostris argumentis, supra expositis, lubet iam auspicia solius Gallonij sequi. *Hinc simile argumentum est*, ait, *quod sancta Syluia eius mater mittebat legumina infusa filio Monacho: Ergo antequam iret Constantinopolim. Et quis hoc negat?* Bellottus multis ostenderat, D. Gregorium plus temporis in Ordine exegisse quã statuisset Baronius. Atque vt rationes bene conficeret, piam matris Syluiæ consuetudinem memorauit, qua filio suo legumina à se cocta conditaque, scutellæ argenteæ infusa mittere solebat. Idque factum ait prius, quam Constantinopolim susciperet expeditionẽ. Nunc vide vt se in tere induat! Paullo ante pro certo haberi voluit, S. Gregorium suo Monasterio præfuisse, eo quod Abbatis munia sit exequutus. Hoc si à vero non aberrat, euadere Gallonius haud potest, quin fateatur Gregorium ad sui Monasterij sedisse clauum, antequam proficisceretur Constantinopolim, adeoque multos annos in habitu monastico posuisse. Quis enimuero non intelligit Abbatem fuisse, quando mater ipsi legumina argentea in scutella submittebat! Mercatori namque naufrago (quod Ioannes Diaconus ac alij narrant) stipem roganti prima vice, sex nummos: altera totidem: tertia vice argenteam scutellam dari iussit. Igitur eleẽmosynarium præfecto tanquam dominus Cœnobij mandauit, quid fieri vellet. Si fuisset Monachus nouitius, non totum biennium Ordinem professus, vt Baronius credi vult, iamque Constantinopolim missus, qui tandem ipsi de rebus Monasterij statuere: ærarium in pauperes exhaurire: vbique pro domino se ferre licuisset? Quo iure Monachis imperauit? qua deinde lege hi iussa sibi capessenda putarunt? Num ipsi, si Abbas non fuit, ex sacco Monasterij tam largas sementes facere in egenos fas fuit? Nullus Ordo à tyronibus vel recens Regulam professis, hæc fieri permittit. Si porro Gallonius S. Gregorium Abbatem fecit, eo quod culpis admissis pœnas inflixerit, quippe-ni eundem quoque pro Abbate habeat, eo quod fortunas Monasterij suo ex arbitrio expenderit, quod proprium Antistitum est. Eodem tempore sontes pœnis, insontes prœmijs, egenos stipe ab ipso affectos, facile intelliges, si animum ad historiam Ioannis Diaconi, & Caput superius aduerteris. Quod si D. Gregorius Abbatis onus subiuit antequã peteret Con-

D. Gregorius diu Monachũ egit.

Gallon. pag. 19.

D. Gregorius etiam monachis præfuit.

Ioã Diac. l. 2. c. 10.

stan-

stantinopolim, veluti ex dictis perspicuum est, & Gallonius sponte calculum suum adjicit, plures omnino anni in Ordine exacti, ipsi sunt tribuendi, quam velit Baronius. Cum iam summum Pontificatum gereret, Valentio Abbati se, haud secus quam alios, subditum fuisse, affirmauit. At quis in animum induxerit, duobus illum annis tantos progressus facere potuisse, vt posito tyrocinio paullo post ad clauum admoueretur? Hinc etiam conijcias, multos ipsi effluxisse annos, donec post habitum Religionis sumptum renunciatus est Diaconus Cardinalis.

Baronius an. 581.

Abbas Vrspergensis, magni nominis historicus, vtlonge alia fistula canit, quam Gallonius? Namque sub annum quingentesimum quinquagesimum octauum Monachum egisse Gregorium, asserit. Marianus Scotus à fama percelebratus auctor, verbis propemodum exertis indicat, quod anno quingentesimo sexagesimo quarto se iam transtulerit in Monasterium. Nam eo ipso tempore Redemptum Ferentinensem Episcopum floruisse, & S. Gregorio familiariter visum esse, ait. Quid opus est multis? Ipsemet memoriæ prodidit, magnam sibi cum Redempto necessitudinem intercessisse, cum adhuc in suo degeret Monasterio. Prorumpit Gallonius, istos auctores quingentis annis S. Gregorio esse posteriores, tanta fide dignos non censeri: sibi tamen vult credi, mille ac centum annis post, inaudita voce in publicum prodeuntì. Tamen è fonte se petere gloriatur: non sectari riuulos. Vtinam, Galloni, ipsissimus fons Gregorius Magnus agitato capite non negaret! Cum enim S. Merulo lachrymis, eleëmosynis, psalmodiæ, mirifice dedito, sertum albis floribus contextum, cœlitus oblatum narrasset, subiecit: ***Ad cuius sepulchrum dum Petrus, qui nunc Monasterio meo præest, sibi sepulturam facere post annos quatuordecim voluisset, tanta, vt asserit, de eodem sepulchro fragrantia suauitatis emanauit, ac si illic florum omnium fuissent odoramenta congregata.*** Igitur Petrus id temporis Abbas, quo Gregorius Magnus Pontifex Max. Dialogorum libros lucubrauit, S. Meruli sepulchrum aperuit, elapsis iam eius à morte quatuordecim annis: quo calculo sic posito, Merulum anno quingentesimo octogesimo concessisse oportet. Etenim omnes vna cum Baronio affirmant Dialogos à D. Gregorio ad annum quingentesimum nonagesimum tertium esse scriptos, vnde si annos quatuordecim subducas, tot restabunt, quot à nobis sunt positi. Accedit Merulum absque dubio non ita subito in summum perfectionis gradum euasisse, sed aliquot annos in virtutibus parandis contriuisse.

Vrsperg. an. 558.

Marian. Scot. an. 564.

D. Gregor. l. 3. dial. c. vlt.

In suum se laqueũ inducit Gallonius.

Greg. 4. dial. c. 46.

Tempus igitur illud, quod annum quingentesimum octogesimum præcessit, sanctus Gregorius sub habitu monastico duxit, quandoquidem teste Iohanne Diacono, Merulus tantos fecit progressus, illum imitando; vnde conijcias discipulum fuisse, Gregorium vero iam ante annum quingentesimum octogesimum primum (quod tempus ei Baronius assignat) iam Monachum induisse: atque Iohannem, Merulum, Antonium, aliosque sanctitate præstantes, imbuisse. Sed nil opus est pluribus, cum vltro fateantur D. Gregorium Abbatis prouinciam in Monasterio S. Andreæ obiuisse: vnde inficias ire non possunt, multos annos Monachi vitam eum duxisse, antequam Diaconus Cardinalis legeretur. Nec est cur fidem abrogemus Iohanni Diacono, Gregorium non à Pelagio sed Benedicto I. in hunc honoris gradum euectum narranti, cum etiam in superioribus rem acu tetigerit. Deinde creationes Cardinalium, iam multo ante vsu receptæ, in archiuis memoriæ propagandæ recondebantur, quæ Iohannes Diaconus à se lustrata esse ait: neque rem ita decantatam Romę potuit ignorare.

Ioan. dial. l. 1. c. 20.

CAPVT VI.

D. Gregorius in meridianam lucem cum cucullo Benedictino producitur.

NOn istud hactenus præcipue egimus, vt ostenderemus D. Gregorium in Monasterio S. Andreæ Monachis ius dixisse: multos annos ibidem exegisse: à Benedicto I. renunciatum Cardinalem: sed cum animaduerteremus, Baronium & Gallonium hisce gradibus in summos muros eniti vt caperent oppidum, nauauimus omnem operam vt Iohannis Diaconi causam suscipiendo, qui tot sæcula absque nota, quam Baronius & Gallonius ei nuper imposuerunt, est emensus, viam ad caput litis sterneremus, videlicet D. Gregorium Ordinis sancti Benedicti Monachum fuisse. Posterior profecto iam cœpit nubi herbam porrigere. Ad rem igitur quod attinet, Regulam sancti Benedicti omne tulisse punctum, atque adeo omnibus numeris absolutam esse visam, vt Occidentis Monachi eam auide sibi vindicarint, deinde per totam Ecclesiam Dei propagarint, sæpe repetit Baronius: & Gallonius negare nec vult, nec potest. Etenim *S. Benedictus,* inquit, ***non est sua laude fraudandus, vtpote qui***

Baronius an. 494. 529. S. Benedicti Regu.

In cæteris palmam præripuit, ac latius promulgata fuit.

qui scribent Regulas, non de Monachis tantum suis, sed de omnibus est bene meritus, factus toti orbi proficuus, atque conspicuus, vt iam non habeat quod fastu tumens Græcia Latinis insultet, vincere Occidentales Monachos Orientalium regulis, cum tanti Patris beneficio habeat Latina Ecclesia in thesauris, quod Græcia mutuari possit ab ipsa. Nam pene exolescentibus Regulis reliquis, Benedicti vbique locorum frequentiori sunt vsu recepta, & obseruantiori cultu retenta. De his enim Honorius Augustodunensis hæc ait: Benedictus Abbas Monasterij Casinensis scripsit Regulam Monachorum, per totum mundum promulgatam.

Totius cū orbis cōplexus est, imprimis vero Occidēt.

Vides vt Gallonio ipso teste S. Benedictus cōmunis Monachorum Pater fuit, nec solo Occidente se tenuit, sed totum terrarum orbem complexus est? Quapropter vehementer admiror, Constantinum Bellottum ab ipso in reprehensionem vocari, eo quod Patrem appellarit omnium Monachorum Occidentis, cum nullo titulo sit notior. Neque ideo asserimus neminem alterum ante ipsum vitam monasticam in Occidente coluisse; sed Monachos per Europam sparsos, relictis suis legibus, in Benedictinas concessisse, non secus quam Monachi Orientis in Basilianas. Qua de causa illi nomen Patris Monachorum Occidentis, huic Orientis est inditum.

De hoc inter omnes conuenit, Regulam S. Benedicti fere vbique gentium per Europam fuisse acceptam; nec facile alteri locum fuisse: nec conditum Monasterium, nisi fere Ordini S. Benedicti. Num vero tam longe lateque se extenderit, sanctissimo Patriarcha adhuc vitam degente, an vero labentibus ab ipsius morte annis, nonnullum nobis cum Gallonio certamen intercedit. Quod Monachi Regulam D. Benedicti domesticis suis legibus antepoluerint, & has cum illa commutarint, vltro nobis dat, idque vicibus repetitis Gallonius: vt tamen casses vitet, (nimirum S. Gregorium quoque habitum Benedictinum induisse,) in Italia & Anglia tarde id factum, ait, spe plenus se sic euasurum, neque Iohannis Diaconi argumento, quod nos loco tertio posuimus, captum iri. Signandum autem nigro lapillo est, fateri virum eandem Regulam breui per Galliam circumlatam: atqui in Italia rem secus habuisse. Neque enim à sancto Benedicto, neque à Monachis Casinensibus seruatam. Magnū, Boni Superi, paradoxum! Age sis igitur, amice Lector: compone caput dum nos argumenta afferimus ad demonstrandum, S. Regulam cum ab ipso glorioso Patriarcha,

Gallonius Regulam S. Benedicti cito per Galliam circumlatā, recte cōfitetur:

Tarde per Italiā, ridicule cōcredit.

tum ab ipsius discipulis fuisse propagatam. Num ei quoq; locus in Italia & monte Casino fuerit, alibi quæremus. Neque diu te morabimur, quando sub annum quingentesimum tricesimum primum, atque etiam isto quingentesimo septuagesimo sexto ex Fausto docuimus, S. Benedictum aliquot millium Monachorum fuisse Patrem: simulque Monasteria viuo adhuc ipso in Italia, Sicilia, Gallia, Hispania ædificata, non ex vano, falso, aut ficto, sed ex vero ostendimus. Atqui nisi Regula vulgata iam fuisset, quis ignotæ Monasteria posuisset! Promulgari igitur cœpit, auctore ipsius superstite: mox quoquouersum radices egit: tandem sanctissimi Patris sanctissimorum filiorum opera infinitum creuit. Rei huic cōfirmandæ Constantinus Bellottus has literas è quodam Montis Casini vetustissimo Codice profert.

S. Patriarcha eciānum superstite, Regula ipsius arāsum ab Italia accepta fuit

Reuerendissimo Monachorum Patri Simplicio, Bernhardus Abbas Monasterij apud Fundanam vrbem obedientiæ subiectionem.

Epistolā Abbatis Bernardi vide.

Experientia compertum est, multorum Rectorum mores varias viuendi normas in Monasterijs peperisse. Hinc factū est, vt iam omnia Monasteria Campaniæ, Samnia, Valeria, Thuscia, Liguria, & aliarum prouinciarum Italiæ, certam & rectam Regulam viuendi, quam sanctissimus & Deo acceptissimus Benedictus, Magister tunc instituit, seruare decreuerint, vt iuxta illam viuentes, neque ad dexteram neque ad sinistram declinare præsumant. Hanc ergo seruandam propositi huic Congregationi, cum nuper me in suum Abbatem elegerit indignū: quam cupientes in hoc Monasterio obseruare inuiolabiliter, decreuimus ad sanctitatem vestram destinare, religiosos ex eadem Congregatione viros, Hugonem & Paulum fratres nostros, iuxta prædictam sanctam Regulam & obseruantiam plenius instituendos in Casinensi sancta Congregatione, quos commendatos apud Paternitatem tuam humili obsequio rogamus. Datum in Monasterio prope vrbem Fundanam XVI. Cal. Aprilis.

Hic siste gradum, obsecro, & vide sis non vero simile, sed esse certum, Regulam S. Benedicti vix natam obuijs passim manibus exceptam, & Simplicio Casinensi Abbate tertio (qui sub annum quingentesimum sexagesimum ad id officij est auctoratus) tam vbique celebratam, vt omnia Campaniæ, Samnij, Valeriæ, Thusciæ, Liguriæ Monasteria, dimissis è manibus Regulis pro-

prijs, Benedictinam capessiuerint. Insuper Abbatem Valentium, D. Gregorij Magistrum, S. Benedicti Ordinem fuisse professum: nam ea in prouincia, quæ nomen Regulæ vna cum alijs quibusdam dederat, Abbatem egit, indeque excitus Romam venit. Hæc cũ ita, vel Dauus intelligit Gregorium, ipsius discipulum, in idem nomen iurasse: sui ducis vestigia sequutum esse.

Gallonius fidem epistolæ huius eleuat pag. 32.

Gallonius animaduertens, obiectis hisce litteris sese obsidione teneri, rimam circũspexit per quam elaberetur. Itaque auctoritatem chartæ detrahit, causa se cadere velle, dictitans, nisi figmentum aperte ostendat. Sic igitur oscitantem Lectorem ferit, vt animum aduertat. *Iam vero maximi momenti aggredior quæstionem, in qua cupio Lectorem attentum, eo quod differendum sit de falsitate citata ab eo cuiusdã epistola, à nobis hic recitanda, qua si abs te germana ostẽdi potuisset, tibi sine controuersia cedendum fuisset.* Paullo post: *Id ex ea voluit posse probari, iam ipso tempore Simplicij Abbatis, ad quem data habetur epistola, Prouincia Valeria Monachos sub S. Benedicti Regula profiteri cœpisse: sicque Valentinum illum primum Abbatem, & institutorem S. Gregorij, Monachum fuisse Benedictinum. Ita quidem, si vera fuisse ostendi posset epistola, iam causa tota esset deuicta & perorata, tibi Constantino adiudicata.*

Duo Gallonij momenta.

Nempe sentit Gallonius vbi sit: cupit erumpere. Duas machinas admouet, quibus viam fugæ moliatur: machinas nil profecturas. Bernhardi & Hugonis externa nomina, quæ fert epistola, id temporis ignota Italiæ, fuisse, credi vult. Proinde epistolam à sæculis posterioribus profectam. Deinde opem ab annis petit. Scilicet videri Simplicium Abbatis officium in Lateranensi Monasterio post annum quingentesimum octogesimum sextum fecisse, hoc est, multo post quam S. Gregorium Monachum induerat, & quo tempore Casinense Cœnobium iacebat in ruinis.

Adulterina igitur epistola est, inquit, dum Simplicium Abbatem Casinensem fingit, quando Casinense Monasterium nullum erat. Cæterum vt hoc dictum fulciat, magnis laudibus fert Faustum, S. Mauri discipulum, insignẽ auctoritate apud omnes historicos pollentem. Quando enimuero is, comite Simplicio, in Montem Casinum venit, inquit, Monasterium plane destructum repetit, Monachis in Laterano degentibus: quapropter luce clarius videri, epistolam à vero longe abesse, quod Simplicium Montis Casini Abbatem faciat, quo tempore Mons Casinus nudũ nomen erat.

Hic pulmonem agitat Gallonius, pæana ante victoriam canendo: mihi tamen rerum Ordinis experto, non metum sed admirationem mouet, virum doctum se committere prœlio, è quo pedem non absque nota sit relaturus. Lectorem proinde oro præteritis Gallonij exclamationibus mea momenta cum illius perpendat, ac tum sententiam ferat.

Exteræ nationes Italiæ externa nomina intulerunt.

Bernhardi & Hugonis nomina Italię adhuc rerum dominæ fuisse ignota, vltro damus. At vbi Ostrogothi, Visegothi, Heruli, Wandali, Longobardi, ingenti mole illi incubuere, peregrina simul nomina intulere. Cui enim ante id in Italia auditus Alboinus, Zotus, Totila, Rodericus! postea tamen in vsum abiuerunt. Idem Bernhardo & Hugoni, nominibus minus barbaris, accciderit. Immo si aliquid fidei Iohanni Auentino habes, vt debes, Bernhardi nomen in Alemannia natum est. Qui vero accensi cupidine prædæ Italiam inuaserunt, vel Alemanni fuerunt, vel per Alemanniam iter fecerunt. Quid igitur miri est peregrina nomina tanto temporis lapsu tandẽ etiam Monachis hæsisse? Quod si Gallonio ante id nullibi lecta sunt, primam ei legendi copiam hac epistola facimus. Etenim initium habuisse debet Bernhardi nomen tam vulgatum per Italiam & Galliam, vt eo quam plurimi Episcopi, Doctores, denique etiam Reges sint vsi.

Bernardi nomen ex Germania in Italiam venit. Iohan. Auentin. lib. 3. Bau.

Gallonius historiæ regulã per ὑστερον πρότερον correxit.

Præpostere autem originalibus litteris censorium vnguem imprimit, quasi regula corrigi debeat, & non potius cætera ad illam exigi. Vel cedo an non vetera monumẽta, tabulæq; originales, historiæ norma & amussis sunt? Originales aio: nam exempla calamo vel typo incuriose descripta, erroribus vacare, non ausim dicere. At quando vir grauis, doctus, religiosus, cuiusmodi est noster Constantinus Bellottus, è liquido fonte se laticem propinare, sancte affirmat, quis bonus ei fidem non habeat? Præter fidem etiam gratias meretur, quod operam nauarit vt res obscura ex archiuo in lucem euolueretur. Dum alteram machinam in nos mouit, recte accinuisset:

Virgil.

Prouehimur portu, terraque vrbesque recedunt.

S. Benedictus plures Simplicios in ordinem dimisit.

In toto hæret, dum vnum tantummodo Simplicium fuisse autumat. Cum igitur illum in Galliam profectum esse: ibidẽ quadraginta tres annos contriuisse: postmodum Romam, Monasterio Cãsinensi solo æquato, reuertisse legisset, animum inducere haud potuit, hoc tempore eidem Simplicium præfuisse. Itaque cum à vero, tanquam à portu, ipse recederet, nos vertigine agi, & à recta aberrare putauit. Sed vt radicem

erroris Gallonij eruamus, ſciendum à S. P. N. Benedicto plures in Ordinem admiſſos, quibus idem erat nomen: veluti ſanctum Antonium, ſancti Mauri Gallias petentis comitem, ac Antonium alterum qui in Monte Caſino vitam traduxit, ac poſtea incumbentibus Longobardis Surrentum, Italiæ oppidum, ſe recepit. Item duos Gregorios. Vnius Gregorius Magnus libro 4. Dialogorum, c. 8. meminit: alter Caſinum incoluit, quem anno quingenteſimo quadrageſimo quinto nos produximus. Glorioſiſſimo igitur Duci noſtro duo Simplicij dedere nomina, quorum alter S. Mauro in Gallias expeditionem ſuſcipienti comes additus, qui eo demortuo, ſe vna cum ſancto Fauſto, non in Montem Caſinum (veterem quidem ſedem, at túm humi proſtratam) ſed Romam in Lateranenſe Monaſterium contulerunt, quo noſtri Monachi Barbarorum tyrannidem elapſi confugerant. Grauis tum annis iſte Simplicius erat, ac ibidem vitam exuerat, cum neque in Gallia, neque in Italia munus Abbatis vnquam obiuiſſet. Alter Simplicius itidem ſancti Benedicti diſcipulus, ſanctitate clarus, nunquam Italia egreſſus, Abbatis officio in Monte Caſino tertius eſt functus. Nam S. Patri noſtro, & ſancto Conſtantino ſub annum quingenteſimum ſexageſimum ſucceſſit, nimirũ multo ante, quam Barbari Cœnobio Caſinenſi attulere manus. Petrum Diaconum idoneum teſtem habe, quem hiſce laudibus Gallonius ornat: *Petrus Diaconus Caſinenſis, magnæ apud omnes auctoritatis, & Bibliothecarius Cœnobij Caſinenſis cum eſſet, quæcunque extabant antiquitatis monumenta, ex penetralibus vindicabat in lucem.* At hic Petrus vnum Simplicium Montis Caſini Abbatem tertium fuiſſe, memorat: Alterum S. Mauri fuiſſe ſocium. Quid agis, Galloni? ſi meritis laudibus Petrum Diaconum affeciſti, eidem maculas imponere non debes. At videamus quonam ſe vertat. Folium vertit, & inculpat laudatum ſibi virum, quod alijs filis, quã Leo Oſtienſis, hanc telam texat. An tu ideo tranſuerſo calamo atrum ſignũ Petro Diacono allinis, quod ab Oſtienſi nonnihil diuerſus abeat, cum in hoc ambo conueniant, Simplicium fuiſſe Caſinenſem Abbatem tertium, quod hic ſolũ diſputamus? nec ideo Petrus Diaconus de ſuo aliquid addidiſſe cẽſendus eſt, quod multa memoret, quæ Leo Oſtienſis prætermittit, cum illi cõſilium fuerit prolixe rem exponere: huic paucis inuoluere, quem nunc audire iuuat. *Huic ſanctiſſimo Patri ſuccedit in Monaſterij regimine vir Reuerendiſſimus Conſtantinus, eiuſdẽ viri tanti diſcipulus. Tertius autẽ à B. Benedicto præfuit eidem Congregationi Simplicius. Quartus Vitalis: quintus Bonitus.* Ne vero cuipiam in mentem veniret, tertium fuiſſe Abbatem Lateranenſem, *tertium* numerari ait *à B. Benedicto*. Quod ſi Simplicius S. Mauri comes, Cœnobij clauũ vnquã tenuiſſet, quẽ nunquam cepit, locus ſeptimus vel octauus à D. Benedicto in Abbatũ Albo ei concedendus foret. Nam Vitalis egit quartum: Bonitus quintum: cuius ſub faſcibus à Longobardis Mons Caſinus exſciſſus eſt, is autem antiſtitis munus in Laterano primus obiuit. Sextũ à S. Benedicto locũ Valentinianus, omnibus annuentibus, occupat. Si igitur Simplicius S. Mauri ſocius è Gallia redux, Abbas Lateranenſis factus eſſet, tertius à D. Benedicto numerari haud poſſet, vt fruſtra tam caro annonam vendat Gallonius, vnum Simplicium pro duobus nobis inculcando.

Vnus Simplicius S. Mauri in Galliam proficiſcentis comes fuit.

Alter Abbatis officium in Mõte Caſino fecit.

Gallon. pag. 88.

Hæc ſuper re Petrus Diaconus & Leo Oſtienſis teſtimonium dicunt.

Leo Oſtienſ. l. 1. c. 2.

Iiſdem prope verbis hoc refert Paulus Diaconus: *Cæterũ poſt B. Benedictum Conſtantinus: poſt hunc Simplicius: poſt quem Vitalis, ad poſtremum Bonitus Congregationem ipſam rexit, ſub quo eius deſtructio facta eſt.* Cæterum ne neſcias, fuit Paulus Diaconus ſemper inter primæ claſſis hiſtoricos habitus, ante id Caroli M. Secretarius, poſtea vero mũdo terga vertens, in Ordine ſancti Benedicti ætatem extraxit, cui tamen apud Imperatorem ſuus ſtetit fauor, etiam poſtquam ex aula in cellam ſe remouit. Hiſtoria vero quam condidit, albo lapillo à toto orbe notata fuit, vt partum hoc nomen & auctoritas abſq; alijs momentis ſatis ſint ad Gallonium reprimendum, qui parum belle hoc telum in virum clariſſimum iacit, quaſi alijs ad errandum ſe præbuiſſet ducem, cum tamen Baronius, ac ipſe quoque, vt conficerent tarde D. Gregorium ſæculo miſiſſe nuncium, eiuſdẽ auctoritate ſint vſi, quã poſtea eleuarunt, quod alicuius Epiſcopi Mediolanenſis meminerit, cuius nihil attinebat tam gnarum eſſe, quã ſui Monaſterij Abbatum. Hoc enim nõ modo viri graues doctiq; in Monaſterio memoria tenent, verum etiam Nouitij atq; tyrones, ſi exigas, in promptu habent, primos præſertim Antiſtites ac Patres. Quocirca vehementer admiror Gallonium cætera acute cernentem, iſto in negotio tam cæcutijſſe. An ipſum fallit, ſtultum plus noſſe domi ſuæ, quam ſapientem alienæ? Petrus Diaconus, Leo Oſtienſis, Paulus Diaconus, clariſſimi hiſtorici, ab ipſo quoque celebrati, Caſinenſis Monaſterij aſcetæ, archiui præfecti, bibliothecarij, Scriptores antiqui, ac tanto proximiores domus ſuæ origini, primos parentes ac patresfamilias ignorauerint, &

Superioribus ſe tertiũ addit Paulus Diac. l. 4. c. 6. hiſt. Longobard.

Monaſteriorũ Abbates ac Senes veteres Monachis nouitijs ceu lac inſtillant.

Gallo-

Gallonius oon incola, sed tam loco quam tempore longe remotus, absque errore in digitos nominatim mittere queat? Certe Paulus Diaconus suis vsurpasse oculis eos Monachos potuit, qui Roma relicta in Casinum reuerterunt. Nam inter septingentesimum & octingentesimum anoum floruit; nempe eo sæculo quo nostri Monachi è Lateranensi se Cœnobio in Casinense retulerunt Quapropter neminem inerrores induxit, sed posteris ad veritatem præclaram facem prætulit. Agesis vero, Galloni: si post octingentos annos quempiam cupido incesseret Antistites Congregationis Oratorij cognoscendi, Cardinalis autem Baronius, & tu Galloni, vterque vir grauis, eorundem caralogum litteris commendassetis, nonne risu accipiendus is esset, fidem qui nobis tam idoneis testibus abrogaret? scilicet narrantibus quæ domi vestræ gesta sunt? Ita duri profecto oris eum esse oportet, qui clarissimum virum Paulum Diaconum ad censuram vocat: erroris condemnat, scribentem quæ manibus, quæ oculis attigit domi suæ, cuius etiam litteras, tabulas, monumenta quotidiana manu versabat. Quodsi domesticus testis Gallonio reijciendus videatur, è Gallia & Germania alios adducamus. Aimonius, vetustissimus auctor, *Monasterij Casinensis*, inquit, *post Beatum Benedictum Constantinus: post hunc Simplicius, deinde Vitalis, ad extremum Bonitus, Congregationem rexit, sub qua destructio facta est.* Trithemius gente Germanus, *Simplicius*, ait, *Monachus & discipulus S. Benedicti Abbatis, tertius post eum Casinense gubernauit Cœnobium.* Ergo Simplicius Antistes tertius, non Lateranensis, sed Casinensis fuit.

Aimon. l. 3. c. 30.

Trithem. l. 3. de viris illust. c. 10.

Duos fuisse Simplicios, etiã epistola Gordiani indicat:

Denique, beneuole Lector, vt exnas omne dubium Simplicios fuisse, duos admodũ diuersos, epistolã euolue quam Gordianus ad Constantinum, Montis Casini Abbatẽ secũdum, dedit, cuius nos ad annum quingentesimum quadragesimum meminimus. Nam in ea socios expeditionis à S. Mauro in Galliam susceptæ recensens, dũ Simplicium Montis Casini Monachum nominat, an oon duos fuisse ostendit, quorom alter in Galliã concesserit, alter in Italia permaoserit? Adde in hac epistola nullum vestigiũ erroris, nullam vmbram imposturæ deprehendi, scriptamque; multis retro sæculis, quando nemini in mentem venire poterat, olim orturam litem, mouente Baronio & Gallonio, num D. Gregorius se Ordini S. Benedicti aliquãdo addixerit: ac inde componendã si vnum, vel duos Simplicios fuisse, liquido constaret.

Hinc verum sensum Capitis primi, Libri secundi Dialogorũ haurire licet, vbi D. Gregorius res à S. Benedicto confectas relaturus *Huius*, inquit, *omnia gesta non didici, sed pauca quæ narro quatuor discipulis illius referentibus agnoui: Constantino scilicet, reuerendissimo valde viro, qui ei in Monasterij regimine successit: Valentiniano quoque, qui annis multis Lateranensi Monasterio præfuit: Simplicio qui Congregationem illius post eum tertius rexit: Honorato etiam, qui nunc adhuc Cellæ eius, in qua prius conuersatus fuerat, præest.* In errorem se induit Gallonius, dum ea verba, *qui Congregationem illius post eum tertius rexit*, ad Valentinianum, non vero ad S. Benedictum retulit: ideoque Simplicium non Casinensem, sed Lateranensem Abbatem facit. Sed tuam fidem obsecro, Galloni, quis vnquã hanc in sententiam D. Gregorij verba accepit? nemo profecto.

Et digito monstrat D. Gregorius;

Sed tamen vt omnem tibi scrupulum eximimus, ecce Sanctum Faustum, superiorem quauis prouocatione testem, cum suscepti in Galliam itineris fuerit socius, negotiorum particeps: Simplicij in Italiam redeuntis comes. *Ego itaque*, inquit, *cum longe post transitum egregij Confessoris Christi Benedicti, Magistri nostri, operum mirabilium patratoris, sepulto iam beatissimo Mauro, & duabus comitibus nostris, Constantino scilicet & Antonio, ad nostrum Monasterium, vltimam iam pene ætatem agens, vna cum Simplicio iuxta mandatum beati Mauri fuissem regressus, compulsus ab omnibus fratribus Congregationis Casinensis Cœnobij, de quo profecti fueramus, & præcipue religiosissimo viro, & cum honore nominando, Theodoro, qui tertius post sanctæ memoriæ Valentinianũ, prolixiori tempore rexit Monasterium, historiam de vita & conuersatione, siue etiam de profectione eiusdem beatissimi Mauri scribere sum aggressus.*

S. Faustus tota manu;

S. Faust. prol. vitæ S. Mauri.

Ex quibus primo conficere licet, Simplicium annis iam grauem è Gallia venisse Romam. Enim vero si Faustus septem annos natus Ordini nomen dedit, seque *vltimam pene ætatem agentem* in Italiam reuertisse asserit, etiam Simplicium canitie tempora sparsisse credendum est. Licet enim maiorne natu fuerit, ignoremus, ita tamen videtur, quandoquidem sacris operari à Mauro Galliam ingresso, iussus est, cum hic elapsam animam in vacuum corpus reducere vellet. Etiam inde conijcias, quod Congregationem Casinensem mox appellet Lateranensem, nec vllo discrimine habeat. Nostri proinde auctores, quibus plane fides habenda, vti recte Abbates Casinenses, ita quoque Lateranenses digerunt hoc ordine. 1. Bonitus,

Simplicius S. Mauri comes, in Italiam reuertit ætate admodum fessus.

S. Faustus.

nitus, qui Longobardis Casinum euastantibus, fuga se subduxerat. 2. Valentinianus. 3. Gregorius. 4 Theodorus. Huic Catalogo à nemine voquam illatus Simplicius est.

S. Faustus Abbatibus Lateranēsibus suum Simpliciū nō adiungit.

Porro S. Faustus (quod oolim tibi excidere) tertium Abbatem à S. Valentiniano, non Simplicium ponit, sed Theodorum. Itaque dum D. Gregorius post Valentiniani factam mentionem, tertium Abbatem Simplicium produxit, non Valentiniani, sed S. P. N. Benedicti habuit rationem, quod S. Faustus, testis oculatus, plena manu indicat, tertium à Valentiniano locum Theodoro assignando. Qui autem fieri potuisset, suum vt socium Simplicium præteriret, si Abbatem in Laterano vnquam egisset? præsertim vbi à religioso cœtu eiusque Antistite rogatum se memorat, vt S. Mauri acta memoriæ proderet? An forte non idem, à Simplicio petendum erat? vel Faustus exponere non deboerit, id negotij à Simplicio Abbate sibi datum, qui rebus adfuerit? à Theodoro se impulsum, ait, ac fratribus: Simplicij prorsus non meminit, quasi auctor sibi ad scribendum fuisset. Insuper, reducem è Gallia Simplicium ita anni iam fregerant, vt pares oneri humeros haud amplius habuerit. Cum igitur S. Faustus Simplicium loco moueat (quem opera Gallonij male occupauerat) & eundem Theodoro tribuat, pro certo habendum Simplicium Abbatis munus in Lateranensi Cœnobio nuoquam obiuisse. Vnde ex arena exeedit suismet telis saocius Gallonius.

Ergo Gallonius Simpliciū Lateranēsem Abbatem fuisse docuit, quod à nemine didicit.

Hæc cum ita, amice Lector, magnam à veritate inibis gratiam, si deinceps memineris Gallonium, dum tertium Abbatē Lateranensem à Valentiniano Simpliciū constituit, & à Gregorio Magno, & à S. Fausto abiuisse. Deinde quoties res Ordinis in dubium adducuntur, in eorum potius sententiam concedendum, qui illas suismet oculis hauserunt, vel à Patribus, à maioribus acceperunt, quam qui vudena post sæcula docent, quæ à nemine didiceruot. Ad Simplicios qood attinet, simplex nimis est, qui duos fuisse, nondum intelligit, quorum alter expeditionis S. Mauri socius, plerumque ætatis in Gallia exegit, ac vltimam vitæ suæ clausulam in Italia imposuit (nunquam obito Abbatis officio) multis annis post, quam Longobardi Monasterium Casinense verterunt. Alter in Sanctorum fastos missus, Italia pedem nunquam extolit, tertius à Sancto Benedicto Casinensis Abbas auctoratus, ante destructum à barbaris Cœnobium fato concessit, adeoque in Lateranum vna cum cæteris profugere, vel Abbatis ibi prouinciam obire non potuit.

Magnum hic momentum ad S. Regulam per Orbem propagandam contulit, eiusque (non alterius) mentionem faciunt litteræ à nostro Constantino Belotto ex archiuo erutæ, à Gallonio etiam in lucem editæ. Sic nimirum gallina qusudoque scalpendo & lacessendo qoisquilias, cultrum promit, cui postea collum subijciat. Ex epistola enim Bernhardi palam est factum, Gregorium Magnum deberi S. P. N. Benedicto. Atqui Gallonius sponte sua victoriā Bellotto se concessurum dixit, si litteras illas nulla impostura laborare ostenderet. Figmenti suspicionem viro mouerat quod non intelligeret, duos fuisse Simplicios, è quibus vnus Abbatiam Casinensem gessisset, antequam Cœnobium Longobardorum improbis manibus humi procubuisset. Nunc labem bonæ epistolæ male impositam, in luce aboleuimus; vitio vacare, certissimis iuxtaque clarissimis testimoniis demonstrauimus: Gallonium diu tergum versantem, in potestatem redegimus.

Iuuat amplius epistolam expendere. *Hinc factum est*, inquit Bernhardus, *vt iam omnia Monasteria Campania, Valeria &c. certam & rectam Regulam viuendi, quam Sanctissimus & Deo acceptissimus Benedictus instituit, seruare decreuerint*. Cum igitur D. Gregorius Valentij è Valeria acciti fuerit discipulus, quod ipse sæpenumero fatetur, additq; ea in prouincia Abbatem fuisse, quis, tuam fidem obsecro! quis iuerit ioficias, eundem similē magistri induisse habitum, Regulam in eandē iurasse? Nam multos annos post Monachi vitam professus est, quam epistola Valeriæ Monasteria Regulæ S. Benedicti nomina dedisse, referat. Hinc insuper apparet, frustra diē nobis dixisse Baroniū, hoc præcipue suffarcinatum argumento: Gregorium Valentij fuisse discipulum, è Valeria euocati: ea in prouincia S. Equitij floruisse Monasteria: proinde illum Monachum fuisse S. Equitij, non S. Benedicti. Facilis & expedita responsio est. Quamuis enim Valeria nulla præter quam S. Equitij numerasset Monasteria, ea tamen ad signa D. Benedicti iā transierant, qoo tēpore S. Simplicius Monti Casino tertius præerat. Iubesne etiam hoc me adijcere; *Ex puris particularibus nihil confici apud Logicos?* At hinc syllogismum hunc texit Baronius: In prouincia Valeriæ fuerunt S. Equitij Monasteria: Valentius habitum sumpsit in quodam Monasterio prouinciæ Valeriæ: Ergò fuit Monachus S. Equitij. Cæterum omnia Valeriæ Monasteria io S. Equitij leges & vestigia tum iuisse, nec affirmat Baronius: nec si affirmaret, fidem faceret.

Valeriæ Monasteria Regulæ S. Benedicti nomina dederunt, quam D. Gregorius vota nuncuparet Romæ. *Baron. an. 581.*

Tota

Tota igitur moles, aduersus veterem opinionem & antiquissimos scriptores educta, subito casu, ruit, concidit, iacet, bonam ad id operam nauante Gallonio, arcis deditionem promitteuse, simul ac liqueret epistolam esse ex fide scriptam.

CAPVT VII.

Argumenta Gallonij ad vnguem examinantur.

Bis in eidem lapidem impingit Gallonius.

FOrte Gallonium minus liberalem voluisset Baronius, feretque grauissime, hominem rei summam & victoriæ momentum in vnam conieciſſe epistolam, quam nullo firmo argumento saltem in suspicionem impolluræ adducere posset. Magis tamen accendetur vbi chartam viderit alteram ab eodem luci proditam, nihil minus quam id quod cupiebat, conficientem. Namque bibliothecam Vaticanam lustrando, antiquissimum librum se offendisse, ait, qui Martyrologium Vsuardi contineret, cuique Regula S. Benedicti cum Prologo, in hæc verba concepto, præmitteretur.

Gallon. pag. 50.

Incipit Prologus de Regula S. Benedicti Abbatis.

*QVi leni iugo Christi colla submittere cupis, Regulæ sponte da mentem, dulcia vt capias mella. Hic testamenti veteris nouique cuncta mandata: hic ordo diuinus, hicque castissima vita. Hoc Benedictus Pater constituit sacrum volumen, suisque mandauit hæc seruanda alumnis. Simplicius Christi minister, magistri latens opus propagauit. Vt omnes * vna tamen merces vtroique manet in æternum. Incipit Regula. Ausculta ô fili* Cum hac charta bono animo Gallonius in medium prodit, priorem adhuc chordam vibrans, non nisi vnum Simplicium, eumque Abbatem Lateranensem post annum quingentesimum octogesimum sextum fuisse; hincque vult credi Regulam Sancti Benedicti ab ipso Simplicio promulgatam: tarde friliret, ac eo tempore iam elapso quo D. Gregorius Numini se dedicasset; proinde Ordini S. Benedicti nomen dare haud potuisse. Deinde multo longius à linea nos rapit, S. Benedictum, exclamando, alienas leges tota vita sequutum fuisse, suas nunquam, nec quidem discipulos ipsius, in Italia degentes. Sed terram intuentes, modeste virum audiamus. *Etenim cum superius ex Fausto Sancti Benedicti discipulo sit demonstratum, Simplicium ex Galliis in Italiam minime rediisse ante annum Redemptoris quingentesimum octogesimum sextum, ante quod tempus neque Regulam potuerit in Italia publicasse, necessario sequitur vt S. Gregorius, qui ante Simplicij reditum ingressus est Monasterium, nullo pacto potuerit esse professus eiusdem Sancti Benedicti Regulam, quæ lateret adhuc, neque vsque ad Simplicij ex Galliis reditum fuerit publicata. Simplicius enim è Galliis rediens, illam quam à S. Benedicto acceperat experiendam Regulam, iam annis quadraginta tribus vsu probatam saluberrimamque inuentam promulgari curauit pariter in Italia, cum ex Gallia sero rediisset.* Tum pagina alia: *Ex quibus perspicue declaratum,* inquit, *absque scriptis à S. Benedicto Regulis non solum ipso Benedicto viuente, sed & post mortem eius vsque ad dictum Simplicium, Benedictinos Monachos in Ecclesia gubernatos. Istud quidem, non ignominiæ sanctissimo viro cedit, vt alienis potius quam suis, se suosque Monachos scriptis regulis instituerit, sed summæ gloriæ.* Hinc multis laudat S. Patrem nostrum, quod re ipsa non triuerit viam, quam verbis præiuisset (quis credat?) tum subijcit: *Sed & præterea ex eo sibi summam gloriam comparauit, quod neque suas, quantumlibet elaboratas, omnique ex parte probatas, in omnibusque perfectas præferre videretur antiquioribus, à sanctis Patribus statutis Regulis, eas noluit, vt nouus legulator fastu turgens edere & promulgare: sed recondidit & latere voluit.*

In hac charta videre se putat, Regulam S. Benedicti sero promulgatã.

Gallon. pag. 51.

Immo neque à D. Benedicto, neque à discipulis ipsius obseruatam.

Pag. eâ.

Mi Galloni, quanam in platea habitas? adeo rerum nostrarum expers? Sed nil attinet denuo oculis tuis obijcere integerrima testimonia. Simplicium, de quo tua charta, haud fuisse Abbatem Lateranensem, sed tertium Casinensem: sub annum quingentesimum sexagesimum fama celebrem; id est, multo ante quam D. Gregorius mundo se abdicasset, vt Regulæ S. Benedicti iam vulgatæ nomen dare, in promptu ipsi fuerit. Quæ Prologus tuus affert, non in Simplicium, Sancti Mauri socium, sed tertium Casini Montis Abbatem conueniunt, vt hanc palmam è manibus mihi eripere haud queas. Iam vero quam inauspicato ille homo promouet gradum, S. Benedictum, ingeminans, suæ Regulæ nullam rationem duxisse! non vulgasse; sed ad alienam cum suis Monachis se composuisse non tantum in reliqua Italia, sed ipso Casini monte! quod enim à nemine habeatur vero simile, & hæc nomina sat superque iam alibi discusserimus, saltem loca tibi in memoriam reuocabimus. Anno quingentesimo decimo quarto vestigaui tempus, quo noster Sanctus Pater habitum monasticum sumpsit, ostendique à Sancto Spiritu ductum & edoctum, in nullius alterius verba iurasse neminem

Gallonij charta de Simplicio, Casinensi Abbate tertio, verba facit, non de altero, S. Mauri socio.

S. Benedictus Regulã scripsit non Nemini, sed sibi suisque discipulis.

alium ei leges dixisse. Sub annum quingentesimum vicesimum nonum demonstraui S. Regulam nostram nulli homini, sed soli Deo in acceptis referendam. In testimoniũ à me adducta S. Hildegardis, cuius verba hoc loci reponere libet. *S. Benedictus Regulã, quæ spiritualibus hominibus esset accommodata, sanctus vir, Sancto Spiritu docente & ostendente, condiderat*. Alia prætereo. Cæterũ vt eandẽ ederet ac promulgaret, glorioso Patriarchæ cœlitus in mandatis datum, ibidẽ quoque notaui. Quis autem dubitet, virum Sanctum Deo Opt. illico gessisse morem? Diuinum munus cum aliis cœli iussu communicasse? Ad annum quingentesimum tricesimum primum, Monasteria non pauca cõmemoraui, superstite adhuc nostro Patre fundata, non solum in Italia, sed etiam Hispania, Sicilia, Gallia: quo tempore, tot mortales Religioni nostræ fuere initiati, vt S. Maurus innumerabiles dixerit. In illa vero omnia suam Regulã vel intulit ipse, vel discipulorum opera introduxit. Ad annum quingentesimum quadragesimum tertium expeditionem S. Mauri in Gallias susceptã exposui, noua Monasteria condendi gratia, quod fama Regulæ S. Benedicti aures ac animos ibi iam occupasset.

S. Hildegard. vit. S. Disibodi apud Sur. 8. Iuly

Eam ipse propagauit:

S Faust. vita S. Mauri.

Sed ne quisquam delirare possit, Ducem Monachorum Benedictum scripsisse leges, quas tam ipse quam discipuli negligerent, nec vsui futuras, visum est Faustum adducere, vt nobis denarret quo pacto is Maurum à se dimiserit. *Hæc dicens*, inquit, *dans osculum nobis prosequutusque nos cum omni Congregatione vsque ad ostium Monasterij, as-salutatis rursus nobis, ac benedictione super nos tradita dedit sanctissime discipulo suo Mauro librum Regulæ, quem ipse sanctus manu sua scripserat: proferrique iussit pondus libræ panis, & vasculum aneum, vini heminam capiens, & ita nos finit abire*. Igitur nõ alienam Regulam, sed suam propria manu scriptam illis tradidit, in Gallia quoque obseruandam. Deinde pondus panis & mensuram vini vna dedit, quibus libram & heminam exigerent ex præscripto Cap. 39. & 40. Regulæ, non alterius quam suæ.

S. Faust. vita S. Mauri.

Et S. Mauro in Galliam profectuo tradidit.

In monte Casino ante cultam fuisse quã Longobardi Monasterium diruerent, Leo Ostiensis sic docet. *Fugientes itaque ex eodem Cœnobio Fratres Romam profecti sunt: Codicem S. Regulæ quam Beatus Benedictus scripserat, & alia quædam scripta, sed & pondus libræ panis & mensuram vini, & quicquid supellectilis surripere potuerunt, deferentes, atque ex concessione Romani Pontificis Pelagij, qui tunc Apostolicæ sedi præerat, iuxta Lateranense Patriarchium, Monasterium construxerunt*. Hem vt Monachi Casinenses capessendo fugam, secum tulere Codicem S. Regulæ non quam D. Basilius, vel quispiam alius, sed quam Beatus Benedictus scripserat, id quod ante S. Maurus Galliam petiturus fecerat! Insuper hic iterum pondus panis ac mensuram potionis secundum illã ipsam Regulã vides.

Ostiens. l. 1. c. 2. hist. Montis Cas.

Eandem Monachi Casinenses Romã profugiẽtes secum tulerunt.

Immo quam maxime abs te postulo, atq; oro amice Lector, an non è ratione prudẽtiæ fuerit, Regulam S. Benedicti domi prius in vsum redigi, quam foris? ante in Italia exerceri, quam in Gallia vel Hispania? Prius enim suo in fonte scaturit vnda, quam spumantes per alueos alio feratur. Vel cedo, an non ea in vrbe, quæ regni caput est, lata lex primum soleat promulgari, ac inde demum per alias inferioris notæ spargi? Idem Regula S. Benedicti factum crede: in qua si nihil desiderari potuit, cur auctor eam non sequutus esset? Quod si illam ipse non probauit, cur, amabo te Galloni, cur S. Mauro dedit, ad eam vt vitam institueret cum sociis, ac insuper spatiosam per Galliam circumferret? Si porro Regulas alienas propriæ antepoSuit, cur SS Mauro, Fausto, cæterisque non præ sua commendauit? Sin propriam magis ad rem esse censuit, cur discipulis in mandatis non dedit, vt suas vitæ rationes secundum eandem inirent? Sane factum D. Benedicti nemo excusauerit, si experimentum de sua Regula, bonane an mala esset, in dissitis longe regnis potius capi, quam domi, voluisset.

Turpe est doctori, Galloni, si quę docet alios ipse negligat, cui tu culpæ S Benedictum affinem facis.

Italiam Hispani semper maximi fecimus, cum quod caput Orbis haberet Romam, quæ leges humano generi sanxit: tum quod Supremi Numinis Vicarius ibidem posuisset sedem. Attexebamus in laudem hoc etiam, quod S. Regula nostra in Casino primum nata cultaque, per totã postea Italiam, inde alias in prouincias regnaque, veluti per colonias, fuerit deducta: nunc præter expectationem existit homo nouus, qui hac gloria Galliam sibi augendam putat.

Soli igitur nostro nemo, quæso, radios euellat, quasi suis onera imposuerit, quæ ipse ferre noluerit, vti mos apud quosdam flocci Antistites obtinet. Ex hoc numero S. Benedictum D. Gregorius præter alia eximit, qui S. Regula etiam atque etiã laudata, hæc in encomiũ auctoria effudit: *Nullo modo potuit aliter docere, quam vixit*. Res est in vado Galloni. Si enim illa fuit omnibus numeris absoluta; si Mauro in mãdatis datũ, vt eum Gallia eam cõmunicaret, quæ fassus est Gallonius, nec pedem referet si vir sit, negari profecto à sano haud potest, etiã à suo auctore in pretio habitam & seruatam fuisse.

D. Gregorius Gallonium refutat.

D. Greg. l. 2. Dial. c. 36.

Nunc

D. Greg. l. 4. Dial. c. 8

Plane me tuit carbone notari Gallonius, Regulam S. Benedicti nec ab auctore, nec ipsius à discipulis obseruatam, scribere ausus contra D. Gregorium.

Nunc spes vincendi penitus decollat antagonistam, dum me videt Gregorium Mognnm opportautem, commodum nimio testem in rem nostram. Demus operam eloquenti. *Eisdem quoque discipulis illius narrantibus didici, quia duo nobiles viri, atque exterioribus studiis eruditi germani fratres, quorum vnus Speciosus, alter Gregorius dicebatur, eius se Regula in sancta conuersatione tradiderunt, quos idem Pater Venerabilis in Monasterium, quod iuxta Terracinensem vrbem construxerat, fecit habitare.* Nimis talpa est qui non videt Regulam S Benedicti vsu in Italia receptã fuisse, ipso etiamnum superstite, quandoquidẽ in Monasterio quod is proxime Terracinũ excitauerat, Speciosus & Gregorius illam professi sunt. Hic Gallonius hiat potius, quã respondeat. Nõ blattis exesum archiuum: non exemplar perperam scriptum: non æram in ius, aut dubium vocare licet. Nullam Gallonij glossam fert D. Gregorij textus. Neq; Atlos prævalidis humeris, quibus cœlum torquet, Terracinam Latij vrbem, ex Italia in Galliam, quantouis mercede conductus, transuectare potest. In hoc nobis vero ridiculus est visus, susq; gnauiter vineta ipse cædere, dũ è Bibliotheca Vaticana paullo ante hæc verba attulit: *Hoc Benedictus Pater constituit sacrum volumen: suisq; mandauit ea seruanda alumnis.* Si gloriosus Patriarcha Regulam composuit, atque discipulis vt in eam incumberẽt, imperauit, quo tandem pacto eam abscondit? Cur tenebris damnauit? Qui rem quandam alios latere vult, cautissime condit, abstrudit, quauis arte oculis subducit, non oculis, non manibus exponit. Quando Rex Legem per præconẽ edit, vel Bullam Pontifex templorum foribus affigi curat, quibus subditi obtemperent, num occuliore velle cẽsendi sunt? Qui rogat legem, seruarique iubet, nonne is publicam facit? Ergo nullo angulo Regulam suam D. Benedictus pressit, qui eã discipulis in manus dedit: sequi mandauit.

Suo se hamo capit, è Bibliotheca Vaticana chartam producẽdo, quæ testatur S. Benedictum iussisse discipulis vt suam Regulam seruarent.

Quem igitur nouæ huius sententiæ non pœniteat, *D. Gregorius ex Albo Monachorum S. P. N. Benedicti abolendum*, cum ita turbido sit haustu puteo, ita exeso corie nitatur fundamento, nimirum tantum Patriarcham nec suas, quas sanxit, in publicũ protulisse leges in Italia: neque ad eas vitæ suæ direxisse rationes. Parum forte fuisset Gallonio, è manibus nobis eripuisse Gregorium M. nisi etiam nostro nos Patre despoliasset, negando S. Benedictum Ordinis fuisse S. Benedicti. Qui enim fuisset si Ordinis Regulæ addictus non fuit? At si discipuli in Magistri vestigia concedere consueuerunt. *Et erunt oculi tui videntes Præceptorẽ tuum*, inquit Isaias. Proinde viam ipse, ducis instar, præiuit Ne- que chartæ, à qua totus pendet Gallonius, vt sibi persuadeat Regulam S Benedicti, eo viuo, publicũ in Italia haud aspexisse, nouã hanc sententiam fulcire potest. Enimuero, esto *Simplicium Christi ministrum; magistri latens opus propagasse*, quem autem fallit, fieri non raro, vt lex vna in prouincia lippis & tonsoribus sit nota, in alia vel omnibus, vel plerisque sit ignota? An tu nunquam accidere putas, vt Bulla aliqua Pontificia Italiæ manibus & oculis teratur, de qua nihil explorati, nihil comperti habeat Hispania? Regulam proinde suam per Italiam, Siciliam, Galliam, Hispaniam exporrexit ipse Sanctus, cui innumeri Monachi, teste Fausto, mox nomina dedere. Atqui Alemannos, Anglos, Gothos, Suecos, Græcos, Ægyptios, tum latebat, hicque chartæ à te productæ sensus est. Sed iterum inspiciamus: *Simplicius latens opus propagauit, vt omnes* *. Hic hæret aqua: laborat periodus, deficientibus aliquot verbis, quæ Gallonium de industria prætermisisse, vt res suas inclinatas restitueret, in animum haud induco.

Gallonij dormitat.

Isaia. 30.

Quis enim vir grauis monumento antiquissimo vitium afferre ausit? si diuinare licet, forsan ad *omnes*, adiungendum est, *nationes*. Etenim constanti maiorum narratione & calamo accepimus, S. P. N. Benedictum Italiæ prouinciis Regulæ suæ copiam fecisse: S. Simplicium eodem munere prouincias alias affecisse. Hinc Catalogus Abbatum Casinensium qui mihi in manibus est, illo è sacrario allatus, *Simplicius*, inquit, *Regulam per orbem disseminat*: id quod Sigebertus & Petrus Diaconus manifeste indicant cum, *Simplicius*, inquiunt, *Regulam quam suus Magister condiderat, publice legendam omnibus Monachis tradidit.* Hic Gallonius verbum, condiderat, inscite occupans, idem esse quod *absconderat*, nec aliter accipi posse, contendit, quasi non etiam componere significaret. Grammatici minime certant, hanc vim inesse verbo. Quid vis? Nobis accinit Horatius.

Opera Simplicij Abbatis Casin. Regula S. P. N. latius vuulgata est.

Catal. Abbat. Cas. M. S.

Condo & compono, quæ mox depromere possim.

Horat.

S. P. N. Benedictus condidit seu composuit Regulam: quibusdam locis vulgauit, quam postea Simplicius depromptam, in publicõ Orbis lucem edidit. Neque enim rogata lex breui temporis spatio ad omnium aures peruenire potest.

Quocirca bene sit Gallonio, qui plane rem nostrum agit, suis dictis nostram sententiam confirmando, ex quibus etiam hoc esto. D. Gregorium Monachum S. Equitij fuisse oportet, inquit, nam hunc reue-

Gallonius præposte- te à titulis argumentũ petit, quo conficiat D. Benedictum de Ordine S. Equitij fuisse.

D Greg. l. 1.2.4. Dial.

rendißimi titulo dignatur: Sanctum vero Benedictum non nisi *venerabilem Patrem* appellat. Quasi Gregorius magnus titulum posteriorem priori non solitus sit anteferre, qui tantum Patrem Nostrum Benedictum, & paucos alios Sanctos, quos maximi fecit, *venerabiles* vocauit: *reuerendißimos* antẽ sine discrimine, Abbates & Episcopos, etiam non Sanctus. Exemplum l. 2. Dialogorum, cap. 1. in promptu est, vbi S. Benedictum *venerabilis*, Constantinum eius discipulum *reuerendißimi* titulo prosequitur. At hic si alteri apud S. Gregorium antecelleret, nonne commutasset, Magistrum *reuerendißimum*, & discipulum *venerabilem* nominando? Cum igitur S. Equitio discipuli titulum imposuerit, permitte à te impetrari, Galloni, vt fatearis P. N. Benedictum S. Equitio apud Gregorium Magnum superiorem fuisse. Nunc de colore æstimemus.

S Grego. l. 2. Dial c. 1

Nunc ad picturas se vertit Gallonius, si forte colores laboranti opem ferant.

Ad picturas, quæ etiamnum hodie in Monasterio S. Andreæ visuntur, gradum præcipitat Antagonista. Oculos aduertere nos iubet; quippe Gregorium habitu religioso indutum ab illis exhiberi castanei coloris. Quocirca S. Benedicto initiatum non fuisse, cuius Ordo colore vtatur nigro, ideoque Monachos nigros à Concilio Lateranensi dictos, quibus Gregorius iam Pontifex maximum in modum fauerit. Paucis hominem absoluo: *de colore non causentur Monachi*, edictum Nostri Patriarchæ est. Quamobrem eius filij non magnam coloris duxere rationem, vt passim notabis: & si fers, aurem tibi vello vt memoria repetas, quæ ad annum quingentesimum vicesimũ nonum in historiam misi. Ostendi enim nostros Monachos diuersis olim coloribus fuisse vsos. Quamuis ergo tibi demus, S. Gregorio differentem fuisse colorem à nigro, nec vnciam tamen hinc boni argumẽti exprimes, quo conficias, alium ipsum à D. Benedicto ducem fuisse sequutum. Immo si verum scire vis, castaneo colore Monachi Sancti Benedicti vt plurimum sunt vsi, quos Canones nigros appellarunt. Colorum enim nigrorum alius obscurissimus est, maxime contrarius albo: alius castaneus, à nigredine parum deflectens, olim ita communis Hispaniæ Monasteriis, vt Ordinis S. Benedicti Reformatores, & Congregationis Vallisoletanæ primi auctores, à Rege Catholico in mandatis acceperint, ne tunicas alio colore imbuerent. Neque ante annum millesimum quingentesimum quinquagesimum hunc colorem mutarũt. Interea tamen semper pro Monachis nigris habiti fuerunt. Subit etiam animum suspicari, colorem hunc subrufescentem

Nodum Galloni S. Regula soluit. S. Reg. c. 55

& ab atramento non nihil remissum, præ nigro in pleraque olim Monasteria adscitum. Cum enim Legislator noster id comparari iusserit quod vilius esset, tinctus vero hepatico isto colore pannus minus caro constaret, Regulæ (vt par erat) morem gesserunt, hunc potissimum induendo. Quocirca hoc à pictura petito argumento Gregorius Magnus à nobis auelli non potest.

S. Reg. c. 55

Ostendimus porro nullũ in Anglia Monasterium S. Equitio positum fuisse: D. Benedicto omnia. Vnde cuiuis promptum est cernere, Gregorij Magni discipulos, qui eadem excitarunt & incoluerunt, de Ordine fuisse gloriosi Patris Nostri Benedicti. Enimuero religiosi remotas in insulas & regna missi, non aliena de familia colonias, sed de sua ducere, sibi nidificare consueuerunt. Non tam obesæ naris Gallonius est, quin ei suboleat vis veri dicti: quocirca feruide contra nos tendens, S. Benedictus Anglus, iactitat, ille inquam, Benedictus qui Venerabilem Bedam instituit, in Italiam venit vt addisceret religionem. Item Germaniæ Apostolus Bonifacius postquam Anglia excessit, vbi multos annos Monachum egerat, discipulum quemdam suum, cui Sturmo nomen, in Montem Casinum misit, vt vitæ ibi religiosæ studeret, quod eum postea satis edoctum, Monasteriis à se in Germania condendis Magistrum præficere statuisset.

Nouã sibi fabam cudit *Gallonius pag. 105. & 108.*

Beda l. 4. c. 18. & l. 6. c. 20. Sur. 28. Sept. de Lioba.

Aliquoties hanc cramben repetiui, quasdam phrases ita Monachorum esse proprias, vt à sæcularibus ægre intelligantur, ideoque nihil hic in Gallonio culpo. Si Monachum in exiguo, in obscuro Cœnobio degentem, & in primarium aliquod, celebre ac florens transire cogitantem, roges, quænam ipsi tanta sit causa mutandi loci? vitæ religiosæ operam se dare cupere, respondebit, vbi ea quam maxime vigeat. Ardentius autem officium faciunt in cœtu numeroso, quam paucorum hominum. Quis autem nescit exempla mouere? Decies millies audiui. Ipsi quoque Superiores se iuuenes mittere dicunt, vt addiscant religionem, trita apud omnes Monachos dictione. Quocirca Benedictus Anglus & Sturmus S. Bonifacij discipulus ex imperio maiorum profecti sunt in Italiam, vt addiscerent religionem, non quod in Regulam S. Benedicti iam ante non iurassent, sed quod in summum vitæ religiosæ tenderent fastigium, ea vero in Italia & Montis Casini vertice, quasi loco natiuo, tum maxime floreret. Benedictum Anglum nostri fuisse Ordinis, alibi referemus.

Disciplinam addiscere, non est primo nomen dare Ordini, sed in eo progressus facere

Sturmus à S. Bonifacio Casinum missus,

nullas Gallonio fert suppetias ad arcem expugnandam. Sed liceat ne pauca? Discipuli Gregorij Magni in omnia per Angliam à se erecta Monasteria Regulam S. Benedicti induxerunt, ergo Monachos de Ordine S. Benedicti fuisse confitendum est. Hic antagonista deflectit ad Bonifacium, negatque Benedictinum fuisse, eo quod Sturmum in Casinum Montem miserit, vt Monasticam ibi imbiberet disciplinam, addisceret religionem. Quare tantisper missum faciamus Gregorium: ei Bonifacius succedat in arenam. Negauit Gallonius S. Gregorij discipulos Ordini D. Benedicti statuisse Monasteria, ne fateri cogeretur, Magistrum eadē de familia fuisse. Rectissime! Atqui S. Bonifacius omnia quæ condidit Monasteria, illi Ordini addixit: ergo illo de ordine fuit. Tunc dicas, S. Bonifacium multorum annorum in Anglia Monachum, discipulum suūm in Montem Casinum misisse, disciplinam monasticam penitius imbibēdi causa, quam deinde per Germaniam eiusdem discipuli opera propagaret, quod fecit, & alium tamen professum fuisse Ordinem? Quem tandem fugit Fuldense Monasterium a S. Bonifacio fundatum! Sturmum illi præfectum! nec aliam vnquam Regulam habuisse, quam S. Benedicti? Non piget illius ad Zachariam Papam epistolam hic tibi recitare. *Est præterea locus Syluaticus in eremo vastissima solitudinis, in medio nationum prædicationis nostræ. In quo Monasterium construentes, Monachos constituimus sub Regula S. Patris Benedicti viuentes, viros strictæ abstinentiæ, absque carne & vino & sicera, proprio manuum suarum labore contentos. Hunc ergo locum per viros religiosos & Deum timentes, maxime vero per Carolomannum Principem Francorum, iusto labore acquisiui, & in honorem S. Saluatoris dedicaui, in quo loco cum consensu pietatis vestræ proposui, aliquantulum vel paucis diebus fessum senectute corpus requiescendo recuperare, & post mortem iacere.* Hoc & alia multa Monasteria tam virorum quā virginum ille Germaniæ Apostolus erexit: Ordinis S. Benedicti esse iussit.

Epist. S. Bonif. ad Zach. Papam tom. 2 ep. Decret. S. Bonifacius Monasteria à se condita Regulæ S. Benedicti subiecit.

Sur. vita S. Lioba 28. Sept.

Neque in ea tantum Cœnobia quæ struxerat ipse Regulam Patris nostri intulit, sed in alia quoque, per Germaniam sita, quibus ius dixit. Etenim coacto Concilio hanc legem sanxit: *Monachi & ancillæ Dei Monasteriales, iuxta Regulam S. Benedicti Cœnobia vel Xenodochia sua ordinare, gubernare, & viuere studeant, & vitam propriam degere secundum prædicti Patris ordinationem, non negligant.* Concilium anno septingentesimo quadragesimo secundo celebratum, imprimis inhortatur Clericos, ne latum vnguem ab antiquis Canonibus discedant: deinde quid à monachis fieri velit, decernit. Porro, *In alia Synodo*, inquit Nauclerus, *Episcoporum Clerici promiserunt, se velle antiquorum Patrum Canones seruare. Similiter & Monachi Ordinem S. Benedicti.* Ista Concilia sub annum septingentesimum quadragesimum secundum, nutu Carolomanni, petente S. Bonifacio, Legato Apostolico, indicta fuere, qui pro paruo habuit condidisse Fuldam, vbi extremos vitæ dies, ac tandem exanime corpus poneret, nisi insuper id quoque ageret, vt per Concilia omnes Monachos Regulæ S. Benedicti subijceret, felici adeo successu, vt in sola Boiaria breui duo supra viginti Monasteria fuerint constructa. *Atque hæc omnia templa*, inquit Auentinus, *Diuus Bonifacius fertur consecrasse: ceremonias Diui Benedicti mutasse.* Cæteraquoq; nobiliora Asceteria auspiciis S. Bonifacii nec non discipulorum ipsius in Turingia, Suevia, Franconia ædificata, eidem Regulæ fuere addicta, veluti Fuldense; cui addo Hirsfeldense in Buchonia: Kitzingense in Franconia, sub annum septingentesimum tricesimum sextum, vt superius, conditum. Huic Optimus Pontifex, S. Teclam, ex Anglia adductam, præfecit.

Eandem in alia quoque introduxit. Conciliū sub Zacharia PP. celebratū in Alemānia an. 742. (to. 3 conciliorum) eam Regulam promouit. *Naucl. tom. 2. gen. 25.*

Auent. l. 3

Bruschius V. Kitzingen. Hinc palā fit, S. Bonifacium ad Ordinem S. Benedicti se composuisse.

Nunc te conuenio, amice Lector, vt nos inter sententiam feras. Quid mos apud Religiosos obtineat, ignorare non potes. Patres Soc. qui Iaponiam obeunt, oro te, num Patribus Franciscanis, Dominicanis, Augustinianis sedes ponunt? Item si auctore Pontifice Max. Concilium ibidem celebrarent, nunc bonos Patres operam consumpturos tu putas, vt Regulæ SS. Augustini & Francisci in regno seruarentur, ac late radices agerent? Regulæ, inquam, à legibus ipsorum tam diuersæ? Nemo bipedum hoc paradoxum in animum inducere potest. Cedo ergo Galloni, qui tu vnus potueris, palam asserendo S. Bonifacium tot Monasteriorum Ordinis S. Benedicti in Germania, postquam ex Anglia venerat, conditorem, alterius fuisse Ordinis?

Quælibet quis sibi ædificat, non alteri.

Angliam id temporis Regulam nostram ignorasse? Angliam in qua is à prima adolescentia habitum Monasticum sumpsit? Ex qua rei Catholicæ reficiendæ & promouendæ gratia in Germaniam secum Monachia & Deo dicatas virginibus traiecerat? Vbi voluntate Summi Pontificis passim Ecclesiis Episcopos adiunxit? Concilia cogit? Qui factum, quæso te, vt reliquas tanta, quas gessit, scripsit, dixit, nulla vnquam S. Equitij, vel Basilij, Pachomij, aut Cassiani mentio? Cur vbique in id incubuit toto pectore, vt rem Benedictinam inaugeret, proferret, longe extenderet? Huius gratia Monachos Anglos secum addoxit,

 vtque

vtque nihil eos fugeret, quæ ad disciplinam Monasticam pertinere viderentur, suum discipulum in Montem Casinum dimisit, vbi ipsam Religionis matrem biberet, in Monasticæ perfectionis Arcana penetraret; ac inde conuasans purissimam disciplinam in noua Monasteria transferret. Item Carolomanno auctor fuit de se statueret, mundoque cum principatu valere iusso, in Cœnobium se dimoueret, Regulæ suaue iugum subiret:(subiuit postea in Casino) in Cnnciliis sanxit, vt Monachi & Moniales ad D.Benedicti leges se redigerent. Hæc cũ ita, neminem credo credere S. Bonifacium adeo fluxa fuisse memoria, vt ipsi sua Regula, in quam adolescens admodum iurauit, penitus exciderit? vt deinde neglectu non laudando eius vestigia apud suos ex Anglia comites religiosos aboluerit. Nec est vt illius insulæ Regulam laxitate laborasse existimes, ideoque S. Bonifacium cum Monachis prngressu temporis eam fastidiuisse. Nam iste ipse auctor memorat, Bonifacium ad Beati Wigberti, viri præstantis, institutum sanctissime eductum, cuius vitam & regimen multis laudibus prosequitur. Anne igitur vero simile est, hoc animi ingrati vitium in sanctissimum Pontificem cadere potuisse, vt sun Magistrn Patrique vices nullas vel leui-mentione reponeret? Ritus, constitutiones, antiquam Regulam, perpetuo silentin quasi de industria premeret?

Facit Gallonius, vt si hæc nõ intelligeret.

In summis nnbis vntis fuit, audire quid ad tot argumenta, quibus D. Benedictum ostendimus suam Regulam per Italiã promulgasse, responderet Antagonista. Certe viri docti tam sæculares quam Religiosi, quibuscum mihi obtigit super tota hac lite sermones cædere, sibi persuaserunt Baronium in nostram, id est veterem sentẽtiam pleuis pedibus iturum, si tauti ponderis testimonia, quæ attulimus, ante ora videret, id quod non raro homines grauissimi fecere. D. Thomas, angelicus Doctor mulias opiniones, quas in lib. 4. Sententiarum posuerat, in Summa Theologiæ (opere miraculo maiore) deposuit. Neque D. Augustinum, ingeniorum phœnicem, puduit librum edere retractatinnum, quo non pauca ad ineudem reuocauit, mutauitque. Quiu ipse Baronius alin calamo Martyrologium, alio Annales scripsit, estque à se ipso diuersua, vt nullus dubitem, expensis per disputationem nostris momentis, situram nouæ sententiæ suæ inducturum. Theologia, Medicina, Ius Pontificium & Ciuile in summnm fastigium euaseruut, eo quod quauis hebdomade, die, ac propemodum hnra tam docti quam discentes descendant

Magni ingenij certa nota, errorem deprehẽsum deponere potius, quam obstinate defendere.

in arenam: Omnia rimentur, vestigent, excutiant, & disputandn in lucem è tenebris euoluant: sola historia triste boc fatum patitur, vt iu scholis fere iaceat: vnde erroribus magis exposita est. Etenim si Theologus, si Iurisperitus de nnua sententis, atque ante id inaudita, vel parum mussitet mnx ab academiis ea in medium proponitur, examinatur: Antagonistæ perpenduntur argumeuta: demum vel prnbatur vel improbatur, habita calculnrnm doctissimorum hominum ratione. At de historia tam idiotæ quam eruditi ferunt iudicium, plerumque falsum, qund nec tyrocinium quidem in ea posuerint, nec prima eius calleant rudimenta. Si de medio rapiant librum, domique legant, pro folio Sybillæ habent, euulgant, fumos sæpe pro igne vẽdunt, scribentis auctoritate falsi.

Historia ab Academiis fere deserta est: hinc tantæ in ea tenebræ.

Vtinam igitur in publicam virorum doctorum arenam nostra hæc quæstio adduceretur? Certe à parte nostra stant omnes ad vnum veteres auctores: tracta per tot sæcula constans fama, maiorumque perpetua sententia: vestitus & color: scribendi ratio à D. Gregorio adhibita: summus Amor quo erga Ordinem affectus fuit: ingens studinm qun gestiit hunc promouendi, nõ tantum laudando Regulam S. Benedicti, sed insuper approbando & sanciendo, *vt seruaretur, vbicunque lingua latina legeretur.* Accednnt discipuli ab ipso in Angliam missi, vbi omnia Monasteria & Ecclesias Cathedrales Monachi Benedictini possederunt: Iobannes Diaconua, qui Pontificis Maa. imperio acta D. Gregorij litteris consignauit, quæ ille tanquam ex vero scripta, æqui bonique fecit: recitari in Ecclesia Dei pro matutino iussit.

Magna momenta Ordo habet, quib. D. Gregorinm sibi vindicat.

Hisce omnibus D. Thomas, quo non alter melius argumentorum vim & sanguinem perspexerit, induetus Gregorium Magnum Ordini nostro adiudicauit. *Quod vero praponitur*, inquit *quod Beatus Benedictus in vita sua amplas possessianes recepit, hoc facit ad astendendum, quod communes possessiones, non tataliter Monasticam perfectianem excludunt.* Deinde: *Et eadem ratia est de Beato Gregorio, qui Monasteria construxit secundum Regulam, à Beata Benedicta institutam.* Sane de veritate ex vnius Dnctoris buius Angelici sententia æstimare liceret. Exemplum erroris, inquis; edidit Iohannes Diaconus: cæteri sequnti sunt: neque Theologorum est, certamina componere historicorum. Delati in forum alienum, loquuntur vt multi, quod ipsis vitio verti non possit, quando extra suam diuinam orbitam vlulant cnm lupis. Si quisquam copiam argumentorum Baronij Angelico Doctori fecisset, in ad-

Mouerũt D. Thomam, vt nobis accederet. *Opus 17. contra impugnant. Relig. c.16*

uersam

uersam sententiam concessurum fuisse. Nō ausim ego quidem bonis Theologis fibulam istam affigere, effutire illos de historia, quod in buccam venit: nec mihi persuaseris D. Thomam ita exerte affirmaturū fuisse, *S. Gregorium secundum Regulam S. P. N. Benedicti construxisse Monasteria*, nisi pro certo id habuisset. Cum enim dubitat, addere solet, *sicut dicunt, videtur, secundum opinionem N.* Vires argumenti Baronij frustra extollis, quippe ex puris particularibus contexti, ideoque nullius ponderis apud D. Thomam futuri.

Ex P. Frāciscum Suarez.

Cum hāc quæstionem euiscerarem, forte fortuna euenit, vt Salmāticæ in P. Franciscum Suarez. virum grauissimum iuxtaque doctissimum, inciderem: quo humaniter salutato, mi Pater, inquam, mihi cum Baronio non paruum negotium est, quod cum ego tenui ingenio emoliri non possim, per te explicari velim. Fuit Gregorius Magnus, Ecclesiæ Doctor, omnibus retro sæculis noster: extremo isto Baronius Cardinalis extitit, qui manus ei inijcere ausus, nobisq; è complexu eripere conatus est. Illius nostraque argumenta in promptu sunt, quæ nunc nuper in medium contulimus. Visa tibi lectaq; esse, nullus dubito. Quocirca etiā atque etiam te oro, tuam vt mihi exponas sententiam? Et quidem haud grauate. excepit ille: modo enim Tomum de Religione sub manum habeo, qui ansam mihi præbuit, rem summo studio indagandi, ac imo ex fundo eruendi. Si igitur aliquid momēti in me ponis, Maximum Pontificem Ordinis S. Benedicti Monachum fuisse, Baronium vero lapsum esse, sentio. Tum ego perfusus gaudio, incertus tamen vtrius liber prius in lucem esset proditurus, maiorē in modum rogaui virum, vt per ipsum mihi liceret hoc eius oraculum typo quoque meo edere. Facile, vt alia omnia, annuit. Fortunatum profecto, vt par erat, me duxi, cuius in sententiam Pater Suarez iret, Baronio præterito, quamuis ipsius argumenta diligenter expenderit in tutius.

Gratian. Causa. 16. q. 1. cap. Sunt nonnulli.

Luculentum aliud testimonium nobis suppeditat Concilium à Bonifacio IV. Romæ celebratum, quod Gratianus refert. Eo tamen hic loci supersedemus, quod altioribus adhuc fundamentis sit opus, quæ ad annum sexcentesimum decimum iaciemus. Cum Tomus iste etiamnum premeretur sudans sub prælo, ecce tibi, subita per Hispaniam fama volauit, Cardinalem Baronium deuixisse, animi magnitudine reuera Cæsarem, Pontificiæ auctoritatis acerrimū vindicem, virum æterna statua dignum. Labores pro Ecclesia Catholica defendenda, ac Sede Romana tuēda susceptos, memoria

Ob mortē Baronij luget historia Ecclesiast[ica]

mihi repetēti, obortæ lachrymæ sunt, quod parem non viderem. qui subiret fato depositum onus, aut sequi Cæsarem posset passibus æquis. Si nonnunquam à suo argumēto, cuius partes summo studio egit, parumper diuertens est lapsus, vt homines sumus, id nemini mirum videri debet, cum is alio præcipue collimarit: *Quandoque bonus dormitet Homerus.* vixque fieri potest, quin plurima complectenti, vnum aut alterū excidat. Si paucas quasdam sententias nouas Annalibus ipsius demas, nil habebit posteritas quod non laudet, quod non obstupescat. Neque is impegisset, si veteres sectari duces voluisset. Cæterum ego præter causam Ecclesiæ communem, cuius historiam non vsque ad vmbilicum, sed tātum ad millesimū centesimum nonagesimum octauum annū officioso typo hactenus perduxit, etiam rem priuatam deploro.

Si enim profusa in mediū ab Ordine vidisset argumēta singula, haud dubito noua sententia damnata, ad nos vestigia versurū fuisse. Sed excessit, ac nisi omnia me fallant, beatis Cœlitibus illatus, sub signis P. N. Benedicti, Monachorum Occidentalium præclarissimi Ducis, Sanctissimum Ecclesiæ Doctorem Gregorium coram intuetur.

CAPVT VIII.

SS. Romula & Redempta.

NOn tantum Monachi, D. Gregorij discipuli, supremum Romæ diē sancte obierunt, sed insuper Deo dicatę fœminæ, quarum felicia fata idem magnus Pontifex litteris consignauit. Sanctam autem Romulam libro 4. Dialogorum, nec non Homilia ad populum Romanum habita, hisce verbis deprædicat. *Eo tempore quo Monasterium petij, anus quædam Redempta nomine, in sanctimoniali habitu constituta in vrbe hac, iuxta Beatæ Mariæ Virginis Ecclesiam manebat. Hæc illius Herundinis discipula fuerat, quæ magnis virtutibus pollens, super Prænestinos montes vitam eremiticam duxisse ferebatur. Huic autem Redemptæ duæ in eodem habitu discipulæ fuerant vna nomine Romula, & altera quæ nunc superest, quam quidem facie scio sed nomine nescio. Tres itaque hæ in vno habitaculo commanentes, morum quidem diuitiis plenam, sed tamen rebus pauperem vitam ducebant. Hæc autem quam præfatus sum Romula, aliam quam prædixi condiscipulam suam magnis vitæ meritis anteibat. Erat quippe miræ patiētiæ. summæ obedientiæ, custos oris sui ad silentium, studiosa valde ad continuæ orationis vsum. Sed quia plerumque hi, quos iam homines perfectos æstimāt, adhuc in oculis summi opificis aliquid imperfectionis habēt; sicut sæpe imperiti homines necdum perfectè*

D. Greg. l. 4. Dial. c. 15. Homil. 40

ſculpta ſigilla conſpicimus, etiam quaſi perfecta laudamus, quæ tamen adhuc artifex cõſiderat & limat: laudari iam audit, & tamen ea tundere meliorando non deſinit. Hæc, quam prædiximus, Romula, ea quam Græco vocabulo medici paralyſin vocant, moleſtia corporali percuſſa eſt, multiſque annis in lectulo decubans, pene omni iacebat membrorum officio deſtituta: nec tamen hæc eadem flagella eius mentem ad impatientiam perduxerant. Nam ipſi ei detrimenta membrorum facta fuerant incrementa virtutum: quia tanto ſolicitius ad vſum orationis excreuerat, quanto & aliud quodlibet agere nequaquã valebat. Nocte igitur quadam eandem Redemptam, quæ vtraſque diſcipulas ſuas filiarum loco nutriebat, vocauit, dicens: Mater veni, Mater veni. Quæ mox cum alia eius condiſcipula ſurrexit: ſicut vtraque referentibus, & multis eadem res claruit & ego quoque eodem tempore agnoui. Cumque noctis medio lectulo iacentis aſſiſterent, ſubito lux cælitus emiſſa, omne illius cellulæ ſpatium impleuit & ſplendor tantæ claritatis emicuit, vt corda aſſiſtentium inæſtimabili pauore perſtringeret, atque vt poſt ipſæ referebant, omne in eis corpus obrigeſceret, & in ſubito ſtupore manerent. Cœpit namque quaſi cuiuſdam magnæ multitudinis ingredientis ſonitus audiri, oſtiumque cellulæ concuti, ac ſi ingredientium turba premeretur, atque vt dicebant, intrantium multitudinẽ ſentiebant: ſed nimietate timoris & luminis videre non poterant, quia earum oculos & pauor depreſſerat, & ipſa tanti luminis claritas reuerberabat. Quam lucem protinus eſt miri odoris fragrantia ſubſequuta, ita vt earum animum quia lux emiſſa terruerat, odoris ſuauitas refoueret. Sed cum vim claritatis illius ferre non poſſent, cœpit eadem Romula aſſiſtentem & trementem Redemptam ſuorum morum Magiſtram, blanda voce conſolari dicens: noli timere mater, non morior modo. Cũ hoc crebro diceret, paullatim lux, quæ fuerat emiſſa, ſubtracta eſt, ſed is qui ſubſecutus eſt, odor remanſit, ſicque dies ſecundus & tertius tranſit, vt aſperſa odoris fragrantia remaneret. Nocte igitur quarta eandem magiſtrã ſuam iterum vocauit, qua veniente, viaticum petijt & accepit. Necdum vero eadem Redempta, vel illa alia eius diſcipula à lectulo iacentis abſceſſerant, & ecce ſubito in platea ante eiuſdem cellulæ oſtium duo chori pſallentium conſtiterũt, & ſicut ſe dicebant, ſexus ex vocibus diſcreuiſſe, pſalmodiæ cantus dicebant viri, & fœminæ reſpondebant. Cumque ante fores cellulæ exhiberẽtur cæleſtes exequiæ, ſancta illa anima carne ſoluta eſt: quæ ad cælum ducta, quanto chori pſallentium altius aſcendebant, tanto cœpit pſalmodia leuius audiri, quouſque & eiuſdem pſalmodiæ ſonitus, & odoris ſuauitas elongata finiretur.

S. Romula grauẽ morbum bono fert animo.

Moritur, & in cœlũ effertur.

Conſilium D. Gregorio erat, vitam religioſam ac pauperem, nec non diuini Numinis erga afflictos curam extollere: S. Romula in argumentum placuit. Cœlitum tam ad X. Kal. Aug. tam eius, quam S. Redemptæ feſtam memoriam obeunt. Quieſcunt autem vnacum SS. Matthæo Apoſtolo & Hieronymo Doctore in ſinu templi S. Mariæ Maioris. Etſi populus Tubulẽſis populo Rom. litem ſuper hoc theſauro intendat. Cæterũ Ordo D. Benedicti eos in Sanctorum ſuorum numero habet. Atqui non moniales in Parthenone eductæ, ſed pietati deditæ fœminæ ſæculares tibi fuiſſe videntur, quæ orandi ſtudio ſedem in quadam domo, vicina tẽplo S. Mariæ Maioris fixerint, adeoque ad familiam Benedictinam fruſtra trahi. Sed cuneus huic nodo in promptu eſt. Eccleſia Dei iam inde à ſui conditu Monachos habuit in cœtu & ſocietate degentes; alios vero ab humano conſortio remotos. Anachoretas ſeu Eremitas ideo dictos. Idẽ de fœminis cenſe, quæ maiori quidẽ ex parte in Aſceteriis ſimul agebant, auſæ tamen aliquæ in deſerta ſecedere, veluti S. Maria Ægyptiaca, S. Similia in Hybernia: S. Landrada & quam paullo ante vidimus, Hirundina S. Redemptæ Magiſtra. Nam D. Gregorio teſte, vitam eremiticam in Prænestinis montibus duxit. Porro ſolitudinẽ colẽtes in nullam Regulam iurabant, nec alicui Antiſtiti ſe addicere ſolebant, donec labẽtibus annis latæ à Patribus leges, & à Pontificibus approbatæ, vulgabantur, ac obuiis manibus excipiebantur. Tum enimuero præter Cœnobitas etiam Eremitæ, ac inſuper fœminæ quoque Solitariæ, certis Abbatibus ſe committebant. Tuguria quæ habitabant, cellæ appellabantur. In Eremos ſecedere, in antra ſe obſtrudere, laudatum in viris ſemper fuit, non tamen perinde in fœminis. Quod enim pudicitiæ perdendæ non vanum periculum adirent, tempus edocuit. Idcirco vt vitam eremiticam, quo liceret, imitarentur, domi atque in parentum ædibus ſe recondebant, nonnunquam ſingulæ, aliquando binæ, ternæ, quaternæ, non Cœnobitas ſed Eremitas ſectando. De hac viuendi ratione Ius Põtificium frequentiſſime facit mentionẽ. Eſt præterea Canon inter eos, quos Loayſa è variis Hiſpaniæ Cõciliis collegit, qui nos manu ducit, *De viduis,* inquiens, *& puellis quæ habitum religionis in domibus propriis tam à parentibus, quam per ſe mutarunt, ſi poſtea contra ſtatuta Patrum, vel præcepta Canonum, coniugia crediderunt copulanda, tam diu habeantur à communione ſuſpenſa, quouſque quod illicite perpetrauerunt, emendent; quodſi emendare neglexerint, à communione, & omnium Chriſtianorum conuiuio, perpetuo ſint ſequeſtratæ.* In Capit. Caroli Magni multæ fœminæ adducuntur, quæ viris fato ereptis, poſthabito Sacerdotum nutu, ipſæ

Vitam eremiticã etiam fœminæ coluerunt

Metaphraſt. apud Sur. 2. April. Ionas vita S. Columbani. Theodoric. Abbas S Trudon. vit. S. Lãdradæ.

Poſtea in angulum quempiã domi ſe abſtrudebant.

Burchar. l. 8. c. 42. Iuo p. 7. c. 80. Loayſa in Concil. Hiſpan.

Capit. Caroli M. c. 13. & 15.

ſibi

sibi caput obnubere sunt ausæ, præsertim sanguine nobili cretæ. Malo remedium adhibuit Magnus Cæsar. Sæpe enim intemperiis ob maritorum mortem, vel intēpestiua pietate actæ, velum corripiebāt: Numini se dicabant: funeralibus autem persolutis, lachrymis abstersis, soleque reducto, pedem retulerunt a votum Deo nuncupatum sua deque habuerunt: exempla non imitanda ediderunt. Ergo lege cautum fuit, ne qua sibi velum ipsa imponeret, sed manū Episcopi vel alicuius Præsulis expectaret. In huiusmodi moniales per Hispaniam innumeras, & extra quoque, incidas, quæ vel propriis in ædibus conditæ, vel paterna domo sigillatim compositæ, in verba alicuius Antistitis iurabant: templa frequentabāt. Postquam Concilij Toletani Canon in morem abijt, qui sanxit, ne Reginæ, defunctis vita Regibus, noua matrimonia inirent, pleræque Numini se deuouerunt. Quāuis enim multis arrideret, vitam in cœtu & Monasterio exigere, plures tamen excitata proxime Monasterium æde, horas priuatim profundere malebant, legibus cōmunibus solutæ. Vulgo quidē Moniales appellebantur, alias vero *Ancillæ Christi: Deo deuota: Confessa: Reclusa*: quam Nomenclaturam, in Priuilegiis tritam, pressius alibi deartuabimus: hic vero loci satis fuit ostendisse, præter fœminas religiosas, in Monasteriis æuum pouctea, illas quoque Moniales seu Monachas dictas, quæ domi suæ degebant obuelatæ. Quid opus est multis, quando D. Gregorius S. Redemptam verbis exertis vocauit *Monialem*? quod nomen nos eius affeclis non immerito etiam imposuimus.

Concil. Tolet. 13. c. 5.

Igitur à principio S. Benedicti Regulam plurimæ, qua per solitudinem licebat, sequutæ sunt: & quemadmodum Monachi non pauci, qui è Monasteriis in deserta immigrabant, Ordinis Sancti Benedicti erant, etsi antra priuata incolerent, ita permultæ fœminæ domi suæ latentes, saltem vitam eremiticæ simillimam degebant, cū *plus vltra* non liceret. Studebatur huic viuendi rationi etiamnum superstite sancto nostro Parente. Duas enim fœminas, quod solutioris essent linguæ ab ipso reprehensas, Gregorius Magnus nominat *Sanctimoniales*; neque in Cœnobio, sed domi suæ diuersabantur, ab arbitrio Sancti Benedicti pendentes. Stetit duplex hæc viuendi norma Monialibus per multas annorum ambages. Sanctus Braulius, qui acta D. Æmiliani memoriæ prodidit, Monasterio eius quod *de la Cogolla* appellamus, aliud religiosarum fœminarum adiunctum fuisse memorat, in eoque reclusam S. Auream. Archiuum, insuper ebartam exhibet, quæ refert Dominam Helo Velazquez habitu à Blasio Abbate indutam, eique obedientiam promisisse vertente era millesima centesima quadragesima a domi nihilominus suæ opus fecisse.

Idem equidem nomen Monialis commune omnibus erat, quæ tamen ædibus se priuatis tenebant, *Deo Deuotas* nuncuparunt, quod Numini se deuouere solerent. Sed in præsentiarum sufficiat ostendisse SS. Redemptam & Romulam fuisse Moniales, quamuis in domo priuata degerent, veluti illæ duæ quarum superius mentionem fecit Gregorius Magnus. Finem huic anno S. Vitalis imponat, Monasterio Casinensi præfectus, arrecti pectoris Antistes. Loci disciplinam perfectionisque studium longe acerrimum vel hinc disce, quod omnes hucusque Abbates a Cœlitibus sint adscripti.

Deo deuotæ appellatæ Moniales, quæ priuatis parietibus se tenebant.

Hic ante excessit, quam Longobardi demolirentur Monasterium.

Annus Christi 577. Annus S. Benedicti 97.

Benedictus I. diem obit: Pelagius II. clauum & claues Ecclesiæ capit.

Non modo multos Benedictus I. pro Ecclesia Dei suscepit labores, sed etiam innumeras subiuit calamitates, Longobardia pro libidine vexantibus Italiam. Hoc anno nauatæ operæ prœmiū à Deo tulit. In sedem Pelagius II. successit, domo Romanus, Vinigildi filius. Historici qui Benedictum I. Ordinis nostri fuisse memorant, idem de Pelagio II. affirmant. Præter cætera argumēta pro Pelagio allata, etiam hoc pondus habeat, quod Ordinem S. Benedicti beneficiis luculētissimis fuerit prosequutus. Nam ei Monasterium S. Laurentij excitauit, quod inter præcipua semper numerauit Roma. Casino per Longobardos verso, eiectos in fugam Monachos collegit, tectoque suo accepit. Id vero tempori a Pontifices non Vaticanum, sed Lateranum incolebant. Adhæc locum ipsis cessit, quo ponerent Monasterium. Neque Pelagius iste honores duntaxat Benedicti I. sed etiam ærumnas adiuit. Nam Longobardi vrbem graui obsidione presserunt; fusis deinde tota Italia densis imbribus, late stragem pestilentis edidit, è cœli inclementia nata. Nec intra vnius anni spatium fœda lues steit, grassata vlterius. Consilio, opera, studio Gregorij Magni multum est vsus, quem

Benedictus I. & Pelagius II. Pontifices Max. ex Ordine S. Benedicti.

Pelagius magna beneficia in Ordinē contulit.

etiam Conſtantinopolim ad grauiſſima negotia cum Imperatore explicanda pto oratore miſit.

Annvs Christi 578. Annvs Benedicti. 98.

S Ebrulphus.

Sur. 29. Decemb.

Ebrulphus ſanguine ac virtutibus nobilis.

IAm iam allabimur oræ, quam centum annorum ſpacio petiuimus. Remoram nobis SS. Ebrulphus & Eparchius, illuſtria Galliæ lumina inijciunt. Ille loco nobili ortus, aulæ tamen regiæ à modeſtia quam generis ſplendore gratior fuit. Qui eum ætati Childeberti I. deberi aiunt, à vero longe aberrant. Namque ad annum quingenteſimum viceſimum ſextũ fato conceſſerit oportet, inuita veritate, inuita hiſtoria. Ego in hoc tempus virum diſtuli. Etenim poſt Sigebertũ Cherebertus II. regnum paternum adiit, quo domino palacium Ebrulphus frequentauit. Tabulas Renatus Chopinus exhibet, à Rege Chilperico, Childeberti patruo, pro Monaſterio Beluacenſi ſcriptas in hæc verba: *Chariſſimus noſter Ebrulphus Abbas.* De noſtro autem Ebrulpho mentionem facit, quod ipſum tẽpus prodit.

Chopin. Monaſt. l. 2. tit. 2. n. 20.

Videtur omnibus Galliæ Regibus id ætatis regnantibus in deliciis fuiſſe. Ille tamen palatinos inter fauores & applauſus animam in conſilio habuit: qua via ad virtutem graſſaretur, ſerio ſecum volutauit.

Capitur verbis Christi. Matth. c. 19.

Forte fuit, vt librum S. Matthæi Euangeliſtæ manu verſans, in hæc Seruatoris noſtri promiſſa incideret: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Attonitus ac ſuſpenſus hæſit: paulo poſt de ſe ſtatuit. Quamuis enim in palacio plurimum gratia poſſet; quamuis fœmina princeps in matrimonium ipſi collocata fuiſſet: quãuis opes, honores, ac alia, quæ prima habent homines, etiam vota ipſius ſuperarent, nihilominus ſpe tantorum præmiorum ductus, cuncta hæc mundi ſeu ornamenta, ſeu emolumenta ſibi detraxit, abiecit. Lectiſſima coniunx, probato mariti cõſilio in Monaſterium, veſtigia ac animum conuertit: fortunæ pauperibus ceſſere.

Exuit mundum.

Exutus ille patria, cenſu, famulis, vernis, amicis, cognatis, poſita barba capilloque, comitantibus tantum viris religioſis in Eremum Oxonienſem contendit, aſperam, incultam, nec hominibus tritam, niſi quod alicubi ſcaturientes fontes lætum facerent ſolum.

Hic ſinguli ſingula excitare mapalia: vitam duram ſpectante cœlo agere. Vbi ex antiqua ſylua emerſit noua virtus, vicini frequentes adire: nonnulli idem vitæ genus amplecti cœperunt, vt Ebrulphus breui tempore multos Monachos numeraret, nec non miraculo ſimile eſſet, facultatibus deſtitutum tantæ multitudini præbere annonam.

Panem, qui vltimus in penu erat, pauperi dedit.

Accidit vt toto penu fruſtum duntaxat panis ſupereſſet, pulſaretque fores mendicus, identidem rogans ſtipem. S. Ebrulphus illico fruſtum promi, & dari roganti iuſſit. Dentes agitauit tenax nec non ad rem attentior miniſter, Conuentu de nihilo cænandum fore: nam nec micam amplius præ manibus eſſe. Sanctus hominem faceſſere, ac imperata facere denuo iuſſit. Is morem geſſit: paullo poſt ingens panis, caſei, vini copia præter expectationem allata eſt, quibus non modo reſarſerunt damnum, ſed inſuper didicere, lucrum eos facere qui ſic perderent. Neque deinceps ab inopia vnquam male fuerunt habiti, quamuis vnus locus grandem numerum haud amplius caperet.

Cum igitur viri fœminæque, tam Antiſtitis quam ſubditorum ſanctitate icti cateruatim aduolarent, viam ad cœlum affectantes, quindecim Monaſteria extruxit, in quæ & illos & iſtas digeſſit: ſibi vero vilem cellulam excitauit, in qua æuum traduceret. Religioſi milleſimum quingenteſimũ numerum (quis non obſtupeſcat?) impleuerunt, quorum alij Monaſteria incolebãt: alij per Eremitoria circumquaque ſparſi erant: S. Ebrulphus autẽ ſede in medio fixa, tanquam Chori muſici præfectus, cæteris modos dabat: iam prouinciã ſuam obeundo, iam domi ſe tenens contemplando tẽpus conſumens. Quis alium vitæ aſperitate Numinisque cultu anteiret, magnis inter eos ſtudijs certabatur. Anni viginti cum vno in cœleſti hac arena politi ſunt.

Monachos M. D. numerauit.

Numerũ magnum peſtis imminuit.

Sed ita ſunt humana, vt cum ad ſummũ faſtigium peruenerunt, defluant: nec vnquam magnis bonis diu frui licuit. Si multitudinem ſpectes, ingens erat: ſi menſis gradum admoueas, nudas repereris: hinc aer corporibus vix oſſibus hærentibus grauis eſſe cœpit: mox orta peſtis iam hos iam illos, quaſi ſatis debitos, corripuit, humanis inclementer ſubduxit. Non alias magis Sancti Ebrulphi pectus patuit. Neque enim quod mercenarij ſolent, viſo hoc lupo virulento in pedes ſe coniecit, ſed tanquam bonus paſtor, oues adiuit: lethale malum rimatus eſt: qua licuit opem tulit. Curam vero maximam adhibuit, ne quis exiret abſque cœleſti viatico: vnus tamen (Ansbeato nomen erat) incredibilem eius

Ansbeatũ, qui ipſo abſente exceſſerat, in vitam reuocauit.

diligen-

diligentiam ſefellit. Quo audito, hem in lectulum ocyus perit: lumina lapſa, & exanguia ora videt: acerbo funeri ſe immiſcet: nec par anxio dolori eſt, nec animum quem triſte ſpectaculum abſtulerat, ſumere poteſt. Ergo lachrymas cum gemitu fundit, ignarus quo ſe vertat: tandem oculos cum palmis in cœlos tollens, vocemque intendens, multa queſtus Numini, per omnia obteſtatus eſt, vt elapſam ſibi animam corpori poſtliminio ſuccedere iuberet. Ita leænam catulos ſuos rugiendo animare ferunt. Anſbeatus inter gemitus, ſingultus, triſtiſſimos leſſus, lumina deiecta promit: vibrat in ſuum Patrem: eum cognoſcit, & redux ingenti gaudio afficit. Rogat ſolicite Ebrulphus, vbinam locorum fuiſſet? Poſtquam vitam cum morte commutaueram, excepit ille, difficilis mihi via terenda fuit, dæmonibus maiorem in modum infeſta. Tum Ebrulphus, iuſne, inquit, panem cœleſtem ſumere? Vt qui maxime ſubiecit. Ergo iturt affertur diuinus cibus, quo capto Anſbeatus iterum deficere: caput feſſum ponere: animam exhalare. Cum hic ſeruus Dei nil intentatum reliquerit, vt vnum monachum, qui ſine ſacra ſynaxi euaſerat, in vitam reuocaret, quis non credat eandem ipſum operam, curam, vigiliam, cæteris quoque ſeptuaginta octo monachis, (tot enim peſtis hauſit.) nec non innumeris ſeruis nauaſſe? Quamplurima alia miracula quæ patrauit, prætereo, cum ex hoc vno conijcere liceat, magnam ipſi cum Deo amicitiam interceſſiſſe. Magis animo ſedet, eius virtutes compendio oculis ſubijcere, & noſtris cum moribus conferre, vt pudore ſuffuſi, ſanctiſſimi Patris viam inſiſtamus.

Syllabus virtutum Ebrulphi.

Chori multo ſtudioſiſſimus fuit: diuinos libros diurna & nocturna manu verſabat: lectionem contemplatio excipiebat: charitate ardebat erga omnes: etiam peccantibus facilis & humanus, tantum ſibi veniam nullam dabat. Si quis ſubitus caſus, vel grauis calamitas iciſſet, crebro Iobi ſententiam ciebat: *Dominus dedit Dominus abſtulit; ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum.* Diſſutas amicitias redintegrare, non inter vltima negotia ponebat: & cum ipſe amaret omnes, etiam ab alijs id fieri cupiebat. A nobilitate & ſanctitate, à beneficentia, patrum ei nomen apud paupertinam turbam fuerat. Hinc Monaſterij portas quotidie mendici obſidebant, quibus ille ambabus manibus profundere conſueuit, quæ à diuitibus dono acceperat. Quamuis autem toto anno maiores ſumptus in egenos iaceret, quam res eius pati poſſe crederetur,

Iob. c. 1.

Natali tamen Noſtri Seruatoris, nec non hebdomade ſacra, centum nummos ſolidos præter ſtipem quotidianam ex voto diſtribuebat. Multis multa danti, ac numeroſiſſimum cœtum ſuſtentanti, nihil tamen vnquam defuit, quod erogaret. Ore erat læto, canitie veneranda, nemini non charus.

Mortem admodũ ſenex obijt.

Octoginta ipſis annis iam grauis, Childeberto II. duodecimum in regno agente, perfuſus ſuorum lachrymis ad Superos euaſit, quem Normandia celebri memoria proſequuta ſemper fuit. Cuidam Monaſterio in Epiſcopatu Lexouienſi ſito, S. Ebrulphi nomen indiderunt, eiuſque fama adeo creuit, vt quidam Angliæ Reges mutata maiorum ſepultura, hic loci potius condi voluerint: veluti Henricus II. & Richardus I. Nobile Cœnobium fuerat, Gallorum & Anglorum beneficijs in primis opulentum, cuius ad opes vel hac coniectura licet accedere, quod Romæ pro noui Abbatis electione quinquaginta aureos ſoluere conſueuerit. Vnde etiam palam fit, Sedi Apoſtolicæ tantum ſubditum fuiſſe, etſi Lexouienſes Epiſcopi ad ſe trahere conati ſint, quod litteræ Arnulphi Epiſcopi in lucem nuper emiſſæ docent.

Helias Reuſner. Genealogia Regũ.

Eius honori ac nomini poſitum Monaſterium fuit.

Arnulph. Epiſc. Lexouienſis.

Annvs Christi 579. Annvs S. Benedicti 99.

S. Eparchius Abbas.

Floruit ſub hæc tempora ſeruus Dei Eparchius, illuſtre ſidus Galliæ. Tyrocinium in Monaſterio Sedaziano poſuerat: recluſis deinde in Engoliſmenſi, eidem à ſe nomen ſecit. Natus Felice Aurelio & Principia, alti ſanguinis parentibus. Ingenium, quo ſummo Numinis munere præditus erat, ad litteras humaniores appulit admodum puer, olim diuinis operam nauaturus. Cum annus ipſi volueretur decimus quintus, à patre, auo, toto mundo auertit vultus: anguſtam vitæ viam init: Martino, Sedaziani Aſceterij ſanctiſſimo Abbati, nomen dedit. Humi namque prouolutus, habitum monaſticum, inuitis maxime parentibus, flagitauit; nec obteſtari ante deſijt, quam voti compos eſſet factus. Nobili ſtirpe editi, plerumque ſubmiſſius quam cæteri ſe gerunt in Cœnobijs. Ita Eparchius noſter patre Comite ſatus, non modo alte ſupra alios ſe tollere, ſed ad infima ſeruitia ſe deprimere: deſpicientia ſui omnes anteire: pauperes complecti: communem fratrum miniſtrum agere ſolebat.

Surius t. 1ul.

S. Eparchius verę nobilitatis vera imago.

Admiranda patrauit etiamnum iuuenis.

Hisce obsequijs addebat insomnes noctis horas: longissimas preces: & dira supra ætatem ieiunia. Nondum summis virtutibus maturum anni fecerant, Numen tamen videbatur properare. Nam morbos & cacodæmones pellebat etiamnum iuuenis, vt frequentia, quæ edebat, miracula famam acuerent: magnos vbique plausus ipsi excitarent. Non tulit vanissima hæc mundi blandimenta, ne tamen populari aura inflaretur, alio transferre sedem constituit. Sed *ô mirabilem Deum in Sanctis suis!* Rem componit: Monasterio excedit: atque dum iter per Engolismensem agrum habet, quendam Gratulphum fato extinctum, vitæque lucique restituit: itemque in Burdigalensi vrbe alium. Nouis iam tubis canitur fugitiuus Eparchius. Igitur aliud consilium secum capit. Oculis ac auribus penitus se auferre, stat sententia: ne audiri, ne digito monstrari possit. Iterum viam clam omnibus, vt putabat, corripit, inceditque cymbalo, quod aiunt, obstructo ne quis sentiret fugam, quam per Episcopatum Engolismensem intenderat. Sed iterum lusit operam. Enim-vero lippis iam notum deprehendere: tum è fuga ad Episcopum (Antonio nomen fuit) retraxere, quem pridem eius videndi summum desiderium tenuit. Famam & amorem præsentia non parum auxit. Certus homo ad Abbatem mox missus est, oratum vt Eparchio potestatem faceret in Episcopatu Engolismensi condendæ cellæ, in qua priuatus ætatem poneret. Ægre quidem sed tamen annuit petitioni Abbas: Interea dum locus capitur huic carceri: dum struitur: oblitus sui futurus incola (incoluit autem, Gregorio Turonensi teste, quadraginta quatuor annis) causas captiuorum apud Bonum Deum egit: quas cum orauit, ecce tibi, miseris excidere catenæ: pedes exuere compedes: reduci vectes: rigentia ferro in suo versari eardine ostia, & vinculis absolutis liberum exitum præstare. Nihil hi potius babuerunt, quam recta in templum se ferre, Numinique gratias agere, populo mire in stuporem dato.

Fama fugientem insequuta est.

S. Gregor. Turõ. hist. Franc. l. 8. c. 6.

Cellam occultam subinit. Reclusi vitam acturus.

Ad aram prius initiatum inclusit Antonius Episcopus in quodam suæ Diœceseos Monasterio, vbi cum quibusdam Monachis sanctissimam vitam duxit. In lectulos, in mensam, in amictum oculos conuertisses, vltimam paupertatem vidisses: vbique rigor se obtulisset, verno præsertim ieiunio, quo sanctus Eparchius omnibus modis carnem expugnare consueuerat. Refert sanctus Gregorius Turonensis hoc in Monasterio nunquam pistum fuisse panem, sed ab externis illatum, tanta aliquando copia, vt etiam pauperibus aliquid suggerere liceret. Nonnunquam etiam inopia laboratum, non tamen animis cecidisse Monachos, quod serena Eparchij fronte, bonisque verbis erigerentur. Pecunias dono acceptas, vix ab ipsis libatas, confestim in mendicabula, in captiuos abiectas.

S. Regul. c. 49.

Surius t. Iul.

Cæterum miracula Eparchij, inquit auctor gestorum ipsius, si ad vnguem recensere, Lectori fastidium parerem. Longissima enim historia texenda foret, si quis minutim à me exigeret, quoties carceres fregerit: quoties malignos spiritus è miseris mortalibus excusserit; quot ægrotis bene consuluerit. Facere tamen nõ possum, quin vnum singulariter exponam, vnde intelligas quamuis ipse in custodiam se immiserit, omnes tamen in neruum datos, asserere in libertatem cupiuisse.

S. Gregor. Turõ. hist. Franc.

Suspensũ, laqueo & morti exemit.

Insigni eloquentia præditus fuit, qua sæpe iudices adduxit, vt reos absoluerent. Euenit vt quidam sceleratissimus bipedum iam iam ducendus esset ad supplicium, spe salutis penitus sublata, quod odio totius ciuitatis laboraret. Itaque Eparchius suo è carcere negotium cuidam dedit Monacho, iudicem adiret: suis verbis rogaret, vt seruaret occidendum. Emanauit in vulgus Monachi oratio, nec mora, cum ardentes ciues vndique ad iudicem aduolant irrumpuntque, ac perstrepunt, ius fasque coleret: sontem è medio tolleret. Ille inter sacrum saxumque stans, quamuis S. Eparchij causa omnia facturus fuisset, timuit tamen à populo. Quocirca scelus in rem malam cum carnifice abire iussit. Vbi Monachus animaduertit se vanis ictibus auras verberasse, citato pede ad Sanctum contendit: reum, barbarum in morem cædi: paullo post alta de trabe suspendendum. Ergo ocyus te moue, excepit Pater, & infelicem illam arborem pete: Cumque suspendiarius defluxerit, ad me perducito. A Deo impetrauero, quem mihi denegarunt homines: simulque corpus prostrauit humi, calidis precibus sidera feriens. Monachus illico properauit ad furcam: quo cum peruenisset, ac aliam rem ex alia cogitaret, iam reum (ita vt fit,) iamque malam crucem oculis obiret, papæ! laqueo reus se subduxit, ac sponte dissuto lino decidit. Suspensus miraculo Monachus, trepidat: informe funus dextra solicitat: postea tenacibus brachijs prensat: vltimo viuere persentit. Igitur præcipiti gradu, quam si præuertere ventos vellet, ad Eparchium viam præiens, patibuli candidatum seni stitit, quid eius valerent preces, exposuit. Incredibile dictu est, quanto gaudio fuerit perfusus senex.

Actis fine mora Numini gratijs, iudicem accersiri iussit: iamque ille se admouerat, cum Pater talibus infit. Qui factum, mi fili, vt hac vice, prӕter consuetudinem, preces meas supplices æquis auribus non acciperes? De furca lapsus, in vitam redijt. Apud te quidem, verba perdidi, sed non apud Deum. Sub hæc caput circumferens, heus vos, clamat: facitote vt is, cui fracta hodie gula fuit, in medium prodeat. Ille saluus, incolumis se iudici obtulit, annuenteque sene ad pedes se abijciens, veniam expetijt. Viro steterunt comæ, sibique excidit præ stupore: postremo sermonem sociare ausus, diuinam misericordiam super æthera tulit. Atque vt miraculo huic fidem habeas, S. Gregorius Turonensis non è triuio se hausisse, sed ab ipso iudice accepisse, affirmat.

Eius funꝰ innumeri captiui duxere.

Denique fato defunctus est hic Dei seruus annis valde obsitus, discipulis ac tota vicinia collachrymantibus. Cum funus duceretur, tam frequentes captiui id prosequebantur, quos ille vinculis aliquando exemerat, vt fidem superaret, nisi fidem sancti Gregorij Turonensis auctoritas faceret. Infinitos enim ab ipso in libertatem vindicatos, ait: pecunia è piorum loculis emendicata, duo millia captiuorum redempta. Quotusquisque principum funebrem hanc pompam facile æquauerit! Vel quem non incessat admiratio, hominem sua cellula conditum, pedem nunquam extra carceris sui limen efferentem, integrum captiuorum agmen libertate donasse? Huius gratia eius miraculis anxie enumerandis supersedere nos dixi, quod ab vno isto sanctitatem eius singularem discere liceret. Festiuam eius memoriam Ecclesia Romana Kal. Iulij obit.

Martyrol. 1. Iul.

Monasterium, munificentia Regum illustre, huic Sancto stat in Gallia. Res gestas Franciæ quidam huius Cœnobij asceta memoriæ prodidit, crebroque huius viri Dei mẽtionem facit. Nomen auctoris proprium occidit: hodie commune *Monachi S. Eparchij* ei tribuunt.

FINIS PRIMÆ CENTVRIÆ.



CENTVRIA SECVNDA.
CHRONICI ORDINIS S. P. N. BENEDICTI,

Auctore

P. Antonio de Yepes, eundem Ordinem in Monteferrato professo.

Annus Christi 581. Annus S. Benedicti 101.

CAPVT I.

Status Ecclesiæ Latinæ, atque Ordinis S. Benedicti.

An. 581. Pelagius II. clauum Ecclesiæ, Iustinus Iunior imperij Orient. tenuit:



Abente Anno post natum Christum quingentesimo octogesimo primo, Pelagius II. de familia D. Benedicti, summum Pontificatum gessit. Orientem imperio Iustinus II. vulgo Iunior, tenebat, cui cum nullam propemodum quietem indulgerent morbi, sceptrum vero multo longius extenderetur quā vt infirma manu torqueri posset, in laborum societatem Tiberium adsciuit, qui olim in Imperatorem, qua religione, qua fortitudine eximium euasit. Orientis Imperatores appellari consueuerant Constantinopolitani, quod per eam plagam latissime ius dicerent: nihilominus in Occidente pars melior Italiæ, totaq; Sicilia cum Africa, in ipsorum erant potestate. Iisdem Hispaniæ Bæticæ pars, quamuis exigua, parebat. Reliquam vero Hispaniam fere omnem Sueui & Gothi in suam redegerant ditionem. Illi deuicta Portugallia, Gallicia, & parte Legionis domini rerum sunt facti. Gallia tum in regna tria scissa erat. Aurelianensi sanctus Guntramnus præerat: Childebertus, filius Sigeberti, quem tam bene Ordini nostro fecisse memorauimus, in Austrasia, Franciæ Orientalis parte cuius caput Diuodurum, alijs Mediomatricum (vulgo Metz) regnabat. Reliquum Franciæ à Chilperico pendebat. In Anglia etiam diuersi quatiebant sceptra. Scotiam Aidanus regebat, optimus Princeps, à S. Columba, Monacho nostro, in solium euectus, quem etiam ad consilia deinceps adhibuit. Pictis recens ab eodē Columba ad fidē adductis, Brudeus dominabatur. Eām vero insulam partem, quam proprie Angliam appellamus, ducto ab Alemannis nomine, qui eam pulsis incolis subegerunt, varij reguli tenuere. Vnde tot nata regna, quot postea videbimus.

Sueui & Gothi omnem fere Hispaniam fecere suam

Galliæ tres Reges imperabant:

Sors eadem vexauit Italiam, qua parte exactis aquilis suberat Longobardis. Nam Regum trigința Duces (verius tyranni) imperitabant, neque agros, neque vrbes curæ habebant ad excolendum, sed effusis scelerum ac tyrannidis inuisæ habenis, templa deijciebant: Monasteria solo æquabant: homines ferro, ciuitates flamma hauriebant, donec præter solitudinem ac cineres vix aliquid superesset. Adeo gentiles nec diuina nec humana, quicquam pensi habent. Germaniam prætereo, quod hoc tempore potius fortium virorum seminarium, & equus Troianus fuerit, vel publicus barbararum nationum transitus, quam Regum sedes. Hic tantum quisque valebat, quantum habebat. Maiores dominos, maior rapina faciebat. Certe tellus hæc semper sobolem tulit bellicosam, incultam, ferocem, nunquam vero maiore vi sursum deorsum versa est, quam vltimis istis annis, quibus exteræ gentes densa mole infusæ, rude ac indigestum chaos effecerunt. Vnde historici eam hoc sæculo prope intactam reliquerunt. Quid enim certi afferas rebus omnibus confusis.

Italiam vexabant Longobardi.

Exteræ nationes Germaniam ceu pilam habebant.

E statu Europæ statum Ordinis S. Benedicti facili coniectura assequi licet. In Orientem Regula nostra nondum penetrauerat, paullo tamen post adiuit: nimirū quando S. Gregorius Pontifex Probum, Monasterij S. Andreæ Abbatem, misit Ierosolymam, qui ductis secum Monachis ibidem Asceterium & Xenodochium ędificauit. Alias iam radices per Italiam Ordo egerat,

præsertim in Italia, vbi noua Monasteria illi plurima ponebantur, ac vetera quoque nouis accedebant. Qua vero Longobardi rerum potiebantur, omnia sacra tecta fumabant. Maximum igitur incrementum Religio nostra id ætatis sumpsit in amplissimo regno Galliæ, vbi sancti Mauri opera ac studio frequentissima fundabantur Monasteria. Etenim omnes tres Reges, quibus tum Gallia parebat, non modo Catholici, verum etiam Ordini sancti Benedicti vehementer dediti erant, vnde inter Monachos post fata condi cupiebant. In Hispania aliter se res habebant. Solus in Gallicia regnabat Mirus Catholicus, qua fide etiam cæteri Suevi à S. Martino Dumiensi, aliquot Monasteriorum conditore fuerant imbuti. Per reliquum Hispaniæ sparsus quidem Ordo erat, numero tamen inferiore, quam in Gallia, Gothis Ariana hæresi corruptis vel non fauentibus Monachis, vel quædam Cœnobia exitio dantibus, hisce præsertim annis quibus bella inter Leouigildum Regem Gothorum Arianum, & Recaredum filium Catholicum feruebant. Quis tum Hyberniæ imperarit, non satis exploratum habemus; pro certo tamen constat, Monasteria illius insulæ vix vllis fuisse secunda, non tantum opibus ac disciplina, sed virorum Apostolicorum numero, qui per Europam diffusi cū idololatriæ & hæresi fortissime conseruerunt manum: fidem ac Ordinem propagarunt. Etiam diuisi toto Orbe Britanni variis locis Monasteria nostris ea tempestate ædificabant, quæ tamen Angli idololatræ insulam inuadentes exsciderunt. Germaniæ nec Christiana fides, nec aræ, nec sacra, nec Cœnobia tunc erant, barbarie, feritate, ignorantia, omnia complentibus. Igitur hoc temporis summa contentione in id Ordo incubuit, vt futilia idola è medio tolleret: fœdis erroribus implicitos mortales Christo assereret: fatiscentem alicubi fidem redintegraret. Videbis hac centuria, amice Lector, Longobardos S. Gregorij industria Ecclesiæ adiunctos: Arianos in Hispania, posita pertinacia, in D. Petri nauim sancti Leandri diligentia reuersos. Item Anglos non casso conatu discipulorum Gregorij Magni Christiana in castra traductos. Porro maximum nobis cum Germania negotium erit, vastissimo barbarorum, & infidelium nationum sinu. Sæpe in Monasteria incides, tanquam fidei arces, & propugnacula passim posita. Intererat enim, vt nostri Monachi non tantum animas quærerent, sed etiam partas tuerentur. Occurrent etiam rara & memorabilia singularis sanctitatis exempla: Generosi milites, inquam, magnanimique duces, qui huc illuc expeditiones fidei propagandæ, maximo Ecclesiæ Dei incremento, sæculo isto susceperunt. Nec eos præteribimus, qui cellula sua conditi Numen pro perituro orbe propitiarunt: omnes verorum Monachorum numeros impleuerunt. Primi autem nominis fuerunt ss. Gregorius, Augustinus, Mellitus, Paulinus, Rupertus, Columbanus, Eustasius, Amandus, Leander, Ildephonsus, Fructuosus.

Ordo maximum incrementum sumpsit in Gallia.

Protulit etiam pedem per Hiberniā & Britanniam.

Germaniam excolere cœpit.

CAPVT II.

Fasces ponit S. Maurus: ei succedit Bertulphus.

Centuriæ primæ initium à nato S. Benedicto duximus: hanc à morte sancti Mauri ordiemur, qui meritis ac æuo grauis anno quingentesimo octogesimo tertio è vita quidem excessit, sed isto quem hic voluimus, ad viam qua æternitas aditur, vacuus alijs negotijs, diligentius parare se cœpit. Etenim proficiscenti in Galliam, S. P. N. Benedictus litteris significauit, sexaginta annis in Ordine exactis, moriturum. Solum biennium numero deerat, quos in rationibus animæ subducendis cōsumere statuerat, crebro ingemiscens ac desiderans, vt corporis vinculis soluto ad Superos sibi euadere liceret. Iam enim cœlestem gloriam præsentiebat: iam propius terram promissionis spectabat: diutius inter mortales hærere, pœna erat. In hoc suo secessu sine fine Numini gratias fudit, quod Glanofolium religiosissimis viris plenum, iam trigesimum octauum annum, incolume staret: quod Monasteria quam plurima alia tota Gallia & essent, & florerent. Contracto igitur venerabili cœtu à morte se nō ita longe abesse, dixit: animo sibi sedere, onera ponere: curas exuere: proinde alium legerent, qui humeros submitteret. Consciis pectoribus stabant mœsti, quod amātissimus Pater prouincia se abdicaret: parendum tamen fuit. Conuenit inter omnes, vt ipse potius Antistitem renunciaret, quem maxime probaret. Sanctus re Numini imprimis commendata, Bertulphum Flori filium, à se eductum, virtutis veram imaginē, Abbatem esse iussit, summam sibi spem in ipso sitam, dictitans. Inuitum excitauit, susciperet onus, bono animo ferendum quantumuis graue esset. Quatuor deinde alijs, olim itineris & expeditionis socijs, negotium dedit, Bertulpho operam nauarent: ut S. Regula ad vnguem, rigore nihil remisso seruaretur, (veluti in Monte Casino S. P. N. Benedicto etiamnū superstite vidissent)

S. Faust. vita sancti Mauri.

Phil. 1.

Morti se parat S. Maurus.

Fasces abdicat.

atten-

attenderent. Post hæc ipse cum Primo & Amiano, eorum ministerio vsurus, Cellam subiuit, proxime D. Martini templum extructam. Durus in se arbiter semper fuit: sub hoc biennium ieiunia, vigilias, alia omnia intendit. Nam fractas corporis vires, feruor animi instaurabat.

Annvs Christi 582. Annvs S. Benedicti 102.

Infestissimus morbus exhaurit Glanefolium.

Devs Opt. Max. maximo præmio S. Maurum afficere decreuerat, quod cū respondere soleat laboribus, eundem multa facere ferreque permisit. Quando vero corporis afflictiones, à nostra voluntate profectæ, minus nobis dolent, sanctus Maurus acerbę dæmonis vexationi obiectus fuit. Videre Monasterium huius Patris, in quo tot animę laqueos ab Orco sparsos exibant: deinde à quo cætera quoque Asceteria sanctitatis exempla trahebant, diabolo Orcus alter erat: nec amplius inuidiam concoquere secum potuit. Quocirca graui rabie actus, cum noctu sanctus Maurus in D. Martini templum tenderet, trifurcifer ingenti stipante caterua fores occupans, ingressurum prohibuit. Mox rictu immane quantum diducto, Ehodum, clamauit; ehodum Maure, infamia bella nobis moues, tibique tantum sumis, vt te nostrum regnum expugnaturum speres. Arat, carò tibi susceptæ nobiscum inimicitiæ stabunt. Malis auibus per tantum terrarum Galliam adiuisti. Paucis post diebus vos ego triumphauero simul. Pauci insignem victoriam meam fallent. *Increpet te Dominus, pater mendacij*, reposuit Sanctus: *Malum autem hoc Deus à nobis auertat!* Non mora in fumos & ignes abiere alastores, edito non minori fragore, quam si Monasterium sedibus ab imis collaberetur. Terrifico tumultu expergefacti Monachi, corpora è stratis corripuerunt: & signo ære campano dato in Chorum confluxerunt. Itaque stygia coborte in fugam versa, templum ingressus S. Maurus, supplicauit Numini, de imminenti calamitate certiorem se faceret. Dum precibus lachrymas miscet, præcipiti volatu adest angelus vndique vndante luce, *Amice Dei*, dictitans, *quorsum mærore te conficis?* nec satis boni consulis, ire qua Numini videbitur? *Vt dæmon mendacij faber sit, ex præteritis tamen vaticinatur de futuris, & multa conijciendo assequitur. In breui spatio multi de Monasterio mortem oppetent, à supremo dictatore exciti, surnus tamen genus neminem in triumphum duces. A te enim instituti & confirmati, sancte supremum diem obibunt: quos cum præmiseris, feliciter sequeris.* Prima luce vnum in locum concedere iussis, quid præterita nocte actum esset, edixit: vt forti animo fata, quæ ipsis Numen disposuissent, subirent, admonuit: par enim esse, seruos non aliena à dominis velle. Ingentis beneficij loco habendum, quod non præter expectationem à morte opprimerentur. Lachrymis, precibus, sponte susceptis pœnis informes maculis animas lustrarent: iam horam vndecimam labi ac fugere, inculcans: cauendum ne paterfamilias inueniat otiosos: vel antiquus serpens suas in spiras abeuntes implicet. In tempore propitiandum iudicem, nę si post tempus veniant, repulsam ferant.

Diabolus S. Maurū à foribus Ecclesiæ reijcit.

Sed operā perdit.

S. Maurus suos ad pie oppetendum animat.

Hac oratione erecti Monachi, varijs afflictionibus conscios animos expiarunt, parati fatalem à iudice sententiam excipere. Cui enim spes certa eaque vicina capiendi præmij non admoueit calcaria ad subeundos etiam grauissimos labores! Dum menses non amplius quinq; circumaguntur (mirabiledi ctu) centū & sexdecim extincti sunt, quos inter Antonius & Constantinianus, S. Mauri comites, fuere. Tot letho stratis, tantum viginti quatuor incolumes stetere, vitæ ac mortis S. Mauri futuri testes.

Quinque mensium spatio 116 Monachi extincti.

Annvs Christi 583. Annvs S. Benedicti 103.

Capvt I.

S. Maurus vita excedit: Glanefolium varia sorte iactatur.

Vbi S. Maurus in extrema se fati linea stare intellexit, itineri æterno se cōparauit; & pruriebant pedes in vestigia, quæ sexdecim supra centum filij nuper cœlesti viæ impresserant. At supremum eius diem S. Faustus exponat, qui non auribus tantum acta sancti Patris accepit, sed oculis suis coram perspexit. *Dolor lateris grauiter beatum inuasit Maurum, qui languore ingrauescente, quadragesimo primo aduentus sui ad eundem locum anno, XVIII. Cal. Febr. ante altare B. Martini super cilicium strati sui decubans, cum exitum suum viuificorum muniisset perceptione Sacramentorum, adstantibus qui relicti fuerant discipulis, migrauit feliciter ad Dominum sepulturaque est in eadem Basilica ad dexteram altaris: in quo loco meritis & orationibus eius multa magnifica & admiranda operatur*

S. Faust.

S. Maurus ante altare cœlo dignam animam efflat.

Deus ad laudē & gloriam nominis sui. Postea omnia S. Mauri geſta in hocce redigit compendium. *Oblatus eſt Deo ac traditus Beato Benedicto cum duodecim eſſet annorū: habitauit cum eo viginti annis. Commoratus eſt in Monaſterio ſuo, quod ipſe adificauit, annis quadraginta, diebus quatuordecim, qui ſimul ſiunt anni ſeptuaginta duo, & dies quatuordecim: per omnia Benedictus Deus, qui regnat in ſecula.* *Sur. 23. April.*

S. Maurus D. Benedicto quā ſimillimus fuit. Imago corporis & animi S. P. N. Benedicti ſanctus Maurus fuit. Hinc is qui res à ſancto Adalberto Archiepiſcopo Pragenſi monacho noſtro, geſtas compoſuit, dum peregrinationes ipſius in montem Caſinum & Glanofolium ſuſceptas memorat, *Maurum Magiſtro ſimillimum appellat.* Vterque à nobiliſſimis parentibus genus duxit. S. Benedictus quatuordecim annos natus, ſanctus Maurus duodecim, mundo terga dederunt. Verno ieiunio vterque bis tantum quauis hebdomade parum cibi adhibuit. Vterque ſpiritu prophetiæ præditus fuit: vterque miracula patrauit. Magiſter duos mortuos in vitam reuocauit: totidem diſcipulus. S. Benedictus multa Monaſteria in Italia: ſanctus Maurus centum ac ſexdecim condidiſſe fertur in Gallia, quod regnū ita exciſum poſt ſe reliquit, vt ab eius morte innumera alia ſint orta. Templum ſancto Martino glorioſus Pater noſter poſuit: idem ſanctus Maurus fecit Glanofolij. De ſupremo ſuo die vterque cœlitus certior factus eſt. Vterque animam in Eccleſia inter manus diſcipulorum efflauit. Acta S. Benedicti vir ſanctiſſimus Gregorius magnus excepit: S. Mauri vitam ſanctus Fauſtus, teſtis oculatus litteris mandauit, ne fides deſiderari poſſet. S. Benedictus Caſinenſe Monaſterium fundauit, quod Longobardi humi depoſuerunt. Adhæc ſuper ſacris eius oſſibus lis orta, Gallos inter & Italos acriter exercita. Nordmanni Glanofolium à ſancto Mauro conditum, peſſum dederunt: Monachi vero exilijs acti, cum ſacris lipſanis identidem mutarunt ſedem, vnde Hiſpanis cum Gallis grauiſſima pugna hodie intercedit, vtra natio poſſideat theſaurum huuc. Sed ecce diſcrimen. Mons Caſinus è ruderibus & cineribus ſeſe denuo attolleus, ad priſtinam pene magnitudinem excreuit: at Glanofolium ſolo ſemel æquatum, & corpore ſancti Mauri exutum, neque ad priſtinas opes, neque ad priſtinam auctoritatē hactenus aſſurgere potuit. Reges enim audito eius Reliquias in Foſſatenſe Monaſterium tranſlatas eſſe, huc oculos voluerunt: huc munera ſua verterunt. Quapropter imminutum Glanofolium, ad incitas atque ad Prioratum redactum eſt, Foſſatenſi Aſceterio ſubiectum. Venit in mentem aliquot miracula poſt fata à S. Mauro edita, in medium efferre, vt etiam à morte magiſtro ſimilis fuiſſe appareret. Dum huic curæ ſtudebam, Addon monaſterij S. Mauri Abbas mihi in manus opportune venit, qui miracula ab ipſo patrata ad annum milleſimum ſexcenteſimum ſecundum in lucem Pariſijs emiſit, atque operibus Aimonij adiunxit. Ex vna iſta fidelia animus eſt tres dealbare parietes. Exponemus enim admiranda eius facta poſt mortem: enarrabimus Glanofolij ſtatum: litem Gallis cum Hiſpanis ſuſceptam, qua poterimus, componemus.

Bertulphus diligentiſſime cauet, ne corpori aperiat oſtium. S. Maurus fato conceſſurus Fauſto & Simplicio in mandatis dedit, montem Caſinum repeterent, quod vtriuſque monaſterij intereſſet. Hoc enim pacto ea arctiſſime connecti poſſe. At at Bertulphus vtrique manus iniecit, ſecum tenuit, quod exemplis reliquum cœtum egregie mouerent. Annis duobus ſimul traductis, Bertulphus ad Superos euocatus abijt. Munus excepit Florianus filius Harderadi, qui S. Maurum ex Italia in Galliam deduxerat. Diſciplinam hic ſartam tectam conſeruauit, nec paſſus latum vnguem à Regula ſuos filios diſcedere. Nimirum meritis glorioſi P. N. Benedicti, & vereri cultura ſancti Mauri, vegetum ſtabat monaſterium, floruitque perpetuo centum quadraginta monachis ex ſancti Mauri ſtatuto, donec Pipino Caroli M. patre rerum domino, de gradu deiectum fuit. Rex enim iſte rem Pontificis acturus, ſe traiecit in Italiam. Scribenti militem Itali nomina dedere, quos inter Gaidulphus Raueunas erat. Parta victoria in Galliam reuerſus, quoſdam præfectos militum ob edita præclara facinora præmijs affecit, Gaidulphum Comitis titulo ornatum, Andegauo donauit, cuius in ditione Glanofolium ſitum eſt. *Gaidulphus imprimis rōdet, poſtea deglubit, demque pellē detrahit Glanofolio.* Peregrinus & hoſpes in Gallia nouus Comes, qua auctoritate qua ſancti ate polleret locus ignarus, vel certe ſi habuit omnia explorata, auri tamen ſacra fame ineſcatus, turpique auaritia captus, monachos acerbe vexauit, vt ijs hunc in modum pulſis, Monaſterij fortunas inuadere liceret. Neque animi falſus eſt. Multi enim cum graues eius iniurias ferre non poſſent, in alia Galliæ Cœnobia ſe cōtulerunt: pauci vero qui remanſerunt Canonicorum habitum ſumpſerunt, quod Addon refert. *Addon mirac. S. Mauri.* Ergo pleriſque alio dilapſis, etiam reliquos eiecit tyrannus: vt tamen loco ſacro conſultum ire videretur, quinque Clericos, fruges conſumere natos, ſubrogauit. Poſtrem o

famam

famam elinguem redditurus, totum Monasterium exscidit, summo labore à S. Mauro extructum. Ne porro vestigium superesset, etiam archiuo manus attulit, quibusdam tabulis ac litterarum monumentis exustis: alijs in frusta discerptis ac prӕterlabenti fluuio propinatis. Designare flagitia, parum est sceleſtis, nisi etiam laudi sibi ac gloriӕ sua probra ducant: impie iactitent. Ita infelici sidere natus Gaidulphus, Bactra vel Susa cepisse se ratus, Sibariticum instruxit conuiuium: necessitudine, familiaritate coniunctos inuitauit: quam lepidam nuper egisset fabulam, ijsdem inter fumantes lances & rotantia pocula narrauit. Cum adhuc infandum facinus suum (quod ipse pulcherrimum ducebat) festiue deprӕdicaret, ac necdum perorasset, hem, nō secus quam Rex Balthasar, decretoriam sententiam tulit: illico pœnas persoluit. Vaga in pariete manus, Regi Chaldӕo ad calculum exegit sacrilegū symbolum; atqui huc totus Maurus in cœnationem, baculo gradū firmans, & caniciem toto capite spargens sese intulit: Baccho vina libantē Gaidulphum flammantibus igne luminibus perstrinxit: scipionem improbo capiti impegit: mox stomachum feriens in tristia fata virum egit. Ictus enim ad mortem rapi se sensit, lugubre carmen hoc identidem repetens: *Maure, tu me occidis: Maure me occidis.* Fronti illico exciderunt oculi: è ventre effusa intestina sunt, simulque infelicem animam ebullijt, conuiuis terribili iudicio Dei attonitis. Addon Abbas non modo tragœdiam narrat, sed insuper testes oculatos & auritos producit.

Gloriatur infando facinore.

S. Mauro pœnas dat.

CAPVT II.

Glanofolium restituitur: S. Maurus multa miracula patrat.

Gaidulphus tanta vi Monasterium Glanofolium prostrauit humi, vt negasses amplius surgere posse. Tyranno quidem è medio sic sublato instaurari cœpit, sed exigua sumta casa, nec nomen, vt apparebat, habitura. Quid fit? Ludouicus Pius, Caroli Magni filius, Comitatum Andegauensem in Rorigum, cui Comes Belechilda in matrimonium collocata erat, transfert. Ambo virtute prӕditi erant: ambo sӕculum fastidiebant: ad vitam monasticam aspirabant, ac ӕuo transigendo locum capiebant ambo. Forte ea in ditione templum sancti Mauri fama celebrabat, cui magnam venerationem sacra viri ossa apud omnes iam pridem conciliauerant, à quo etiam manus abstinuerat ipse Gaidulphus. Placuit hic sedem figere. Id vero temporis Turonense Monasterium & Fossatense (quod discipuli S. Columbani sub annum sexcentesimum sexagesimum ӕdificauerant) omne punctum apud ӕquos censores ferebant. Animi igitur pendens Rorigus, cum Gauberto fratre Monacho Fossatensi, adhibito etiam Ebbone Monacho Turonensi, in medium consulit, vbi potissimum sedem figat. Hi Comiti auctores fuerunt, vt Glanofolium è ruderibus erigeret: Monachos bono numero introduceret, qui Numen sancte colerent: Diuum Maurum, magnum inter cœlites nomen, pie venerarentur. Ӕqui bonique consilium is fecit: nec mora, conuehuntur tigna, lapides, alia: concuduntur architecti, fabri, operӕ: mirifice feruet opus, sed tantum à principio, vt omnia solent. Paullatim namque, Comite negotijs alijs implicito, frigere cœpit: at at, non tulit moram Deus, qui seruum suum honore hoc nono cito affectum voluit. Ergo sanctus Maurus humana luculentiore specie cœlo delapsus, Abbatem Cormeriacensem, insigni pietate virum, conuenit: cunctatori Rorigo stimulos admouere iussit. Idem postea iterum imperauit. Abbas enim vel quod timeret, ne versa pelle diabolus sibi prӕberet ludos: vel quod à Comite longe abesset, diem ex die traxit. Hinc tertia vice adest Sanctus, non iam blandis verbis Abbatem cunctatorem demulcens, sed diris verberibus accipiens, adeo vt lumbifragium subijsse sibi videretur. Itaque tergo luit culpam, ferueutibus vbique vibicibus, atque liuentibus plagis. Animo tamen ӕquo tulit Abbas hisque calcaribus incitatus, ad Comitem aduolauit: expedita in se flagella, ac insuper inflicta, monstrauit: vt opus non modo maturaret, verum etiam prӕcipitaret, orauit, quod is iam sua sponte agitabat. Nam coniunx partu laborans, eundem sancti Mauri precibus explicari sensit. Certe eodem tempore Ligerim illeㅤtrajiciens, ӕthercam lucem atque ambrosium odorem è templo effundi, quo conditus sanctus Maurus erat, animaduertit.

Rorigus instaurat Glanofolium.

Moras, quas Rorigus traxit, S. Maurus rupit.

Tantis prodigijs admonitus Rorigus, rationes secum putauit: in opus summis viribus incubuit: breui summam manum imposuit: Mausoleum sibi suӕque coniugi ibidem designauit. An vero ad religionem monasticam promouerit pedem, vehementer ambigo, quod altum apud historicos sit silentium. Illo tamen satis sublato, Belechilda Monialis & Abbatissa facta est.

Belechilda Rorigi coniunx habitum Monastici cepit.

Porro

Porso, cum ex veteribus Monasterij Glanofoliensis cultoribus nemo superesset, aliunde Monachi adducendi erant. Visum est Comiti ex Asceterio Fossatensi accersere quod illud cum religione, tum ornamentis alijs pleraque antenet. Acciti igitur Ordinem nostrum ibidem instaurarunt, Ludouico Pio Imperium obtinente, cuius voluntate duo hæc Monasteria in mutuum nexum coiuere. Factum bonum! Enim-vero cum labentibus annis scelerum vindex Deus immissis Nordmannis ab ea prouincia pœnas sumpturus esset, Glanofolio autem denuo immineret vastitas, lipsanis S. Mauri locus destinandus erat, quo à fugitiuis fratribus reconderetur.

Noui Monasterij incolę non tantum numero, sed etiam sanctitate præstabant, vt ad veterem disciplinæ rigorem, qui sub Manto vigebat, vix quicquam desideraſſes. Abbatis munus quidam Gaudlinus obibat, cui sacrum Mauri corpus loco non satis decenti cubare visum est. Quo-circa consilio eum suis capto e tutum è tumulo meridiem versus festiuo tam incolarum quam accolarum gaudio collocauit. Reperta in loculo membrana fuit, hisce verbis inscripta: *Hic requiescit corpus Beati Mauri Monachi & Leuita, qui tempore Theodeberti Regis in Galliam venit, & octauo decimo Kalendas Februarij migrauit à seculo.* Voluebatur tum annus octingentetimus quadragesimus quintus, dies Masrij vndecimus, à Ioue dictus. Ne vero diuinum Numen serui sui deesset honori, octo miracula præclara edita sunt. Duo claudi gradibus expedit s subito carpsere viam. Vnus paralyticus membsorum inutilium vsuram recepit. Muti duo fecere verba. Tres cæci hausere lucem. Deinceps celebrari ac frequentari sepulchrum S. Mauri cœpit. Prodigia ibi patrata diligentes Addon refert, quibus etiam supplicia interponit, ab illis sumpta, qui quoquo modo huic saerario damnum intulere. Quosdam enim inuasere graues morbi: alios infelix fatum extinxit: nonnullos nigri dæmonculi occuparunt. Sed aliquot ponamus exempla, cum omnia recensere haud liceat.

S. Mauri ossa in locum splendidiorem proferuntur.

Festiuam pompam Deus miraculis auxit.

Annuente Gaudherto Comitis Rorigi fratre, quidam res suas in Monasterium transtulerunt. Nam Clotharius, Ludouicus, & Carolus Caluus, Ludouici Pij filij, huc illuc trahebant regnum: bellis supra ciuilia inimicis cuncta miscebant. Porro animum induxerat Gaudbertus, nullibi tutius quam in S. Mauri Monasterio thesauros id temporis latere posse: neminem enim, tanti patroni & custodis metu, ausurum afferse manus. Itaque facultates alienas tecto accepit. Americus tamen & Giraldus, nil pensi Maurum habentes, contracto sociorum globo, res à Monachis exegerunt. Negauit Abbas se depositas bona fide in Monasterio fortunas sapinæ obiectusum. Vbi intellexerunt operam se ac oleum Abbatem apud Monachosque simul, perdere, vim adhibere statuerunt. Igitur pluses legerunt, quibus in societatem sceleris ascitis, negotium dederunt, tantisper dum ipsi Antistitem & Monachos longis sermonibus tenerent, Monasterium irrumperent: ostia molirentur, arcas frangerent: fortunis omnibus manus injicerent. Dictum, factum. Monasterio nec arma nec milites etant, nisi quod sanctus Maurus pro muro inexpugnabili habeserus. Ergo inermes Monachi prædonibus per Monasterium, furiarum instas, volitantibus, festinato ad huius sepulchrum confluunt. Quid fit? Cœlum quod tum erat sudum, mox atris nubibus clarum inuoluit diem: collisæ illæ crebris ignibus incenderunt aëra: ingenti tumultu intonuere poli: excussa qnoque infesta fulmina: vnde tantos milites prædæ agendæ intentos, incessit pauor, vt rebus omnibus abiectis, curriculo tenderent ad portam, atque solicitam fugam inirens non secus, quam si hostis stricto ferro tergoribus hæreret. Quosdam fefellit cæterosum fuga, deprærhensique stultitiæ pœnas dederunt, in amentiam incidendo. Ego cæteros amentium numero haud eximam, adeo temerarium facinus ausos, etsi elapsi sint.

Aimericus & Giraldus rē alienam à Gaudberto Abbate petunt.

Vi auferunt, ac pœnas luunt.

Itaque sanctus Maurus hostibus suis terribilis, at amicis blandus suauisque fuit. Fert Addon, miseris supinas manus ferentibus, quandoque suum in templum cœlitus venisse pium Patrem, intellectumque adesse, angelis dulcissima carmina concinentibus, sparsoque ambsosio sacram per ædem odore. Tum enim turbam supplicem coram damnabat votis. Exemplum cape. Monfredus cultu in sanctum Maurum vix vlli secundus, sacello succedens proximo illius templo altum iniuit somnum. Quidam latus stertentis diuerberans, somnū excutere, ac inde se proripere iussit. Aliquid audise & sentire sibi visus est Monfredus, quamuis in vtramq; dormiuerit aurem. Nec tamen plus à se somnolento impetrari passus est, quam vt tergum vertaret deinde in latus alterū se conijceret. Posthęc Adobertus, Monasterij illius Monachus, homini in conspectum venit, orans fesso sibi eum locum vti cederet. Annuit is petitioni, & de scamno cui indormierat, defluens,

Vitæ discrimini à S. Mauro eximitur Môfredus cliens.

vacillantem gradum in sancti Mauri ædem vicinam promouit, ibi quietem longiorem capturus. Vix totus excesserat, cum ecce sacellum subito casu collapsum est, Monfredum certo obtriturum, si deprehendisset. Mille vir gratias Deo Opt. Max. & sancto Mauro egit, quod tam præsens periculum euasisset. Id tamen summo ei dolori fuit, quod crederet Adobertum ruina oppressum. Non mora, rapido cursu fertur ad portam, questibus ac lessis omnia complens, Adoberti nomen sine fine ciens: Patrem ac Magistrum suum Adobertum (eheu Adobertum!) vixisse: ab infido sacello obrutum, pariterque sepultum esse. Dum inter hæc lamenta campanam vexat, nec non interualli impatiens, ianuam obtundit dolore exanimatus, ipsissimus Adobertus campanæ atque ianuæ duris iuxtaque sonoris ictibus excitus, fores pandit: seque foras producit, quem is velut iam vmbram factum, tot lachrymis prosequebatur. Hæc cum non opinanti accciderent, præ gaudio non erat apud se. Facile Patres intellexerunt, quo loco res esset: nimirum Angelum ora induisse Adoberti.

CAPVT III.

Monachi Glanofolienses seque sanctumque Maurum in Fossatense Monasterium auferunt.

Monachi Glanofolienses cũ S. Mauri ossibus in fugam se cõijciunt.

NOn multum temporis in tumulo noui Glanofolij per Nordmannos conterere S. Mauro licuit. Gens enim hæc barbara Carolo Caluo sceptrum tenente in Galliam inuecta, multas vrbes flammis & exitio inuoluit. Et quemadmodum Mauris in Hispaniam inimico agmine infusis, Christiani non domi tantum, verum etiam per templa lipsana sacra conuasantes secretas valles ac editos montes petiuerunt, ita cum Nordmanni capta passim Gallia, ima summis confunderent, incolæ Sanctorum corporibus onusti, remotas in prouincias se eieceruut. Itaque cum proximus arderet Vcalegoo, tem suam agi credentes Monachi, è tumulo exemerunt Patrem suum, vt ne tanti thesauri iacturam facerent, & comitante ingenti turba capessiuerunt fugam, quam miraculis vbique nobilitauit Sanctus. Ea Addon testis oculatus in litteras misit: simul enim iter fecit. Delati primo Scameracum, aliquot dies ibidem extraxere, sacris Reliquijs in templo depositis, quo populus innumerus continuo vestigia pia verrit, afflictam valetudinem sibi leuari ab hospite sancto cupiens.

Scameraci fœminã longos annos gemitibus impleotẽ recreat sanctus hospes.

Stomachi & venarũ nescio quo ex vitio fœmina crebro sanguinem vomebat; hocque malum annis non minus quinque tenuit miseram. Vsa occasione Monachos adijt supplex, apud S. Maurum salutem sibi impetrarent. Facile pronos in preces induxit, vt funderent preces: ipsa vero noctem insomnem ducere statuerat. Iam mediam vigilando contriuerat, & hem, Monachis quieti indulgentibus (quippe hora secunda pensum nocturnum persoluturis) repente lampades ac cerei ante nouum hospitem lucere cœperunt. Sub hæc templum multitudo Cœlitum ingens stipauit, candido amictu amabilis, vocibus suaue vndique personantibus. Perculsa spectaculo fœmina, nesciuit quo se moueret: paullatim tamen ausa attollere caput, diligenter oculos in beatam gentem intendit, visura, quid tandem agitaret. Dum sic curiose omnia explorat, quidam radijs præ alijs conspicuus, à sacra ara se deducit: ægrã adit, *ac Fœmina bona*, inquit, *Numinis Omnipotentis habeto gratias, quod tibi salutem, incolumitatem, secundam valetudinem, meritis sancti Mauri præstat.* Mulier insperato perfusa gaudio, dare manibus plausus: exultare: crebro lumina in sanum corpus conuertere: iactareque hilari de pectore lætas voces, quibus Girardum, excubias ea nocte agentem, profundo somno excussit. Hic caput sopore adhuc marcidum circumferens, oculosque idemtidem terens, vbi tot lampadibus ac cereis ardere templum conspexit, beneque olere sensit, ocyus ad Monachos contendit: expergefecit: rem præcipiti lingua indicauit. Illi festino gradu in Ecclesiam se rapiont, splendidissimam lucem oculis, suauissimum odorem naribus haurientes: at candida Cœlitum turba iam excesserat. Narrauit instantibus fœmina, eam lucem & odorem per templum cœpisse spargi, cum Superi sese intulissent: quæ tamen ne Monachis verba dedisse videretur, nocte altera ibidem congregati, præter fragrantissimum odorem dulcissimum melos suspensis auribus ipsimet acceperunt. Sic iter suum sanctus Maurus exorsus est, vt facile intelligeres, quocunque se deinceps moturus esset, miracula & beneficia editurum.

Ergo sacta lipsana iterum sibi imponunt Monachi, ac viæ se committunt. Cum oppido Metulæ imminerent, effusi Clerici cũ sæcularibus, festiua pompa Diuum excepe runt, inq; templo, S. Iuliano sacro, collocarunt. Annus hic integer & dimidius consumptus fuit, totque miracula patrata, vt affit-

Iterũ vela faciunt Monachi cum corpore S. Mauri, ventuntq; Metulam.

affirmet Addon, tempus citius quam hoc sedulum scriptorem defecturum. Multos cæcos, claudos, surdos, morbisque alijs afflictos, salute coram nostris donatos fuisse: à se tamen præteriti, quod ingenti numero memoria sua impar sit: deinde Lectoribus se fastidia abstergere, quam creare malle.

Sedes capitur in ditione Audonis Comitis.

Elapso anno ac medio, denuo se viæ accingunt Monachi: sacram sarcinam tollunt: Ararim traijciunt: in ditione Comitis Audonis pedem figunt. Modo enim ingruens hostis, modo iniqua fama huc illuc agebat trepidos. Hic loci etiam annum ac dimidium duxere, maioremque curam miraculis notandis adhibuere. Fert enim Addon, præter alios quamplurimos, varijs morbis captos, sexdecim surdis, claudis, mutis, cæcis, aures, pedes, linguas, oculos redditos. Apparet Monachis primom Glanofolio fugientibus haud consilium fuisse, cum sancto Mauro Fossatense Monasterium petere. Cur enim tantas moras in itinere traxissent? Postquam vero toties mutanda fuere loca, nec vlibi tuto per Nordmannos licuit cõsistere, affecti tædio, iter illuc intenderunt. Cœnobium erat florentissimum, Beatissimæ Virgini & S. Petro Apostolo dedicatum, non procul Parisijs dissitum.

Petitur Fossatense Monasterium: magna pompa hospiti maiori instruitur

Læti nuntio Monachi Fossatenses, summis viribus ac opibus festiuam pompam instruxerunt, qua S. Maurum exoptatissimum hospitem acciperent; præter quos etiam Episcopus Parisiensis vna cum Canonicis aduentanti obuiam processit. Summa cura fuit vt locus, quo publico cultui exponeretur, eius magnitudini responderet. Agebatur tum annus octingentesimus sexagesimus octauus. Inde tota Gallia eum insigni honore prosequi & inuisere cœpit, Carolo Caluo, qui postea ad imperium euectus est, exemplum præeunte. Sacra peregrinatione rite defunctus, Monasterium S. Dionysij petiuit, vnde nouo Patrono opes ingentes subminist. Iam dudum Fossatenses cum Glanofoliensibus, icto fœdere, dexteras iunxerant: cumque instauraretur Glanofolium, suo de cœtu coloniam eo deduxerant.

Fossateoses sancto hospitem sibi vindicarunt.

Quapropter potiti hoc insigni thesauro, manibus ac pedibus retinere statuerunt, etsi Nordmanni domum retulissent pedem armaque posuissent, Andegauo & Glanofolio alta pace concessa. Scilicet: indignum se facinus commissuros putabant, si eum Patrem dimitterent, quem iure merito in sinu ferre deberent. In mentem quoque veoit, istis ab ossibus animorum solatia proficisci: celebre nomen duci: fructus capi montibus aureis anteponendos. Pontificiam, nec non Cæsaream beneuolentiam Monasterio conciliari. Certe miram olim, quam vocant, Vnionem hæc summa Christianitatis capita confirmarunt, atq; vt beneficijs alijs memorandis supersedeam, Glanofolium Monasterij Fossatensis iusserunt esse Prioratum. Illud tamen Vrbanus II. Pontifex Max. cum ageret Turonis, in pristinum gradum restituit, ac Monti Casino certa ratione adiunxit: Nihilominus S. Maurus dimissus haud est, ipsis Regibus obniteotibus ne tanti ponderis thesaurus Parisiensi agro eriperetur. Igitur omnium historicorum Galliæ testimonio, in Fossatensi Monasterio etiamnum situs est, exteris nationibus (præsertim vero Monachis) semper impense cultus, ac voti soluendi caula frequentatus.

Petrus Diac. l. 4. hist. Casin. c. 18.

Nihil attinet exempli gratia S. Adalbertum, Ordinis nostri Monachum, Archiepiscopum Pragensem, Apostolum Hungariæ ac Martyrem, tibi in memoriam reuocare, qui Occidentem obeundo, S.P.N. Benedictum in Monte Casino conditum adijt: inde in Galliam ad S. Maurum peregrinationem suscepit.

CAPVT IV.

Magnam S. Mauri partem in oppido Almendral Hispaniæ asseruari.

S. Maurus non vno loco quiescit.

Nemo absque insigni temeritate inficias iuerit, corpus S. Mauri magna ex parte in Fossatensi Monasterio conditum esse. Quis enim Addoni, oculato testi, cui cæteri deinceps historici accesserunt, fidem non habeat? Molanus quantumuis modernus Auctor, *Eius*, inquit, *corpus iuxta Parisiorum vrbem magnifice collocatum, honoratur & colitur.* Alicubi tamen partes haud exiguæ feruantur: alibi de toto Mauro litigatur. Arnoldus Wion Secusium, Pedemontis ciuitatem, hoc hospite gloriari memorat: ipse tamen maiorem partẽ Fossatensibus adiudicat.

Molanus Comment. in Martyrolog. ad 15. Ian.

Wion. l. 3. c. 1.

Caput Mathlia habet.

Monumenta quæ mihi oppidum Almendral suggessit, Massiliam Galliæ vrbẽ caput possedisse, docent. In Monte Casino brachium integrum, S. Odilonis Abbatis munus, in promptu habent, idque summo cultu venerantur, tanquam filij Monasterij Casinensis præclarissimum pignus. Historiam Leo Ostiensis narrat multis: nos paucis conficiemus. S. Hugo pietate erga S.P.N. Benedictum incitatus in Montem Casinum venit.

Ostiens. l. 2. c. 52.

Eum Theobaldus Abbas obuijs brachijs accepit: Monachi quouis obsequiorum genere eundem sunt prosequuti. Dum res ille iterum componit, ac viæ se parat, circumfusi Casinenses etiam atque etiam vitum

obte-

obteſtantur, partem aliquam de ſacris S. Mauri oſſibus ſuo Monaſterio impertire velit. Hugo benigne ac beneuole habitus, vt referret gratias, vtraque manu pollicetur. Interea fere ſeptennium circumactum eſt, cum is ſtetit promiſſis, oſſe brachij integro tranſmiſſo, quod fabre argentum includebat. Sex, non minus, Monachi per tantum itineris ſtipabãt theſaurum. Hinc magnum in Monaſterio atq; vicinia exortum gaudium: expeditæ feſtiuæ ſupplicationes: ſolenni pompa itum obuiã eſt. Cum iam Monaſterio ſuccederet amantiſſimum pignus, Monachi ad vnũ omnes proſtrarunt corpora, quam ſi ipſus S. Maurus viuus ac ſpirans domũ ſe referret, veterem ſedẽ viſurus, vnde olim à S. Benedicto lachrymis fluente cum ſociis fuerat dimiſſus. Etiam Monachis ſic humi depoſitis oculi natabant tepidis guttis, non quas mœror expreſſerat, ſed quas pietas ac lætitia ſponte effunderet, animis vehementer perculſis, videre ſui cœtus longe nobiliſſimum membrum.

Radium brachij MonsCaſinus.

Hiſpani quoque huius Sancti corpus ſibi vindicant. Quamuis enim nemo hactenus in publicum prodierit qui hoc affirmaret, conſtans tamen memoria, nec non à maioribus ad nos deducta fama, tum etiam grauiſſima teſtimonia luculentam nobis fidem faciunt, bonam ſacrorum oſſium ipſius partem in Almendral, Epiſcopatus Badajoz & prouinciæ Eſtremaduræ non ignobili oppidó, ſeruari. Dudum me ingens deſiderium inceſſit, veri cognoſcendi. Omne igitur ſtudium, curam, & diligentiam adhibui, vt potirer, quæ iactabantur, teſtimoniis, nec operam luſi. Nam viri duo clariſſimi iuxtaque fide digniſſimi copiam nobis fecere, quæ ſic ſe habent compendio. In oppido ſtat antiquiſſimum templum, Sanctæ Mariæ Magdalenæ dicatum, tribus fornicibus ſuſpenſum. Ara maxima huic quidem Diuæ poſita eſt, atqui tabulæ res Sancti Mauri vetuſto nec non ſcito penicillo exprimunt: quodque mireris, quædam aduentum ſacri corporis, tum etiam afferentes illud Monachos cum miraculis belle oculis ſubijcit.

Bonam partem ad ſe Hiſpani traxere.

Teſtimonium quo fidem facere conantur, vetus & pictum altare eſt:

Fama à maioribus accepta, reſpondet penicillo. Fert enim diſcipulos Sancti Mauri de cœlo certiores factos, exitium ac vaſtitatem imminere terræ, in qua degerent. Proinde & ſe, & glorioſum corpus tempeſtiue inde auferrent. Hunc in modum admonitos, conſtrinxiſſe ſarcinas: fugam intendiſſe in Hiſpaniam, editis à ſacris lipſanis non paucis in itinere miraculis. Vnum memorant, cuiuſmodi etiam diſcipulis Sancti Iacobi accidiſſe perhibent. Videlicet tauros manſuefactos iugique patientes curru iunxiſſe Monachos: huic ſacrum pignus impoſuiſſe. Delatos in Hiſpaniam, multas fuiſſe terras emenſos, nullibi certa ſede fixa. Poſtquam Almendralem attigiſſent, nullis loris, nulla ſcutica, ſtimulis nullis à tauris impetrari potuiſſe, vt pedes promouerent. Monachos Dei voluntate animaduerſa, ſacra oſſa in cœmeterio Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Magdalenæ condidiſſe, exiguæ tum quidem, at quam ſequentes anni ad Sanctum Maurum prolixius colendum in eam amplitudinem, quæ hodie conſpicitur, eduxerit. Cœmeterio ſacellum impoſitum fuiſſe, ab eodem Diuo dictum: ſub ara vero collocata ſacra lipſana, multoſque annos ibidem permanſiſſe. Aræ huius tabulas patrata pariter miracula exhibuiſſe. Vt vero cultus erga Sanctum ſemper fuerit magnus, viliore tamen ornatu, quam par erat, recubuiſſe: ideoque nouum Mauſoleum ſub arcu, qui chorum & Sancti Mauri ſacellum diſtinguat, ſtructum, poſito vtrobique hoc Epitaphio: *Hic requieſcit corpus Beati Mauri Abbatis.*

Nec non fama, à maioribus accepta:

Vetusque epitaphiũ

Cum ſacra lipſana in nouum tumulum inſerrentur, centum viginti ſeptem oſſa deprenſa aiunt, præter alia tria vel quatuor minuta. Addunt, Alphonſum Manrique Epiſcopum Badajozenſem ad annum milleſimum quingenteſimum primum, menſibus Aprili ac Maio habuiſſe Synodum, eiuſque Conſtitutionibus typo vulgatis inſeruiſſe: *Mandamus vt in Almendral dies Sancti Mauri pro feſtiuo denuncietur, quandoquidem eius corpus ibi requieſcit.* Inſuper admouerunt quoque Pontificias Bullas, quæ corpus illi loco affirmant. Harum vnam milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio anno: alteram milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono: tertiã milleſimo ſexcenteſimo, Roma dedit. Recentes eſſe non inficiantur incolæ: at ſibi etiam antiquas fuiſſe, aſſerunt, ſed incendio abſumptas, id quod quam plurimis Eccleſiarum Cathedralium & Monaſteriorum archiuis euenit. Præterea vitam Sancti Mauri producunt à quodam Monacho Ordinis D. Dominici compoſitam, quam ipſe ex antiquis voluminibus ac tabulis Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Magdalenæ à ſe excerptam Sanctè aſſerit, corpuſque Diui in oppido Almendral conditum eſſe, docet. Denique vt omnis ſcrupulum euel-

Et Bullæ Põtificiæ.

Quibus accedunt

miracula à S. Mauro in Almendral patrata.

lant, multa miracula à Sancto Mauro ibidem patrata, aiunt, quæ non afferimus, eo quod neque nobis allata sint. Vis etiam adiungam, populum in vicino colentem (etiam ad secundum & tertium lapidem) singulari studio & amore Sancti Mauri teneri? Item, cum Mauri nomen in Hispania adeo proprium Monachorum sit, vt aliorum hominum vix vlli imponatur, illius tamen terræ incolis prope commune esse? Nam ab antiquissima memoria ad hoc vsque æui quam plurimos mortales hic Mauros nuncupatos, asserunt. Tot argumenta, non ex aere sed miraculis, litterarum monumentis, incolarum cultu, veteri memoria, constanti fama, altarium tabulis, ipso Mauri nomine, per eum tractum vulgatissimo, an nullum pondus habeant?

Lis frequens inter Ecclesias de Sanctorū corporibus.

Non raro huiusmodi lites super Sanctorum corporibus ab Ecclesiis suscipiuntur, de quibus sententiam ferre, nos temeritati deputamus, nisi res manibus teneatur. Multos amor, quo in Dinos rapiuntur, ducit ac seducit. Pertinacia vero inexpugnabilis animos tenet, quando idem Sanctus diuersis locis iacet diuisus. Tum enim capere solent partem pro toto, ac paucis ossibus nomen integri hominis indunt: totum Sanctum sibi vindicant, neque ex errore se euolui patiuntur. Atqui ciues Almendralenses vltro dant nobis, caput se non possidere, sed Massiliam, vbi cum reliquiis Sanctæ Mariæ Magdalenæ magnæ venerationi sit. Supra centum viginti septem ossa se non reperisse, id quoque confitentur: quem numerum multæ Ecclesiæ, quæ integra corpora sibi arrogant, haud profecto æquant. Nihilominus multa adhuc desiderant, vt toto Mauro gloriari queant. Si medicos & anatomistas roges, humanum corpus trecentis amplius ossibus constare, auditurus es. Cumque in hanc syluam sæpe deinceps iturus sim, in multis Hispaniæ Academiis medicorum doctissimos adiui, maiorem in modum orando, rem hanc ad viuum mihi resecarent. Quamuis autem haud multo magis inter ipsos conueniret, quam inter horologia, plerique tamen in numerum, quem paullo ante subduximus, concesserunt, Galenum medicorum regem sequuti, cuius hæc stat sententia: *Corpus nostrum ossibus pluribus quam trecentis compositum est.* An non igitur helleboro indigeant illi, qui cum quadraginta vel quinquaginta in quapiam arca numerant, rem saluam esse clamant: totum haberi Sanctū. Causam igitur suam vero similiorem fecere ciues Almendralenses, sacra ossa diligenter ad calculum exigendo: deprenso numero nihil addendo. Quo pacto Fossatensi Monasterio locus relictus est partem quoque suam in medium afferendi, quæ forte tam magna est, vt recte pariter iactare queant, corpus S. Mauri se possidere. Certe ab huius Monasterij causa tot stant auctores: testimonia: tantum studium ac maiestas, quibus colitur: miracula: vt stultitia prima ia laborare videatur, qui hæc omnia reijcere, ac Milesiis fabulis accensere velit. In eo tamen vnguem mordeo, quod ferant ciues de Almendral, postquam S. Maurus mortem obiisset, discipulos imminentis hostis metu confestim funus in Hispaniam extulisse. Quid? Addon, grauissimus auctor, qui corporis ipsius translationem exponit: & Sigebertus Monachus Gemblacensis, qui sub annum octingentesimum septuagesimum nonum factam asserit prius eum in Glanofolio sepeliunt. Nec olitor negauerit. Inscriptio à nobis supra prolata, idem sat superque prodidit. Quo autem pacto, quoue anno hæc sacra pignora deuenerint in oppidum Almendral, diuinando assequi haud possum. Nam quod statim à morte, vel vbi non plures quam trecenti effluxissent anni in Hispaniam fuerint deportata, mihi paradoxon est. Potius crediderim Nordmannis Galliam ferro ignique populantibus Monachorum quosdam sedium perpetuo mutandarum tœdio affectos (vel etiam impellente Deo, vt fertur) omni patria excessisse: sacris ossibus onustos Hispaniam periuisse. Vt vt factum sit, Almendral iure merito corpore Sancti Mauri gloriari posse videtur ea ratione, quam paullo ante exposui. Profecto toti hoc Hispaniæ, præsertim illi Estremaduræ ditioni, persuasum est, non de nihilo totum regnum, summo studio, S. Maurum colere, venerari, ad Mausoleum ipsius vota suscipere, adire ac persoluere: tanquam thesaurum cœlitus demissum amantissime complecti. Cæterum etsi plurimus in Hispania huic Cœliti habeatur honos, multi tamen è cultoribus similes sunt Atheniensibus, qui statuam posuerunt *Ignoto Deo*. Nam in Ecclesiis non paucis, nec non etiam Eremitoriis, per Portugalliam & Galliciam sparsis, Sancti Amari nomine venerantur S. Maurum: ad XVIII. Kal. Februarij festū eius diem agunt, Deo Opt. pietatem crebris miraculis comprobante. Diuerti aliquando ad Sancti Amari de Arnoya, Cellænouæ haud vulgarem Prioratum. Obiui templum, iam altaribus iam parietibus oculos admouendo, cum suspēsam tabulam vidi, miraculis à Sancto ibidē

Crebro nascitur è paucis ossibus.

Galen. l. 9. De Hippocratis & Platonis decretis, c. 8.

Verosimile S. Maurum venisse in Hispaniā Nordmānis Galliā infestantibus.

Act. c. 17. Portugallia & Galicia cultui S. Mauri vehementer addictæ sunt.

patra-

patratis occupatam. A tota enim vicinia mirifice frequentatur & colitur. Animus nobis fuit, insigniora & testimoniis confirmata in lucem edere, sed nescio cuius culpa ea nondum acceperimus, dum hanc Centuriam prœlo subijciebamus. Magno certe efferebamur studio, S. Maurum Ordinis nostri sidus, nouis miraculis, etiam S. Amari nomine, percelebrandi.

CAPVT V.

Monasterium S. Mauri, vulgo Maurß-Münster.

Mauri-monasterium à quodam Mauro Abbate, viro præclaro, nomē duxit.

CVm annus verteretur quingentesimus octogesimus tertius, quoddam Cœnobium, imprimis S. Leobardi Cella; deinde à præclaro quodam Abbate Mauri Monasterium dictum, cepit originem. Prior appellatio & præclaris Mauri huius gestis, & ipso tempore, quod consumit omnia, abolita est; nomen posterius hucusque hæsit, quod qui à Sancto Mauro, toto Orbe decantato, dictum putant, errant. Quatuor milliaribus Argentorato, nobilissima Alsatiæ vrbe, distat. Vosagum montem respicit, cuius posthac crebro faciemus mentionem, eo quod olim Monasteriis frequens fuerit: immo Sanctis quoque, idcirco *Mons Sanctorum appellatus*. Basilica à principio Beatis Apostolis Petro & Paulo, nec non Sancto Martino Episcopo dedicata fuit. Fundatorem Childebertum II. Franciæ Regem habuit, Sigeberti de Ordine nostro optime meriti, filium. Igitur Gaspar Bruschius errore lapsus est, qui Childebertum primum pro secundo egregij operis conditorem fecit, Nam primus anno quingentesimo quinquagesimo sexto vita concessit. Etiam impingit, dum id tempori Gregorium Magnum ad clauum Ecclesiæ sedisse putat. Ita sæpe à vero scriptores veteres aberrarunt, dum historiæ soli intenti, annos indiligenter subduxerunt. Anno quingentesimo octogesimo tertio D. Gregorius S. Petri Cathedram non insedit. Cæterum Childebertus ingentes fortunas in hoc suum Monasterium congessit, in quod Regula S. Benedicti statim ab initio introducta fuit.

S. Leobardus hic loci primum Abbatē egit.

Abbatis munus primus S. Leobardus obiuit, Montis quondam Casini Monachus, D. Benedicti, vt aiunt, discipulus; inter eos habendus, qui S. Regulam superatis alpibus diuulgarunt. Prima Centuria multos produxit, qui expeditiones in Hispaniam, Galliam & Angliam susceperunt: secunda nūc eos digito monstrat, qui viam in vastissimam Germaniam aperuerunt, quæ calamo nostro longissimam scribendi materiam præbebit. Hanc enim S. Columbanus, à Theodorico Rege Franciæ proscriptus, excoluit; atque ante ipsum S. Rupertus Wormaciensis Episcopus, verberibus inde pulsus, qui egregiam deinde sementem fecit in Bauaria. Igitur S. Leobardus ope Childeberti II. Mauri Monasterium extruxit. Scriptorum incuria vel penuria pauca de illo explorata habemus, nisi virum fuisse insigni sanctitate præditum, cuius gratia ipsum Cœnobium, exuto S. Petri nomine, S. Leobardi induerit, quod vsque ad septingentesimum vicesimum quartum durauit, quo Maurus quidam gubernaculo admotus, inita per egregia facta ab omnibus gratia, id mutauit.

Childebertus antecessorum suorum vestigia, veluti Clotharij II. Dagoberti I. Theodorici, sedulo pressit: qui magnis beneficiis Monasterium hoc affecerunt. Postremus priuilegium eidem concessit, in quo præter alia videas, Regulam S. Benedicti ac S. Columbani simul (explicationem prioris fuisse putem) ibi locum habuisse. Inter Abbates etiam Cellus nomen meruit, sub quo SS. Cœlestis & Auctoris Episcoporum Metensium corpora miraculis clarissima illata sunt. Hucusque verba fecit Antonius Yepes fere è Bruschio. Ego tamen facere non possum, quin relationem subijciam alteram, paulo pleniorem, & si calculum fundationis obserues, etiam diuersam. Certe hoc meo labore tu usque patientia dignum est antiquissimum Monasterium.

Res Alsaticas scripturus Iodocus Coccius anno à Christi partu millesimo sexcētesimo vicesimo secundo, Abbatem huius Monasterij adiuit: vt vetera monumē a reuoluere sibi liceret, etiam atque etiam orauit. Is multarum tabularum facile copiam fecit, lætus hoc pacto Archiui reliquias incendiis subduci. Bis enim Monasterium conflagrauit. Porro quantam fidem, quantam auctoritatem antiquis litterarum monumentis ipse Yepes tribuat, te non fugit. Vel igitur hanc meam operam boni consulei vel lecta Yepesij relationa, vno saltu ad caput sequens te traijce.

Vetusti annales (verba Coccij sunt) & Cœnobij eiusdem membranæ perhibent, anno depulsæ per Christū seruitutis DLV. ad diē VII. Iduum Aprilis, Iustiniani Cæsaris & Pelagij id nominis I. Pontificis æuo, Leobardum, S. Benedicti discipulum vnice carū, virū omnigena virtute, morumq; integritate conspicuū, geminis eiusdē propositi sodalib. Valeriano & Amādo comitatū

Leobardus an. 555. ad Vogesi montana Cellam posuit.

Chron. Mauri-monast. argent.

e Casinensi iugis per fines Campaniæ in Alsatiā progressum esse, sanctissimi sui instituti legibus proferendis, atque ad Vogesi montana, dimidio ab Tabernis Alsatiris lapide, inter syluarum nemorumque abdita consedisse. Dehinc à Childeberto primo, Clodouæi Magni filio, qui per id tempus Austrasiis cum potestate ius dicebat, vt erat Princeps omnium litteris celebratus, quēque Patres in V. Synodo Aurelianensi *piissimum*: Venantius Fortunatus *diuini cultus amantissimum* prædicarunt, gratiam illi veniamque factam, vt loco vbi hodieque florens Cœnoblum *Mauri Monasterium* cernitur, Cellulam erigeret anachoresi exercendæ. Cui de suo nomine appellationem indidit, duobus sæculis duraturam, vt Leobardi Cella diceretur. Ibi ergo domicilium positum, & iuxta Basilica sub DD. Petri & Pauli Principum Apostolorum, nec non Martini Turonensium Antistitis aduocatione, sanctissimis religionibus sub annum humanæ redemptionis DLVII. initiata, aliis quinis Fratribus adscitis, in commune viuere, ac Cœnobij fundamenta iacere cœpit. Quorum candore morumque innocentia mire captus Childebertus, fundos, vectigalia, possessionesq; syngrapha firmatas adiecit, dato adhoc regio diplomate *in Curia Marlheimi*, vt panchartæ loquuntur, anno verbi incarnati vndesexagesimo supra quingentesimum: quæ deinde Sancta Romana Sedes eodem anno rata firmaque habuit. Interim Rex summa honoris amorisque significatione Congregationem illam, Deo amabilem, identidem frequentare: hic sacras ædes obire: preces fundere: donis & votis Sanctum Martinum, loci Patronum, colere: ei non vectigales solum domos & fundos, sed homines nexu manucupioque addirere, qui hodieque vsurpato vocabulo, Martiniani dicuntur. Porro Childeberto rebus mortalibus erepto, Clotarius I. Theodebertus, Chilpericus & Clotarius II. Dagoberti parens (sub quo S. Leobardus sanctitatis fama inter suos celebris hinc emigrauit) suas quoque amplissimæ magnificentiæ largitiones in hunc locum cumularunt. Extant elenchi eiusdem Cœnobij, in quibus Dagobertum Magnum præclare de hoc etiam loco meritum, grata memoria posteris commendatum est. Iam in Leobardi locum à quaterdenis numero fratribus sub annum Christi DXC. Anastasius suffectus fuit, qui cum XL. annos clauum tenuisset, Patres suos Godefrido, anois grādæuo, miræque abstinentiæ, qui ad annum ætatis CXVIII. peruenit, consignarat.

Cellæ adiuncta Basilica fuit.

Childebertus bene Monasterio fecit.

Itemque Reges alij.

Quod post variam Monasterij inclinationem ac labem Maurus Leobardi II. Successor, S. Pirminij Meldensis Episcopi in Senonicusi prouincia discipulus, Magistro simillimus, vnanima omnium consensione sub annum D.CC.XXIV. ad Cœnobij administrationem, agente potissimum Theoderico Rege, admoueretur, dignus vtique vir, cuius ob singularem beneficentiam loco subleuando restaurandoque impensam, honos & veneratio vna cum nomine, nulla apud posteros vetustate obsolescat. Hic bonorum omnium confirmationem, ac præterea donationem Marchiæ Aquileiensis olim à Childeberto factam & consequentium Franciæ Regum syngraphis contestatam ratamque ab Rege Theoderico impetrauit. Insuper Templi ac Cœnobij veteris mole fatiscente, à clade an ruina? non caerte proditur, vtrumque noua structura intestina extimaque erexit, aucto etiam Cœnobitarum numero, vt XXXI. capita censerentur. Murum amplissimum circumduxit, magno Monasterij ornamento simul & munimento. Quibus rebus eam apud suos gratiam iniit, vt antiquatæ Leobardi memoriæ nouis quasi domiciliorum operis prouentibusque, quibus pœne exinanitam Cœnobij familiam proucxit, nouam quoque Mauri monasterij appellationem subrogarent, quæ ad hoc tempus illi adhæret.

Maurus Abbas de suo Monasterio præclare meritus.

Denique sæculi interuallo sub annum D. CCC. XXVII. superuenit Celsus Abbas præcellens virtute Antistes, qui cum esset non simplici quadam beneuolentia, sed magna & vbere bonorum omnium exaggeratione, Ludouico Pio Imperatori, Caroli Magni Filio, gratiosissimus, multis Cœnobij priuilegiis impetrandis illud sibi obnoxium fecit. Posteaquam enim anno consequente maxima eius pars cum bonis & membranis veteribus luctuoso incendio conflagrasset, is illud continuo, ac simul elegantis structuræ Ecclesiam reædificauit. Sub idem tempus Ludouicus relebri conuentu, quem Argentinæ agitabat, Drogoni fratri, Mediomatricum Antistiti, in mandatis dedit, vt Mauri Monasterium sibi restaurandū sumeret; qui vt erat præstanti religione, & explorata sanctitate, Cœnobium ad pristinam speciem adlaborante Celso reduxit. Quo eodem Abbate (etsi non desunt qui Walrapho, generosa Geroltzechianorum Baronum stirpe edito, qui anno MCCCXLVI. præfuit, factū adscribunt) *corpora SS. Cælestis & Auctoris*. Mediomatricorum Antistitum,

Celsus multa priuilegia a Ludouico Pio impetrauit.

Monasterium igni absumptum vna cum Diogone Ep. restituit. Boues SS. Cœlestē & Auctorē in Mauri Monasteriū tulerūt, etsi stimulis agerentur Argentoratum.

tum, ad Mauri monaſterium illata ſunt, non ſine prodigiis, quæ Sanctorum pignorum translationem merito poſteris commendent: quæ quia domi nata ſunt, ſignatius hoc loco euolui merentur. Igitur poſtquam ſacratiſſimus Diuorum theſaurus feſta ſupplicatione indicta ex Mediomatricibus, auguſto cultu, Drogone Pontifice, cum Celſo Cœnobiarcha pompam ducente ad Mauri Monaſterium peruenit, vt ibidem ad horam capto quietis loco, deinde Argentoratum transferretur, euenit interim, Dei aliam Diuis ſedem nouosque Alſatiacis oris Patronos deſtinantis arcano conſilio, vt boues iugales Sacrorum pignorum baiuli ad vicinum montem ſubſiſterent, nullaque arte propelli poſſent. Ergo omnibus rei nouitate ſuſpenſis, ac populo, qui cum religioſorum manu confertim affluxerat, Dei omnia moderantis potentiam humana vi maiorem exclamante, multis multa putantibus, Celſo in mentem venit, bobus liberum quaquauerſum iter permittere. Quibus dextrorſum ſine moderatore declinantibus, atque ducentos circiter paſſus progreſſis fons limpidiſſimus ſcaturiit, quem ab S. Autore in hanc horam *Altersbrun* vernaculi nominant, morbis pellendis olim ſalutarem. Vnde omnium ſententiis eam in ſententiam itum eſt, Dei annutum videri, vt Sanctorum corpora hoc in territorio reponantur. Nec mora maius omen cœlo affuit. Nam continuo cœlitus impulli veloce curſu boues citra laborem ad Mauri Monaſterij valuas, quod iam recens, vti diximus, conflagrauerat, procurrentes, ſponte ſemet ſtiterunt. Itaque noua omnes perfundi lætitia, Cœlitum fauorem opemque ſibi certam ſpondere. Mox lipſanotheca cum SS. pignoribus de eſſedo ad primariam Aram Deiparentis nomini conſecratam, collucentibus circum ſecus cereis, hymnisque interſonantibus repoſita; vbi loco quidem optato potiuntur; hodieque iſtic in multa veneratione ſunt, præſenti ſæpe ac prodigioſo pellendis morbis, ſed febribus maxime, auxilio, ijsque qui obſtipo ſunt corpore, erigendis, ſi poſt fuſa ad Deum preces, ſubter tumbam, qua Sanctorum exuuiæ requieſcunt, tranſgrediantur. Exſtant & magnæ Pontificum donationes, quibus ad priſtinam Patronorum venerationem, ac frequentiorem cultum inuitati maiores. Nec abutar, vti confido, Lectoris patientia, ſi quam regifice hoc Cœnobium quondam dotatum fuerit, ex donationis per Theodericum Regem factæ illuſtri documento teſtatum faciam;

Affectos morbo SS. Cœleſtis & Auctor ſanitate afficiunt.

præſertim cum etiam hinc beneficia DAGOBERTI & maiorum erga idem pietas exſplendeſcat. Sic igitur habet.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS.

Tabulæ donationum Regis Theodorici.

THEODERICVS diuina fauente clementia Rex Francorum, viro illuſtri Luitfrido Alemannorum Duci. Si petitionibus Deo ſeruientium, quæ ad eorum quietem & tranquillitatem pertinent, libenter præſtamus, atque ad effectum perducimus, regiam conſuetudinem exercemus & ad mercedem vel ſtabilitatem regni noſtri pertinere confidimus, ideo notum eſſe volumus, tam futuris quam præſentibus qualiter venerabilis Maurus de Monaſterio Domini Leobardi, quondam Abbatis in honorem Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Sancti Martini peculiaris Patroni noſtri conſtructo, Clementia regni noſtri ſuggeſſit, quod anteceſſori ſuo Domino Leobardo, quondam Abbati, qui ipſum Monaſterium ſuo opere à nouo fundamento ædificaſſe noſcitur, inclytæ memoriæ parens noſter Childebertus, quondam Rex, ad opportunitatem ipſius Monaſterij terram illam, quam de deſerto ipſe ad excolendum vel commanendum præoccupauerat, per loca prænominata, de ponticulo ad Fuenhaim vſque ad publicam ſtratam Tabernenſem, ac deinde ad ſtratam pagi vel oppiduli Marleienſem, hinc terminum de fonte Ciſternato cum adiacentibus ſuis, vſque ad Gunſium riuum, indeque ad montem Cuberbum per fraxinetum, tum demum ad locum, qui vocatur Islascorra, & ſic per fluuium Sornam, vſque ad crucem Petriuam: tum demum ad Mauri riuum profutura mercede eiſdem conceſſiſſet, vt nullus ibidem campos facere, nec porcos ſaginare, nec materiam ſuccidere, neque ipſius fines penitus irrumpere præſumeret, ſed hoc ipſi Monaſterio omni tempore conceſſum eſſe deberet: & quidquid intra vel extra præſcriptos terminos in quacunque prouincia, vel pago, ipſe vel aliquis Regum prædeceſſorum eius tradidiſſet, ſeu ſucceſſorum quilibet, potens vel vilis perſona, memorato loco, Abbati, eiuſque ſucceſſoribus, pro anima ſua ſalute tradidiſſet, nullo contradicente, aut reſiſtente, libere atque licenter poſſidere liceret. Vnde ipſam præceptionem memorati Principis ſeu diuinæ recordationis THEODOBERTI, CLOTHARII, DAGOBERTI, SIGEBERTI, itemque DAGOBERTI, quondam Regum nobis ad confirmationem oſtendit, in præſenti relegendam: ſed pro firmitatis ſtudio noſtrum ſibi expetijt ex hoc ipſo in eodem Monaſterio, vel circa eius terminos, omniaque ad id pertinentia

al. Aſchovva.

confirmare praeceptum. Cuius petitionem pro Dei intuitu, vel mercedis nostra augmento, benigne suscipientes ita nos confirmasse, & in omnibus praestitisse Regia consuetudine cognoscito. Fracipimus enim, vt quidquid per inspectas supradictorum Regum praeceptiones ad ipsum Monasterium longe vel prope noscitur concessum fuisse, per hanc auctoritatem nostram ipsi Monasterio, vel memorato MAVRO Abbati suisque successoribus omni tempore in Dei nomino. & ipsum priuilegium nostris & futuris temporibus, stabile Deo auxiliante omnimodis conseruetur. Similiter petijt, vt eum cum omni familia tebusque Monasterij sui longe vel prope constitutis, sub nostro mundiburdio(protectione)*& defensione reciperemus, quod nos pro mercedis nostra augmentis ita & praestitisse cognoscite, & confirmasse. Quapropter per praesens decernimus ac iubemus praeceptum, vt neque vos, neque iuniores vestri seu successores, nullaque omnino cuiuscunque sit potentia persona, ipsum Abbatem, neque Monachum, neque certos homines iniuriare, neque condemnare, neque infra vel extra Monasterium rem irrationalem facere penitus, neque de rebus ad se pertinentibus quippiam auferre praesumat; sed liceat ei suisque omnibus sub immunitatis titulo, & nostro Mundiburdio vel defensione, cum omnibus rebus suis & Monasterij sui, secundum normam Patrum Domini Benedicti, & Domini Columbani, quietos residere, atque securos: quo potius ipsam Congregationem sanctam melius delectet, pro stabilitate regni nostri misericordiam Domini die noctuque crebrius exorare. Data Melis in Coenobio S. Arnulphi, eiusdem loci Episcopi, quod est constitutum in suburbio, sub die Kalend. Maij, anno Dominica incarnationis DCCXXIV. Indictione tertia: anno vero regni Domini Theoderici quinto.*

Ego Grimoldus Cancellarius Recognoui.

Hactenus Theodoricus, cuius autographi medio membranae sigillum erat liligerum Regis appressum, hoc verborum subscriptione.

Theodericvs Dei Gratia Rex Francorvm.

Porro hanc regiam libertatem posterioribus saeculis noua religiosi coetus colonis, adauxit Richvvinus, ex Praeposito Neouillano Abbas, qui Henrico IV. Augusto praeclare munus suum florentibus annis impositum, ad exitum vsque aetatem, magno Coenobitarum emolumento perpetrauit. Nam ab eo in *Monte Sindeno* (vulgo Sindeberg) proxime Mauri Monasterium, nobilissimi quondam Parthenonis fundamenta iacta, quae deinde nouis accessionibus, posteros Coenobiarchas Richvvini Successores ad consummatae pietatis laudem excitarunt. Est in manibus membrana peruetus, qua voluerit iuris fundorumque conseruatio huic loco attributa, stabilitur attestatione semiuncialibus litteris in hanc sententiam consignata:

Anno ab Incarnatione Domini MCXV. Calixto II. Papante, Henrico IV. Imperante,

Mons Sindenus à Sindeno, B. Leobardi Aquileia Mauri Monasterij primi fundatoris discipulo, Sindeni curtis quondam appellatus, temporibus Richvvini Abbatis à praeposito Richvvino, postea Neouillariensi Abbate, ex reuelatione fundatus, in diebus pij Adelonis regularis vita Sanctimonialibus deputatus, rogatu inclyta memoria Domini Meinhardi XXX. Abbatis à venerabili Theodervvino D. G. S. Rufina Episcopo, apostolica Sedis Legato, primitus autem huius loci professo, in honorem Sancta Dei Genitricis ac B. Blasij est consecratus, Anno verbi incarnati MCXXXVIII Innocentio PP. Lothario II. regnante. al. xxxiii.

Media chartae area, totius Parthenonis & aedis faciem topothesiam exhibet, cum hoc verborum periphrasi

Istvm Virgo Pia Montem Defende Maria.

Avxilioqve Pari Martyr Adesto Blasi.

Atque haec sunt, quae Iodocus Coccius suo calamo nobis suggessit.

Collectis vndique litterarum monumentis historiam Alsaticam moliebatur, at virum vita dignum mors intercepit.

CAPVT VI.

S. Gregorius apud Imperatorem Tiberium legationem obit, à Pelagio Pontifice missus.

Gregorium saecularem, & è saeculo in Monasterium digressum, pridem vidimus: deinceps Cardinalem ac Pontificem agentem spectabimus. Non in vitales auras editus à Deo est, vt in tenebris aeuum exigeret, vel dormiret in puppi; sed vt ad clauum rerum maximarum sederet. Flocci pendebat ille quidem Pontificis fauorem, quippe qui dudum à dulci fortunae fistula torsisset non erectas aures, secreto suo beatus: fecit tamen viri dexteritas, iam olim in Rep. versati, nec non Ecclesiae necessitas, vt è cellae angulo, ad afferendam rebus salutem eueheretur. Baronius hoc anno à Pelagio II. Diaconum Cardinalem renunciatum esse, memorat, vt Tiberio Caesari ad Imperium euecto nouos honores bene verteret iuberet. Atqui Iohannes Diaconus intercedit, iam à Benedicto I. Cardinalem factum, dictitans: Pelagium vero operae pretium fecisse, legatum designando. Nobis animo sedet, obiectas exire com-

Baron. an. 583. Gregorius M. a Benedicto I. creatus Cardinalis. Iohan. Diac. l. 1. c. 26.

pedes.

Pedes, litis superioris memores, quæ mirum in modum nos defatigauit. Paucis tamen affirmamus, Iohannis Diaconi sententiam magis nobis probari, eo quod vir hic vix ducat sulcum vltra Ecclesiæ Romanæ tabularia, Idque totis quatuor libris, quos lucubrauit, apparet. Etenim notari diligentissime solebant Cardinales, à quonis Pontifice auctorati. Cum igitur ille annis longe Baronium antecedat: cum ex ipso fonte, id est, archiuo Ecclesiæ Romanæ, quæ posteritati propinauit, biberit: cum fide apud nullos æquos Lectores laboret, nescimus cur virum de errore postulemus, cui tot tantaque testimonia præstant famam. Cæterum quis rubeum Ipsi pileum imposuerit: qua noua re nata profectionem susceperit Constantinopolim, nihil Intereft nostræ historiæ. At quo pectore honores gesserit: domum Dei administrarit: hæc Religiosis & sæcularibus exponenda sunt, ad imitandum. Omne studium, curas, vigilias, eo conuertit, vt dictis, scriptis, factis, viam ad Superos præiret. Constantinopolim proficiscentem, non ephebi, non doryphori, corporis custodes, medium accipientes stiparunt: nulli anteambulones, discussa minacibus oculis turba, viam aperiebant, cum huiusmodi fumos iam pridem facessere, & in malam crucem abire iussisset. Pro vana pompa humiles Monachos de suo Monasterio ducebat, quorum opera quouis casu vteretur. Is enim, cui cum Angelis familiaritas intercedebat, cœlum ita omne exueret? Humi se se negotiis terrenis obrutus defoderet? Monachos igitur sibi adesse volebat, quos tanquam portum habebat, vbi curas a Pontifice & Imperatore iniectas poneret: ad sidera denuo erectos vultus tolleret. Qui rem confecerit, paucis absoluo. Respondit expectationi Pontificis: à Tiberio multo honore, beneficiis quoque singularibus affectus est.

Constantinopolim profectus est comitantibus Monachis.

Non potuit D. Gregorius, negotiorum mole pressus, sibi excidere Constantinopoli, vbi in S. Leandrum, Hispalensem Archiepiscopum, incidit, cuius consuetudine familiarissime est vsus. Dixisses planissime verum esse, quod similis simili gaudeat, tam arcta mox ab illis inita amicitia fuit. Ambo nobiles, ambo docti, ambo de nostra familia Monachi erant: quodque rerum caput putes, ambo boni. Non est igitur cur mireris, breui inter eos amicitiam coaluisse, quæ postea in magnum Ecclesiæ commodum cessit. Huic enim animorum nexui debemus Moralia In Iob, quæ D. Gregorius S. Leandri rogatu Constantinopoli cœpit: Romæ perfecit: quibus tantum inest roboris ac sanguinis, vt neget S. Isidorus ea satis laudatum iri, quamuis omnia hominis membra verterentur in linguas. Cæterum magnus hic Doctor quamlibet personam bene agere callebat. Inter Monachos nemo ipso religiosior: si explicanda cum sæcularibus negotia, nemo suauior, nemo magis dexter. Quando in secretum cubiculum secedere licebat, Iobum & calamum fatigabat: totque rebus intricatus, non longo temporis interuallo ingenij promptitudine plus assequutus est, quam alius ne quidem longis annis fuisset promoturus. Præter hæc negotia facinus aliud præclarum narrauero, ab eodem editum. Compositi mores & rerum agendarum vsus Eutychium Patriarcham Constantinopolitanum fecerant; cœlo tamen irato in hæresin prolapsus est, quæ non paruum detrimentum rei Catholicæ attulit. Virum enim admiranda patrasse: propter Ecclesiam Romanam exiliis actum, & varie vexatum esse, pro comperto habebatur: hinc pronas concionanti aures dabant, in eius verba iurabant auditores. Errorum summam cape. Postquam omnes homines, dixit, fatali mors telo exceperit atque fuderit, omnes quidem resurgent, sed corpore vero, quod contrectes, destituti. D. Gregorius discruciabatur animi, turpem adeo errorem obijci Constantinopolitano populo, & à parte auctoris communem sanctitatis opinionem stare cum publico applausu. Multis igitur cum illo velitationibus initis, ex arena semper victor discessit.

Cum S. Leandro contraxit amicitiã.

Eius rogatu Moralia scripsit.

S. Isid. de illust. vir. c. 40.

Eutychiũ Patriarcham regressit.

Spicula plurima ex Iobo, quem tum sub manum habebat, veluti ex pharetra, promebat, quibus antagonista fixus, vltimo cecidit. Hoc cum Tiberius Constantinus Imperator intellexisset, hæretici libros in ius vocatos ac condemnatos, in rogum spargi iussit. Inde lethali morbo correptus Eutychius, pedem ab errore retulit. Nam manus suæ pellem primoribus digitis carpens, ac lacessens. *Confiteor*, dixit, *quod omnes in hac carne resurgemus*. D. Gregorius etsi ex bello, contra Eutychium præclare gesto, integer se retulerit, in morbum tamen incidit, quo cum aliquandiu victori cõflictandum fuit. Postquam conualuit, curiose circumspexit an quis esset, qui venenum ab Eutychio haustum, nondum remouisset. Vbi errore solutos omnes vidit, gladium condidit, ne cum mortuis vel vmbris pugnare videretur. Sub hæc literas à Pelagio accepit, questibus & lamentis plenas.

D. Greg. l. 14. Moral. c. 34.

Iohan. Diac. l. 1. c. 19.

Denique verum fateri cõpulit.

Quippe Autharis Longobardorum Rex grauissima obsidione premebat Romam, vnde miserabilis toti vrbi facies. Exarchus qui Italiæ præerat, viribus inferior, frustra

opem meditabatur, quam ferre nullam poterat: Ecclesia tam sæuas procellas horrescebat potius, quam propulsabat. In extrema cera Pontifex Maximianum presbyterum Monasterij S. Andreæ sibi cemitti petijt, quod eius opera indigeret. Scriptum: factum. Enimuero Imperatorem adduxit vt cum Exarcho (Smaragdo nomen erat) exercitum mitteret in Italiam, deinde annonam, qua maxime laborabatur, leuaret: denique Maximianum ad S. Andreæ Monachum fine mora Romam aduolare iussit, cuius prodigiosum iter alibi memorabimus.

Sacro fonti admonuit Mauritij Imp. filium.

Tiberio fatis sublato Mauritius gener successit, qui magno itidem fauore Gregorium est prosequutus. Nam susceptum è coniuge filium ab eo lustralibus vndis voluit admoueri. In more apud Pontifices positum erat, Imperatori recens ad fastigium eue&o, gratulari sceptrum, ac simul Ecclesiæ negotia apud eundem conficere. Pelagius legationis huius munus Laurentio, etiam Diacono Cardinali, imposuit; quo Constantinopolim delato, D. Gregorius brachio S. Andreæ Apostoli aliorumque sanctorum lipsanis onustus, viæ se commisit Porro cum Smaragdo Exarcho, nouo Italiæ gubernatore, Rauennam appulisse fertur publico omnium gaudio, quod firmissimas copias adduceret, in Lõgobardos iturus. Smaragdus suo ac Imperij nomine Præfectum misit Romam, qui eas administraret (Patritius appellabatur) quem Roma cum Gregorio sonantissimo plausu accepit. Atque hic in Monasterium suum sese recondens Gregorius, antiqua ieiunia, vigilias, orationes, sibi imperans, priuati Monachi officia fecit, ac si nunquam publicum munus gessisset, lætus soli iam pietati operari liceret. Multæ hoc epistolæ produnt, quas dedit postquam ad Pontificium solium est raptus, longas querelas iaciendo, cogi se formosam Rachel missam facere, eius loco deformem Liam domum ducere.

Roma repetita suum in Monasterium secessit.

Ecclesiã ferenti Pontifici succollauit.

Quamuis autem angulos & solitudinem amaret, nihilominus Pontifex quid eius ferre valerent humeri non ignarus, crebro negotia publica se subducenti imposuit: sæpe eius consilio vsus est: litteras suo nomine contra Schismaticos dare mandauit, quod etiam Baronius ad annum quingentesimum octogesimum sextum celtatum facit. Interea etiam Moralibus in Iobum manum supremam dedit.

CAPVT VII.

Andouera Regina, & Chindechinda regia filia, diem obeunt.

Eodem tempore quo S. Maurus mortem oppetiit, Andouera & Chindechinda religionem nostram in Mans professæ, fato violento sunt defunctæ. Cur Ordini nomina dederint: quam ob causam è medio sublatæ sint, ab ouo ex Aimonio Monacho cepetamus. Plures Chilpericus Rex fœminas sibi collocarat, quarum vni Gosuindæ nomen, quæ fuit Aranagildi Hispaniæ Regis filia Alteram Andoueram dicebant, etiam inde, vt fama est, oriundã. Insuper amicam in torum admittebat, nomine Fredegundam, quæ malis olim arribus Galliæ Regina facta est, malitia nulli fœminarum secunda, vt nescias lasciuior an crudelior fuerit.

Aimon. L. 3. c. 6 Hist. Franc.

Andouera Regis Chilperici coniux.

Gosuindæ Reginæ, nec non Clodouei, Merobei, & Theoberti (trium filiorum Andoueræ Reginæ) cædes, huic Medeæ in acceptis feruntur, cui parum erat exuisse regno Reginam, nisi etiam liberis matrem priuasset. Cæterum vt improbo suo voto potiretur, inaudita & noua fraude Andoueræ imposuit. Videlicet vterum hæc ferebac, cum Rex Chilpericus proficisceretur ad castra: dumque is bello implicitus hærebat foris, illa domi regiam sobolem edidit: appellari Chindechindam iussit. Interea incerta reditus mariti, statuit infantem lustralibus vndis expiandam offerre, adhibita in consilium Fredegunda, à quanam illustrium fœminarũ regia proles sacro fonti admouenda videretur. Si sapis, subiecit hæc arridẽs, ipsa piẽtissimo officio fungere. Par enim est, vt duplici nomine infantis sis mater Probauit consultũ è dolo consilium Andouera: salutaribus vndis perfunditur filia, corpusculum exhibente matre. Rebus compositis Rex reuertit, cui Fredegunda gaudio diffluens, Reginæ facinus multo risu interposito enarrauit ad vnguem, iactisque in simplicem iocis, etiam Regi deridendam propinauit, deinceps, dictitans, nefas futurum vt ei iungeretur. Nil stultius ab ipsa fieri potuisse. Rex somnia imprimis sibi censeri ratus, agitauit caput: animi vero paullatim pendens, coeunte in rugas fronte si sua coniunx, dixit, sciens prudens hac in re peccasset, se ipsam abdicaturum: indeque Fredegundam ductorum. Facinus Reginæ publica fama pridem iactatum, extemplo cognouit.

Fraudis fœmineæ specimen Fredegunda dedit.

Susp.ensus admiratione Andouerã huic se culpæ affinem fecisse, absque mora matrem

Chilpericus Andoueram abdicauit.

trem sua cum filia longum valere, & in quodam Parthenone vrbis Mans, habitum Monasticum induere iussit. Tamen hunc in modum proscriptarum nonnullam duxit rationem, certis reditibus sanguine regio dignis, quibus sustentarentur, assignatis. Sed non hic stetit Fredegundæ impotens sæuitia. Nam capax scelerum pectus recludens, insontes & candidas animas è medio sustulit. In censum Martyrum tã Matrem quã filiam Arnoldus Wion refert, persuasus à Belforesto: atqui non pœna sed causa Martyres facit, quæ cum hic desideretur, nos in Arnoldi opinionem discedere haud possumus. Item sanctas appellat: sed rectius Ecclesiæ calculum expectasset.

Fredegũda & matrem & filiam è medio sustulit.

Vvion. l. 4. c. 14. Belfor. l. 2. c. 22.

Annvs Christi 584. Annvs S. Benedicti 104.

CAPVT I.

Varia sors Hispaniam habet.

SVb annum quingentesimum octogesimum quartum Leouigildus regnabat in Hispania, qui si tam religione quam arte bellica præstitisset, magnos inter heroas omne punctum laturus fuisset. In sago debellauit hostes: in toga veteres Gothorum leges correxit: nouas sanxit: regno vtrobique consultum iuit: at egregia decora infidelitas extinxit. Connubio sibi Theodoram iunxit, Seueriani ducis seu capitanei de Cartagena filiam, SS. Leandri, Isidori, Fulgentij, Florentinæ sororem. Nam eruditam iuxtaque piam sobolem susceperat Seuerianus, singulari Numinis fauore beatus. Cæterum Leouigildus ex Theodora Hermenegildum & Recaredum tulit. Patri haud dissimiles fore, à principio creditum est: educti tamen inter Arianos, præeuntem illum imitati sunt. Quippeni traherentur exemplo parentis? Sed dum S. Leander remo nauiter incubuit, veram fidem ipsis instillando, in Ecclesiæ Catholicæ gremium vtrumque intulit. Leouigildus maiore nec non meliore Hispaniæ parte in potestatem redacta, in filios regnũ ac onus diuidere decreuit, ne post sua fata, vt fit, in discordias agerentur, aut conflarent bellum. Hac de causa vt Hermenegildo Ingunda, Sigeberti Galliæ Regis & Brunechildis filia collocaretur, effecit. Catholicam, tum etiam virtutum studiosissimam fuisse, constantia eius inexpugnabilis nec non patientia docuerunt. Nuptiis peractis socer & ter tanto peior socrus quasuis machinas intenderunt, quibus eam in hæresin Arianam pertraherent: ante omnes vero Gosuinda Leouigildi Regis vxor tertia, obluctanti negotium facessebat, continuo mala dicta ingerendo: aliquando ne manus quidem ab insonti abstinendo: sed aliter cecidit, Numine agente, quam sperauerant.

Leouigildus Rex Theodoram S. Leandri sororem ducit.

Ingunda in hæresin Arianam frustra impellitur.

Cum enim ipsa veræ religionis facem aliquamdiu Hermenegildo suo marito præluxisset, is hæresi abdicata, ad Catholicos deflexit, quo egregiam operam etiam S. Leander contulit, donec se Rex dedidit. Fulmen hoc nuncium Leouigildo fuit, nec potuit secum concoquere spretum Arium. Inde nata bella patrem inter ac filium, ciuilibus tristiora, Catholicis pro isto, hæreticis pro illo arma capientibus. Rex cum Ecclesiæ Romanæ signa sequentes summo ante id odio prosequutus esset, maiori iam igne succensus, in miseros desæuiit, viris optimis ac eruditione clarissimis vndique proscriptis, etiam S. Leandro Hispaniæ solum vertente, quem nobile stemma, deinde virtus ac eruditio, in Hispalensi Archiepiscopali sede collocarant. Litteras hausit in S. Benedicti Ordine, cui nomen dedisse Hispali ferũt: alij Legione aiunt, in S. Claudij Asceterio, loco à nostris Diuis celebri. Vbi vbi factum, vix operæ pretium est, anxie talia quærere. Pro certo constat doctrina præstitisse, vt frater quoque S. Isidorus magnis ipsum laudibus ornauerit, veluti multa eruditione, singulari scripturæ sacræ cognitione, suauissima eloquentia præditum: multorum librorum conditorem, quibus non secus quam telis impuros hæreticos obruerit.

Meritò persuadet vt fidem Catholicam amplectatur.

Hinc itũ in arma est, patre contra filium mouente bellum.

S. Leãder præstanti virtute ac eruditione:

S. Isid. de viris illust.

Insigne horum encomiorum specimen dedisse visus est, quando Hispaniæ persuasit, vt Ario nuncium mitteret, totoque regno facessere iuberet. Ille Hermenegildo animos aduersus patrem hæreticum fecit: ambiguum pectus excitauit firmauitque: vt summa vi rem Catholicam propugnandam susciperet, eidem auctor fuit. Nummos id temporis vidit Hermenegildus, quorum vna pars hoc ipsum eius nomen exhibebat: pars autem aduersa duo verba hæc: *Regem deuita*: quam epigraphen Ambrosius Morales à S. Leandro profectam esse putat. Sacrorum enim librorum peritissimo D. Pauli præceptum in mentem venerat: *Hæreticum hominem post vnam & secundam correctionem deuita.* Cum enim sæpenumero apud Regem verba perdidisset, visum fuit subditos hoc pacto recte monitum iri.

Arianam hæresin per Hispãniam extinxit.

Moral. l. 12. c. 63. Hist. Hispan.

ad Tit. 3.

Cum igitur Leouigildus hæreticos, ceu grandinem ventis glomeratam, cieret in

Catho-

Catholicos, S. Leander vero cum Hermenegildo Ecclesiæ Romanæ partes agere decreuisset, Constantinopolim iter intendit, supplicaturus Imperatori vt illi meliori quidem, at viribus longe inferiori, opem ferret. Hac occasione virum anno proxime superiori diuersantem Constantinopoli, & amicitiam cum Gregorio Magno ineuntem vidimus. Labore, opere, cura, studio S. Leandri adductum fuisse Imperatorem, vt copias auxiliares Hermenegildo mitteret, ex Gregorio Turonensi coniicias, qui suppetiarum ductorem Græcum triginta millibus nummûm à Leonigildo corruptum, vt ad ipsum deficeret, memoriæ prodidit. Ille agmine nouo auctus, Hispalim hoc anno obsidione cinxit: in vltimas angustias redegit: filium cepit: martyrio affecit.

Leonigildus Hermenegildum filiũ in potestatem redactum, interfecit.

Postquam hoc tempus ad illud comparauimus, quo S. Leander Constantinopoli egit, subducta diligenter ratione, Ambrosium Moralem, cætera virum doctum, Lectoribus saccum potius quam frumentum vendidisse animaduertimus, scriptitantem familiaritatem Gregorio Magno cum S. Leandro ad annum quingentesimũ quinquagesimum quartum initam, videlicet cũ quinto Concilio generali interessent. Atqui D. Gregorius multo post Diaconus Cardinalis fuit renunciatus: vterque vero Tiberio imperante suam obiuit legationem: deinde Concilium, cuius meminit, sub Vigilio & Iustiniano, triginta annis citius fuit celebratum; nec alius Pontifex D. Gregorium legatione adornata Constantinopolim misit quam Pelagius. Calculus proinde temporis rite positus, mox eam rebus lucem aspergit, qua vera qua falsa videas.

D. Greg. prol. in Iob.

Cæterum amicitia inter hos Sanctos Cõstantinopoli contracta, nunquam deinceps dissuta fuit, cuius vinculum vt Magnus Gregorius tanto arctius adduceret, Moralia in Iobum S. Leandro dedicatum iuit. Ex epistolis quoque ad eundem datis promptum est perspicere, quanta alteri cum altero intercesserit necessitudo. Insuper constanti maiorum relatione accepimus, statuam Diuæ Virginis, quæ Guadalupæ colitur in Hispania, munus ac pignus esse Gregorianæ amicitiæ. Mauris autem regno incumbentibus, à Christianis vna cum S. Fulgentij corpore in quandam specum abstrusam, vti solent ea quæ oculos ac manus suo pretio inuitant; vel saltem à possessoribus merito magni fiunt, quamuis iniquis æstimatoribus flocci futura. Porro inuentam crebris miraculis, totam Hispaniam in admirationem rapuisse. Atat, nolo

Imago D. Virginis Guadaluppana munus Gregorij M. censetur.

falcem nostram supponere aristis P. F. Iosephi de Siguenza; vel argumentum inuadere alienum.

F. Ioseph. de Siguenza hist. Ord. S. Hieron.

Quando S. Leander Constantinopolim iter suscepit, iustam Hermenegildi causam acturus, à Leonigildo pulsus regno creditur. Quippeni autem dicam iustam, quando D. Gregorius regno, rebus omnibus, denique securi in caput impacta etiam vita ob fidem Catholicam exutum affirmat? & Regem, & Martyrem appellat? Ergo iusta arma in patrem hæreticum tulit. Nam fides Catholica ante parentes, honorem, gloriam, vitam, habenda est. Nec mihi litem hic moueris Hermenegildum S. Gregorio Turonensi teste diuino iudicio in prœlio fuisse destitutum, eo quod bellum gereret contra patrem. Insuper malæ quoque notæ apud S. Isidorum fuisse, apud quem legas *Hermenegildum tyrannizantem.* Prior enim longissimo terrarum interuallo semotus, scripsit in Gallia, vbi arma à filio in patrem sumpta, obtundebant aures ac animos occupabant, causa belli non æque aperta, vel expressa. Posterior è sensu populi scripsit, cui signa inferre parenti rebellio videtur, nec non tyrannis. Nam aliter qui fieri potuisset, vt S. Leander Hermenegildi causam ita gnauiter foueret? Imperatorem supplex adiret? auxilia è Græcia cieret? pars belli magna ipse futurus? Cui cum accedat Gregorius Magnus, Hermenegildum Martyribus adscribens, nescio cur quisquam ei diem dicat, aut scribere dicam ausit.

Hermenegildus iustum bellum contra patrẽ gessit.

D. Greg. l. 3. Dial. c. 31.

S. Greg. Turon l. 6 c. 43. & l. 8. c. 18.

Isid. hist. Goth. in Hermenegild.

Quod victoris à patre Ariano steterit, Numinis arcanum fuit: vicit nihilominus Hermenegildus, dum Martyrij palmam adeptus est. Quid enimuero tibi vis? *Pater commotus pœnitentia*, inquit D. Gregorius, *perfidus & parricida hoc fecisse se doluit: nec tamen vsque ad obtinendam salutem peruenit. Nã quia vera esset Catholica fides, agnouit: sed gentis suæ timore perterritus ad hanc peruenire non meruit. Qui oborta ægritudine ad extrema perductus est, & Leandro Episcopo, quem prius vehementer afflixerat, Reccaredum Regem filium, quem in sua hæresi reliquerat, commendare curauit, vt in ipso quoque talia faceret, qualia & in fratre suis exhortationibus fecisset.* Sed ne te exercita à Leouigildo crudelitas prætereat, vt durus ac asper in Catholicos semper fuerit, immitem tamen animum sumpta à gnato arma, sociata S. Leandri opera, & aliquot procerum regni contracta manus, mire acuerunt. Enimuero non secus quam si rabie ageretur desæuiit: Mausonam Meridæ Archiepiscopum, vertere solum iussit, virum insontem & sanctitate clarum, qui in Monasterium se recondidit, donec pone-

D. Greg. l. 3. Dial. c. 31.

Leuigildi tyrannis.

rent

rent hi fluctus. Eandem sententiam in S. Fulgentium Ecijæ Episcopum S. Leandri fratrem tulit. Regno quoque Licinianus excessit, Carthagenæ Episcopus, eruditione clarissimus, S. Isidoro multum laudatus. Insuper furori inimico indulgens, etiam Iohannem, olim Abbatem Valclarensem dictum, fulmine suo perculit, summis Hispaniæ viris adnumerandum quos ea ætas tulit. Regis ad exemplum se componentes milites, acerbe Catholicos vexabant. Fuit vt exercitus per agrum Carthagenēsem iter faciens, inci leret in Monasterium S. Martino dicatum, Valentiam inter ac Carthagenam situm. Monachi, quos non fallebat imminens periculum, in vicinam insulam se subduxerant in tēpore. Gothi spe prædæ hiantes irrumpunt Monasterium: diripiunt, ferunt, trahunt, Abbatem solum annis admodū fessum deprehendunt, qui vel fugere nō potuit, vel cædi paratus pro fide, cæteros comitari noluit. Ergo acinacem dorit is, qui ferocitate alios antelbat, scintillantibus oculis suspeosaque fronte librabat in caput ictum, certo fissurus aut demessurus, nisi Numine intercedente subito exanimis cecidisset. Spectaculo præsentibus stetere comæ, & ne ipsi quoque pœnas darent, se se ocyus proripuerunt. Diuina vindicta ad Leouigildum relata tantum pondus habuit, vt non modo latitantes Monachos ex insula non excusserit, verumetiam rem surreptam Monasterio, reddi mandauerit.

S. Isid. de viris illust. c. 42.

Quidam Leouigildi miles casurus ad S. Martinum Abbatem, crudelis nimis cecidit.

Nihilominus Arium non vbique intromitti, grauiter tulit, quasi parum esset, solos Gothos tartaro hauriri. Quocirca animum ad Sueuos, à S. Martino Dumiensi errore liberatos, Ecclesiæ denuo subducendos, adiecit. Eo enim potentiæ prouectus erat, vt belli pacisque arbiter censeretur. Regi Miro Catholico Ebboricus filius ad gubernaculum successit, quod tamen ei dynasta quidam, præpollens inter Sueuos, ducta Miri vidua paullo post eripuit. Ne vero animo ac viribus collectis, sd sceptra regiam manum referre posset, in Monasterium intrusus est, deinceps Cœnobitā pro rege actures. Vnde nostri historici primum eum Regem in Ordine S. P. Benedicti salutant, qui Monachum in Hispania induerit: si tamen Monachus ad vnguem est, cui vis allata fuit, vt Monachus fieret. De Monasterio nil liquido constat, vbi locorum steterit. Forte Dumiense fuerit, quo id temporis nullum in Galicia & Portugallia celebrius. Hæc dum geruntur, Leouigildus siue à Sueuia Andecam regni inuasorem fastidiētibus accitus, siue natam sub manu occasionem potiundi regni haud omittendam ratus, ingentem exercitum duxit in Castiliam, cui cum nec Andeca, neque Sueui se se obijcerent, omnes in suam ditionem redegit: Andecæ autem talionem retulit, dum eum Monachum profiteri coegit. Rebus sic è sententia fluentibus, Arianum venenum spargere cœpit, nec defuere Sueui qui exciperent, quod tamen breue post tempus respuerunt. Cum enim sub annum quingentesimum octogesimum nonum Concilium Toleti ageretur, Recaredo seu Richardo clauum regni tenente, opera S. Leandri ad Catholicam fidem sunt reducti: Quidam S. Vincentium, Legione ad S. Claudij Abbatem, hoc tyranno coronam occupante martyrium subijsse ferunt. Nos quid sentiremus, ad annum quingentesimum quinquagesimum quartum exposuimus.

Ebboricus in Monasterium cōpactus.

Sueui ad Arium duce Leouigildo redierunt.

Annus Christi 586. Annus S. Benedicti 106.

CAPVT I.

Casinense Monasterium destruitur: Lateranense Romæ conditur.

Nova hic tristi clade monti Casino illata, insignis est. Eam euenturam S. P. N. Benedictus tanto ante vaticinatus fuerat, illachrymans exeidio, multaque palam questus, quod cœlum precibus fatigando ægre salutem incolis impetrarit. Magnum post mortem Patriarchæ sui Mōs Casinus incrementum sumpsit, verissima fama incolarum sanctitatem quocunque per Italiam ferente. Multi arctioris disciplinæ studio suis è Cœnobiis, in quibus instituta maiorum frigebant, volante pede aderant: plurimi mundo & diabolo medio digito ostenso, ad hanc felicē portam ruebāt. Altas quippe radices boni mores sub S. Benedicto egerant, vt etiam annis posterioribus hæserint, quæ res frequentes tyrones in Monasterium inuitauit. *Si rectoribus ciuitatum similes ciues sunt*, ex SS. Constantino, Simplicio, Vitale, Bonito, Casini Mōtis Abbatibus, diuinare licet, quanto in pretio virtus & S. Regula ibidem fuerint. Sed humana ita sunt comparata, vt in summum fastigium euecta, propendeant illico in casum. In culmen euaserat Mons iste sacer, cū subito casu ruens, in solum imum defluxit. Quo anno id acciderit pugnāt historici: nos Leonem Ostiēsem vetustis annalibus ac tabulis instructū sequimur, qui cladē hanc in Zotū Ducē, Beneuenti gubernatorē, reiicit.

D. Greg. l. 2. Dial. c. 17.

Mons Casinus augetur incolis.

Ecc. c. 10.

Diripitur & destruitur. Ostiens. l. 1 c. 2.

Nimirum Longobardos suos Reges (cuiusmodi Alboinus, qui hanc colluuiem in Italiam immisit, & Zefo eius successor fuere) pertæsos, trigiuta sex duces seu Capitaneos legisse, totidem Italiæ pestes, iam aute suggessimus. Quid mordes vnguem? dum vnus alium opibus, honore, viribus conuisus est antecedere, singuli cupidos oculos & vncas manus in prædam intenderunt, quasi crescere non possent, nisi miseris subditis iniquissime calcatis. Inter illos triginta duces, nonnulli Zotũ habẽt. Vero simillus est, sub Autare Rege tertio humi procubuisse hocce sacrarium, animaduertentibus barbaris, multos rerum præsides rem perdidisse decẽ anuorum spatio, ideoque veteri more sibi præfecisse regem. Ita Paulus Diaconus narrat, additque Zotum Beneuenti ducem ab Autare fuisse renunciatum, qui pessum dederit Casinum, id quod Ostiensis supra cẽsuit. His ac aliis argumentis inductus, diuellor à Baronio, qui Monasterium ad annum quingentesimum septuagesimum tertium prostratum fuisse conteudit.

Paulus Diac. l. 3. c. 17. & l. 4. c. 6.

Longobardis Casinum populantibus incolumes euadunt Monachi.

Igitur Longobardis duce Zoto intempesta nocte Casinum adortis, certum erat opimas prædas agere: cruentam Monachorum cædẽ edere: Monasterio ignẽ subijcere. Vbi rem omnem eruerunt, in ædes sacras iuxta & profanas grassati, nefanda incendia per tecta miscuerunt, parietibus igni afflictis vltro defluentibus. Sub aggestis in cumulum ruderibus cũ S. P. N. Benedicto Sorori eius Scholasticæ acquiescendum fuit. Thesauros dixisses, in agro absconditos, quos nou huius facimus, dũ non videmus. Monachi ceu oues lupis circumfusæ, postquam animaduerterũt iu quo loco res propediem futura esset, fugam circumspicientes, auspice Deo euaserunt. Cuius enim alterius auspicio vel ductu tot tela, tot aciuaces, tot vbique volitantes barbaros exire potuissent inermes? summa nocte occupati? præsidio quouis destituti? in Monte deprehensi? An nou prope supra miraculum habeas, iam non dicam quod Sanctissimus Patriarcha cladem hanc multo ante denunciarit, ac pro clientum suorum salute calidas preces fuderit, sed quod barbaris sanguinolentis proxime incumbentibus sacer cœtus incolumis elapsus sit, in quo multi viri ætate graues, ægre vestigia promouentes, multi quoque pueri numerabautur? Nam id temporis etiam septẽnes auctorari solebant Ordini. Adde quosdam prius, quã iu fugam se conijcerent, raptim conuasasse, S. Regulã manu gloriosi Patris nostri scriptam, & alia quæ visum est, collegisse; & cũ his sarcinis iu tergs reiectis, præter expectationem è procella emersisse. Me iudice in vno isto miraculo, profecto miraculorum cumulus est. Nihil magis fugientibus dolebat, quam prædonibus in templum iufusis, non posse Sanctissimi Patris eiusq; Sororis veneranda ossa humeris pie subiectis ocyus efferre.

Sed boni semper propitio vtuntur Deo, etiam dum incus diuinorum verberũ fiunt. Hoc certe exilium in magnum Ordinis cõmodum vertit. Etenim è Monte in vrbem deductos, Summis Pontificibus commendauit: in sinu Ecclesiæ educauit: aluit: Matris suæ honorem ac imperium quamprimũ Orbe toto propagaturos. Ergo pleriq; petiuere Romam: paucos tamen trepida fuga alio abstulit Bonitus Abbas contracta filiorum suorum manu, Pelagium, qui tum D. Petri nauim gubernabat, adijt: vnde & qua de causa pedem Romam tulissent, edocuit: opem, auxilium, supplex poposcit. Pontifex, vt par erat communem patrem, non modo perculsos erexit, verum etiam palatio suo dignatus est, bona parte extorribus assignata cum Lateranensi Ecclesia, vbi vitam Monasticam ad normam Casinensem instaurarunt, & vsque ad Gregorium II. perhæseruut. Quamuis autem diuina officia iu præcipuo, quod diximus, Lateranensi templo obirent, vbi id temporis Pontifices Maximi sacram Sedem fixeraut, nihilominus Monachi Casinenses, in Monasterio Lateranensi degentes, appellabantur. Oculi, pectora, animi, Casino & thesauro ibidem sub ruderibus abscondito auelli haud poteraut. In promptu antiquissima literarum monumenta sunt, quæ S. Bonitum eiusque Monachos vocant *Casinenses*. Quamobrem nos cum horum Abbatum syllabum conderemus, omnes absque discrimine Casinenses nuncupãuimus. Notauimus tamen, si suam præfecturam obierunt in Laterano. Sed quocunq; tandem nomine affeceris, id pro certo cõstat, S. Bonitum locum quintum impleuisse: destructo à Longobardis Monasterio, Romã suo cum cœtu concessisse: primum Lateranẽsis Cœuobij Antistitem fuisse: S. Valentinianum (à glorioso Patre nostro itidẽ eductum) fuisse secũdum, à quo Gregorius Magn. multa miracula se accepisse affirmat, per venerabilẽ virum Benedictum patrata. *Ego hic inter sacrũ & saxum stare mihi videor, nec quo me vertam, satis scio. Scipio Valentinianum omnium primum Lateranensis Monasterij claue ab ipso S. P. N. Benedicto admotum, contendit. Certe Gregorius Magnus Valentinianum D. Benedicti discipulum fuisse*, ac annis multis Lateraneusi Mouasterio præfuisse, *exertis verbis affirmat. Magni vi huic argumento est Si enim anno quingentesimo*

Monachi Casino exacti cõtendunt Romam:

Et in Laterano sugunt sedem.

Marcus Antonius Scipio. *Præfat. Lat. Dial.*

sime nonagesimo post Bonitum demum excepit fasces, vt est apud Tepesium, quid, amabo te, Diuum Gregorium, tertio anno ab inito Pontificatu primulum exacte Dialogorum Libros scribentem, subegisse dices, vt multis vt rum annis Lateranensi Monasterio præfuisse, memoriæ proderet? Accedit, autheres optima nota Casinum anno quingentesimo octogesimo nono inflammatum, excissum, & funestatum esse, non ex vano tradere. Quid? quod anno Mauritij Imper. decimo tertio, id est, à nato Christo quingentesimo nonagesimo octauo, Gregorius Pontifex ad Bonitum, adhuc superstitem, epistolam dederit, eumque Abbatem Casinensem appellârit? Ecce tibi epistola fragmentum: lege: Ascanius Tamburinus exhibet: Proinde iuxta vestram petitionem pro amore, quem in communi Patre & Magistro nostro Benedicto, & in discipulis eius, specialem & singularem gerimus, Monasterio Casinensi, quod nuper sub prædecessore nostro Pelagio à Longobardis incensum est, cui tu præesse dignosceris &c. *Sed manum de tabula tolle, ne dum dubijs, coniecturis, erroribus, claudo fenestram, pandam ianuam.*

Tambur. tom. 2. de Iure Abbat.

Duodecim omnino Abbates in censum veniunt, qui Lateranensi Asceterio præfuerunt. Locus quem Pelagius Pont. exulibus cessit, Romę celebris erat. Nam Basilica Lateranensis omnium totius orbis Ecclesiarum regina habetur. Laterani nomen à Principe Lateranorum gente traxit, cuius magnificæ ædes id spatij ante occupauerât. Deinde cum Constantinus Magnus eam condiderit, tum etiam locupletarit, subinde ab historicis *Ecclesia Constantiniana* appellatur. S. Saluatori per Syluestrum Papam initiata fuit, quæ nomenclatura aliquamdiu ei hæsit. Cum enim Saluator caput sit Ecclesiæ, idem nomen Principi omnium Ecclesiarum ponendum erat. Nescio tamē quo pacto vertentibus annis S. Iohannes titulum priorem aboleuerit. Quidam accidisse ferunt, quod SS. Iohannis Baptistæ ac Euangelistæ lipsana ibidem seruentur. Alij quod olim sacella vel oratoria duo, duobus illis Diuis sacra, Basilica maior complexa sit. Non nihili duco has rationes, quod coniecturæ plures iunctæ, vim sæpe magnam inferant, quæ solæ ne sentirentur quidem. Neque ego quemquam tam crasso sub aëre natū putem, qui ignoret nomina multis è causis nonnunquam proficisci. Nunc proferam quæ me sententia teneat. S. P. N. Benedictum prodromo Christi S. Iohanni Baptistæ toto pectore deditum fuisse, in comperto est. Nam amore ac studio Diui inductus, Monasterium quod in Monte Casino statuit, eidem dedicauit, sedulus vitæ imitator. In vestigia iuisse putem filios, nouoque suo Lateranensi Cœnobio idem S Iohannis nomen indidisse. Ita colonijs quoque prouinciarum vel vrbium appellationes imponi solent, vnde ductę sunt. Huc conferri queat id, quod de S. Gregorio III. narratur. Videlicet Monasterium S. Iohannis subito incendio correptum, deustumque, ab eo fuisse restauratum. Nam Monachi Casino, veteri sede, repetito, Monasterium sancti Iohannis Romanum destituerunt.

Ecclesia Lateranēsis reliquarum regina.

Dicta etiā fuit Constantiniana, & S. Saluatoris: denique S. Iohannis.

Vita Gregor. III.

Nec enim ipsis animus fuit, Romæ anchoram iacere nunquam reuellendam. Exulibus Casinum iugum perpetuo saliuam mouebat: desertus cum fratre communis Pater suspensa pectora trahebat: itemque Abbates sancti cæteri: nec eo pietatis officio perfungi licebat ardentibus, vt è ruderibus erutos, deportarent Romam. Hæc enim tanto a hospites dimissura nunquam fuisset. Spes vana diu lactabat abiturientes, sed bella quibus continuo flagrabat Italia, intercedebant: ducum vero quilibet magnum sibi momentū in Casino monte positum esse putabat. Id tamen operæ dederunt hærentes in Laterano exules, vt fere procumbentia humi tecta saltem pauci aliqui de suis, qua liceret, incolerent: ne si prorsus desererent, grandi piaculo se obstringerent. Quod passim scribunt aut dicunt, Montem Casinum centum triginta annis à Monachis non fuisse incultum, non ita accipiendum est, quasi nullus eorum, qui cędem euaserant, Casinum dilapsis barbaris reuersus sit, sed quod iustus numerus tanto temporis interuallo nō fuerit instauratus, Conuentu Romæ degente. More igitur faciunt, qui sic scribunt aut dicunt. Id Ostiensis non docet, qui Petronium Abbatem Casino Monti iterum excolendo animum adiecisse, & Conuentum ex illis quos in iugo repperisset, tum ex Lateranensibus redintegrasse, affirmat. Paulus Diaconus eodem digitum intendit, Petronium memorans diuino Numine incitatum, venisse Romam: inde Gregorio Pontifice Max. auctore, recta viam in Castrum Casinense legisse: cum Monachis ibi inuentis nouum Cœnobium constituisse. Hæc cum ita, oportet vetus Monasterium non omnino à Monachis fuisse destitutum. Quis enim credat, sanctam congregationem tantum flagitium designare potuisse, vt curam & amorem patris, paternæque domus, adeo omnem exueret: & cum lacturam fortunarum afflictarum pati non posset, Magistri

Mons Casinus nūquam fuit penitus à Monachis Lateranēsibus desertus.

Ostiens. l. 1. c. 4.

Paul. Diac. l. 6. c. 11

sui facere voluisse, rebus omnibus anteponendi.

Appendix Leonis Ostiensis epistolam exhibet, à Siculis ad Monachos Casinenses in Laterano degentes in huiusmodi verba datam: *Sanctæ Congregationi Casinensi, quæ est in Laterano, serui ac filij, qui sunt in Sicilia, salutem &c.* Postea Monachos Romanos de grandi strage à Saracenis Alexandria soluentibus, totamque insulam cum Monasterio sancti Placidi, cæsis incolis, fœde nimis vastantibus, faciunt certiores. Tum fraternam opem ad illata damna resarciendum exposcunt. Item sanctus Faustus eundem cœtum modo Casinensem, modo Lateranensem appellat, quasi nil interesset, vt pluribus ad confirmandum haud sit opus.

CAPVT II.

S. Antonius de Surrento, & S. Suranus.

Acti in fugam à Longobardis Monachi, Ordinem propagarunt.

VT incredibili damno Ordinem nostrum affecerint Italiæ populatores Longobardi, magna tamen, fauente Deo, commoda vicissim nobis inde esse nata, gratis animis confitendum est. Si vacuus es, Ecclesiæ principia mecum dispice. Sæuitum in fideles nomini IESV anctoratos Ierosolymis est, raptus ad lapides sanctus Stephanus. Eapropter multi diuersas in prouincias fuga delati, legem Euangelicam promulgarunt: fines Ecclesiæ protulerunt. Ita delapsi è Monte Casino Monachi, vt maiore ex parte Rumam contenderint, non pauci tamen alio flexere, vt fit cum salus pedibus quæritur. Sparsi ergo per prouincias Italiæ, virtutum præsentissimis exemplis oculos & animos in se conuerterunt: sancta Ordinis studia re quam oratione luculentius demonstrarunt: partaque hunc in modum beneuolentia, sanctum Benedictum suum Patrem Monasterijs auxerunt. E multis documentum hoc cape, quod Martyrologium Romanum dat *Apud Surrentum sancti Antonini* (quidam Antonium appellant) *Abbatis, qui ex Monasterio Casinensi, à Longobardis deuastato, in solitudinem eiusdem vrbis secedens ibidem sanctitate celebris, obdormiuit in Domino: cuius corpus multis quotidie miraculis, & præsertim in liberandis energumenis effulget.* Vitam eius compendio habes, quam ego quidem plenam diligentissime inquisiui, sed frustra fui. Hæc autem ætas tres Antonios nostri Ordinis Monachos tulit. Vnus, pars expeditionis fuit, à sancto Mauro in Gallias susceptæ: postea pestilenti lue Glanofolium miscente extinctus: quem Calixtus II. in Diuorum Album retulit. Alter S. Gregorij alumnus, Sanctorum vero Iohannis & Meruli socius, cuius largam alibi fecimus mentionem. Tertium, Abbatem de Surrento maiores dixere, qui à sancto Patre nostro Benedicto eductus, animam vique ad Longobardorum irruptionem produxit, à quibus Monachi incircumspecti callide excepti sunt. Tunc autem fugiendum fuit, qua maxime salus promittebatur. Iste Surrento vbi se admouit, vbi suarum partium esse ratus, varie vexare cœpit: contemplatione animum suspendere: psallendo tempus conterere: in fastigium sanctitatis euasit, multaque admiranda perpetrauit. Paulum Regium miraculis ab ipso olim factis integrum impleuisse librum, Baronius testis est. Neque hanc singularem Numinis gratiam præteritis sæculis exhaustam esse, verum etiamnum hodie vigere, præsertim cum energumeni opem exposcunt, affirmat idem Cardinalis. Ac nescio quo pacto Bonus Deus S. P. N. Benedictum eiusque discipulos potentia quadam, solito maiore, donauit, ad dæmones pellendos. Cum igitur copia Pauli Regij mihi negata sit, boni consules si vmbram duntaxat gestorum sancti Antonij, non autem colores tibi attuli. In historiam tamen sancti Francisci, à Patre F. Francisco Gonzaga, Ordinis Generali conditam, forte fortuna incidi, qui sanctum Antonium non ita procul Surrento specum subiuisse memorat, in qua vitam asperam duxerit. Imitatum deinde sanctum Benedictum, erecta ibidem Ecclesia, & D. Martino dedicata. Crediderim Cœnobium quoque ab eo adiunctum, vnde nomen Antonij Abbatis de Surrento traxerit. Vt vt sit, ciuibus tantum sui desiderium reliquit, vt vibis capita in medio vineæ, ab illo cultæ, locum Monasterio Virginum ædificando ceperint, quæ postea Turcis eam oram infestantibus, periculorum declinandorum ergo intra mœnia se receperunt: at Monasterium familiæ sancti Francisci cessit, vt non suo tantum Antonio de Padua, sed etiam nostro de Surrento nobilis esset. Primo Patres Conuentuales possederunt, quibus successerunt quos de Obseruantia nominant, vti multo etiam plura liberalitati nostri Ordinis in acceptis ferunt. Sunt qui sancto viro ad sexcentesimum vicesimum quintum annum ætatem prorogent, in quorum tamen opinionem discedere non possumus, cum is à S. Bene-

Martyrol. 14. Febr.

Vna ætas tres Antonios Monachos habuit.

Antonius de Sorrēto maximam sanctitatem cōsequutus est.

Martyrol. 14. Febr.

Francisc. Gonzaga hist. de S. Frācisc.

Monasterium S. Antonij Surrentanii Franciscanis cessit.

dicto fuerit enutritos. Etsi enim sibi sumant, sexennes ac septennes pueros à nostro Patre admissos, ferre nihilominus tam multos annos haud quiuit. Nos ipsum in præsentem redegimus, quo labente è Casino diffugit. Quando vero mortem obiuerit, incerti sumus.

Quamuis autem incumbentibus Longobardis Monachi plurimi rem suam agentes, hostibus sese eripuerint, & Casinenses hac vice omnes euaserint, secundum Patris nostri oraculum, alias tamen quidam intercepti, ac Martyrio interfecti sunt. Rem D. Gregorius consultius narrauerit. *Vita venerabilis Valentius*, inquit, *qui post in hac Romana vrbe mihi in eo quoque Monasterio (S. Andreæ) præfuit, prius in Valeria prouincia suum Monasterium rexit. In quo dum Longobardi sauientes venissent, sicut eius narratione didici, duos eius Monachos in ramis vnius arboris suspenderunt, qui suspensi eodem die defuncti sunt. Facto autem vespere, vterumq; spiritus clare illic apertisq; vocibus psallere cœperunt, ita vt ipsi quoque, qui eos occiderant, cum voces psallentium audirent, nimium mirati terrerentur: quas videlicet voces captiui quoque, qui illic aderant, audierunt, atque psalmodiæ eorum postmodum testes extiterunt. Sed has voces spirituum Omnipotens Deus idcirco pertingere voluit ad aures corporum, vt viuentes in carne discerent, quia si Deo seruire studeant, post carnis mortem verius viuant.*

S. Gregor. l. 4. dial. c. 21. & 22.

Monachi à Longobardis suspensi psallunt.

Cap. 22.

Suranus Abbas à Longobardis cæsus.

Post hos Gregorius theatrum ad Suranum Abbatem spectandum aperiens, *Quibusdam religiosis quoque viris attestantibus*, ait, *adhuc in Monasterio positus agnoui, quod hoc Longobardorum tempore in hac prouincia, quæ Sura nominatur, quidam Monasterij Pater, vita venerabilis, Suranus nomine fuerit, qui captiuis aduenientibus, cuncta quæ in Monasterio videbatur habere, largitus est. Cumque in eleemosynis vestimenta sua, ac fratrum omnia & cellarium consumpsisset, quicquid in horto habere potuit, expendit. Expensis vero rebus omnibus, Longobardi ad eum subito venerunt, eumque tenuerunt, & aurum ab eo petere cœperunt: quibus cum ille diceret se omnino nihil habere, in vicino monte ab eis ductus est, in quo sylua immensa magnitudinis stabat. Ibi captiuus quidam fugiens in caua arbore latebat, vbi vnus ex Longobardis educto gladio prædictum venerabilem virum occidit: cuius corpore in terra cadente mons omnis protinus & sylua concussa est, ac si se ferre non posse pondus sanctitatis eius diceret terra, quæ tremuisset.*

Annvs Christi 587. Annvs S. Benedicti 107.

CAPVT I.

Abbatia & Ecclesia Patriarchalis ad D. Laurentij Romæ.

Monasterium S. Laurentij Romæ quondam ad Ord. S. Bened. pertinuit.

NVmerandum hoc Monasterium inter ea est, quæ certo fuere S. Benedicti. Hic idem Mausoleum & S. Laurentium, & protomartyrem S. Stephanum condit. Hoc vero tempore, quod euoluimus, rebus diuinis in S. Laurentij templo nostros Monachos fuisse operatos, D. Gregorius testatum facit, cuius epistolam ad Constantiam Imperatricem datam, tibi porrigo. *Sancta memoriæ decessor meus ad corpus S. Laurentij Martyris quædam meliorare desiderans, dum nescitur vbi venerabile corpus ipsius esset collocatum, & effoditur exquirēdo, subito sepulchrum ipsius ignoranter apertum est. Et ij qui præsentes erant atq; laborabant Monachi, & mansionarij qui corpus eiusdem Martyris viderunt (quod quidem minime tangere præsumpserunt) omnes intra decem dies defuncti sunt, ita vt nullus vitæ superesse potuisset, qui sanctū & iustum corpus illius viderat.* Quis autem est qui nesciat, Pelagio Ecclesiam administrante, Monachos extitisse? Cum igitur historici memoriæ ac litteris prodiderint, eam Basilicā in potestatem olim Monachorum Ordinis S. Benedicti concessisse, Abbatem ei ac Monachos præfuisse, vero simillimum est id factum viuente Pelagio ac fauente. Quo enim loco nostri apud hunc Pontificem fuerint, vel inde intelligas, quod è Casino Monte ad se confugientibus, instar amantissimi patris sinum obtulerit: eum ijsdem suum palatium diuiserit: ipsis Ecclesiam extruxerit: pro Monasterij patrono se gesserit: vt mihi prorsus persuadeam, in nouum hoc ædificium coloniam ex Laterano ab eo ductam.

D. Gregor. in Reg. l. 3. ep. 30.

Basilicam S. Laurentij Constantinus ædificauit; Pelagius instaurauit; Damasus calamo depinxit.

Cæterum vt multi cōditorem templi Pelagium faciant, labuntur tamen, cum illud tantum instaurauerit. Nam à fundamento Constantinus M. (quemadmodum vastam s. Petri, ac minorem s. Pauli molem) primus eduxit, magnisq; opibus collocatis, orbi venerandum iuxtaque admirandum reddidit. Damasus quoad calamo fieri potest, oculis id subijcit, nec nisi obstupescentē Lectorem dimittit. Sacellum quod S. Martyri pro Mausoleo erat, columnis de marmore porphyretico factis, attollebatur. Tholū, supra quā tu credas, sumptuose integebat argentum. Obiectum adeuntibus clathrum,

ferentissime tabernmeque puro solido argento conflatum, suo pondere ac pretio propemodum historiæ fidem adimit. Suspensa in aditu pendebat viginti librarum aurea lampas, decem in ramos ac lucernas distincta. Erat etiam spectaculo prodigiosa corona, delphinis mutuo nexu spectantium oculis belle blandientibus, argento facta. Omne denique supplicium, quo sanctus Laurentius excruciatus fuit, in eodem metallo summa ars expressit, vt nihil ad incredibilem sacelli maiestatem deesset. Hærerent calamus & lingua, si possessiones ac fortunæ cæteræ, quas Constantinus Magnus adiecit, enumerandæ forent. Pulcherrimam molem via Tiburtina excepetat: quæ feruentibus bellis solo æquata est, quod extra mœnia hostium insano furori prostaret. Eam Pelagius qua potuit posteris restituit. Itaque hodie summum laqueare tribus fornicibus explicatur, & distinguitur. A læua qua portæ inuitant ingressuros, S. Cyriacæ cœmeterium iacet, vbi sancti Laurentij corpus olim condiderunt. Sub ara maxima sacellum patet (veteres Confessionem dixere) vbi celebriora Sanctorum lipsana veneranoni exponebantur. Debebatur hic locus longe illustrissimis in Ecclesia Dei Martyribus, Stephano ac Laurenno, quem proinde etiam acceperunt. Ab isto nomen ei positum fuit, quod non alteri fundator dedicauerit: deinde quod sanctus Laurentius singulari quadam humanitate ac vrbanitate in sepulchro visus, altius in Romanorum pectora descenderit. Rem vt accepimus, volupe est hic enarrare.

Idea noui templi S. Laurētij.

SS. Stephanus & Laurēnus pro Mausoleo sacellū habent, aræ max. subiectum.

Eudoxia Theodosij II. Imperatoris coniunx, Dominici sepulchri visendi studio peregrinationem Ierosolymam vsque suscepit. Dum sacra obiuit loca, in protomartyrem Stephanum incidit. Illa istum præteriret? occasionem, thesaurum, id est, sanctum Stephanum, è manu amitteret? nulla diligentia, nullæ preces, id efficere potuissent. Ergo aperitur tumulus: & solum eum Imperatrice vertit. s. Stephanus: Romam vsque pertendit. Facile vrbi in mentem venit, non alibi quam apud sanctum Laurentium hospitio accipiendum. Quocirca propere eius recludunt sarcophagum: peregrinum de Palæstina hominem admouent: quid fieri vellent, nutu & obsequiosis manibus indicant. Miraculum, Superi! Vt primū Hispanus noster D. Laurentius sanctum Stephanum adesse, tum quoque apud se hospitari velle sensit, absque mora ad latus diuertens, locum suum ipsi cessit.

Laurētius S. Stephano locum suo in sepulchro cessit.

Post Pelagium Basilicæ huic bene fecere Gregorius II. qui sub annum septingentesimum vicesimum, tectum & afflictos parietes redintegrauit. Postea Honorius III. qui senium ei vndique detraxit, ibidemque Petrum vna cum Iole coniuge, impositis coronis ad Imperium Orientis auctorauit. Iam indulgentias & priuilegia concessa sacro loco ad vnguem dinumerare, longa mora foret.

Anastas. Biblioth. in Greg. II.

Cæteris ornamentis Ecclesiæ sancti Laurentij accedit, quod inter Patriarchales locum habeat, vnde noster quoque Ordo colorem inuidendum trahere posse videtur. Magna vero Patriarchis in orbe Christiano dignitas est, qua Episcopos, Archiepiscopos, Primatesque antecedunt. Vt enim vnus Archiepiscopus multis Episcopis, ita vnus Patriarcha multis Archiepiscopis præest. Priscis temporibus præter sedem Romanam vna Constantinopoli, altera Alexandriæ, tertia Antiochiæ, quarta Ierosolymis posita, Orbi venerabiles fuere. In sacris Comitijs locum primum capiebant Patriarchæ, quibus maiestatem non parum auxit Roma, Ecclesias quatuor, nimirum s. Petri, s. Pauli, s. Mariæ Maioris, sancti Laurentij, designando, vbi diuerterent si quando in vrbem ad Concilia celebranda confluxissent. Qua de causa Basilica Lateranensis ad s. Iohannem, id temporis Pontificis Max. sedes: illæ vero quatuor, Patriarchales dici consueuerant, cæterisque multum antecellebant. Lateranensis supra alias tollebatur, cui septem Episcopi Cardinales additi. Patriarcha Constantinopolitanus, Orientalem Ecclesiam referens, ad D. Petrum in Vaticano sedem capiebat, cui sacræ ædi Archipresbyter & Presbyter Cardinalis præerant: septem præterea alijs Cardinalibus ministerio Patriarchæ addictis. Alexandrinus Occidentem exhibens, ad S. Paulum diuertere solebat, Ordinis S. Benedicti Monasterium. Sacris operanti septem Presbyteri Cardinales, varia officia obeuntes, aderant. Antiocheno frigidus Septentrio incumbebat. Ecclesiam vero S. Mariæ Maioris occupabat, quam aliquis Archipresbyter Cardinalis cum suis Canonicis curabat, ministerio Patriarchæ septem Cardinalibus assignatis. Meridies denique à Ierosolymitano pendebat, cui hospitium Monasterium sancti Laurentij erat, Ordinis tum quidem nostri, hodie autem Canonicorum Regularium Congregationis sancti Saluatoris.

Ecclesia s. Laurētij inter Patriarchales numeratur.

Sedes Patriarchæ Ierosolymitani in S. Laurētij Monasterio posita fuit.

Mille amplius annos Ordo S. Benedicti ibidē emensus est: sæculum præteritum, nescio quo fato, veteres colonos dimisit. Anno mil-

no millesimo quingentesimo decimo tertio, Leone X. Pontificatum gerente, *Metropolis omnium Ecclesiarum*, dignus luce liber, typis descriptus prodijt, qui dū Patriarchales Ecclesias numerat, *Item Ecclesia*, inquit, *seu Monasterium S. Laurentij extra muros, quod habet Abbatem Ordinis S. Benedicti*. Igitur ligna in sylua quærit, qui quærit quorsum locus paucos ante annos spectauerit. Huic Patriarchæ septem Cardinales suis cū Ecclesijs assistere solebant. Ex fonte bibet, qui Onuphrium Panuinum de Septem Ecclesijs Romæ ictis legerit. Nobis consilium fuit ostendere, duas è quinque præcipuis, ad Monachos S. Benedicti pertinuisse: deinde S. Iohannem Lateranensem nos quoque diu pientissimo sinu fouisse. Quinimmo etiam D. Petri & S. Mariæ Maioris Ecclesijs Patriarchalibus, quamuis à Cardinalibus & Canonicis penderent, adiuncta tamen erant S. Benedicti Monasteria, nostrique Monachi diuina officia obibant in choro.

Monasterium S. Laurentij multo tempore, more aliorum nostri Ordinis, liberum fuit, Abbate factorum præside, ac Prioratus annexos gubernante, donec Congregationi Cluniacensi (cui iam partum per Orbem sanctitatis nomē erat) ad Summorum Pontificum imperium accessit. Deinceps autem Monachi Cluniacenses ad Monasterij huius clauum admouebantur, quos inter locū Paschali II. concedunt, qui posito Canonicorum Regularium habitu, Cluniaci nostrū induit. Hic omnium oculi in tyronem tantum conuertit: moribus imminere: dicta, facta, captare: at statim animaduersum est, quo aliquando esset euasurus. Videlicet in magnum virum. Quando ita tempus tulit, missus Romam fuit, vt Antistitis munere in S. Laurentij Cœnobio fungeretur. Dum hic omnes neruos in virtutem intendit, aduertit Roma virum in magnam sortem esse natum, atque vt ei viam ad summa aperiret, primo Cardinalem fecit: postremo Summum Pontificem. Sed cum tota se Europa Cluniacensis Congregatio diffudisset, Monasteria remotiora, vinculo quasi sponte soluto, colla subduxerunt: ad veterem libertatem reuerterunt. Exemplorum fere plena Hispania est; atque vtinam Monasterium S. Laurentij exemplum esse noluisset. Auulsum enim à Congregationis corpore, sine viribus stetit: in auidas manus Abbatum Commendatariorum incidit: donec centum abhinc annis in Ordinem Canonicorum Regularium S. Augustini redactum est.

Paschali II. ad S. Laurentij Abbatis munus [illegible] est.

Postquam Monasterium S. Laurentij Congregationi Cluniacensi se subduxit, Ordini subductum fuit.

***

CAPVT II.

S. Saluius Episcopus Albigensis.

Hoc anno ad Superos in Gallia Saluius excessit, qui adeo paucis sanctitate concessit, vt ea quæ gessit fidem propemodum superare videantur. At fide dignus est S. Gregorius Turonensis, qui res eius composuit. Adolescens ingenuas artes didicit, quibus imbutus, animum ad ius ciuile adiecit: causas egit, sed imprimis suam, cauendo ne integritas, ne innocentia sua corrumperetur. At cito mundum fastidiens, nec longius sui iuris esse cupiens, ad Monasterium properat: non surdas aures pulsat: fine mora in tyrocinium admittitur. Hic multis annis adeo bonum Monachum egit, vt Abbati demortuo in munus successerit. A contemplatione, id est à cœlo auelli, & ad negotia terrena deduci, viris sanctis supplicium non vltimum censetur. Saluius, vt ne varia in opera diuisus dilapidaretur, quæ multo tempore collegisset, hunc in modum sibi consultum iuit. Quodam in recessu cellam sibi constituit, veluti negotiorum portum, quo se reciperet quandocunque vacaret. Bene res sub manum successit. Hic enim deposita terra, hærere cœlo: hic humanum fastigium excedere: hic iterum dulce mel stipare sedulæ api licebat, & aspersos à sæcularibus negotijs pulueres detergere.

S. Gregor. Turō. l. 7. c. 1. & l. 5. c. 50. hist. Franc.

Saluius Abbas à negotijs in cellam crebro se transfert.

Incredibile dictu est, quantas in hac cella pœnas à corpore, nullius criminis conscio, sumpserit! Tandem hosce sæcularium curarum fluctus exire statuens, munus cum onere posuit: exigua cella clusus reliquum vitæ traduxit. Nihil iam magis ipsi cordi erat, quam à Numine diuino gratiam varijs vijs inire, vnde exangue corpus adeo inedia, vigilijs, continuatis precibus, modisque alijs quos excogitauerat, vexabat, vt pene animam exuerit. Namque ardentissima febris frustra obnitentem affixit lecto, & paullatim membra depascens, virum vltimo fato admouit. Adeo enim arctè spiritus meabat, vt mater eius ac Monachi circū lectum fusi, pollicem tollerent: Saluium vixisse, conclamarent. Dum omnia obsequia, quæ visum est, certatim obeunt, ecce tibi cella subito motu contremiscere, cœlestique lumine compleri. Tunc ægrotus palpebris diductis oculos cœlo intendit: benigno Numini ob multa gratias egit: beatam animam efflauit, toto cœtu lacrymis pluente. Inde cadauer lectulo eximunt: æquam illius more lauant: in cu-

Ægrotat.

Moritur.

cullum inuoluunt: feretro imponunt: noctem peruigilem psallendo conterunt, prima luce terram terræ mandaturi. Albescente iam die cum operi imminerent, sua sponte feretrum quati cœpit, magnoq; spectantibus terrori esse. Sumpto post animo quis sarcophagum agitaret, remoto integumento explorant: ô Magne Deus! Hic Saluius ora bono colore pictus, luminibus palmisque sublatis (alto è somno excuti virum putasses) pauca hæc verba edere auditus est. Ah misericors Domine, quid hoc esse dicam! cur in hunc tenebrosum carcerem me restituisti? cur in vitam mortalem me remisisti? quanto melius mecum actum fuisset, si te in cœlo frui licuisset!

In vitam redit.

Attoniti insolenti tragœdia Monachi, in vestigio hæserunt elingues, donec gelido metu digesto, ad se paullatim redeuntes, vnde is adesset? quidne sibi vellet, anxie rogarunt. Saluius pisce magis mutus, è loculo se attollens, triduum absque cibo ac potu traduxit: quo elapso, cœtum coëgit: petito deinde à Sapientissimo mortalium sermonis argumento, *Vanitas vanitatum,* dixit, *& omnia vanitas.* Mox ore indignanti incredibilem earum rerum, quibus nos annis totis studemus, qualq; amantissime amplectimur, & pectori appressamus, vilitatem, vanitudinem, inanitatem, leuitatem, inconstantiam expoluit. Tum à fluxis bonis ad incredibilia Beatorum gaudia deflectens, immensas cœli opes ac fortunas, quæ Superis in manu essent, verbis extulit: postremo tamquam moli succumberet, vel arcana tanta reuelare nefas duceret, præter expectationem perorauit. Accensi & suspensi auditores, spe epilogi adhuc intenti ora tenebant, rari alium silentium, idque subitum; maiores montes parturire: sed cum obstinatum viderent, rogarunt, obsecrarunt, obtestati sunt, quam cœpisset telam, pertexeret. Vltimo victus precibus, hæc verba fecit, quæ rogando expresserant.

De mundi vanitate verba facit.

Eccl. 1.

Quarta fluit dies, quod cellam meam intermiscere sensistis: quod me animam agere, vestris oculis vsurpastis. Tum autem duo boni Genij cœlo delapsi, solutam corpore animam excipientes, super æthera euexerunt. Mihi ego quidem profecto relicta terra, quam pedibus terimus, supra nubes, lunam, stellas, solem euasisse sum visus. Ibi me scitote in penetrale ductũ (prob Cœlitum fidem, quale templum aut theatrum!) cui tanta lux infusa, in qua sol se ipse non agnosceret. Subiectum etiam pedibus solum argento puro auroque puro stratum erat. Nemo est qui multitudinem, illa per spatia splendide errantem, vel enumerare, vel satis explicare queat. Ibidem Angeli solium posuere, in quo contnendo oculi deficiebant. Iter facientem Sacerdotes, Martyres, Confessores, Virgines, vario cultu nitentes, obuiam effusi lætis vocibus appellarunt: salutarunt: ob partam mihi felicitatem gestientes. Itaq;, vt multa paucis componam, obuiam ferebantur omnis ordinis homines, quibus in terra cultum impertimus. Ambrosium odorem, qui late voluebatur, felix Arabia balsamum, ac thura spirans, longe sequitur. Illum ego dum anhelus hausi, tamen expuli, sitim exunxi: penitus aboleui. Quanto vero hic gaudio fuerim perfusus (non vestræ farinæ gaudio) quæ tandem lingua digne expediuerit? Eo vero dum nataui, hæc vox edita est: *Saluius in vitam mortalem redeat, vt Ecclesia mea laboranti operam nauet.* Audiui vtiq; vocem, sed vnde accideret, non satis perspexi. Illico ingemui, suspiraui, questus misceui humi fusus, heu mihi Domine, eiulans, eheu me miserum! cur tam cito ab hoc nectare auellor, quod vixdum libaui? Præstitisset hæc gaudia mecum in sinum illapsa nunquam esse, quam post tantillam moram excuti. Atque vt verborum faciam compendium, à te, mi Domine, à te miserum me abigis. At ea imperio tuo, qua veni viam relegam. Supplico tibi tamen, vt olim in hunc locum me restituas: vel potius ne ad terrigenas, insidijs & periculis cœli amittendi expositos, facessere me iubeas. Ah, verba lamentabilia perdidi! Excederem palatio cum pace, respondit: me sibi curæ futurum, & toto nectaris huius fluuio, rebus confectis, potiturum. Inter hæc Angeli mihi manus inijcerunt: per portam, qua primulum ingressus eram, eduxerunt, nudum gloria, lætitia vacuum, ac lachrymis madidum; simulque se circumagens, nunc viuere me denuo videtis vitam, dixit, heu mortalem, tristem vitam! In saxa stetere Monachi, non hiscere ausi. Dum hæc & talia memorat, intumescit lingua: in vulnera fatiscit. Hic noua querelarum seges nascitur, pœnas expetere supremum Numen, quod eius iniussu cæli arcana palam fecisset. Insuper fragrantissimus odor, qui eousque locum, quo iacebat, & nares ipsius imbuerat, in grauissimos dolores desijt.

Cœlitum gaudia explicat.

S. Gregorius, veritus sua relatio vt in dubium vocaretur, quod Romana primus in historia Sallustius hocce oraculum prodiderit: *Quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit. Supra ea veluti ficta pro falsis ducit.* Nę igitur grauiore censura premeretur, in hæc verba iusiurandum concepit:

Salust. de virtut. & laud. Bonor. Noua & inaudita historia.

Turonēſis fidem iureiurādo facit.

cepit: *Iuro, & Deum omnipotentem pro teſte pono, quod omnia hæc, quæ retuli, ex ipſius Sancti ore ipſe audiuerim.* Hiſce caualibus puta, liquida veritas producitur. Prodigium eſſe nouum, inauditum, difficile creditu, ſponte confitemur: at quis viro ſancto mendacium impingat? quis figulum fabularum putet? quis nullum iuramento grauiſſimo pondus ineſſe, ſibi perſuadeat? An non fide digni ſint Sancti, quamuis iniurati? Quin potius laudetur Deus, quod tantam Eccleſiæ curam gerat, vt Beatos Cœlicolas, quos iam in ſinu habet, noſtra cauſa in exilium releget.

Ergo redux hic Cœli candidatus Saluius, viſo iam nonnihil laborum ſuſceptorū præmio, viribus multo maioribus in omnem virtutem incubuit. E cœtu in ſecretam cellam parum remotam iterum ſe ſubduxit, vbi lachrymis ebullientibus nuperam felicitatem, ita breui perditā, deplorabat: quandoque animo erecto, ſpe veteris fortunæ adipiſcendæ, in teneriſſima gaudia erumpebat, immenſa præmia, quibus Deus ſuos ſeruos afficeret, iucunda memoria repetens. Interea caſus tam inauditus omnes per rimas in vulgus effluxit, donec nemo eſſet, cui non conſtaret. Moritur Albigenſis Præſul: ſuffragijs à populo itur in Saluium: hoc ſolum iam in medium conſulitur, qua machina, qua vi è cella poſſit erui. Nec ſuperuacuus timor fuiſſet, niſi Saluius intellexiſſet, à rerum moderatore Deo ſe inuitari. Collocatus in ſede Epiſcopali, ita ſancte omnes officij ſui partes expleuit, vt nemo ambigeret cœlo delapſum eſſe. De ieiunio, cui in Monaſterio tam aſſueuerat, nihil hic remiſit. Opes in poſtremis poſuit: in pauperes, egenos, afflictos, præſertim captiuos, liberaliſſime effudit. Quot enim vinctos in libertatem ſua pecunia reſtituit! Decennio plenuſſime exacto, dira peſtis viduabat ciuitatem. Nec enim vnam duntaxat, aut alteram, vel tertiam inuaſerat domum, ſed aëre venenum per omnia fora ac ædes vulgante, immenſam ſtragem edebat. Hic vel maxime apparuit, cur cœlo demiſſus Saluius eſſet: nimirum vt tot iacentes ciues ad Superos promoueret. Vidiſſes ſolicitum vrbe tota volitare: veluti communem Patrem infamia peſte tecta ſubire: ægros ceu veros liberos proxime accedere: ſolari: expiare: quicquid opis in ipſo ſitum erat, promere.

Saluius renunciatur Albigenſis Epiſcopus.

Peſte laborantibus ſubuenit.

Porro S. Gregorius Turonenſis eum quoque ſacris Vatibus admiſcet. Fuit enim vt ſimul in Chilperici regia ſermones ſererent, cum is pectore in ſuſpiria & lachrymas ſoluto, videre ſe denudatum Numinis gladium, dixit, palatio ictum minitantem. Haud oculorum ludibrium fuit: nam intra viginti dies, duo Regis filij ſato cōceſſerunt, mœſtiſſima aula feralem faciem induente. Poſtquam ſat diu ad Superos, à quibus delapſus erat, adſpirauit Saluius (nam Deus omnis deſiderij votiq; Compendium erat:) de morte Cœlitus certior factus, veſtem ſibi funebrem circompoſuit: corpus abluit: feretrum expediuit: ad IV. Id. Septembris animam Creatori ſuo reddidit, illius conſpectu æternum fruiturus. Prius enim (quod S. Gregorius oblique notat) Deum clare haud vidit, multaſque gloriæ partes deſiderauit: immo confeſſus ipſe eſt, eius videndi facultatē ſibi non factam, à quo in mandatis accepiſſet, vt ad mortales rediret. Certe qui Deo iam perfecte fruuntur, nunquam miſſionem ab ipſo, nec ad momentum quidem, accipiunt. Ergo quædam beatitatis tantum particulæ in ſinum Saluij inciderant. D. Petrus cum duce Chriſto in montem Thabor euaſiſſet, inſolita metamorphoſi captus, ſedem ibi figere, commorari, votique huius damnari ardentiſſime cupiebat, etſi beatitudinis veræ punctum omne non tuliſſet. Ab hoc Saluium noſtrū æſtima. Nunc amabo te, ſi vmbra cœleſtis gloriæ tā animos tenet, quid lux ipſa faciet!

S. Gregor. Turon. l. 5. c. 50. Magnum malum inſtare Chilperico prædiat.

Saluius ſe ipſe propemodū ſepelit.

Martyrol. 10. Sept.

Matth. 17. Luc. 9. Marc. 9.

Annvs Christi 588. — Annvs S. Benedicti 108.

S. Sulpitius, Epiſcopus Bituricenſis.

SI animum & oculos ad Concilia adijcias, multam lucem in hiſtoria capies. Comperto enim tempore quo habita ſunt, de Epiſcopis qui nomina ſua ſubiecere, certus fies. Hoc anno Gunthramnus Rex Concilium cogi curauit Matiſconenſe, ad quod etiā S. Sulpitius, Pontifex Bituricenſis (magnū in Gallia nomen) ſe tulit. Sæpe autē me haud leuis admiratio inceſſit, qui fieri potuerit vt hiſtorici hominem cœlo terraq; notiſſimum, diuerſis temporibus producerent, Sulpitios confunderent: è tribus vnum conflarent. Sed age, prætereamus ambages. Vni cognomentum Seueri fuit, qui S. Martini vitam litteris mandauit: humanis vero exemptus eſt multo ante, quam S. Benedictus naſceretur. Alius Auſtregiſilo Archiepiſcopo ſub annum ſexcenteſimum triceſimum florenti, in munus ſucceſſit. Hic autem qui Concilio Matiſconenſi interfuit, ab illis duobus longe diuerſus eſt. Bituricenſis enim Archiepiſcopatus habenas ad annum quingenteſimum octogeſi-

Tres Sulpitios fama celebrat.

mum ſeptimum cepit: quingenteſimo nonageſimo quarto vitam cum morte commutauit. Eius vitam à coæuo quodã compoſitam, Surius refert.

Surius 17. Ian.

Sed operæ pretium fuerit, etiam Hugoni Menardi Religioſo Benedictino, Congregationis ſancti Mauri, ſententiæ dicendæ locum dare. *Iam pridem*, inquit, *à doctis obſeruatum eſt ex Gennadio Senerum Sulpitium qui multa ſcripſit de ſancto Martino, non fuiſſe Epiſcopum Bituricenſem. Reſtat vt duos alios Sulpitios diſtinguamus, quia à nonnullis confunduntur. Auctor igitur vitæ S. Sulpitij Pij Archiepiſcopi Bituricenſis, ſcripſit eundem Sulpitium Pium ſucceſſiſſe S. Auſtregiſilo in Archiepiſcopatũ Bituricenſem. Nam hic Sulpitius alius eſt ab illo Sulpitio ſucceſſore Remigij in Archiepiſcopatum Bituricenſem, & deceſſore Euſtatij: ipſe enim ſenior Sulpitius Archiepiſcopatu donatus eſt à Gunthramno Rege, cum eſſet Senator necdũ Clericus viuente adhuc Chilperico Rege, obijtque anno trigeſimo, Gunthramni, cum eſſet adhuc puer Clotharius ſecũdus ſub tutela matris Fredegundis. Hæc Diuus Gregorius Turonenſis lib. 6. & 10. hiſt. Francorum. At iunior Sulpitius longe antequã eſſet Epiſcopus, factus eſt Clericus: cumq; adhuc eſſet Archidiaconus prædictum Clotharium ex morbo laborantem ſeptem dierũ ieiunio ſanauit. vt refert Aymonius lib. 4. de geſtis Francorum cap. 16. Succeſſitq; S. Auſtregiſilo, vt recte eius acta teſtãtur apud Surium. Ipſe autem Auſtregiſilus fuit Archiepiſcopus Bituricenſis ſub Clothario ſecundo, vt recte eius acta teſtantur. Aymonius lib. 2. cap. 4. Sigebertus in Chron. ad annum 627. Florebant in Gallijs Auſtregiſilus & ſub eo Sulpitius. Nec argumentum Baronij valet, qui dicit ſub Clothario non fuiſſe Epiſcopos Bituricenſes Auſtregiſilum & Sulpitium prout concilia ſub ipſo celebrata teſtantur, quibus non ſubſcripſerunt Auſtregiſilus & Sulpitius: ſed Probatianus, Felix, Honoratus & Arcbadius. At iſta cõcilia præceſſerunt regnũ ipſius Clotharij ſecundi. Nam Concilium Aurelianenſe tertium, cui ſubſcribit Arcbadius Epiſcopus Bituricenſis, celebratum eſt anno vigeſimo ſexto Childeberti primi: Concilium Aruernenſe, cui ſubſcripſit Honoratus Epiſcopus Bituricenſis, habitum eſt ſub Theodeberto Clodouei primi nepote: Concilium Aurelianenſe ſecundum in quo adfuit idem Honoratus, coactum fuit, anno ſecundo & vigeſimo dicti Childeberti: Concilium Turonenſe, cui Felix Bituricenſis interfuit anno quarto Chariberti Regis celebratum eſt: Concilium Pariſienſe primum, cui ſubſcripſit Probianus, ſeu vt alij legunt, Probatianus Bituricenſis Epiſcopus, coijt circa tempora Chilperici Regis. Præterea Baronius ait Aymonium lib. 4. cap. 16. agere de morte Sulpitij, qui fuit ſucceſſor Remigij, ſed hoc minus vero conſentaneum. Nam eo loci agit de Clotharij II. obitu, & de eius curatione miraculoſa à Sulpitio ſucceſſore S. Auſtregiſili: huius Sulpitij vita extat apud Surium hac die: nã alter Sulpitius nunquã fuit Monachus. Quippe qui cum Epiſcopatu donatus eſt à Gunthramno Rege, erat Senator, & obijt Epiſcopus, vt conſtat ex locis citatis Gregorij Turonenſis. nec erratum, in vita Sulpitij apud Surium, vt quidam fruſtra oſtendere laborant. Nam illa vita intelligenda eſt de iuniore Sulpitio S. Auſtregiſili ſucceſſore: non vero de altero.* Ita Hugo cenſet. Porro Sulpitius noſter Pij cognomen ab operibus duxit: ſed rem ab ouo repetamus.

Sulpitius Pius à teneris ſtuduit pietati.

Sulpitius hic illuſtri ſanguine editus, in regia aula eductus, mores ad ſumma formauit. Teneris ab annis concepto diuino igne adeo Supremi Numinis amore exarſit, vt facile quoduis ſupplicium pro eo ſubiturus videretur. Miro Scripturæ ſacræ ſtudio tenebatur. Circumlatis deinde oculis, cum animaduerteret viam anguſtiorem ingrediendam eſſe, qua ad Deum greſſus tendere ac peruenire liceret, exultantem iuuentutem ſedula oratione & inedia cohibuit: tum vero in res fidei adeo feliciter incubuit, vt multi ad ipſum, non ſecus quam ad magiſtrum, confluerent, veraque religione inſtituerentur. Illibatam pudicitiam pro baſi iecerat, cui cæteras virtutes imponeret. Sæcularis adhuc, magnam ſtruendis Monaſterijs, templisque, vel nouis moliendis, vel collapſis inſtaurandis, operam nauabat. Pauperibus, captiuis, vtraque manu erogabat. Poſtquam ſecum ſtatuerat ſub ſuaue Chriſti iugum, abdicato mundo, ſemet mittere, ritus ac cæremonias, quibus diuina obiri conſueuerunt, ita ad vnguem perdidicit, vt alijs iam exemplum præire poſſet.

Noctu S. ædẽ terit.

Non procul paterna domo ædes ſtabat, Diuis quondam dicata, ſed pridem ab hoſtibus in ſolitudinem redacta. Cum igitur à nemine frequentaretur, ipſe ſumma nocte non raro è ſtrato corpus corripiens, pœnitentium cultu inducto, eo ſe contulit: inſomnes horas precibus & pijs meditationibus impendit; ſole autem reuertente, habitum denuo ſecularem ſumens, ſuſpenſo gradu ſe domum retulit. Hæc prima eius fuere rudimenta, quibus adeo cœlum demeruit, vt mundi adhuc alumnus, in fugam coniecerit dæmones: ægros donauerit ſalute.

Fit Clericus:

Cum iam mundum amplius ferre haud poſ-

ſet,

set, capillo eum amictu sæculari posito, sacris initiatus est. Addon translationem eius ad XV. Ianuarij referens, ante Abbatem fuisse, quam Episcopum, affirmat. Arnoldus Wion Monachum ad S. Niceriæ in Gallia, deinde Monachorum Antistitem facit. Atqui auctor, cuius nos ductum sequimur, Abbatis munere in Clotharij Regis exercitu functum ait. Quid tamen hisce sibi verbis vellet, non satis intelleximus, donec comparans etiam alijs quæ passim legimus, sic nucem fregisse visi sumus. Multi Galliæ Regum ita medullitus amabant Monachos, vt Monasterijs in vrbibus, agris, aut syluis conditis haud desiderio satisfacerent, ideoque in palatia etiam atque in ipsos exercitus vna cum Abbate acciterent, pro salute, pro victoria, pro pace consequenda æternum Numen propitiaturos. Causa altera erat, vt confitentes milites lustrarent: conciones habendo ad frugem reuocarent: vita abituris ad cœlum viam munirent: demortuis iusta persoluerent. Multis hoc exemplis confirmare promptum esset, nisi à nobis vbique breuitatis studiosis, plura præter vnum exigere haud deberes. *In tanto amore Eutychius apud Regem* (Ludouicum I.) *habitus*, inquit Vincentius Beluacensis, *vt intra palatium suum Monasterium ei construeret.* Eutychium singularis modestia viræque sanctitas famæ dedit, à posteris quoque celebratum: nec alio è fonte Cluniacum suas leges & disciplinam hausit, quam è Monasterio palatino, quod idem formauerat. Pij Ludouici pium affectum, & domesticum Monachorum Ascéterium, sanctus Antoninus ijsdem verbis, quod conjueuit, exprimit. Addamne etiam Gulielmum Tyrium, qui Godefridum Bullonium in Saracenos, Terram Sanctam insidentes, mouentem Monachorum quoque manum vna duxisse narrat, vt dies noctesque officia diuina rite obirent: cœlum precibus fatigarent: quibus Palæstina subacta, capiaq; regni sceptro, Monasterium in Valle Iosaphat excitauit. Ad hunc modum Clotharius Rex non vane sperans bellum sibi bene ac feliciter euenturum, si tales oratores adhiberet, sanctum Sulpitium aliosque Monachos accersiuit. Huiusmodi Abbates palatinos, olim aulicos dixere, quod ipsam regiam incolerent. Ita hodie Monasterium Discalceatorum Vallisoleti, S. Diegoni sacrum, non inepte aulicum dixeris, cum regio palatio non modo connexum, sed quasi impositum sit. Trithemius anteeuntes sequutus, vt mos fert, alium Sulpitium obtrusit, dum annum sexcentesimum quadragesimum ei assignauit. Aulicum tamen Abbatem nobiscum nominat. Nunc acta Præsulis euoluamus: veritas sponte se prodet.

Deinde monach.

Wion l. 3.

Reges Galliæ Monachorum operâ in castris vsi.

Beluacens. l. 4. c. 33. & 39.

S. Antonin. tit. 15. c. 16 § 1.

Guliel. Tyrius l. 9. c. 9.

Godefridus Bullonius Monachis S. Benedicti Asceterium in valle Iosaphat posuit.

Trithem. l. 3. c. 81. de vir. illust. & l. 4. c. 31

S. Sulpitius cum castris operam nauaret cum suis cœpisset, tridui annonam accepit, qua vitam toleraret: sed illa nimium quantum accidit, profuso videlicet in pauperes penu, seruatis tantum quæ vni diei sufficerent. Male discipulos habuit hæc Magistri liberalitas, vnde eum apud se neglecta œconomia agebant. Non fefellerunt aures Sancti intempestiua murmura; quocirca vt animos plus æquo deiectos oratione erigeret, *Filioli*, dixit, *oculos vestros ad Deum referte, eiusque regnum & iustitiam primum quærite, & omnia apponentur vobis.* In mentem vobis veniat Prophetæ pollicitatio: *Inquirentes Dominum non minuentur omni bono.* Ecce e! iacturam subito compensauit benignus Deus. Tanta enim rerum copia allata fuit, vt centuplum se recepisse, gloriarentur. Eruditione, morum innocentia, ingens Sulpitio existimatio in aula parta fuit, quam multo maxime id intendit, quod modo narrabimus.

Surius 17. Ian. S. Sulpitius vno absque fœnore penum in famelicos effudit.

Matth. 6.

Psal. 33.

In lethiferum morbū Gunthramnus Rex inciderat, vt auersi medici sublato pollice, actum esse, conclamarint, & abirent. Impatiens doloris Regina, cultum muliebrem infestis manibus inuadit: collo & vndique detrahit: indignanti animo spargit: vestes arte laboratas inanissima vindicta scindit: demum capillos quoque soluto vinculo diffundit, ac mœrore amens trahit, vellit, ob nullum scelus magnum supplicium à se sumens, ac veluti extincto næniam canens. Sic impotenter eiulando, toti aulæ lachrymas euocauit. Concurritur ad Sulpitium: rogatur vt lucernæ iam iam occidenti, oleum instillet, tam diu cœlum precibus obtundendo, donec Regi salutem extorqueat. Alta sanctus vir suspiria trahens, pollicetur omnem operam: nec mora, ieiunijs se conficit: insomnes noctis horas producit: perpetuis orationibus Numinis aures imbuit, sed adeo non flexit, vt quinque diebus hoc modo exactis, fato Rex propius fuerit admotus. Ergo familiares aulæ Sulpitium conueniunt, tandem desineret verberare aërem: aliquid cibi & potionis caperet: quippe iactam esse de Regis salute aleam. Immo excepit ille, potius in me grauius consulam, nec comedam, donec æternus Deus, cui seruio, voti compotem me faciat. Actum agis, subijciunt aulici, dum inedia medicinam mortuo facis. An non miser Rex iam animam agit? At ego, respondit Sulpitius, à ieiunio non latum vnguem discedam: elapso

Morti Gunthramnum Regem eripuit iam conclamatum.

vero

tam integre redire. Non potest satis narrari, quanta hinc lætitia affectus sit pius Pater. *Credimus adhuc superstitem esse*, inquit is, qui vitam sancti Sulpitij composuit: *nam multo postea tempore apud nos demoratus est.*

Lacum dæmonibus sacrũ expurgauit.

Item lacus multorum exitio infamis, ac nefanda gentilium religione dæmonibus sacer, Vitisionensium agrum tenebat, quo cum vir Dei se mouisset, accolæ supplices orarunt, fatale malum auerruncaret. Vel enim ea ab vnda abstinendum, vel pereundum erat. Ille chrisma, oleum, pauxillumque laticis afferri ac misceri iussit, quibus deinde bona verba dixit: discipulo in manus dedit vt exitiali lacui instillaret, simulque Elisæi verba adhiberet: *Sanaui aquas has, & non erit in eis vltra mors, neque sterilitas.*

4 Reg. 2.

Eodẽ lacu haustum in vitam reduxit.

Confestim Stygius hospes inde facessens, vndas præstitit immunes. Paullo post tamen homo rusticus puluer ibus obsitus nec non sudore fluens, lacum illum aliquamdiu innoxium magno suo malo subijt. Deorsum enim tractus à cacodæmone, & suffocatus est. Forte Archiepiscopus in vicina cœnatione cum Monachis cum cibum capiebat. Ægre fuit anui cuipiam, interitum viri trepide spectanti, quod opem ferre nullam posset. Sublata igitur manu, cum voce non valeret, Archiepiscopi ministris quid ageretur, & quid iam actum esset, e minus indicauit. Sed impotens doloris fæmina, sic signa confudit, vt quid sibi vellet, haud satis intelligeretur. Vnus ergo erumpens, præcipiti gradu ad eam se tulit, coram omnia rectius auditurus. Illa singultante anima ac fœmineo vlulatu, hominem rusticum vndis, heu longa fama damnatis vndis! (simul deuota notabat locum) sese credidisse, ac mulierum in modum occidisse, territatis verbis narrauit. Quo audito, Archiepiscopus suis præcepit, relictis rebus omnibus eo aduolarent, sociata opera cadauer expiscarentur, tractum in littus, ad horam vsque nonam asseruarent; nimirum vt post trium horarum spatium cunctis liquido constaret, reuera ebullijsse animam. Ipse remota mox mensa secessit: vota in cœlum emisit, quibus absolutis cadaueri signum crucis inscripsit. Superi! rusticus tendere membra: longam trahere oscitationem: caput circumferre: iussu Antistitis in pedes se erigere, & incolumis abire.

Cadentẽ arborem sola cruce in latus auertit.

Valetudinem secundam tueri, ac aduersam pellere, æquam laudem medico parit. Quocirca tam gloriæ vertendum S. Sulpitio, quod imminentem mortem à multis propulsauerit, quam quod aliquos fato iam extinctos in vitam reuocarit. Loco, cui Auarræ nomen, diffusis ramis procera stabat arbor, verticem superbum in cœlum tollens. Huic cum ex imperio Sancti cæderetur, incautus puer successit, aberrans ac nescio quid intempestiue condens. Tandem ictibus fatigata moles, se dedidit; magnoque gemitu incubuit in ruinam, oppressura puerum simulque sepultura. Aduertit ea res Antistitem, quocirca crucem aduersus ruentem subito produxit; arbor in nutum intenta, aliud in latus graue pondus librans, fata pueri declinauit.

Etiam incendium ducta cruce restinxit.

Prætermittimus hic, quod hyeme sequente foenum instruxerint ministri, quibus postmodum alia ad negotia dilapsis, paruæ scintillæ animose euolarint ì obuijs quibusque lignis ac tignis edacem ignem suggesserint, qui in tecta euadens, late incendia miscuerit: cruce tamen à Sulpitio ædium domino facta, inanes in fumos abierit. Nec illud afferimus, quendam furciferum illustris fæminæ horreo ignem subiecisse. Diffusa iam indomita flamma, citato gradu aduenisse virum Dei ì cæteris grassanti malo summis viribus obicem ponentibus, sed aquam cribro haurientibus hunc cum sacris canticis horreum circumambulasse: simul intento scipione incendio metam, vltra quam non ferretur, præscripsisse: (iam enim auidus Vulcanus vicinas ædes ore scintillante lambere cœperat:) sine mora ignem quasi receptui cecinisset Sanctus, ad se redijsse: sua sponte expirasse. Nec animus est, relatas à dæmone victorias: varios morbos lympha, qua ipse manus abluerat, abstersos memorare, ne modum excedere videamur,

Indomitis flammis metam baculo defignauit.

Quamuis autem monasticen professus haud fuisset, non tamen silentio inuoluisse mus virum, cum se Patrem communem Monachis & Clericis præbuerit: cuius Episcoparum verissimum exemplum Ecclesiæ dixisses primitiuæ. Sed æquum est vt narrandi locum ei cedamus, qui dicta factaque ipsius in acta retulit. *Construxit quoque vir sanctus*, inquit, *Ecclesias, Monasteria & cellas, innumerabiliumq; Clericorum & Monachorum Pater effectus est. Multi enim, imo quam plurimi, renunciantes rebus & facultatibus suis, eiusmodi se philosophia dedidere, vt omnibus suis in egenorum vsus distributis, cursuque huius vitæ procul abiectis, extra vrbẽ in hortulis, vel exiguis agellis degerent: vel etiam quod in Actibus Apostolorũ de illis annotatum est, qui primi ex Iudæis in Dominum* IESVM *crediderunt, possessionibus prædijsque distractis, pretia eorum ponerent ante pedes Apostolorum, vnde singulis diuidebantur*

Surius.

Actor. 4.

debatur, prout cuique opus erat. Atque ij omnes spiritualibus disciplinis plenissime instituebantur & studijs Christianæ philosophiæ, exemplo beati viri adeo erant dediti, vt nonnulli etiam post triduum demum cibum caperent, non tam escæ desiderio, quam vt naturæ necessitati satisfacerent. Ad tridui ieiunia quod attinet, in Quadragesima culta fuisse puiem. Exemplum præiuerat S.P.N. Benedictus: vestigia pressit sanctus Maurus, hancque stomachi coërcendi rationem transtulit in Galliam.

Multa erexit Monasteria.

Ceterum par est vt non tantum per transennam tot vtriusque sexus ac omnis fere ætatis homines aspicias, qui fortunas suas ad sancti Sulpitij pedes abiecerunt, quis ipse Monasterijs construendis impendit: comque nec vrbe neq; suburbijs caperentur monachi, mapalia, tuguria, attegias per hortos & agros excitauit. Sed cum longum æuum non parum detriuissent eius vites, vnam vero curarum partem sibi vindicarent pauperes: aliam sacræ infulæ munus: aliam tyronum, qui quotidie ad nostram Religionem traducebantur, instructio: atque aliam contemplandi studium: se soluit ac senem tot rebus ferendis non esse animaduertit. Ideo Wulfelentum, competentæ eruditionis ac prudentiæ virum, concionibus sacris præfecit: quo onere leuatus, mendicos & pauperes, quos semper amore magno complexus est, nec non Religionis nostræ candidatos, tanto diligentius ipse curauit.

Beato fine omnia sua coronauit opera.

Instabat iam suprema dies, ac nescio quo pacto exhaustum, immo prope emortuum corpus, ipsa abstinentia corroborabat. Plenus iam vitæ ac satur, & recte factorum cōscientia lætus, ad XVI. Cal. Febr. animam efflans, Cœlitum numerum ex Ecclesiæ calculo auxit. Perculsa hoc fato ciuitas, mœstos toto pectore ciuit gemitus, & profudit veras lachrymas, ignara ad quem patrem deinceps se verteret. *Mœnia, atria, platea omnes complentur*, inquit auctor vitæ eius, *adeo, vt nisi sanctissimi Pontificis preces intercessissent, pars maxima contrita pedibus spirituum fuerit exhalatura. Erat autem omnium planctus immensus, dolor intolerabilis, tamq; gementium tristis & lugubris vox, vt etiam saxea pectora in lachrymas soluerentur. Cumque esset omnium mæror inæstimabilis, Clerici præ nimijs singultibus hymnos canendos vix explere poterant. Vbi tamen corpus illatum sepulchro est, plebs vniuersa, non ferens optimi pastoris absentiam, humi prostrata vltra humanum modum mugitus edebat tristissimos, ita vt Ecclesiæ ministris copia non esset officij persoluendi. Lampas ad eius sepulchrum suspensa semel à ministris*

Ipsius ob mortem tota ciuitas fluit lachrymis

impleta fertur; adeo vero sancto deinceps liquore redundasse, vt iugiter se effunderet, eiusque vnctione plerosque varijs liberatos esse ægritudinibus. Vnde mirum non est, quod ante multos alios Sanctos colatur à Gallia.

Pietas vero, quam instillauit patriæ, altiores radices egerat, quam vt cum ipso simul extingui posset. Vita, quam is instituerat, cœnobitica seu communis multis post eum annis in Ecclesia Bituricensi, quam Monachi possidebant, durauit. Nimirum donec veteribus colonis migrantibus successere Canonici sæculares. Sacra tamen disciplina, cuius sementem vir Dei iecerat, adhuc in nobili Bituricensis vrbis Monasterio, cui ab ipso S. Sulpitij nomē positū est, viget floretq; , nihil cuiquam aliorū Monasteriorum Galliæ, aut valde parum concedens. Congregationi Cassalensi sancti Benedicti nomen dedit, quæ Abbatias triennio definit, ac etiam cætera Casinensi & Vallisoletanæ similis est. Neque cum vltimis se subiecit, sed cum primis facem tardioribus prætulit, quod egregium facinus crebro Raulinus laudat. Neque tantum S. Sulpitius & sanctus Amandus, quod à maioribus accepimus, locum illustrarunt, sed Reges etiam Franciæ priuilegijs & opimis possessionibus collatis, splendorem multum auxerunt. Olim soli Pontifici Max. parebat: nunc cum alijs primas partes in Congregatione obit. Nomen quoque, vt fama est, Cœnobio faciunt Eura fluuius, qui suas vndas liquido volumine præteruehit. Item turrita mœnia, magnifica ædificia, aggeres, amœni horti, viuaria. Itaque neutro pede claudicat.

Chopin. Monast. l. 1. tit. 3. n. 6

Raulin ep. 4. & seq.

ANNVS CHRISTI 589. ANNVS S. BENEDICTI 109.

CAPVT I.

Monasterium Cabilonense, Regis Gunthramni Mansoleum.

IN temporum ratione ineunda magnum momentum Concilia habere, non semel diximus. Hoc anno Valentiam coacti: Patres (Valentiam Galliæ) Cabilonensis Monasterij, quod Rex Gunthramnus condidit, meminerunt. Fuit is Clotharij soboles Fundatoris S. Medardi, qui multos liberos suscepit, nostrū in Ordinem admodum beneficos. Postquam pater fato concessit, diuisa hæreditate Burgundiæ regnum Gunthramno obtigit. Potitus sceptro nihil potius

Gunthrāmus S.Marcelli Monasteriū Cabilone extruit.

habuit, quam vt seruis Dei Monasterium, sibique Mausoleum conderet. Lustratis hic illic locis, tandem animū Cabiloni adiecit: vrbem magna libertate donauit: ædificiis ac publicis operibus ornauit; quæ inter Cœnobium D.Marcello sacrum, non parum eminuit. Vt vero prædia, possessiones, & quicquid liberali manu contulisset, apud posteros durarent, septendecim Episcopos contraxit, qui eas facultates sua auctoritate manuque Cœnobio affirmarent. Idem de bonis ab Austregilda Regina, nec non ab Clodoberga & Clodosilda, vtraque filia, & nostri Ordinis postea Monialibus, collatis factū. Iam enim multo ante mos obtinuerat, vt dona Regum & principum Episcopi confirmarent, Childebertum, Monasterij S.Germani Fundatorem, memoria repete. Ingentes opes Guntramnus in S. Marcelli Asceterium infuderat; veritus tamen ne quis olim rapaces manus inijceret, Episcopos io Concilium coire voluit, qui territicas sentētias, cen suras ac diras in eos ferrent qui vel Monachos vexarēt, vel dona sua Deo & seruis Dei dicata accidērēt, vel penitus, diriperent. Neque mirum est Regem Burgūdiæ (regni id temporis quam hodie multo amplioris et si Burgundiam vtramq; componas) Camhilonensi Monasterio non parca manu dedisse, quando ibi sepeliri, & psallentes inter Monachos iudicari absoluique summis votis expetiuit: tantæ nihilominus moli propria crumena suffectura haud fuisset, nisi diues rerum Deus de suo ærario impleſſet. Aimonius ac Addon, grauissimi historici, hunc in modum prodigium recensent. Fere principes omnes venatio iuuat, quæ voluptas etiam nostrū Gunthramnum in sylua m exciuit. Agendo feras premendoque fessus, sub arbore corpus deposuit. Somnos ioire suaderent obstrepentia folia, & non absque murmure prætersugiens riuulus. Quid fit? subsidens famulus caput domini excipit; hic lumina condit: dormit, quauis cura solutus. Superi bene vertant! Dum plenis follibus soporem spirat, hiante ex ore lacerta se proruit: ad riuulum præceps labitur: post sursum ac deorsum cursitat, quasi negotiorum explicandorum plena, traijcere cuperet. Famulus non de nihilo hæc fieri ratus, in vtramque aurem dormiens caput molliter humi reclinat: angusti alueoli ripas ense, tanquam ponte, iungit. Riuo lacerta superato, montem obiectum recta petens, in cauernam penetrauit, vbi per multum temporis nescio quid explorauit. Tandem qua iuerat vestigia relegens, in sparsa regis ora denuo illapsa est; neque famulus aurem hac gratia domino vellicauit, qui paullo post expergefactus somnia narrare cœpit, flexo in risum ore, quod tantas ipsi facetias obiecisset dulcis sopor. Propter riuuli huius ripam oberrans, inquit, forte fortuna pontem ferreum alueo impositum conspexi: quo emenso recta obuium ad montem ferebar. Cauæ patebant specus, quarum in ore haud diu hæsi, quod me non tantum non excludere velle, sed vltro inuitare viderentur. Ergo spe bona plenus, concessi intro, & hem! in tantum auri & argenti incidi, quantum verbis exprimere vix possum. Sæculis superioribus illatum putabam. Famulus suspensa aure lepidum hoc somnium imbibens, quid sibi apertis oculis visum esset, recensuit, pariterque Regi mentem iniecit, vt prodigiosum montem perscrutaretur, ligonibus viscera examinando. Contrahitur metallariorum manus: fodiunt, crebrisque ictibus instant: incredibilem auri & argenti vim eruunt. Hoc igitur ex ærario illi ita liberaliter Gunthramnum bene pauperibus & Monasteriis fecisse ferunt, quibus historici posteriores consentiunt. Insuper conflauit, vt aiunt, ex hoc thesauro Dominici sepulchri integumentum (auctores ciborium appellant) quod expensis deinde periculis, ac terræ marisque immenso interuallo, S.Marcelli Martyris Mausoleo imposuit. Nihil ea ætate pretiosius tota Gallia habebat.

Aimon. l. 3.c.3. Hist. Fran. Addon.

Sumptus pio Fundatori præstitit Deus.

Rex hic summæ veneratione Gallis fuit, quem Ecclesiæ fasti XXVIII. Martij die celebrant. Neque id tantum egit, vt Monasterium Cabilonense, suum olim sepulchrum futurum, opibus splenderet, sed de disciplina religiosa curam suscepit maiorem, quod inter Cœnobia Cabilonense agmen ducere cuperet. Agaunense ac Turonense diuina officia magna maiestate obire, compertum habebat: vt Cabilone idem fieret, in mandatis dedit, Monachis *Laude perenni* Deum prosequeretibus, ita vt dies noctesque sacris vocibus personaret Chorus, quod in Monasteriis copiosis iam in morem abiuerat. Vitam Gunthramnus cum sceptro posuit, postquam hoc triginta sex annos tenuit, sacris ossibus Cœnobio relictis. Regium sane munus; nec altero suum in Cabilonenses Monachos amorem præclarius testatum facere potuisset. Affirmat Gulielmus Paradinus illius caput argento inclusum sua ætate in S.Marcelli templo monstrari, & non secus quam cæterorum Cœlitum beata lipsana coli consueuisse.

Inter Cœlites ab Ecclesia habetur.

Aimon. l. 3.c.81.

Ossium suorum hæredes Cabilonenses Monachos instituit. Guliel. Paradin de antiquo statu Burgund.

Atqui anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo Caluinistæ (tartaro exorta monstra) Asceterium inuaserunt, eius opulentia in rabiem acti, profanasq; manus Regia Gunthrāni Mausoleo sunt admoliti. Sed neq; parietibus per eorundē furorē stare licuit, quod ita ferant Lutheri & Caluini rationes. Vrbs quoque ad dextram Araris ripam posita, incēdiis hausta fuit: quæ cum amplissima esset, plura S. Benedicti Monasteria complectebatur. Atqui vtinā rabies hæretica hoc solum vulnus Ordini inflixisset, sed insania perciti fatales arictes è styge productos infinitis Cœnobiis admouerunt: innumera loca sacra solo æquarunt. Habuit igitur Caballinum (vulgo Challon sur Saone) præter S. Marcelli Monasterium S. Cosmæ Prioratum, Cluniaco subiectum: item S. Crucis Prioratum à Matisconensi Cœnobio dependentē: aliumS. Mariæ dictū, S. Benigni Asceterio Diuioni præcipuo, subditum: atque alium, cui Monasterium in insula Barbara, quam Rhodanus prope Lugdunum facit, ius dicit. Nec est cur quisquā me interpellet, quinque vnius Ordinis Monasteria vna in vrbe numerantem. Non enim res Galliæ & Germaniæ ad Hispanicas hic comparare licet. Pauca Monasteria, eaque paupertate quam diuitiis notiora, videas in Hispania: opulentissima vero iuxtaque amplissima in Gallia & Germania.

Caluinistæ Gunthramni Regis sepulchrum violarunt.

CAPVT II.

Concilium Toletanum III. Ordini S. Benedicti consultum it.

Conciliū Toletanū III. sub annū 589. celebratū. *Baron. an. 591.*

Svb annum à partu salute quingentesimum octogesimum nonum Toleti in Hispania habitum Concilium est, quo Patrum numero, qua rerum emolumēto ac fructu omniū celeberrimum. Etsi Baronius anno alio coactum fuisse cōtendat, a nostra tamen parte stant communis opinio Ecclesiarum Hispaniæ: historici istius regni: libri Gothici antiquissimi. Nam hi ad eram sexcentesimam vicesimam septimam hoc Cōcilium reuocāt, quæ anno Dominico quingentesimo octogesimo nono ad vnguem respondet. Patres Recaredo quartum annum tenente regnum, se conuenisse testantur. Insuper Leouigildum ipsius genitorem præcipiti anno quingētesimo octogesimo quinto, vel ineunte quingentesimo octogesimo sexto viuere desiisse historici memorant. Baronius contra nos epistolā quandā S. Leandri producit, anno quingentesimo nonagesimo primo scriptā, quæ Recaredū recens conuersum significet. Quod si Concilium quo Gothi in Ecclesiæ Catholicæ sinum cōcesserunt, hoc anno fuisset celebratum, Recaredus recens conuersus dici haud potuisset. Atqui is non in Concilio, sed adita hæreditate ad nostram religionē gradum fecit, auctore ac duce S. Leandro. Deinde recens cōuersum appellare licuisset, quamuis Gothi aliquot annis ante ad Catholicos transissent, Concilio viam munientc. Sed quandocunque Recaredus errores deposuerit, vel sacra Comitia Toleti habita sint, pulcherrimum opus S. Leandro in acceptis referendum esse, nullus dubitat. Præterquam enim quod rem Catholicam defendendam sibi sumpserit, & Hermenegildum ad saniorem mentem reduxerit, Leouigildus fato vicinus filio in mādatis dedit, Leandri & Fulgentij cōsilia sequeretur, qui sociata opera tam Sueuorum quā Gothorum Episcopos Arianos, Regemque ipsum cum regno vniuerso in veram ad Superos viam restituerunt. At cum fides Catholica tanto annorum spatio ab Hispania exulasset, ita saltem vt ei in publicum prodire non liceret, è re Ecclesiæ futurum credidit S. Leander (qui alias regno succollabat) si Cōcilio nationali iuncto Episcopi Ariani hæresin publice abdicarent, nouisque legibus fidei integritas sanciretur. Conuenere igitur Archiepiscopus Toletanus, Meridanus, Hispalensis, Bragensis, Narbonensis, cum septuaginta admodum Episcopis, quāplurimis Abbatibus. Quatuor Conciliorū vniuersalium exemplo hæresin Arianam damnarunt: eius asseclas diris deuouerunt. Iussi quoque locorum præfecti idola, vbicunque starent, deijcere, ac vanissimorum Deorum cultores premere. Nec enim scelus infandum radicitus adhuc vulsum erat. Magna hæc sunt, quæ tamen præterire deberemus, nisi ad S. Leandrum pertinerent, cui Canones in Concilio sancitos, S. Isidorus & Iohannes Viclarensis palam tribuūt. Adiuncta Canonibus oratio est quam is habuit, Gothis totique Hispaniæ eximium hoc beneficium Numinis gratulando.

Concilij auctor S. Leander fuit.

Isidor. de claris vir.

Iohan. Viclar. in Chron.

Libet nunc subijcere Canonem, in commodum Monachorum editum, vnde intelligas quantæ hi coræ illi ætati fuerint. *Si Episcopus vnam de Parochianis Ecclesiis suis Monasterium dicare voluerit, vt in eo Monachorū Congregatio regulariter viuat, hoc de consensu Concilij sui habeat licentiam faciendi: qui etiam si de rebus Ecclesiæ pro eorum substantia aliquid, quod detrimentum Ecclesia non exhibet, eidem loco donauerit, sit stabile. Rei enim bonæ statuendæ, sanctum Concilium dat assensum.* Ita Canon IV. Nam tertius cohibuerat Episcopos, ne quid suis Ecclesiis detraherent: tanti nihilominus Monachos id sæculum æstimauit, vt Episcopi lucrum facturos se crederent, si censum Ecclesiarū cum illis cōmunicarent.

Ordini bene consuluit.

Canō IV. Concil. Tolet.

Hinc

Parochiæ Monaſteriis hoc tempore annexæ:

Hinc duo magna commoda in Ordinem S. Benedicti immigrarunt, multis ſæculis conſeruata. Alterum, vt fere omnium Monaſteriorum Eccleſiæ fierent parochiales, Monachis Sacramēta adminiſtrantibus. Cū enim Epiſcopi parochias acciderent vt darent Monachis, ſimul etiam facultatem tribuebant parochorum munia obeundi. Nō equidem inficias imus, primitiuæ Eccleſiæ Religioſos hiſce miniſteriis ſe haud miſcuiſſe, noſter tamen Ordo vix dum bene natus ſacerdotiū ſibi adſciuit, quo etſi nō ſinguli fuerint initiati, copia tamen myſtarū erat, qui officium facerent. Quocirca pari annorum ſpatio Concilium Toletanum, atq; in Ordine S Benedicti parochias meriātur Epiſcopi, pulchrumq; putent egregios illos Patres imitati. Alterum eſt, quod Epiſcopi non ſolum parochias ſuas imminuerint, vt haberent Monachi vnde vitam tolerarent, ſed quod etiam Cathedraliū & Collegiatarum Eccleſiarū reditus & dignitates in noſtra Monaſteria contulerint, gaudebantq; cum ſanctiſſimis mortalium quadram ſuā diuidere.

Et eum Eccleſiarum Cathedraliū dignitatibus collatæ præbendæ.

Hinc creditum eſt, Abbatem Cellæ nouæ in Eccleſia maiore Orenſi: Montfortenſem vero ac Samoſenſem in Lucenſi, ſeu Lugenſi, vbi ſuas ſedes habent Archidiaconos appellatos, & loca dignitati paria capere, cum diuinis interſunt. Mihi dubium non eſt quaſdam etiam harum Eccleſiarum facultates in iſta Monaſteria collatas, Monachis alendis. Extra Hiſpaniam res notior ac certior eſt. Si Chopinum adire libet, non pauca tibi Monaſteria exhibebit, quæ Canonicatus & Eccleſiarum maiorum præbendas, vt appellamus, habuere, veluti S. Martini Trecenſe. S. Iohannis Carnotenſe, S. Acheloi Amienſe, S. Iohannis Meldenſe. Omnium Sanctorum in Andes, S. Vitonis in Diœceſi Virdunenſi. Foſſatenſe etiam, quo S. Mauri corpus delatum fuiſſe, ſupra memorauimus, ex Eccleſia Cathedrali cepiſſe reditus, breui hoc ſcripto idem Chopinus teſtatum facit: *Ego AEneas* (Pariſienſis Epiſcopus) *Notum facio, quod cum anno* 868. *iuſſu ſereniſſimi Caroli (Craſſi) Regis ad Foſſatenſem, ob recipiendum corpus Beati Leuita Mauri, accederem Abbatiam, dum à propriis ſacram præfati Sancti depoſui humeris ſuper BB. Apoſtolorum altare glebam, conceſſi eidem Eccleſia, annuentibus cunctis Archidiaconis & Clericis noſtris, qui vna mecum illic aderant, in ſede noſtri Epiſcopatus, in Eccleſia videlicet B. Dei genetricis Mariæ, perpetua præbendam integram, ita vt ab hac hora, vſque in nouiſſimam huius ſaculi horam, annuet Abbates eam libere, & ſine inquietudine, aut aliqua ſeruitio habeant, & ſecure poſſideant.* Neque tantum in more poſitum

Chopin. Monaſt. l. 2. tit. 2. n. 6. Et de ſacra polit. l. 1. tit. 2. ar. 1. Exempla in promptu ſunt.

erat, vt Epiſcopi partem redituum Capituli deriuarent ad Monaſteria, ſed fuit etiam, vt vnum Monaſterium diuerſarum Eccleſiarum Canonicatibus frueretur. Cluniacenſe Aſceterium etſi opibus præpolleret, leuandis tamen ſumptibus quos in Monachos, pauperes, hoſpites, familiam faciebat, Epiſcopi ſinguli ſingulas ei præbendas conferebant. Rem Petrus Venerabilis Abbas Cluniacenſis ad Matthæum Epiſcopum Albanenſem (ante id Monachum Cluniacenſem) in hæc verba ſcribit: *Dominus Trecenſis Epiſcopus, vt noſtis, chariſſimus noſter, paratus eſt (vt dicit) dare nobis in Eccleſia ſua vnam præbendam, ſicut Carnoti vel Aureliani antiquitus data ſunt, vt redditu illius multa, quam non ignoratis, Cluniacenſium Fratrum indigentia releuetur. Hoc ſi ſecundum Deum fieri poteſt, roga vt per vos fiat.* Tanto autem interuallo expenſæ huius Monaſterij ſuperabant cenſum, etſi vndique collectum, vt Petrus Venerabilis *publicum id Rei Chriſtianæ ærarium appellaris, cui neque ſua, neque aliena ſufficiant.* Facile autem Epiſcopis fuit, ſuccidere aliquid de opimis diuitiis, & Monachis adijcere, quando id temporis plus iuris in ſuarum Eccleſiarum bona obtinuerunt, quam hodie. Inſuper non pauca Ordinis noſtri Monaſteria cum Eccleſiis Cathedralibus plane coniuncta erant: diuulſa deinde, partem poſſeſſionum ſecum trahebant: idque iure optimo, quod eſſent membra.

Petrus Ven. l. 1. Epiſt. 2.

Petrus Ven. l. 5. Epiſt. 34.

Idem Concilium decreuit, vt ad menſam ſacerdotum lectio adhiberetur: vt certo ritu virgines & viduæ ſe Numini dicarent: vt publicam pœnitentiam ſubeunt. adimerentur capilli, nec non tragica veſtis inijceretur, vnde fortaſſis hodie *Sanbenitos* appellamus eos, in quos ſacri quæſitores publicam pœnitentiam ſtatuunt. Demū nimios à funeralibus leſſos ſuperfluaſque cæremonias ſubmouit, Monachis autem negotium dedit, vt decenter funera ducerent, cantando pſalmos ſepelirent.

Concilij Can. 7. 10. 12. 20.

Concilio omnes Archiepiſcopi, Epiſcopi, Rex, regnique proceres ſubſcripſere. Nā id temporis in Hiſpania mos obtinuit, vt hi etiam intereſſent, quandoquidem non tā. tum res fidei ſanciebantur, ſed (quod in Comitiis fieri conſueuit) ea quoque conſtituebantur, quæ ad ſalutem regni pertinere videbantur. Noſtri Monachi magna pars huius Concilij fuere, veluti S. Leander Archiepiſcopus Hiſpalenſis, Euphemius Archiepiſcopus Toletanus Iohānes Epiſcopus Dumiēſis, Tonātius Epiſcopus Palētianus. S. Agapius Epiſcopus Cordubēſis cū multis Præſulibus qui famæ exciderūt. Cuius autē culpa acciderit, vt Patris noſtri S. Leandrj

Concilij III. Toletani magna pars S. Leāder & alij quidam Monachi S. Benedicti fuerūt.

nomen in exemplaribus typo editis prætermitteretur, equidem ignoramus. Loaysa tamen Archiepiscopus, cum id in exemplis manu descriptis reperisset, recte restituit. Quis enim adduci possit vt credat, solum ipsum subiecto proprio nomine Statuta Concilij confirmare noluisse, cum non tantum Archiepiscopos Hispalensis, sed insuper in illo amplissimo consessu non tam pars, quã τὰ πάντα fuerit? Immo Baronius post Lucam Tuiensem asserit eum Legati Summi Pontificis munus eo in Concilio functum esse. Quod S. Isidorus ipsum Ecclesiæ Romanæ legatum vocet, aliqui de annis posterioribus accipiunt, quando à Gregorio Magno ornatus pallio fuit. Euphemius Agaliensis Monasterij Abbas primus, cum præclarissima viri egregij specimina edidisset, Petro Archiepiscopo Toletano suffectus est. Sed dum Ariani firmum pectus nec perfringere, nec porro ferre possent, sede ac vrbe sanctum Pontificem exegerunt. Hac procellosa tempestate aliquot annos iactatus fuit, donec Recaredus sceptro admotus, *restituit rem.* Fortunatum igitur Euphemium qui Patribus ex omni Hispania, nec non è Gallia Gothica, congregatis, sua in vrbe Concilium celebrari vidit cum maximo Ecclesiæ emolumento. Humana absoluit anno post Christum natum quingentesimo nonagesimo quarto, cuius infulam Archiepiscopalem Exuperius, Abbas Agaliensis, excepit. Hoc enim Monasterium Archiepiscoporum Toletanorum plantarium erat.

Baron. an. 589. — *S. Isidor. Chron. l. 2.* — Fragmẽt. S. Maximi apud Sandoual, de Monasteriis Castellæ.

S. Agapius, natalibus longe clarissimus, rebus egregiis domi belliquе gestis, in magna Hispaniæ nomina venit, viamque sibi ad Regum Gothorũ gratiam aperuit. Pertæsus tandem huiusmodi fumos, è mundo in Monasterium se traijciens, Monachum professus est, vbi tum in virtutibus colẽdis summum studium posuisset, ad Cathedrã Cordubensem raptus est, nec tamen de ieiuniis, orationibus, cõtemplatione, vigiliis, quicquam remisit. Aliquãdo precibus intento S. Zoilus Cordubensis se le obijciens, vbinam ossa sua cubarent, indicauit. Ethnici enim vt fortissimum Martyrẽ Christianorum cultui subducerent, eum peregrinis confuderant. Nunc tandem in publicã scenam producendus erat opera Agapij (vel Agapiti) qui tam sæculares quam Clericos ingenti gaudio illo hoc nuncio affecit. Non mora, ciuitas tota ad locum designatũ confluit: sanctus Episcopus operi manum admouet: tumulũ inuadit: fodit: excauat: thesaurum eximit, quem sine fine pressat & deosculatur, nec venerantem satietas capit. Perfunctus his obsequiis, Zoilum se offe-

S. Agapius relicto mundo Monachis accessit. — S. Zoilus suum ipsi tumulum monstrauit.

rentem, nec non gratiss habentẽ maximas, denique se Numen eidem propitiaturum prolixe spondentem, denuo videt, auditq;. Agapius pollicitis diues ac lætus, iam multo maiore cultu sacra ossa prosequutus est. Stabat exiguum Cordubæ sacellum, S. Felici Martyri quondam dicatum. Huc ergo Agapitus, ductis insigni pompa, S. Zoilũ intulit: vt vero locus tanto fieret frequentior, Monasterium centum Monachis inclytũ, ibidẽ posuit, ac veteri S. Felicis nomine per nouã ædem obsolescente, S. Zoili indidit, celebre ciuibus, antequam Mauri Andaluziam pessum dederant, ac postea etiam, quam Corduba in potestatem redacta fuit. Etsi de antiquis gloria multum defluxerit, perstitit tamen templum, quod Christianos sacra persoluentes admittere consueuerat, cui Sãson & S. Eulogius, insignes Abbates, præerant. Cæterum Agapius annis obsitus (nã Regẽ Sisebutum assequutus est, vt ferunt) è vita excessit, ossibus suo Monasterio commissis, quem Comes Ferdinandus Gomez multos post annos vna cum SS. Martyribus Zoilo ac Felice Carrionem transtulit, atque argẽteis arcis compositos, summa in ara nobilissimi Monasterij S. Zoili (quod de Carrion appellamus) collocauit.

S. Zoilus in S. Felicis sacello receptus est.

Vero simillimum est, etiam Tonantium, Episcopum de Palencia, nomen olim S. Benedicto dedisse, eiusque alumnis adnumerandũ, quando S. Fructuosus noster eo magistro vsus est. S. Isidor' eius acta refert Pro viro docto sanctoq; vera æstimatione semper habitus fuit. Longo tẽporis spatio traducta vita, non tantũ tertio Concilio Toletano, sed insuper quinto & sexto operã nauauit: quem S. Ildephonsus singulari prudentia præditum fuisse narrat: suauem, eomem omnibus: sibi ipsi durum ac asperum. S. Eutropium Abbatem vi magna Arianis incubuisse: cũ S. Leandro Concilium disposuisse, auctor est Iohannes Viclarensis, quãuis eius nomẽ Syllabo Patrũ exciderit. Vnã viri exponens S. Isidorus, Monachũ prius in Monasterio Seruitano, prope vrbẽ Xatiuæ sito, egisse, suamq; eruditionem litteris prodidisse, refert. Sequentibus annis Episcopus Valentiæ renunciatus est. Ita quidem inter historicos cõuenit. Num vero S. Augustini vel S. Benedicti familiæ sit asserendus, certatur sententiis. Trithemius & Arnoldus Wion nobis eum vindicant. P. F. Hieronymus Romanus eundem ad S. Augustini Ordinem trahit. Quippeni enim, eum Monasterium Xatinæ à S. Donato positum fuerit, Vandalorum rabiem vitante, cumque septuaginta Monachis in Hispaniam ex Africa traijciente, S. Augustini & Augustinianorum patria! Ductus ego isthoc argu-

Tonantius S. Benedicti Monachus: *S. Isid. de viris illust.* — *S. Ildeph. de viris clar. c. 11.* — Itemque Eutropius *Iohan. Viclar. an. 589. S. Isid. c. 43* — *Trith. l. 3. c. 14. de vir. illust. VVion Martyrol. 5. Iunij. Hieronym. Rom. l. 2. c. 6. Hist. S. August.*

Deut l. 1. hiſt. Valentiana c 27. Beuter. l. 2 c. 27.

argumento, haud ægre in ſententiam conceſſiſſem, niſi Antonius Beuterua interceſſiſſet hæc verba fundens: *Eutropius Epiſcopus erat Valentiæ, fuitque Abbas Monaſterij S. Benedicti, Xatinæ ſiti, homo excellens litterũ.* E ſcriptoribus ſuperioribus quilibet ſuum negotium agere voluiſſe videri poteſt, vt Beutero, qui terram illam obiuit: in Epiſcopos Valentiæ diligẽter indagauit, maior habenda ſit fides. Potuit Monaſterium illud à principio aluiſſe Auguſtinianos, ſed lapſu temporis accepiſſe Benedictinos, id quod in Europa frequentiſſime accidit. Quid, quod hiſtoricorum altum de Regula S. Auguſtini per quingentos annos ſilentium, opinioni noſtræ magnum momentum addat?

Prima ſæcula forte nulla Monaſteria S. Auguſtino erexerunt.

Fluctuauimus profecto ſæpenumero, cur hæc ipſæ leges à ſummo, quem Eccleſia habuit, viro profectæ probatæq; ab initio, per tantum annorum ſpatium veluti latuerint, vt quocunque te moueas, non tamen eius Ordinis inuenias Monaſteria, aut veſtigia. Portum tamen tenuiſſe viſi ſumus, vbi nobis in mentem venit, hyemem iactum ſemen fouere: ver flores explicare: æſtatem fructus pleno Copiæ cornu profundere. Ita nimirum quatuor labentibus ſæculis Monachos, quibus dignus non erat mundus, eremis ac ſpelæis conditos fuiſſe: ſub annũ vero milleſimum ac deinceps veluti grana pridem glebis obruta in lætiſſimas ſegetes prorupiſſe, adeo vt Monaſteriorum, Congregationum, diuerſarum familiarum multitudo, quæ Regulam D. Auguſtini profitetur, Eccleſiæ Catholicæ ingens hodie decus addat. Primis tamen ſæculis Monaſteria tantum Ordini S. Benedicti ab Eccleſia Latina ædificabantur (nec enim illorum tẽporum hiſtorici de aliis meminerunt:) antiqua vero magna ex parte, miſſis priuatis legibus, in eiuſdem Patriacchæ Regulam iurarunt. Tot exempla S. Eutropij Cœnobium imitari potuit, ac forſan voluit. Nobis tamen conſilium non fuit ſententiam hic ferre, ſed Ordinis vtriuſque momenta in medium proponere. Quidam Ordinis equeſtris vir primarius Comitis Henrici partes aduerſus Don Petrum Regem adiuuans, *Ego*, dixit, *nec facio Regem, neque ſubmoueo, ſed meo domino ſeruio:* ita nos nec damus Ordinibus Sanctos, neque auferimus, ſed D. Benedicto noſtro Patri operam debitam præſtamus, quando argumentis, vti hic, ſuperior eſſe videtur.

Nam ſi interroges hiſtoricos, quiſnam & vbi fundauerit, tacent. Ab anno milleſimo Sãctus Doctor quãplurima paſſim domicilia conſtituit.

Annus Christi 590. — Annus S. Benedicti 110.

D. Gregorius Magnus, Pontifex Max.

MAgna dulcedine natale ſolum nos ducere ac tenere ſolet, vt mirum nemini eſſe debeat, ſi lubens hucuſque pedem fixi in Hiſpania, facile nihilominus gradum iam promoueo in Italiam, inuitatus à Gregorio Magno, in Sedem Pontificiam hoc anno elato, non abſque incredibili Eccleſiæ Dei emolumento. Ita vero humana ſunt comparata, vt ad læta peruenire non liceat, niſi per triſtia iter facias. Quanto nouus hic Pontificatus gaudio perfuderit totam Italiam, haud ſatis exprimam; atqui ea calamitatis procella anteceſſit, quæ duris quoque lachrymas excuſſit. Namque anno proxime ſuperiore tanta vi nimboſus ruit æther, vt natantibus vbique terris mundi naufragium inſtare crederetur. Fluminibus quoque à ſuis alueis effuſis, ceu mari, ſepeliebantur campi: Tiberis præcipue, ripis coerceri indocilis, ſuæ Romæ ingenti vndarum mole incumbens, intra breue ſpatium ſubiuit limina: obuia quæque confudit: in ædes, templa, fora tumide inuectus, quicquid occurrebat, fœde corrupit, perfregit, ſolo proſtrauit. Certe maior pars vrbis ſubacta iacuit. Aere hinc fœde putrefacto peſtis corpora inuaſit, contagio late in alios vulgato: fuit autem id longe miſerrimum, homines fere ſubito animas edere, & agminatim cadere. Prima ſtrage Sanctus Pelagius Pontifex Max. extinctus eſt, qui cum vix lumina bene condidiſſet, attoniti calamitate Romani, acute circumſpicere, nouum paſtorem anxiis oculis legere: S. Gregorium manu deſignare: Eccleſiæ decus, ſibi præſidium futurum, & Clerici & ciues perſonabant.

Cõtinuis pluuiis violatur Italia, atque imprimis Roma.

Late vulgatur peſtis.

Sedebat is in cella ſui ſecurus, & ignorans ſuam nauim è S. Andreæ Monaſterio, chare portu, in Oceanum deduci. Iam dudum honores cum tumultuoſis curis poſuerat, totuſque nunc à Deo libris, & calamo pendebat. Re ſubinde à S. P. Q. R. intellecta, graui mœrore affectus eſt: vt tamen ſuffragia ſuauiter remoueret, tum ſe ſacros faſces ſuſcepturum, dixit, cum Imperator annuiſſet. Differri ſe quidem putabant Romani: at is plagas ſe hoc pacto exiturum ſperauerat, quod Eccleſiæ, id temporis oppreſſæ, gubernatorem imponere haud liceret, quem Imperator Conſtantinopolitanus non probaſſet. Hoc onus etſi Roma perquã ægre ferebat,

Pelagio extincto, vocatur in Gregorium.

Hic rimā circūſpicit, quae labatur:

diſſimulabat tamen Gregorius, quod poſt Longobardorum in Italiam irruptionem Pontifices Imperatorum præſidio quam maxime iodigerent. Negotium aotē ſuum populo Rom. commiſiſſe fertur, quod crederet eam ſibi cum Mauritio oeceſſitudinem iotercedere, vt datis litteris eum adducere poſſet, ne ſe inuitom Pontificatu oneraret. Nonnulli aliter oarrant. Interea Imperatorem de collatis in Gregorium ſoffragiis certiorem Roma facit. Aoxius hic ſubmiſit epiſtolam, perſuaſurus Mauritio, vt moli multo grauiſſimæ humeros ſubducere liceat: at ai ſuboluit Romanis hoc iotempeſtioom elabendi ſtudium: immo Deus id palam fecit, qui vexatam diuturna clade Italiam eximere tot malis decreuerat. Imprimis autem Germaoom, vrbis præfectum,

Sed operā perdit.

aduertit, quid clam moliretur Gregorius: quocirca ipſius epiſtola intercepta, Imperatori ſupplicauit miſeram Italiæ ſortem perpeoderet: noo ab alio præſentius, quam Gregotio, remedium expectandum, qui magnitudinis ſuæ iam olim luculenta ſpecimina edidiſſet, cum Præfecturam vrbis gereret, atque legationē apud ipſum Mauritium obiret. Litteris perlatis, vota & ſuffragia comprobans Imperator, volens lobens ſuper homanom faſtigium extulit Gregorium, cui artes ſuæ adeo non ſucceſſere: Quamuis ſint qoi potent futurum fuiſſe vt Mauritios, grauiſſimis argumentis permotos, eum dimitteret qui iam omniū manibus tenebatur, niſi litteras aſtute ſubduxiſſet Germanus, bilem potius quam amorem vel beneuolentiam excitaturas. Quippe laceſſebant Imperatores, quod tantum ſibi ſumerent, vt Pontificatum adire, niſi ipſorom arbitrio, nemini liceret.

Nauiculæ Petri imponitur:

Interea dum legati vltro citroqoe meāt, magnos progreſſus peſtilentia fecit, ædibus, plateis, foris, cadaueribos ſtratis. Nam vel leuiter oſcitando, vel ſternutando, effundebautur auimæ. S. Gregorius etſi honores Pontificios viis omnibus declinaſſet, labores tamē magno fortiq; auimo ſubiēs, præter domeſticas ſuis cum Monachis inſtitutas preces, publicam etiam indixit ſupplicationem, habuitque eam ad pop. Rom. Homiliam cuius initiom: *Oportet, fratres dilectiſſimi, vt flagella Dei, quæ metuere ventura debuimus, ſaltem præſentia & experta timeamus.* Hic in nefanda peccata inuectus eſt, quibus Roma venerabile Numen fronte perfricta violaſſet, nec non hæcce flagella iu obnoxia dorſa expedire coēgiſſet. Modo ſpem ſalutis in ſola pœnitentia ſitam eſſe. Octoginta de concione (triſte ſpectaculū?) ſubito fato oppreſſi, ceciderunt, vel vt ceteros metus maior inoaderet, vel vt vis verbis Gregorij concionantis adderetur, ſtoderentque ſcelera abſque mora exuere, qoi vitam nollent. Extremo ſermone in ordinē redegit ſupplicationem, poſtridie ad S. Mariam Maiorem ducendam. Clerici ex æde S. Iohannis Baptiſtæ: Monachi ex æde SS. Martyrum Iohannis & Pauli: Moniales ex æde SS. Martyrom Coſmæ & Damiani: viri, ex æde S. Marcelli: nuptæ, è templo S. Stephaui protomartyris: viduæ, è Baſilica S. Vitalis Martyris: pauperes ac pueri (neque his eoim abeſſe licebat) è S. Cæciliæ Martyris Eccleſia prodire iuſſi. Narraot imaginē Diuæ Virginis à S. Luca pictam, quam hodie Baſilica S. Mariæ ad præſepe theſauri loco habet, ea io ſopplicatiooe circumlatam. Neque irritæ voces in cœlum iactæ ſuut, quippe angelus in ſomma Adriani mole ſe librans, gladium nudum vagina coudere viſus eſt, Numinis propitiati teſtis, à quo deinde poſita ibidem arx, appellationem accepit. Poſt hæc Gregorius veluti communis parens, à ſummis infimisque amatus fuit. Interea fixa ſub pectore cura verſabat animum, ne Imperator tot albis lapillis calculum quoque ſuum adijceret. Qua de cauſa inſidias nuntiis, tabellariis, rumoribus collocabat, ex vrbe erupturus vt primom de voluntate Mauritij aliquid ad aures accidiſſet. Vbi tandem id, quod res erat, intellexit, videlicet ſcribendo operam à ſe perditam, indoluit, inopsque coōſilij, demum ad artes conuerſus mercatores obteſtatus eſt, vt ſe cultu peregrino tectom, naui reciperent, tum vero inhoſpitali aliquo littore exponerent, quod per mare per montes ſupremum Orbis ſolium fugere ſtatuiſſet. Hæc dum ipſe clam molitur, adſunt legati: quam ex voto & ſeotentia rem confeciſſent, expooont. Concurritur ad S. Andreæ Monaſterium: Gregorium populus identidem nomioe ciet: prodire iubet: at ſurdo canit fabulam, quippe qui Monachos etiam feſellerat. Perculſa Roma virum callida fuga ſibi elapſum eſſe, ſurſum deorſum agitur auxie indagando, quod eius deſideriū deponere non poſſet. At Deus ter Opt. Max. è teuebris produxit hanc mundi facem. Scilicet è loco quo merſus latitabat, ſplendida columna eminens, tandem cœlo tenus efferebatur; qoodque miteris, im inoto Gregorio, in nullam partem tendebat: vt primum vero is inibat fugam (in caſſes enim ſe incidiſſe ſenſerat) hem tibi, liquidiſſima colomna tergore hærens, fugitiuum ocyos inſequebatur. Portentum Iohānes Diaconus, fidei plenus, narrat. Quin ipſe Gregorius Cyriaco Archiepiſcopo Cōſtantinopolitano datis litteris ſignificat;

Instat populo, vt vt Numen iratum pœnitentia propitient.

Instruit publicam ſupplicationem:

Placatque Numen.

Meditatur fugā, ac paullo poſt init.

Proditur à lucida columna.

Ioh. Diac. l. 1. c. 44.

D Greg. l. 1. Reg. ep. 4.

Ego quoq; scribens, qui indignum ad locũ regiminis veni infirmitatis meæ conscius, secreta loca petere aliquando decreueram. Sed superna iudicia mihi aduersari conspiciens, iugo conditoris subditi ceruicem cordis. Accensi hac columna Romani, & edocti qua se condidisset, illuc rapido pede delati sustulere manus, orantes ne Deo hominibusque pergeret obluctari. Ergo se dedidit (quid enim fecisset aliud inuitante cœlo?) Romamque deductus in templo S. Petri ad summum Pontificatum auctoratus est. Quod hoc honoris fastigiũ tanto studio declinarit, admiratione dignũ, ac inter heroica facinora ponendum merito erat; fuerunt tamen qui vitio verterent, ambiuisse quidem hominem Pontificiam Maiestatem, à se tamen ficte remouisse, vt preces ac prensationes eliceret. Alij feriam fugam animi imbecillitatem atque impares humeros interpretabantur: quas fibulas D. Gregorius à male feriatis sibi affixas, crebro refigit, dum onere totius Orbis nimium quantum se premi, apud amicos queritur. Prætereo epistolas ad Paulum Scholasticũ: ad Iohannem Patriarcham Constantinopolitanum: ad Theothistam Imperatoris sororem: ad Narsem patritium: ad Anastasium Patriarcham Antiochenum, atque alias ad alios datas: facere tamen non possum, quin vnam ad S. Leandrum scriptam, hic loci producam.

Creatur Pontifex.

D Greg. l. 1 ep. 3 4. 5. 6. 7.

Respondere epistolis vestris, tota intentione voluissem, nisi pastoralis curæ labor ita me attereret, vt mihi magis flere libeat, quam aliquid dicere: quod vestra quoque reuerentia in ipso litterarum mearum textu vigilanter intelligit, quando ei negligenter loquor, quem vehementer diligo. Tantis quippe in hoc loco huius mundi fluctibus quatior, vt vetustam ac putrescentem nauem, quam regendam occulta Dei dispensatione suscepi, ad portum dirigere nullatenus possim. Nunc ex aduerso fluctus irruunt: nunc ex latere cumuli spumosi maris intumescunt: nunc à tergo tempestas insequitur, interque hæc omnia turbatus, cogor modo in ipsam clauum aduersitatem dirigere modo incuruato nauis latere minas & impetum fluctuum ex obliquo declinare. Ingemisco quia sentio quod negligente me crescit sentina vitiorum, & tempestate fortiter obuiante, iam iamque putridæ naufragium tabulæ sonant. Flens reminiscor quod perdidi meæ placidum littus quietis, & suspirando terram conspicio, quã tamen rerum ventis aduersantibus tenere non possum. Si ergo me, frater charissime, diligis, tua mihi orationis in his fluctibus manum tende, vt quo laborantem me adiuues, ex ipsa vice mercedis in tuis quoque laboribus valentior existas.

Onus graue Pontificatũ esse oportet, sub quo ita grauiter ingemunt magnus Gregorius.

Non quicquam is sapit qui hic non intelligit, quam ægre, quam moleste optimus Antistes tulerit Pontificatum. At, quia, at animo bono fortique esse oportet; nec firmi pectoris est, imminenti moli humeros subducere, quod Iohannes, Archiepiscopus Rauennas, S Gregorio in os obiecit: videlicet noluisse ipsum adire summum in Orbe honorem, ne cogeretur maximum saxum voluere. Doctorem Ecclesiæ obsecro ne doce, qui Pastoralis componendi ansam ab isto Iohanne cepit, qua lucubratione difficilem comprimis sacrorum Antistitum prouinciam explicauit: simulque Archiepiscopum oblique premens, ad honores altosque gradus non nisi vanos ac temerarios adspirare, ostendit: mox folium vertens, Numini vocanti morem gerendum, muousque susceptum summa cura gerendum esse, docuit. Vt nihil aliud esset quod in S. Gregorio extolleremus, hic profecto liber amplissimam laudandi materiam nobis suppeditaret, debuissetque sibi gratulari magnus Orbis, cui de Cathedra S. Petri isto anno verba facientem Gregorium audire obtigisset. Prudentia animique submissione præstabat vir sanctus, breui se pede metiri solitus; Pontificatum autem quem gerebat, à Iesu Christo eius Conditore æstimans, immenso se Oceano credere, non immerito verebatur.

Vani in altum tolli cupiunt.

Quosdã excæcat honos, vt non videant onus.

Præter funestissimam cladem à peste acceptam, domina quondam Roma Longobardis quotidie obsidionem & exitium minitantibus, inter malleum & incudem cespitabat. Orcus insuper quibusdam per Italiam Episcopis turpe schisma asperserat, ita vt Concilium Chalcedonense liuidis dentibus domi lacerarent, foris pessime traducerent. Eandem prouinciam hæresis quoque tenebat Ariana: nec Africa id temporis integra erat, per quam hæresis Donatistarum effusis habenis ferebatur. Patriarcha Constantinopolitanus rupto imperio, ad se trahebat Petrinæ nauis gubernaculum. Pestilentiam præterea dira fames exceperat, aruis vel incultis, vel segete vndis sepulta. Tandem orta tristissima tempestate, vrbs non tantum versa; sed propemodum euersa fuit, tectis ventorum vi ab ædibus templisque auulsis: parietibus quoque vel afflictis, vel penitus disiectis, vt Roma iam domi non esset. Adde non paucos ruina occupatos oppressosque fuisse. Vno ore pene omnes sublato clamore, mundi vniuersi machinam dissolui ingeminarunt. Extrema hæc mala S. P. N. Benedictus multo ante Populo Rom. denunciauit, quod S. Gregorius his verbis narrat. *Canusinæ Antistes Ecclesiæ ad Dei famulum Benedictum venire consueuerat, quem vir Dei pro vita sua merito valde diligebat. Is itaque dum cum illo de ingressu Regis Totilæ & Romanæ vrbis perditione colloquiũ*

Hæreses Petri nauem quatiunt.

Italiam vexat fauces.

Romam vertit tẽpestas.

D. Greg. l. 2. Dial. c. 15.

haberet, dixit : per hunc Regem ciuitas illa destructur, vt iam amplius non inhabitetur. Cui vir Domini respondit : Roma à gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus coruscis, turbinibus, & terra motu fatigata in semetipsa marcescet. Cuius prophetiæ mysteria nobis iam facta sunt luce clariora, qui in hac vrbe dissoluta mœnia, euersas domos, destructas Ecclesias turbine cernimus. Cum his fluctibus igitur Gregorio pugnandum fuit; vnde se tamen Ecclesiamque Numinis ope euoluit.

Eam S. Benedictus præuidit & prædixit.

Id vero quod magis solicitum habebat nouum Pontificem, secessus erat quorondam ab Ecclesia Catholica: quocirca vt toti mundo constaret quamnam ipse fidem profiteretur, symbolum & confessionem quoquouersum misit, scripta in hanc rem epistola Synodica, sic appellata, quod lege ac more sancitum esset, vt noui Pontifices quam primum cogerent Synodum, in qua præcipuos fidei articulos exponerent, eosque in compendium redactos Patriarchis Antiocheno, Alexandrino, Constantinopolitano, Ierosolymitano transmitterent, quid crederet Romana Ecclesia ne nescirent. Hanc epistolam exhibet Registrum. Inde ad Curiam Romanam corrigendam conuersus (nam domi quisque suæ incipere debet, qui bonos mores formare vult) sæculares exegit, Clericis & Monachis in ministerium adhibitis, cum quibus etiam res arduas communicauit, & quid facto opus, consultauit. Quorundam meminit Iohannes Diaconus, præsertim Maximiani Abbatis ad S. Andreæ, quem postea Archiepiscopum Zaragosæ in Sicilia fecit; SS. Augustini & Melliti, Apostolorum Angliæ & Archiepiscoporum Cantuariæ : nec non Mariani Archiepiscopi Rauennatis. Spe bona omnes impleti sunt, qui audiuerunt tales ipsi viros à Consiliis fore. Nam Alexander Seuerus plus Reip interesse dictitabat, vt princeps à sapientibus consiliariis pendeat, quam hi à solo principe se abripi patiantur.

Reg. l. 1. c. 24.
S. Gregorius Monachis & Clericis vtitur pro sæcularibus.
Ioh. Diac. l. 2. c. 11.

Dum igitur Gregorius omnia ad prudentiæ normam exigens, etiam vitam integerrime traduxit : dum seruos Dei, ac eos viros in quibus nihil iure desiderasses, ad consilium adhibuit: nouam mox Resp. faciem induit, vt Iohannes Diaconus primitiuam Ecclesiam fuisse restitutam, affirmauerit. Quamuis, inquit, dies noctesque negotia, cum illis expediret, nihil tamen de propriæ perfectionis studio remittebat in palatio, nec secus quam si Monachus esset in Monasterio, diuinis officiis interesse solebat. Plerumque latera Pontificis Monachi stipabant religiosissimi, quibus doctissimi Clerici miscebantur; & quamuis diuersa profiterentur, vitam tamen degebant communem, qualem S. Lucas Christianos tempore Apostolorum Ierosolymis, vel Philo Alexandriæ sub Marco sequutos fuisse, describit. Neque hic ponit calamum, sed cap. 13. duobusque posterioribus Romam opera Pontificis doctam sanctamque magnis fert laudibus. Ad illum enim sola virtus & eruditio viã aperiebat. Igitur ad Gregorij Magni Populique Rom. exemplum mox aliæ quædam prouinciæ se composuere, quo vel ipsius ministri peruenere, vel perlatæ epistolæ sunt, quæ luculentam lucem historiæ affundunt. Ex his profecto solis magnum volumen conficere licet, è quo Reip statum verissime cognoscas. Si mihi fas foret, rebus aliis relictis, otium ac operam in hoc vno viro consumere, in latissimum campũ illico excurrerẽ, è datis ad vniuersum prope Orbem litteris raram viri prudentiam, curam, industriam, laborem, sanctitatem ostendendo. Vbique profecto sibi constabat: vbique præsens aderat: ita ex æquo se omnibus diuidebat, vt singulorum totus esset, quo quid est dictu admirabilius? Dixisses non folium ex arbore defluere, quod vigilantissimum Gregorium falleret. Quas ad Monasteria & Monachos (quorum curam singularem gessit ne extra orbitam se mouerent) amanter scripsit, suo tempore & loco producemus.

Ad sancti Pontificis & Populi Rom. exemplum se Orbis composuit

Annvs Christi 591. Annvs Benedicti 111.

CAPVT I.

Pontificatus Gregorij Magni à fama perfertur in Hispaniam.

Post aliquam temporis vsuram contritam in Italia, par est vt in Hispaniam relegamus viam, vbi Recaredum Regem cum S. Leandro reliquimus, Concilio Toletano etiam atque etiam occupatos, singulari vero cura sancientes, vt Episcopi quotannis Conuentus Diœcesanos agerent; cui legi exercendæ vt exemplum præiret Leander, Hispalim Concilium indixit, quod in Hispania primum Hispalense appellatur. Quamuis autem celebratum sit S. Gregorio ad Pontificatum iam admoto, in tempus tamen Pelagij Papæ relatum est, quod huius mortem atque illius electionem nondum litteræ aut fama circumtulissent. Saltem nihil dum constitit Hispaniæ. Arianis enim ius passim dicentibus, vix vllum commercium huic regno cum Italia, præsertim Roma, intercesserat. Allato

S. Leãder Conciliũ indicit.

Recaredus Rex Pontificatum Gregorij gratulatur.

autem rei in vrbe gestæ nuncio, incredibile dictu est, quanta lætitia S. Leander fuerit affectus: nec quicquam potius habuit, quã vt Recaredum iam pridem sibi obsequentem, adduceret vt summum honoris fastigium S. Gregorio per Oratores gratularetur. Eadem opera ipse S. Leander quibusdam de rebus (veluti de trina in Baptismate mersione) nouum Pontificem consuluit, quod hæresi solum vertente ad fidem Catholicam reuocaretur regnum, ac Visegothi iam se se dedidissent, in quibus impellendis haud vulgare studium posuerat Recaredus. Fecere officium oratores: præter cætera rescripsit Magnus Doctor: *Explere loquendo nullatenus valeo gaudium meum, quod communem filium Recaredum, gloriosissimum Regem, ad Catholicam fidem integerrima cognoui deuotione conuersum Huius dum mihi per scripta vestra mores exprimitis, amare etiam quem nescio, fecistis. Sed quia antiqui hostis insidias scitis (quoniam bellum durius contra victores proponit) nunc contra eundem solertius sanctitas vestra euigilet, vt bene cœpta perficiat, nec se de perfectis bonis operibus extollat, vt fidem cognitã vita quoque meritis teneat.* Extrema epistola addit: *quãuis sentiam absentem corpore præsentẽ te mihi semper intueor, quia vultus tui imaginem intra cordis viscera porto.* Pondus hæc verba habent, quippe in pectore Gregorij Magni, non in ore blandi adulatoris nata.

Lib. 1. Regist. epist. 41.

Recaredus fidei negotio ex sua & Catholicorum sententia confecto, de Monasteriis tam fundandis, quam aliis augendis sategit, tuere secum cœpit, quod historia Cœnobij Albeldensis, à quodam loci illius Monacho scripta, Escuriali postmodum illata, refert, Recaredum *Ecclesiarum & Monasteriorum conditorem & dilatatorem*, appellando. Singulare profectò magnæ religionis exemplum edidit, res Monasteriorum per Arianos afflictas erigendo. Quænam vel vbi sita ea fuerint, historici ne leuiter adumbrarũt quidem. Ego diligentissime vestigando, tantum duo reperi, quorum vnum secundo lapide aberat Toleto SS. Cosmæ ac Damiano initiatum, quod Rex Aldelphij Archiepiscopi rogatu ædificauit, aut potius instaurauit. Qui pro Monasterio Agaliensi id habent, manifeste impingunt, cum hoc S. Iuliano fuerit dedicatum, & in Conciliis Toleti celebratis deprehendatur nomẽ Abbatis S. Iohannis Agaliensis, & alterius Antistitis SS. Cosmæ & Damiani. De secundo (quod S. Petrum de Arlanza vocamus) Abbas Consaluus Redondus, regius historicus, mentionem facit: ac insuper constanti maiorum relatione accepimus, opus debeti Recaredo. Fortunatum Monasteriũ quod tantum habuit conditorem, ac postea instauratorem Comitem Ferdinãdum Gonsalez, par nobile summorum virorum in Iberia.

Recaredus afflicta ab Arianis Cœnobia restituit.

CAPVT II.

Monasterium S. Petri de Arlanza.

S. P. N. Benedicto adhuc familiam ducente, necnon annis ipso posterioribus, Monasteria vel suburbiia, vel asperia rupibus imposita fuisse, iam ante docuimus. Certe Asceterium S. Petri de Arlanza, septimo milliari Burgis remotum, stipantes vndique montes ita oculis eripiunt, vt vix ante videas, quam aditu penetrato coram assistas. Qua meridiem spectat, fluuio alluitur, cui Arlanzæ nomen est. In Amphitheatro mihi esse videbar, cum potius loco circumagerem caput, accumbentia iuga curiosis oculis legens. Vallis enim profunda, fabricam Monasterij excipit, vt si eo loco ageretur Comœdia, circumiecti montes spectaturi essent. Hi vero non vbique solidi sunt, verum frequenter in longissimos recessus patent; qua de causa caput quatiens crebro pedem & lumina fixi, cauernis nunquam ante id visis inhærens. Quædam vasto discrimine rupem peruadens, teli iactum altitudine superat, ore latissime passo qua sacra stat ara Eremitorij mire editi quod S. Petrum *el Viejo* seu senem appellant, gratum olim S. Pelagio sociisque habitaculum. Mons alius spatio quartæ partis milliaris à prora vsque ad puppim hians & diductus, brachium Arlanzæ fluuij, postquam Monasterij hortum permeauit, antico accipit: confecto deinde longissimo tractu per posticum rursus emittit. Vnde cæco carcere elapsæ vndæ mox in molendinum incidunt, eiusque pectine officiose circumacto veterem alueum repetunt. Has ergo inter rupes, specus, antra cauernas, montium iuga, Monasteriũ condidit Recaredus, antiquis Patribus indulgens, quos mirificum solitudinis studium tenuit. S. Petri nomen imposuit, Ordinis nostri more, qui super hanc petram sua Asceteria ædificare consueuerat. Quamuis ante vastatam Hispaniam parum mihi suggerant historici, quod huc afferre visum sit, vnum tamen prætermittere non debeo.

Monasterium Arlanza montibus immersum.

Rex Wamba pertæsus regnum cui magno subditorum emolumento præfuerat, exuens purpuram, cucullum in S. Vincentij Monasterio Pampliegæ induit. Cum votis Deo nuncupatis Monachum profiteretur, vehementer ad solitudinem aspirauit, quod suas ibi rationes, Regi regum quandoque reddendas longe melius subducere

Wamba Rex sese cucullo includit.

posset. Lrant enim qui Pampliegæ subinde interpellarent. Arlanzæ montes in mentem venere, quo se constricta sarcina contulit, vitaq; sanctissime traducta inde ad Superos euasit. Hæc vulgi, hæc nobilitatis vox est: hoc vetusta Monasterij S. Petri de Arlanza monumenta, à Cõsaluo Redondo in ordinem digesta, memorant; Rodericus Palẽtiæ Episcopus hisce verbis confirmat: *VVāba habitum religiosum in Monasterij Pāpliegensi accepit, in Episcopatu Burgensi sito inde vero se in Monasterium S. Petri de Arlanza transtulit, vbi vitam inculpabilem egit.* Accedit huic Pelagius Episcopus Ouiedanus, qui Genealogias exponens, *Rex VVamba*, inquit, *successor Recesuindi, sepultus est in Ecclesia S. Petri apud Mannonem in Castilia.* Atqui Monasterio Pãpliegensi, vbi is sacrum habitum sumpsit, S. Vincentij fuisse nomen, nec lippi nec tonsores ignorant. Dum ergo Episcopus ad S. Petri humatum Wambam esse affirmat, pondus narrationi nostræ addit. Isidorus Vejæ Episcopus ibidem conditum refert, vt dubitare non liceat, eo loco Monachum egisse, vita excessisse: quodque vero simillimum est, terræ mandatum fuisse.

Vixit, moritur, sepelitur Arlanzæ.

Roderic. Ep. Palēt. hist. Hisp.

Pelag. Episc. Ouied.

Isid. Ep. in VVamba.

Hoc tamen æuo lis nata est, hodiernis historicis Hispaniæ persuadere conantibus, a Rege Alphonso Sapiente Toletum translatum fuisse. At Monachi prodcunt; argumẽta quæ diximus, promunt; sepulchrum digito monstrant; suos id quoq; maiores sæculis superioribus fecisse, constanter perhibent. Conflatam nos litẽ Tomo II. dirimemus; sat superq; sit, basin hic posuisse. Animus nobis præcipue fuit, ostendere Monasterium S. Petri de Arlanza non ab Ferdinando Gonsalez, verum multis retro annis, adeoque florentibus Gothis, ædificatũ nec non à Rege Wamba Cœnobiis cæteris fuisse antelatum.

Porro Mauris Hispaniam popu'ātibus, hoc quoque Monasterium, dilapsis Monachis, pessum iuit: quosdam autem specus vbiq; obuiæ acceperunt, vt illi montes nunquam religiosis incolis, vitam eremiticam degentibus, penitus destituti fuisse credantur, donec Comes Ferdinandus Consaluus ea per lustra premendo feras, in Eremitorio S. Petri senis, atq; in cauerna altari subiecta in SS. Pelagium, Arsenium, & Syluanũ incidit. Rem hanc alij prolixe narrant.

Hist. generāl. l. 3. c. 18. & 19. & hist. de Arlanza.

Mauri igitur denso agmine, vt memorāt, in Castiliam tendebant, duce Alahagip Almanzor, bellicosissimò mortalium, à Cordubensi Rege submisso. Infesti vbique ac indomiti, arma clamare Ferdinandum coegere, qui in tantum discrimen adductus, militem legit, quem tamen si ad Mauros, totos campos occupantes, cõparasses, manus vel manipulus erat. Sed tamen quicquid fuerit hosti, obuiam iuit, ac Laram petens, forte setigerum aprum conspexit. Fera vicissim truci vultu Comitem obire: mox hispidum tergum surrigens, in notas montium ac vallium ambages pigro volumine se conijcere. Ille apro iam spe deuorato, à suis deflectit: fugienti imminet: Syluestrẽ propter belluam caput & pedes corrumpit. Sed ecce, dum auidus & obstinatus insequitur, ad Eremitorium plurima hedera vestitum, S. Petro dedicatum, quod Pelagius cum duobus sociis incolebat, anhelus defertur. Sol iam præcipitauerat: is antem lõgo interuallo famulos post se reliquerat: nec qua vestigia Larā relegeret, gnarus erat. Manticam ducunt Eremitæ: prolixe inuitant: secum pernoctaret: deniq; & illi & labens dies, vt vili tecto succederet, persuaserunt. Accumbenti ẽ paupere penu mensa mucido pane & aqua instruitur. Hæc sportula, hoc quotidianũ Eremitarum sigma & symbolum esse solebat. Cænatus, dicam, an incœnatus! ad quietem capiendum duro se lecto componens, magnam noctis partẽ vigilãdo extraxit, solicitus quid suo exercitu fieret. Interea Eremitæ bonas horas psallẽdo & contẽplando traducere: S. Pelagius vero cœlitus didicit, victoriam à Consaluo staturam: quod cum primo mane Comiti suggessisset, lætus fiduciaque plenus ad exercitum festino se retulit: quam bene sibi venatio pridiana vertisset, narrauit. Arrecti bono nuntio milites arma quatiebant. nec quicquam ardentibus magis in votis erat, quam collato pede cum hostibus conferere manus. Ergo Consaluus Lara mouet: hostem indagat: extremum agmen assequitur: classicum canit: inuchitur: clauum clauo pellit, sic tamen vt neutram in partem manifesto victoria inclinaret, donec Bonus Deus contra barbaros in arenam descendit. Tum enim Mauri immensa strage cædi, fundi, cadere: cæteri fugam præcipitare, damnantes suum consilium, quod periculosam belli aleam adiuissent. Parta victoria laureatum exercitum Burgos duxit Consaluus: ex itinere vero diuertens, S. Pelagij Eremitorium reuisit, hospes hospiti gratias relaturus, quod ex monumentis intellige: *Comes cum omnibus suis in Monasterium Sancti Petri profectus, opulentissima spolia, in hostium tentoriis reperta, Pelagio suo quondam hospiti & amico contulit. Inde Burgos contendit.*

Premit aprum.

Fertur Arlan ẽ.

De victoria cœlitus fit certior.

Cum Bono Deo hostes fundit.

Ferdinandus Comes delectus habet cõtra Mauros.

Cõtracta hæc amicitia Cõsaluo Monasterij postea instaurãdi ansã præbuit. Generalis historia addidit regnante Sãctio Crasso multo maiores ex Africa & Hispania cõflu-

xisse Maurorũ copias. Redactũ proinde in angustias Comitem Ferdinandum Consaluum, animum ad amicum suum Pelagium adiecisse, secundi prœlij, ante id cum barbaris initi, memorem. Equo igitur conscenso, prosequentibus duobus nobilibus, iter ad Eremitorium intendisse, eoque perlatum quod iam Pelagius concessisset, non absque incredibili dolore intellexisse. Ancipiti cura suspensum, à Pelagio noctu erectum, iussumque ponere metum immodo enim arma caperet, hostem terga daturum. Monstrasse etiam, quos in ordines digereret exercitum. Mane summo corpus è strato corripuisse, abiuisse. Vbi ventum: ferri ad manus: vicisse. Hinc tantopere S. Petri Asceterio studuisse, vt ipsam quoque liberalitatem in eo ditando prodigere sit visus. Postremo corpus suum ad limen Ecclesiæ sepeliri præcepisse. Historiam Generalem Morales ad suam limam reuocat, aliquot ei errores irrepsisse dictitans. Nam ad Reges Ordonium II. & Sanctium trahi, quæ sub Rege Garcia gesta fuissent. Itaque Comitem Ferdinandum Gonzalez non eo fundasse Monsterium de Arlanza, quod S. Pelagio amicitia iunctus esset, vel hic victoriam dormienti promisisset. Etenim in litteris fundationis SS. Pelagium, Arsenium, & Syluanum, de quibus supra meminimus, nullibi comparere.

Potitur altera victoria.

Moral. l. 15. c. 37. & l. 16. c. 5

Vitio Morali non debet verti, si quandoque censoria virgula Hispaniæ veteres historias feriat, obmurmurando, non conuenire annos; quando his fundamentis semel labefactatis, personæ, dicta, gesta, mirum in modum confunduntur: monitum nihilominus Lectorem velim, sæpe historicos verissima referre, inque tempus solum impingere. Prisco certe æuo vti erudito summum gradum assequuta nondum erat, ita scriptores chronographiæ non æque, ac hodie, periti, nonnunquam sinistre annos putabant: sed non ideo immerita litura à capite ad calcem sunt obducendi, cũ neque argentum, si fors æruginem traxit, abijcere, sed vas inde purum putum conflare solemus. Male proinde stomachantur nudius tertius nati historici, ac dentes stringunt, si næuum in antiquo libro deprehendant; aut etiam se macerant, quoties verba calamistro puerititer crispata non sunt. Vera potius, quam dictu speciosa afferenda sunt. Operæ precium facerent, si potius puluisculos leuiter adhærentes abstergerent. Notat Morales Historiam Generalem tardius debito fundationem Monasterij S. Petri de Arlanza posuisse. Quod enim non ad Ordonij II. vel Sanctij, sed Garciæ tempora referenda eius origo sit,

Morales historiam ad suam incudem vocat.

donationum tabulæ, à Ferdinando Consaluez era nongentesima quinquagesima datæ, luculenter docent, quas ego in Appendicem distuli. In risum quoque soluitur Morales ob inauditas tabulas, quas toto sacco profundat Historia Generalis. Specimen cape. Ardente conflictu, equitẽ armis instructum hiatu terræ subito haustum. Item, serpentem volatilem, remigio alarum exercitui illapsum, ore insigniter diducto euoluisse vndantes flammas. Frigebunt hæ nugæ, nisi à vano vulgo legantur ad focum. At Consaluum militum numero longe inferiorem, triumphasse innumeros Mauros, ex vero narrat Historia Generalis, etsi in errorem incurrat, qua amicitiam, à Consaluo & Pelagio initam, tempore alieno ponit. Sed illius colendæ gratia Comitem aliquatenus inductum, vt S. Petri de Arlanza reficeret Monasterium, nemo inficias iuerit. Certe Ambrosius Morales Archiuum loci nunquam vsurpauit oculis. Ab amico exemplum litterarum donationis accepit, era vitiata. Vnus igitur eum aduersus omnes stat, tabulis, testimoniis, longissima antiquitatis memoria instructos, nemo fidem habebit, Monasterium à Consaluo non instauratum, sed primo fundatum asserenti. Vtinam contigisset viro, cætera doctissimo, Monasterij archiuum lustrare.

Script. 28.

Ob leues errores præter rẽ additos, historia toto reijcienda non est.

Nimirum visurus fuisset, alteram ædificationem in annum nongentesimum duodecimũ à tabulis ac veteri historia conferri. SS. Pelagium, Arsenium, & Syluanum ad S. Petri vitam eremiticam duxisse, fama, membranis, miraculis confirmatur. Illos insuper Monachi perpetuo Sanctorum loco habuere: altare, quod sacra ipsorum ossa asseruat, *Martyrum* appellant. Eosdem destructi à Gothis Monasterij reliquiis, & copiosi quondam fontis riuulos nominãt. Nec ideo historia sæculis superioribus (ac hodie quoque) tam decantata aboleri debet, eo quod Comes Ferdinandus Consaluus nullam in tabulis fundationis de S. Pelagio aut sociis iniecerit mentionem. Consequentiam, vti vocamus, negant omnes Logici. Accedit in magni momenti litteris quædam prudenter prætermitti. Itaque nec è re sua, neque Eremitarum se facturum putauit Ferdinandus Consaluus, si cœlestes fauores publicaret. Laus tutius mortem sequitur quam antecedit. Ad eorundem Sanctorum humilitatem pertinuit, ne domestica gloria publicis litteris vulgaretur, impedire.

Ferdinandus Consaluus Monasterium S. Petri de Arlanza non fundauit, sed instaurauit.

Pro certo igitur habemus, Monasterium S. Petri de Arlanza ad eram nonagesimam quinquagesimam, id est Christi Seruatoris

Multas fortunas Monasterio contulit.

nostri

nostri annum nongentesimum duodecimum, è ruderibus denuo surrexisse, vt ex tabulis Ferdinandi Gonsalez apparet, qui non primam se operi manum dare, sed alteram, hisce verbis indicat: *Qui domum sanctæ Ecclesiæ restaurat, vel in melius construere procurat*. Hoc factum regnante Garcia, Alphonsi Magni filio, non autem vel Ordonio II. vel Sanctio Crasso, quod historia generalis refert. Abbatem nouo suo Monasterio primum imposuit Comes Sonnam, spectatæ religionis virum, ad quem etiam in litteris verba facit. Etsi enim S. Pelagius inter Eremitas præfecturam gereret, qui ad S. Petrum, & viejo seu senem dictum, commorabantur, nihil opus tamen fuit, vt veterem sedem cum nouo Monasterio S. Petri *de Tuso* vellet commutare. Census, tributa, vectigaliaque viginti locorum circumiectorum contulit in Monachos, ibidemque pascendi pecoris copiam fecit. Vicinos etiam montes, terras, incolas, prata, molendina, prædia, adiecit.

Ibidem condi voluit. Quamuis autem hoc Asceterium ab hominibus esset remotissimum, id tamen vrbibus anteponens Comes, suum voluit esse Mausoleum, non in templo, sed eius vestibulo extruendum, vbi cum charissimis parentibus quingentis amplius annis decubuit. Tandem lapideis sepulchris Rex & Regina illati, medium templum occuparũt. Cum proceres Castiliæ aduertissent, Ferdinandum Gonsalez adeo huic Monasterio studuisse, vt etiam post fata id suis ossibus ornare contenderit, ipsi quoque ibidem contumulari voluerunt: vnde densi sepulchrorum ordines per templum veteremque ambitum porrigebantur. Quædam detritis inscriptionibus memoria exciderunt; tempus tamen hactenus excedere non potuit tumulum Consalui Nunni, & Mumadonæ (quam sæcula remotiora Ximenam dixere) Comitum & parentum Ferdinandi Gonsalez, item Consalui Gustios & Sanctiæ, parentum septem infantium Larentium, vbi liberi quoque aliquamdiu iacuisse feruntur: nunc autem in Monasterio S. Æmiliani de Suso quiescunt, Ecclesiam intrantibus obuij. Superest quoque monumentum Consalui Fernandez, qui Azam coloniam duxit: eiusque nepotis Comitis de Palentia. In capitulo conditus est Nunnus Velascus, vnde illustrissima Velascorum domus, hodie Comitum stabuli in Castilia, sanguinem trahere creditur. Quãtæ is auctoritatis fuerit, vel hinc æstima, quod Diplomati, cui Rex Garcia anno partæ Salutis nongentesimo vndecimo subscripserat, ipse quoque suum nomen imposuerit, cum mos illius sæculi non nisi viros summos admiserit.

CAPVT III.

Monasterij S. Petri de Arlanza incrementum.

MOnasterij huius integerrima disciplina, tum etiam Comitis Ferdinandi Consalui pia pignora eam filiis ac nepotibus iniecerunt religionem, vt certatim de incolis bene mereri studuerint. Don Garcia filius cum Donna Abba coniuge, dedere Osuelam, & Asceterium S. Romani: sepeliri tamen in Monasterio S. Petri de Cardenna voluit. Comes Sanctius Ferdinandi Gonsalez nepos, postquam donis Cœnobium liberaliter affecit, Oanæ sepulchrum sibi designauit. Cum enim tunica propior sit pallio, Monasterium suum vterque nobilitare præ aliis cupiebat. His successit Don Ferdinandus Magnus, Castellæ Rex primus, qui beneficiis in S. Petrum de Arlanza collatis, ab auo suo nihil concessit. Nam suas quoque exuuias isti loco sæpenumero promisit antequam Legionis Rex crearetur; demum etiam tabulis, era millesima septuagesima septima datis, in hæc verba latiua, sed à regula aliena, consignauit: *Sic facio ego Ferdinandus Rex: de corpus meum simul & animam meam in hoc loco, vt post obitum meũ quiescam in pace*. Scilicet oppidis Mazarejos & Villaespasa auxerat Cœnobium: pro mantissa visum illi fuit, corpus adiungere: animum enim viuus Monachia impenderat. Litteris illis subscripsere Regina Sanctia: Gomez, Saturninus, Tellus, Morellus, Marinnus, Abbates. — Ferdinandus I. exuuias suas Monasterio S. Petri de Arlanza tradidit.

Eadem ossa sua amoria, quo in Monasterium ferebatur, testes hisce verbis anno millesimo octogesimo secundo exaratis, addixit: *Sic facio ego Ferdinandus Rex traditione* (Rodam & Verzosam oppida Aureolo Abbati transcripserat) *simulque promissione & stabilitate, corpus meum, simulque & animam meam in hunc locum vel domum SS. Apostolorum Petri & Pauli, vt post obitum meum quiescam in pace*. Ergo non tantum ossa sua Monasterio donauit, sed ne inde auferrentur, tabulis sanxit.

Quædam Asceteria ei subiecit. Quocirca tantum vectigalium, prædiorum, subditorum, sibi detraxit, atque in Cœnobium S. Petri de Arlanza, veluti in suorum votorum sinum, ingessit, vt omnes maiores suos, itemque posteros, liberalitate superarit. Immo integra etiam Asceteria imposuit. Animum Regis multum in beneficia accendit S. Garciæ Abbatis rara virtus, & spectatissima miracula: nec à vero aberrant qui dicunt, in summum

religionis & fortunarum fastigium hocce Monasterium sub Ferdinando Magno euasisse. Neque alia de causa tot Cœnobia ei fuere annexa, quam vt disciplinæ Monasticæ inde caperent exemplum. Libet hic aliqua subijcere (tam vacuus enim non fui, vt omnia archiui monumenta lustrarem) ad excitandam populis, quos apud sita fuere, S.P.N. Benedicti memoriam.

Cœnobium S. Christophori de Valdelaguna.

S. Christophori in Otero de Alios.

S. Andreæ de Bobata.

SS. Iohannis Baptistæ & Marcelli.

S. Iohannis de Tablatello, quod amplitudine aliis antecelluit. vti è litteris, era nonagesima septuagesima octaua constat. Cum enim Monachi quendam Stephanum legissent Abbatem, charta actum illum referens, *Tradunt illi*, inquit, *animas & corpora*, cui quinquaginta amplius Monachi subscripsere. Incidi quoque in monumentum aliud, era nongentesima sexagesima secunda exaratum, quo Rodericus Diaz & coniunx eius Iusta Monasterio S. Iohannis Baptistæ & S. Saturnini, in Tablatellensi suburbio propter Vram riuum sito, plenis manibus facultates tulere hoc pacto. vt Monachi ad Regulam S. Benedicti viuerent.

Monasterium SS. Quirci & Iulitæ Arlanzæ etiam connexum erat, magnificentia quondam præpollens; nec satis scio qua via postmodum ad maiorem Ecclesiam Burgensem accesserit, à suo corpore resectum. Hodie Abbas dignitatem Cathedralem obtinet.

Ab eodem dependebant Cœnobia S. Romani ad ripam Tironis:

S. Mariæ, proxime fluuium Ormaz.

S. Petri Laræ situm.

S. Vincentij de Pampliega, vbi Wamba Rex habitum Religiosum sumpsit. Hæc Cœnobia omnia à Comite Ferdinando Gonsalez, Garcia eius filio, alijsque Monasterio S. Petri de Arlanza fuere adiecta. Nunc syllabum habe illorum, quæ soli Regi Ferdinando Magno in acceptis referenda sunt:

S. Facundi in Fonte Ctea.

S. Iohannis de Orta.

S. Mariæ iuxta Amnem Tortiellum.

S. Thomæ in Villarize.

S. Iuliani Burgis.

S. Mametis, & S. Eugeniæ Asceterium, illi connexum.

S. Mariæ de Lara, Cœnobium Monialium, præcipuis olim adnumeratum, cui Regina Vrraca sub eram millesimam sexagesimam sextam, Aurcolo Abbate Arlanzæ, haud exigua dona impertiuit, quod tabulæ testantur, quibus Ferdinandus Rex, Iulianus Episcopus, Saturninus, Florina, & Tellus, Abbates subscripsere. Magnia quoque fortunis idem Monasterium Mumadona Comes sub eram nongentesimam septuagesimam septimam auxit, *vt illas Atriscla Abbatissa cum omni Collegio deuotarum possideat*. Factum id Alphonso Legione, Ferdinando Gonsalez Laræ regnantibus. Syluanus, Iulianus, Asper, Sesualdus, Gaudentius, Sisebutus, Abbates, ac Nunnus Velascus, vir illustris, litteris donationis subscripsere.

Item S. Laurentij, & S. Eugenij in Gumiel Deizan.

Chelan de Clunia.

S. Michaelis & S. Mariæ ad Æseuam.

S. Marinæ & S. Michaelis Cluniæ.

S. Mariæ Burgis.

S. Iulianæ Corezi.

SS. Fausti & Romani Huertæ.

S. Iohannis Valdecannæ.

S. Isidori Tabladilli.

His igitur omnibus Cœnobiis Monasterium S. Petri de Arlanza præerat: his iura dabat, nec non veluti caput, imperabat. Idē Monachis frequentissimum fuisse, litteræ docent, quibus sub eram millesimam septimam Munion presbyter Gatoni Abbati nonnihil rerum suarum transcribens, in Monasterio *Agmina Monachorum fere centum & quinquaginta* religiosam vitam degere, asserit. Monasterium Arlanzanum Monachis frequens.

Abbatem Gandium centum octoginta numerasse, præter eos qui Prioratus (quadraginta erant) incolebant, Annales Monasterij testatum faciunt. Si locum spectes, miraberis tam angusto spatio tantam multitudinem capi potuisse; si animos, mi raberis charitatem qua vnus facile cessit alteri. Nam profecto vel hic, vel nullibi multæ oues breuem stiparunt aulam. *Hist. Arlan. l. 4. c. 153.*

Regnante Ferdinando, non modo per Castiliam monastica stetit disciplina, sed vbique caput Ordo noster alte extulit. Vna ætas, vnaque Diœcesis Burgensis, S. Dominicum, Abbatem S. Sebastiani de Silos: S. Garciam, Abbatem S. Petri de Arlanza: S. Ignatium, Abbatem S. Saluatoris de Onna: & S. Sisebutum, Abbatem S. Petri de Cardegna, quatuor illustrissima sidera, simul tulere. Burgensis Episcopatus eodē tempore quatuor viros sanctos numerauit.

Cæterum SS. Martyrum Vincentij, Sabinæ, & Christetæ corpora suo sinu complexa erat Auila, non ignobilis vrbs. Iacuere enim, vbi pro Christo ceciderant insontes victimæ. Constituit secum Ferdinandus in locum ea transferre alium, seu vt Maurorū excursionibus ac iniuriis, quibus Cœlites quoque vexatæ ansi sunt, obuiam iret: sine quod SS. Abbates Garcia & Dominicus

ſecundum quietem, vt ferout, moniti fuiſſent, vt Ferdinaodum eo adducerent. Ipſis deoiq; duobos anno milleſimo quadrageſimo oono (vt tabulæ in arcis anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo lecũdo repertæ docent) oegotium datum, vt Aoilã profecti, ſancta lipſana tollerent, ac Arlanzam vectarent. quam hiſtoriam alibi ploribua coodam. Nam lis huic Monaſterio cum Auila Palentia & Legiooe ſuper tribua iſtia Martyribus intercedit.

Monaſterium Arlanzanum diues reliquiis ſanctorũ.

Sed indulgeamus his ſacris reſiquiis, poſtquam ſemel mentionem iniecimus. Vterque Ferdinandus armis poteos, per hoſtiles terras volitaodo, oon raro in Saoctorũ oſſa incideruot. Ea igitor celeriter occuparunt, ac in ſuum Monaſterium Arlanzanuoi, cui ornaudo nullam operam prætermittebaot, iotulerunt, quæ ſi omnia hic exponerem, copia profecto Lectoris, quantũuis auidi, patientiam ſuperatura eſſet. Libet tameo pauca extremo digito monſtrare: veluti brachium S. Petri Apoſtoli: vnum digitom S. Pauli, quibus Monaſterium dedicatum eſt. Inſuper SS. Martyrũ Vincentij, Sabinæ, Chriſtetæ, & Cooſeſſorum Pelagij, Arſeoij, Syluani, Garciæ Abbatis, Regisque Wambæ corpora. Ao vero habeaotur integra, loco alio diſcutiemus.

Haud exiguam S. Crucis partem poſsidet.

Sunt etiam S Crucis (feliciſſimæ arboris) partes minores, ab ijſdem Ferdinaodis collectæ; vna tameo à Ferdinando Gonſalez dono data, quam is à Iohaone XI. Poot. Max. accepiſſe fertur, illa quidem minor eſt, quam Monaſterium S. Turibij Lieuanæ poſſidet: cæteris tameo in Hiſpania uihil concedit. Auro affabre incluſa eſt, oec noo in Crucis Carauacenſis, vt vulgo appellamus, formam diſtiocta. Ocolos per artificis labores intorqoẽti, iuniperi colorẽ objicit: odorem autem fragrantiſſimum effuodit, quo mirifice prælentes recreaotor. Mos io Ordioe S. Benedicti obtinuit, vt feſtia S. Crucis, nec nõ feria ſexta hebdomadis maioris, Monachi ſolo proſtrati, venerabile lignom eximio honore proſequantur. Hoc dum fit io Mooaſterio S. Petri Arlanaæ, ambroſios odor templum imbuit, quod nunquam alias fieri conſueuit. Teſtimoniũ Monachi omnes dicunt, qui hoc cœli monua ſæpe hauſerunt.

Fit non raro, vt Numioe permitteote, malus genius apud homines diuerſetur: miſeros miſere habeat, & ceu pilas iactitet. Ad ſtygios igitor huiuſmodi hoſtes caſtris exuendos, oon alterum præſentius telũ eſt, qoam hoc de ſancta cruce ligoum. Quando fœda tempeſtate cootrahitur cœlũ, ac ſubito elapſura graodo, hominumque boumq; labores perditora eſt, mox vt profertur, illico æther diſcuſſis nubibus purgatur. Certe curuus arator exitio agris immioente, huc maxime palmas teodit. Quidam Epiſcopus Borgenſis hanc, vel aliam qoampiam ſanctę trabis partem, è Reliquiario promptam, io dubium reuocans, poſthabito ambroſio odore, quem fundebat candentibus prunis impoſuiſſe fertur; illas vero viuas ſine mora emortuas eſſe, vt uefas ſit amplius ſuſpicari.

Beoe qooque Monaſterio fecere Sãctius ad Zamoram extinctua, & Alphonſus VI. Ferdiuandi Magni filij: nec oon horom oepotes, vſq; ad Alphonſum VII. qui Cœnobium Pampliegenſe illi denuo ſubiecit. Coram Alphonſus VI. & VII. laude digniſſimã ſuſceperunt, eo incumbeudo, vt diſciplina mouaſtica per Hiſpaniam nollo neroo vel inciſo, vel remiſſo, integre ſibi conſtaret. Ideoque Cœnobia pleraque reformatiſſimia Galliæ, veluti Cluniaco, Caſæ Dei, S. Victori Marſiliæ, Ciſtertio, aliisqoe ſubiecerunt; quod hic ſolum ooto propter quandã Bullam, qua Honorius III. confirmat donationes Monaſterio S. Petri de Arlanaa, Ordinis, vt ipſe ait, Cluniacẽſis factaa. Paucæ hoios Archiui tabulæ ſe mihi ſubduxere; io nulla tamen reperi, hoc Monaſterium cum Cluoiacenſi in Coogregationem coiuiſſe. Suſpicamur idem ei accidiſſe quod ampliſſimo Aſceterio S. Petri de Cardegna. Id enim Reges Cluoiaco ſubdere ex more voloerũt, conato tameo irrito. Cum emim Monaſteria Hiſpaniæ cætera quæ Cluoiacenſibus acceſſere, titulum Abbatiæ cũ titulo Prioratus commotauerint (S. Viocentius de Salamanca, S Maria de Najara, S. Zoilus de Corrion, S. Iſidorus de Duennas exemplo ſunto) Monaſterio autem S. Petri de Arlãza Abbatiæ titulus ademptus nũquam fuerit, nunquam ſua id libertate excidiſſe crede. Quis deinde ſibi perſuadeat, Gallos, ſi aliquando cum imperio intraſſent, veſtigiũ adeo nullũ fuiſſe relicturos? Vel igitur Reges Hiſpaniæ & Monachi Cluniacẽſes fruſtra huic ſacro admouere manus: vel ſi permouerunt, breui id priorem in locom relapſum eſt, quod etiam Monaſterio S. Petri Cardegnæ vſuuenit. Nec fama ſola, vel auctoribus vanis traditum eſt, eius Antiſtites ounquam Priores fuiſſe appellatos, ſed publicæ litteræ manibus teoentur, quibus ipſi cum Proceribos regni Abbatũ titulo ſubſcripſere. Tempore tamen factum, vt nõ io commune cum Coouentu viuerent, ſed reditus diuerſos poſſiderent. Id enim vſus io Monaſteriis ferebat, in quibus Abbates erãt perpetui. Qoocirca Reges Catholici Abbatum imperium trienoio circomſcripſere: bonis deinde proprija ademptis, ad normã Coogregatioois S. Benedicti Valliſoletanæ

Nunquã Cluniaco ſubiectũ fuit.

diſcipli-

Ann. 1518. Congregationi Vallisoletanæ se subdidir.

disciplinam dirigi mandarunt, cuiā multa Hispaniæ Monasteria nomina dederant. Aliquot annis hoc in negotio absumptis, tandem millesimo quingentesimo decimo octauo Leo X. summam manum per Bullā imposuit. Vltimo Abbati claustrali, vt appellamus, Consaluo Redondo nomen fuit: primo reformatorum, Diegoni de Rojas. Operæ pretium me facturū credidi, si Abbatum quos tempus nō aboleuit, catalogū subijcerem, cum Monasteriū hoc dignitate & antiquitate in Ordine emineat. Primo, secundo, tertio loco, aliumque deinceps alio collocamus, quo à monumentis litterarum nobis oblati sunt. Cum enim multi desiderentur, aliter facere nequiuimus.

Catalogus Abbatum Monasterij S. Petri de Arlanza.

1. Nullius rei tenax tempus, primi Abbatis nomen obliuioni mandauit. Ex eorum numero fuisse putatur, qui missu Recaredi Regis ad S. Gregorium Pontificem obiuere legationem. Eius meminit archiuum ad annum quingentesimum nonagesimū nonū.

2. S. Pelayus post instauratum Monasterium Antistes ponitur. Nam caput Eremitarum erat, qui vetus S. Petri Asceterium colebant: etsi non liqueat, vtrum in Cœnobio S. Petri de Yusso clauum tenuerit.

3. Sona, quem coram adducunt litteræ fundationis Ferdinandi Gonsalez, an. 912

4. Stephanus. 926

5. Iulianus. 928

6. Consaluus I. 938

7. Aurelius, vel Aureolus I. Hic Ferdinādo Gonsalez ad plures abituro ministrauit Sancta Sacramenta, Obeco Abbate S. Petri de Cardegua, Gaudentio Abbate S Sebastiani de Silos, Fulgentio Abbate S. Quircij vna cum aliis vespillonum officium facientibus, ac iusta soluentibus ann. 975

8. Sisebutus. 983

9. Aureolus II. 1019

10. Eximinus. Sub hoc Abbate ac sequēti Ferdinandus Rex Monasteria S. Petro de Arlanza subiecit. 1046

11 S. Garcia, miraculis nobilis. 1047

12. Vincentius. 1073

13. Marinus, aliis Martinus. 1099

14. Aper. 1110

15. Abre. 1129

16 Lope. 1143

17. Goton. 1163

18. S. Syluanus. 1170

19. Maureolus. Cum summa annonæ inopia laboraret circumiecta terra quadringentis mortalibus quotidie vitæ stabilimenta distribuit ad portam veteri Monasterij more. Huc enim monticolæ confluere solent, quotiescunque premuntur fame.

20. Gaudius. 1200

21. Ferdinandus. 1220

22. Arsenius. 1237

23. Michael. 1255

24. Stephanus. 1271

25. Petrus I. 1286

26. Bartholomæus. 1300

27. Ægidius. 1341

28. Petrus II. 1341

29. Petrus III. 1360

30. Dominicus. 1381

31. Ægidius II. 1400

32. Iohannes. 1417

33. Alphonsus. 1430

34 Consaluus. 1439

35. Petrus IV. 1450

36. Bartholomæus II. 1460

37. Alphonsus II. 1473

38 Andreas. 1483

39. Petrus de Parra: qui templum magnificum, quod spectamus hodie, moliri cœpit. 1487

40. Consaluus de Redondo, vir vndique clarissimus. Clauum tenuit vsq; ad annum millesimum quingētesimum decimū octauum, templo, cuius fundamenta Petrus de Parra iecerat, tectum imposuit. Ei egregiā opem tulerat Petrus de Giron, auctor Ducum de Osuna, vnde passim ipsius insignia per Ecclesiam conspicias. Par enim est, vt Monasteria non modo primos suos Fundatores, sed etiam cæteros, à quibus beneficia acceperunt, grata æternaque memoria prosequantur. Abbatis huius eruditionem vel hinc æstimare licet, quod Regibus Catholicis fuerit ab historia, suique Cœnobij Annales condiderit. In maiori tamen laude ponimus, quod anno millesimo quingentesimo veterem disciplinam in Monasterium reuocarit, Congregationi S. Benedicti Vallisoletanæ nomen dando.

41. Diego de Rojas primus Abbas à Reformatione. 1519

42. Franciscus de Esguebillas. 1521

43. Bartholomæus de Salazar. 1537

44. Arnao de Laredo. 1545

45. Bartholomæus de Albeor, Congregationis Generalis. 1548

46. Petrus de Guisona. 1550

47. Martinus de Brujelas. 1552

48. Iohannes de Robles vir doctus, Hispaniæ pulpitis notissimus. 1556

49. Æmilianus de S. Maria. 1559

50. Franciscus Suarez. 1562

51. Diego de Tolo. 1564

52. Iohannes de Bozo. 1565

53. Sanctius de Ozalla, 1569
54. Iohannes de Oyanguren. 1573
55. Petrus de Aquilar. 1577
56. Iohannes de Poza. 1583
57. Petrus de Areualo. 1590
58. Antonius Belon. 1593
59. Iohannes de Heredia, Visitator quondam Generalis. 1596
60. Michael de Escobedo. 1599
61. Antonius de Albarado, libris editis clarus, qui libros Gothicos non paucos ad hanc historiam facientes nobis suggessit.
62. Placidus de Huercanos, 1604
63. Ioseph de Salzedo. 1607

Sed antequam caput hoc absoluamus, iuuat rem admirandam quidem, sed à maioribus ad nos bona fide transmissam, multisque testimoniis confirmatam, in lucem producere, magnum omnino exemplum prouidentiæ diuini Numinis. Aliquoties fuit vt imminente graui pugna, in qua cardo Reip. ac salus vertebatur, ingens in Comitis Ferdinandi Gonsalez Mausoleo tolleretur strepitus, misceretur que bellicus tumultus. Cū enim is signa Christiana Mauris fortiter olim intulerit, fæceque nefanda Castiliā liberarit, videtur ossa martia quatere ad posteros suos animandum, vt pressa à se vestigia sequantur. Nihil ergo iam noui est, hunc sese mouere vel in Monasterio, vel alibi, quoties Christianis prœlium decretorium ineundum est cum barbaris.

Instante prœlio tumulus Ferdinandi Gonsalez tumultuari auditus.

Ad fatalem conflictum de las Nauas de Toledo se componebant Hispani: belli periculosa alea in medio iacebat, cū certo exitio alterutrius partis sinistre casura. Sub noctem antecedentē Legione, nobilissima vrbe, tantus fragor ferijt aures, vt copiosissimus exercitus per auras iter habere videretur. Neque fefellit euentus. Cœlestes enim copiæ bello accinctæ, regij Monasterij S. Isidori portam ictibus fatigantes, cuidam Clerico excubias in Ecclesia agenti, se ductu Comitis Ferdinandi Gonsalez, & Cidis Ruydiaz aduenisse, dixerunt, vt Regem Ferdinandum I. ibidem sepultum, in certaminis societatem adsciscerent. Sequēti luce de summa rerum tam Mauris quam Christianis dimicantibus, Alphonsus VIII. summa ope decertans, infinitas hostium copias fudit: victor euasit. Nocte proinde superiore Deus Opt. obiecto militari spectaculo Legionensibus significare voluit, inclytos heroas cœlo pridē receptos, nonnulla rerū humanarum cura tangi, præsertim si pondus ea habeant, & salus agatur patriæ. Etsi enim corpora quos diximus ductorum arma haud tulerint, neque in arenam descenderint, beatæ tamen animæ Hispanis bene cupientes, Deo exercituum supplicarunt, vt ijsdem futuram pugnam bene verteret. Hinc ille tumultus. Præterea anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, quo Christiani virtute Iohannis Huniadis, ac precibus F. Iohannis Capistrani, Alumni S. Francisci, Mahometem Turcarum Imperatorem ad Belgradum triumpharunt, ingentes sonitus Ferdinandi Gōsalez tumba edidit. Eandem scenam in suo tumulo egit S. Pelaius. Monachi non de nihilo hæc fieri dictitantes, notarunt tempus. Allatis postmodum nouis, intellexerūt postridie conflixisse nostros & victoria potitos esse.

Mortuus cœlestes copias in Mauros duxit.

Historia de Arlanza.

Si veritas multitudine testium sancienda sit, quam plurimos dare licet de bello Granatensi, & victoria de Mauris labente anno millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo parta. Tum enim diebus diuersis Comitis Ferdinandi & S. Pelaij ossa veluti inter se concurrere, ac pugnam patrare audita sunt. Acceperunt omen Monachi. Paulo post Hispani captis armis Mauros ingētibus ausis inuaserunt: concitato spiritu aciem obstinatam perfregerunt: impositum pridem à barbaris iugum, toti Hispaniæ ademerunt. Si Ciska, perditissimorum omnium bipedum dux, cutem mortuo sibi detrahi in tympani vsum iussit, quod speraret eo pulsato militum animos erectum iri, non mirum sit Comitis Ferdinandi, & S. Pelaij ossa classicum in tumulo cecinisse, ac animos Hispanis ad fortiter pugnandum fecisse. Hi vltimi tumbarum tumultus in acta relati, & à Martino Fernandez de Corral, nec nō Garcia Sanchez oppidi Couarruuiæ iudicibus confirmati sunt, Iohanne Alphonso & Petro de Ferrera eiusdem loci scribis operam locantibus, nec non testibus octo partim Religiosis, partim sæcularibus, edito iuramento rem narrantibus.

Etiam S. Pelaius cum Comite Ferdinando imminentem pugnam armorum strepitu significauit.

Vidi egomet hasce tabulas, nec rimulam qua impostura irrepere potuisset, vidi. Ponere æternum istud, pulsis Mauris, beneficium apud Hispaniam Deus voluit; proinde Ferdinandi & Pelaij ossa præ lætitia gestierunt, simulque victoriam denunciarūt. Veniat tibi in mentem, bone Lector, illius carminis Dauidis: *Omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tibi?* In choro Monasterij S. Claræ Vallisoleti, quædam tumba inquietat aures quoties mors imminet cuipiam, illustrissimo stēmate de Castilia orto, quod nec vulgus quidem ignorat. An quia *de nobilioribus maiorem curam habet natura?* Bonus Deus Regum & Principum fata comētia, terræ motibus, eclipsibus, aliisve prodigiis portendit, infimi ordinis hominibus præteritis, non quod temere sors

Psal. 34.

Aristot. 2. de Cælo.

ipsorum

ipsorum voluatur, sed quod plus Reip. intersit, capita ipsius ordine certo & aperto agi.

ANNVS CHRISTI 592. ANNVS S. BENEDICTI. 112.

Gregorius Magnus Diuina officia ad Maiestatem componit.

D. Gregorio pectus maximarum rerũ capax fuit

Virorum magnorum maximus Gregorius in altam Ecclesiæ speculam sublatus, nihil potius habuit, quam modo oculos, modo aures alternare, dicta factaque Christianorum captando. Nonnunquam subit animum vehementer admirari, hominem vnum in contemplationem, orationem, lectionem, scriptionem, ita effusum, ad tam multa alia non communia solum, verum etiam singularia se se extendere potuisse. *Sed videnti Creatorem*, inquit ipsemet, *breuis est omnis creatura* Dum igitur beatus Pontifex animum per contẽplationem librauit in Deum, par factus est omnibus negotiis, vt modo munera obiret orbe toto remoti Monachi: modo publicũ Doctorem ageret, verba è cathedra ad populum Rom. faciendo: iam autem remo insurgens, periclitantem Petri nauim è fluctibus euolueret Pontifex, vbique idem, hoc est Gregorius Magnus. Primis annis curæ habuit, vt fidem Catholicã fundaret. Quãobrem quoquouersus, quid crederet ipse, litteris significauit, quo pacto iugulum petiuit infandi schismatis, quo Hibernia, Sicilia, Italia, Græcia, obtria capita à Concilio Chalcedonensi damnata, tenebantur, inque ipsa herba feliciter extinxit. Multas quoq; hæreses remisit ad tartarum, veluti in Italia Arianam. Longobardorum pars maxima ab idolis pendebat: pars reliqua Christo ita adhærebat, vt tamen salem cum Ario hæretico lingeret. Theodelindam adduxit, vt Agilulpho Regi saniora consilia capere persuaderet. Libros 4. Dialogorum tum lucubrauit, reginæ offerendos. Siciliam violauerant Manichæi: Alexandriam, Ægypti celeberrimam vrbem, inclinabant Agnoëtæ: in Gallia virus fundebant Neophyti: Africam mistebant Donatistæ: vbique occurrebat Augiæ stabulum, Herculeo labore perpurgandum. Contra tot monstra Gregorius animose vestigia sustulit: labore, studio, legatia, litteris, prouincias laborantes obiuit: verso pollice hæreses vicit. Neque minorem diligentiam adhibuit, vt idola in fugam verteret, quæ multis adhuc nationibus illudebant. Se quoque perfidis Iudæis indulsit, è quibus multi collisis manibus fidem dedere Christo.

D.Greg. l. 2. Dial. c. 35

Habuit cõciones.

Rem Catholicam stabiliuit.

Manichæos, Agnoëtas, Neophytos, Donatistas pressit

Idololatras & Iudæos vbique gentium ad veram fidem inciauit.

Iacto hoc fundamento, curas in Missale, Breuiarium, & ritus Ecclesiasticos conuertit, vt neque supremum Numen, neq; beati Cœlites quicquam debiti cultus per annũ desiderarent. Maxime vero festiuis diebus ex decoro celebrandis insudauit. Ieiunium in Aduentum Dominicum primus induxisse fertur. Illustrissimam candelarum pompam, quæ solenni Purificationis die duci consueuit, instituit: capita in limine verni ieiunij sarratis cineribus persundi mandauit: sex hebdomadibus Quadragesimæ dies quatuor priores adiecit, vt imitaremur Christum quadraginta diebus ieiunia trahentem. Ab hac lege & consuetudine sola Ecclesia Mediolanensis abire dicitur. Ramalia, quibus digesta in ordinem supplicatio palmas præfert, eidem debentur. Vt Episcopi & Religionum Superiores die Iouis hebdomadis sanctæ ad pedes pauperum & subditorum abiecti, pleno humilitatis Christianæ facinore iisdem abluerent vestigia, tum etiam oscula lotis imponerent, sanxit. Insuper vt postridie S. Crux ijs cæremonijs, quibus etiamnum hodie defungitur Ecclesia, adoraretur. Item vt Sabbato sancto Cereus Paschalis dedicaretur, qui mos etsi iam ante receptus fuerit, ipse tamen cæremonias auxit. Subeunt etiam hunc Catalogum Litaniæ maiores, quibus ferali peste Romam liberauit. Cum vrbs festo SS. Apostolorum Petri & Pauli duos principes Ecclesiae simul frequentare, vt par erat, haud posset, diem priorem Vaticano, posteriorem Monasterio S. Pauli assignauit: officium vero recitandum ipse composuit. Earundem quoque basilicarum dedicationem quotannis celebrari constituit.

Diuina officia instituit.

Sed ne cuncta persequamur, pro certo habetur, magnam Romani Breuiarij, Romani Missalis, Romani Cæremonialis partem Gregorio Magno esse tribuendam Ad Horas quod attinet, quas vocamus Canonicas, quædam expunxit: alia attexuit: nonnulla loco mota, alio posuit. Sacros Missæ ritus ita ad vnguem resecuit & perfecit, vt vix alterius opera deinceps fuerit opus. Psalmis, ante id sacrificio præmitti solitis, substituit *Introitus*: Kyrie-eleison nouies repetitum: alleluia exemplo Ecclesiæ Ierosolymitanæ, Collectasque imposuit & distribuit. Euangelio offertorium cantandum subiunxit. Canoni hæc verba inseruit: *Diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari.* Hisce

Missale correxit, auxitque.

Dominicam Orationem, & pro clausula Communicandam addidit. Viden' vt nulla pars anni vacet cura, industria, vigilia Optimi Maximi Pontificis, diesque nulla? Quanta etiam sapientia rem diuinam cum ad pietatem, tum ad maiestatem extulerit? Coram post hæc aliam de cantu suscepit, quo animi sponte excitati, ducerentur: torpentes autem vellicarentur, quem breui tempore Italia, Gallia, Hispania, nec non prouinciæ aliæ obuiis manibus exceperunt, atque suo ab auctore Gregorianum appellarunt. Huius discendi gratia scholam vnã, ad S. Petrum in Vaticano: alteram ad S. Iohannem in Laterano aperuit. Multis hunc cantum laudibus effert Iohannes Diaconus, eiusque tum suauitate tum grauitate adeo Carolum Magnum fuisse captum memorat, vt dato Galliæ & Alemanniæ negotio, veterem. ad istum Gregorianum exigi & corrigi iusserit. Appellatur etiam cantus planus, estque figurati basis, nec longo ei interuallo postponendus. Immo illius imperitum musicum, vix dignum censebis qui palum in pariete figat.

Cantus Ecclesiastici auctor fuit.

Iohan. Diac. l. 2. c. 7. & 9.

Cultu diuino hunc in modum constituto, Ecclesiæ ministris & hominibus Deo sacris (non tantum summis, veluti Episcopis & Abbatibus, sed inferioribus quoque nimirum æditu is ac Monachis) incubuit, qua diligentia effecit vt innoxiam & se dignam ducerent vitam. Vbi intellexit quempiam sacrorum Antistitum Simoniaca labe corruptum, non quietem cepit, donec informe monstrum seuerum ad vnguem castigando expoliuisset. Grassabatur autem id temporis fœda hæc pestis, maxime per Galliam. Laici quoque non gradatim, sed vno saltu (malum!) è loco profano se traijciebant in sedes Episcopales, quique heri volitantibus cristis pileum gestabant: qui lateri fulgentem accommodauerãt ensem; hodie subito versa pelle arduam capite erecto ferebant infulam: baculo Pontificio tarda vestigia firmabant: id est, *corona sumebant. baculi in angulo.* Interualla igitur & gradua ascensuris distinxit D. Gregorius. Vt rebus diuinis Episcopi interessent, statuit: vagos coercuit: qui neglectis aliis tondebant solum oues & mulgebant, grauiter reprehendit. Quod si ad frugem se non recipiebant, gradu deiectos in Monasteria immisit. At longum esset memorare, quam oculeus in Ecclesiasticos fuerit: quam præsens vbique remedium eorundem morbis attulerit. Exemplis plenæ sunt ipsius Epistolæ. Incredibile quoque dictu est, quam curæ ipsi Monachi fuerint tanquam nobilis pars Ecclesiæ. Vt incrementum sumerent: vt ne iugum Christi, sub quod se sua sponte misissent, vel quaterent, vel excuterent; indefessam operam dedit. Longobardis bello omnia miscentibus, alicubi disciplina Monastica fatiscere cœperat, ac rimas ducere. Quippe Monachorum quidam extra Monasteria degebant, hostium metum secessui suo prætexendo: sed apud hunc communem Christi ouium pastorem verba perdiderunt, qui sparsos domum reuocauit. Hinc illa epistola ad Monachos per Siciliam vagos in promptu est: ac alia propter Monachos Gorgoniam insulam colentes scripta, quos opera Orosij Abbatis ad lineam reduxit: quem insuper in Corsicam vela facere, ibique Monasteria condere iussit. Præterea terror barbaræ crudelitatis multos coniugio nexos in insulam Orphianam coniecerat, qui maxime ad Monasterium S. Petri eum suis confluxere. Vnde acciderat, vt Monachi inter fœminas versarentur. Has igitur penitus arceri à Monasterio, & in locum alium totum submoueri mandauit. Vt pueris etiam consultum iret, pro clausula adiunxit: *Quia autem dura est in insulis Congregatio Monachorum, etiam pueros in ijsdem Monasterijs ante decem & octo annorum tempora suscipi prohibemus. Vel si qui nunc sunt, tua eos experientia* (Authemium appellat) *auferat: & in Romanam vrbem transmittat. Hoc & in Palmaria, aliisque insulis te per omnia volumus custodire.* Immo aliam rem ex alia cogitans, mulieres non tantum à Monachorum, sed etiam à Monialium Cœnobiis longe facessere iussit: vt hanc sequioris sexus à domibus religiosis proscriptionem in Ordine S. Benedicti antiquissimam esse videas.

Res iustissimi triũphi cõtra Simoniã gessit.

Monasticam disciplinam instaurauit.

D. Greg. l. 1. Ep. 39. 40. 50.

Neque se tantum Herculem contra solos humiles Monachos gessit, sed etiam principes viros in ius vocauit: pro meritis mulctauit: veluti Venantium, genere patritium, honore Cancellarium Italiæ, in quem multis epistolis grauiter inuectus est, quod Monachum relato ex Monasterio pede cauisset. Iuuat trigesimam tertiam subijcere, quam hæreticos & apostatas limis saltem oculis adspectare velim, visuros abominandum scelus quod ij admittunt, qui violata fide Numini data, ab Ordinibus deficiunt. *Multi hominum stulti putauerunt, quod si ad ordinem Episcopatus eueherer, vos alloqui ac per epistolas frequentare recusarem. Sed non ita est, quia ipsa iam loci mei necessitate compellor, vt tacere non debeam. Scriptum quippe est: Clama, ne cesses: sicut tuba exalta vocem tuam. Et rursus scriptum est: Speculatorem te dedi domui Israel. Audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. Ex qua videlicet annun-*

Ep. 33. l. 1.

Venantiũ apostatã ad lineam reuocauit.

ciatione vel retenta, vel exhibita. quid speculatorem vel auditorem sequatur, protinus intimatur: Si dicente me ad impiũ morte morieris, non annunciaueris ei, neque loquutus fueris, vt auertatur à via sua impia & viua' ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinẽ autẽ eius de manu tua requiram. Si autem tu annunciaueris impio. & ille non fuerit conuersus ab iniquitate sua. ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autẽ animam tuã liberasti: Hinc etiam Ephesiis Paulus dicit: Munda sunt hodie manus meæ à sanguine omnium vestrum: non enim subterfugi, quo minus annunciarem omne Dei consilium. Mundus ergo à sanguine non esset, si tu Dei consiliũ annunciare voluisset quia cum increpare delinquentes noluerit, eos proculdubio tacendo pastor occidit. Hac igitur consideratione compulsus, velis nolis loquutus sum, quia omni virtute aut te cupio saluari, aut de tua morte me eripi. In quo enim habitu fueris, recolis & superna districtionis animaduersione proposita, ad quid sis delapsus, agnoscis. Culpam ergo tuã pensa dũ vacas: districtionẽ futuri iudicii, dũ vales exhorresce, ne tunc illam amarã sententiã nullis fletibus euadas. Pensa quod scriptum est: Orate, ut fuga vestra fiat in hyeme vel Sabbatho. Ad ambulandũ quippe in hyeme, torpor frigoris obsistit: & iuxta præceptũ legis, ambulare in Sabbato non licet. In hyeme ergo vel Sabbato fugere conatur qui iram districti iudicii tunc appetit fugere, quando ei iam nõ licet ambulare. Dũ vacat ergo, dum licet animaduersionem tanti terroris fuge. Pensa quod scriptum est: Omne quod potest manus tua facere, instãter operare quia nec opus, nec ratio, nec sapiẽtia nec sciẽtia sunt apud inferos, quo tu properas. Teste Euãgelio scis, quia diuina seueritas de otioso sermone nos arguit, & de verbo inutili rationes subtiliter exquirit. Pẽsa igitur quid factura est de peruerso opere si quosdam in iudicio suo reprobat de sermone? Ananias pecunias Deo vouerat, quas post diabolica victus persuasione subtraxit. Sed qua morte mulctatus est, scis. Si ergo ille mortis periculo dignus fuit, qui eos quos dederat nummos Deo abstulit, considera quãto periculo in diuino iudicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum Deo Omnipotẽti, cui te sub Monachali habitu deuoueras, subtraxisti? Considera iudicium Dei quod merentur, qui semetipsum Deo vouit, rẽ tamen in vnoq; mundi desideriis irretitus, mentitus est quod vouit? Si mihi credideris, si correptionis meæ verba sequuturus audieris, quã sint blanda & dulcia, in fine cognosces. Ecce fateor, mœrens loquor, & facti tui tristitia astrictus, edere verba vix valeo, & tamen animus tuus actionis suæ cõscius, vix sufficit ferre quod audit: erubescit, confunditur, auersatur. Si ergo non verba ferre vales pulueris, quid facturus es ad iudicium Cõditoris? Fateor tamẽ, quia supernæ gratiæ misericordiam esse maximã credo quod te effugere vitam conspicit, & tamen ad vitam adhuc reseruat, quod superbientẽ te videt, & tolerat: quod per indignos famulos suos verba tibi increpationis & admonitionis administrat. Tantum est vt pensare sollicite debeas, quod Paulus ait: Exhortamur vos fratres, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; ait enim, tempore accepto audiui te, & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis. Sed scio, quia cum epistola mea protinus amici conueniunt, litterati clientes vocantur, & de causa vitæ consilium à fautoribus mortis quæritur: qui dum non te, sed res tuas diligunt, nulla tibi, nisi quæ ad tempus placeant loquuntur. Tales enim fuerunt, velut ipse reminisceris, dudum consiliarij, qui te ad tanti facinus perduxerunt delicti. Vt tibi aliquid sæcularis auctoris loquar; Cum amicis omnia tractanda sunt, sed prius de ipsis. Si vero in causa tua hominem consiliarium quæris, consiliarium, rogo, me suscipe. Nullus tibi fidelior esse ad consilium potest, quam qui non tua sed te diligit. Omnipotens Deus cordi tuo indicet cor meum, quanto te amore, quantaque charitate amplectitur, in quantum tamen diuina gratia non offendatur. Nam sic culpam tuam insequor, vt te diligam. Sic personam diligo vt culpa vitium non amplectar. Si igitur à me amari te credis, Apostolorum liminibus præsentare, meque consiliatore vtere. Si autem esse in causa Dei fortasse nimius credor, & pro zeli mei ardore suspectus sum, cunctam simul Ecclesiã in consilio huius disceptationis adhibeo, & quicquid omnibus salubriter fieri placet, in nullo modo contradico sed quod in Commune decernitur, lætus implebo, & subscribam. Implentem, quæ moneo, gratia diuina te custodiat.

Grauissima verba sodes! sed apud Venãtium (quæ apostatarum vltimo miseria est) nullum pondus habuerunt. Cum extremum vitæ scenam ageret, sibi putauit ludi fabulam. Alij tamen, huiusmodi telis perstricti, sapuerunt. Et si penitius in Ordinem nostrum oculos conijcio, ita me Superi ament, vt nullus Pontificum melius præ Gregorio Magno de eo meritus esse, mihi videtur. Animaduertit Clericis ad Abbatias nonnihil patere posticũ, à quo si occiperentur, pessum ituram Religionem. Idcirco lege cauit, ne quis ad munus & honores Abbatum admitteretur, nisi prius Monachum professus esset; quod etiam S.P.N. Benedictus statuerat. Præterea vt ipsi Monachorũ cœtus Abbates legerent, cõstituit: Episcopi rebus Monasterij manus ne inijcerent, sanxit. Quidã enim plus æquo ac debito ad se trahebant. Quapropter multis in causis Monasteria Episcoporũ iurisdictione liberauit: plurima omnino exemit, veluti Castellense, quod Cassiodorus condiderat: S. Apollinaris, Rauennæ: Sancti Medardi in Gallia: Arelatense & Augustodunense. Sed hæc tolio recte in annum

Clericis ad Abbatias adspirãtibus obicem posuit.

quingentesimum nonagesimum quintum distulerimus.

Mona-chis & pauperibus orbe toto eleemosynas distribuit

Iohan. Diac. l. 2 c. 24 25. 26. 27.

Dona Monachis non solum in Italia, sed ubique terrarum, unde reditus capiebat Romana Ecclesia, distribuit. In civitatibus maioribus quaestores habebat (ipse defensores appellabat) qui vectigalia, fructus, censum Romanae sedis excipiebant. His in mandatis dare solebat, quantum in Monachos & pauperes effunderent. Penes se quoque tabulas accepti & expensi habebat, notatis Monachorum & Monialium Coenobiis: pauperibus quotidianis, & extra ordinem advolantibus: itemque peregrinis: publice rogare stipem pudore impeditis. In hos vel nummos, vel ut visum est, gravidis manibus dona alia depluebat. In eas tabulas relatae quoque erant vicinae civitates, ac civium cum egestate confligentium indita nomina, quorum calamitatem certis temporibus levare solebat. Stati vero dies, mensium Kalendae erant, quibus frumentum, vinum, legumina, caseum, butyrum, oleum, farinam, pisces dividebat. Festo Principum Apostolorum Petri & Pauli: item S. Andreae, (cuius cultui plurimum studebat) suoque natali, copiosius penum effundebat. Solemni Resurrectionis Domini luce, expeditis loculis in Ecclesia Vigilij Papae auream sementem in Episcopos, Presbyteros, Diaconos, aliosque sacrarum aedium ministros faciebat. Advenas & peregrinos hisce diebus magno studio conquirens, fame fractis cibos, laceris vestes, vacuis pecunias, tanta animi suavitate, ardore tanto suggessit, ut deficientibus egenis ad divites se verterit, ac aliquid impertiverit.

Monialiū tria millia sustentavit Romae.

D. Greg. l. 6. ep. 18.

Caeterum ut ad institutum redeat calamus, liberalitatis ipsius nullum prorsus Monasterium praeteriuit, quam ut uno obtutu videas, ter mille Moniales Romae sanctissimam vitam degentes, in adversitate, quorum paulo ante meminimus, sedulo retulerat. Absque horum lachrymis & orationibus fuisset, inquit, nunquam Longobardorum persequutionem evasissemus. Illis igitur de cibo, potu, amictu, supellectile (verbo) de omnibus necessariis prospexit. Neque Maximi Pontificis munificentiam ita aceidit Roma, vicinaeque urbes, quin partes in Orbis ultimas extenderetur. Monachis Orientem colentibus non modo munera misit, verum etiam Probum ad S. Andreae Abbatem, opibus onustum, Ierosolymam suscipere expeditionem, ibique Monasterium & Xenodochium condere iussit. Cypriano Diacono in mandatis dedit, ut bis mille frumenti modios annona laborantibus distribueret: ad Candidum Presbyterum hanc epistolam dedit. *Pergens*

D. Greg. l. 5. epist. 4. Ind. 14. & 10.

auxiliante Domino nostro Iesu Christo ad patrimonium, quod est in Galliis gubernandum, volumus ut dilectio tua ex solidis, quos acceperit, vestimenta pauperum, vel pueros Anglos, qui ab annis decem & septem, vel decem & octo, ut in Monasteriis dati Deo, proficiant, comparet. Si quid vero de pecuniis redditum, quae dicuntur ablata, recipere potueris, ex his quoque vestimenta pauperum comparare te volumus: vel pueros, qui in Omnipotentis Dei servitio proficiant. Sed quia pagani sunt, qui illic inveniri possunt, volo ut cum eis Presbyter transmittatur, ne quid aegritudinis contingat in via, ut quos morituros conspexerit, debeat baptizare.

Porro Monachos à se alicuius fieri vel tū ostendit, cum ad quosvis dignitatum Ecclesiasticarum gradus eos evexit, etsi nec ad infimam illi quidem affectarent viam. Episcopos, Archiepiscopos, Cardinales, Legatos in digitos mitte: miraberis, illorum maxime rationem duxerat, qui plura virtutis argumenta iam ante ediderant. Et nisi imago & exemplum virtutis fuisset ipse, nulli vitio patens, nescio quo pacto acciperemus, tam multos è Monasterio S. Andreae Abbates, honoribus Ecclesiasticis ab ipso fuisse admotos: profecto in caeteris extollendis humano affectu fuisse ductum, crederemus. At candidissima anima non aliam petiuit metam, quam divini Numinis voluntatem & gloriam: cumque Monasterij sui Monachos nosset in cute, quod aiunt, eosdem prae aliis è cellis evocatos, Ecclesiae voluit fuceollare. Ubi res haec adueetit saeculares, tanto nimirum intervallo Sacerdotes sibi & Monachos à Pontifice anteponi: ab officiis Ecclesiasticis & muneribus connexis arceri omnes Deo non initiatos: in sacro palatio tantum virtuti ac eruditioni locum esse, non solum in Italia, sed tota propemodum Europa subito verterunt pellem. Quippe magno numero vel mundo valere iusso, confluxere ad Monasteria, sumptoque habitu se Numini dicarunt: vel in Clericorum ordinem se redegerunt. Alios virtutis amor, cui summum pretium ille posuerat, incitabat: alios exempla trahebant, & tot antecedentium sancta vestigia: putem nonnullos etiam à Pontifice gratiam inire voluisse. Lucifer exerto è tetra styge inviso capite, & hos & illos flammantibus oculis notans, ringi ac rumpi coepit invidia, nec sibi amplius dissimulandum, aut longas iam trahendas oscitationes ratus, orbi fabam cudit, quam anno proximo dabo.

Monachos cathedris Episcopalibus imposuit.

Saeculari-bus ad virtutem ac eruditionem stimulos admouit.

ANNVS CHRISTI 593. ANNVS S. BENEDICTI 113.

CAPVT I.

Mauritius Imp. milites edicto à Monasteriis arcet.

Mauritiũ milites Monasteriis prohibentẽ, coercuit Gregorius.

POstquam Imperator Mauritius omnis ætatis ac ordinis homines, etiam sacramento militari obnoxios, in Cœnobia ruere accepit, in istos legem tulit, ne sagum deinceps eum cucullo commutarẽt, nisi vel rude donati, militiam exegissent: vel armis ferendis inutiles forent. Pontifex officij sui memor, magno pectore Imperatori nõ æqua statuenti obuiam iuit, quamuis amicitia, in eum diem diligentissime culta, fuerit dissuenda, quæ nunquam inde amplius coaluit, vt facile intelligas, quanto Monachos amore prosequutus sit, quorum gratia Mauritij Imp. gratiam deponere voluit. Sed hem tibi epistolam, quam ad eundem is dedit.

Gregorius Mauritio Augusto.

Lib. 2. Epist. 61.

OMnipotenti Deo reus est, qui serenissimis Dominis in omni quod agit & loquitur, purus non est. Ego autem indignus pietatis vestra famulus, in hac suggestione neque vt Episcopus, neque vt seruus iure Reip. sed iure priuato loquor: quia serenissime Domine ex illo iam tempore dominus meus fuisti, quando adhuc Dominus omnium nondum eras. Longino viro clarissimo stratore veniente, dominorum legem suscepi, ad quam fatigatus tũc agritudine corporis, respondere nil valui. in qua dominorũ pietas sanxit, vt quisquis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad Ecclesiasticum officium, venire non liceat. Quod valde laudaui, euidentissime sciens quia si sacularem habitum deserens, ad Ecclesiastica officia venire festinat, mutare vult saculum, non relinquere. Quod vero in eadem lege dicitur, vt ei in Monasterio conuerti nõ liceat, omnino miratus sum, dum & rationes eius possint per Monasterium fieri, & agi potest vt ab eo loco in quo suscipitur, eius quoque debita soluantur. Nam & si quisquam deuota mente conuerti voluisset, prius res male ablatas redderet, & de sua anima tanto vertus, quanto expeditior cogitaret. In qua lege subiunctum est, vt nulli qui in manu signatus est, conuerti liceat. Quam constitutionem ego, fateor dominis meis, vehementer expaui, quia per eam cælorum via multis clauditur: & quod nunc usque licuit, ne liceat, prohibetur. Multi enim sunt, qui possunt religiosam vitam etiam cum saculari habitu ducere. Et plerique sunt, qui nisi omnia reliquerint, saluari apud Deum nullatenus possunt. Ego vero hac dominis meis loquens, quid sum nisi puluis & vermis? Sed tamen quia contra Auctorem omnium Deum hanc Constitutionem tendere sentio, tacere non possum. Ad hoc enim potestas super omnes homines dominorum meorum pietati cælitus data est, vt qui bona appetunt, adiuuent: vt cælorum via largius pateat: vt terrestre regnum cælesti regno famuletur. Et ecce, aperta voce dicitur, vt ei qui semel in terrena militia signatus fuerit, nisi aut expleta militia, aut pro debilitate corporis repulsus, Domino nostro Iesu Christo militare non liceat. Ad hac, per me seruum vltimum suum & vestrum, respondebit Christus dicens. Ego te de Notario Comitem excubitorum: de Comite excubitorum Casarem: de Casare Imperatorem: nec solum hoc, sed etiam patrem Imperatorum feci. Sacerdotes meos tua manui commisi, & tu à meo seruitio milites tuos subtrahis? Responde rogo, piissime Domine, seruo tuo, quid venienti & hac dicenti responsurus es in iudicio Domino tuo? Sed fortasse creditur, quia nullus eorum puro animo conuertatur. Ego indignus famulus vester scio, quanti his diebus meis in Monasterio milites, conuersi, miracula fecerunt: signa & virtutes operati sunt. Sed per hanc legem iam ne quisquam talium conuerti valeat, prohibetur. Requirat, rogo, dominus meus, quis prior Imperatorum talem legem dederit, & subtilius astimet, si debuit dari. Et quidem considerandum valde est, quia eo iam tempore prohibentur quique relinquere saculum, quo appropinquabit finis ipse saculorum. Ecce enim mora non erit, & ardente cælo, ardente terra, coruscantibus elementis, cum Angelis & Archangelis, cum thronis & dominationibus, cum principatibus & potestatibus, tremendus iudex apparebit. Si omnia peccata dimiserit, & solam hanc legem contra se dixerit esse prolatam qua, rogo erit excusatio? Vnde per eundem tremendum iudicem deprecor, ne illa tanta lachryma, tanta orationes, tanta ieiunia, tantaque eleemosyna domini mei, ex qualibet occasione apud Omnipotentis Dei oculos fuscentur, sed aut temperando pietas vestra, aut immutando vigorem eiusdem legis inflectas: Quia tunc magis dominorum exercitus contra hostes crescit, quãto Dei exercitus ad orationem creuerit. Ego quidem iussioni subiectus, eandem legem per diuersas terrarum partes transmitti feci, & quia lex ipsa Omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis dominis nunciaui. Vtrobique ergo, qua debui exsolui, qui & Imperatori obedientiam prabui, & pro Deo, quod sensi, minime tacui.

Porro cum suspicaretur quercũ hoc solo ictu non caluram, litteras alias ad Theodorum, quo eum Mauritio magnus vsus

D. Greg. l. 2. ep. 65. intercessit, dedit, quibus edictum damnauit; tum plures victorias insigni in Deum pietate, quam robore militari partas, docuit. Ne tamen imprudenter Imperatori moueret bilem, impatienter obmurmurando, legem ab eo latam nō penitus aboleuit, sed ita dextere illius incidit neruos, vt nemini vim amplius afferre potuerit. Nequis enim vel Magistratum gerens, vel publico altero officio implicitus, ad sacros ordines admitteretur prius, quam rationes retulisset, statuit: deinde vt milites, quibus ea pietas esset, habitu quidem monastico induerentur, si tamen tres prius annos in tyrocinio posuissent. Saepius post haec alter alteri litem intendit, sed nolumus à linea discedere. Vltimo Mauritius *horrendo exterritus visis, optauit delictorum suorum poenas luere in hac vita. Proinde annuente Deo à Phoca centurione imperator, coniuge ac liberis ante oculos eius trucidatis, iugulatur* Non alius Augustus aut mainrem cladem, aut fortius tulit. In suorum ac sua caede vnam hanc vocem edidit: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Multa is bene fecerat; soluisse autem poenas temeritati visus est, qua in D. Gregorium, Pontificem Opt. Max. iuerat. Neque admiratione caret, Monachum quempiam nudo ense per plateas ac fora Constantinopoleos sole meridiano vagum, Mauritio cadendum ferro, intenta voce denunciasse. Par enim erat, vt libertatis Ecclesiasticae innasor ab homine Ecclesiastico tristia sua fata acciperet.

Mauritius iniquae legis graues poenas dedit. Horat. Tursel. ex Zon. l. 3. & Sigeb. Chron.

Praeco instantis poenae Monachus.

Annvs Christi 594. Annvs S. Benedicti. 114.

CAPVT I.

Monasterium S. Pancratij adscribitur Ordini S. Benedicti.

POterat S Pontifex Gregorius referre pedem, ac amorem, quo Monachos ante id prosequebatur, sumpto alio vultu, tegere: ipse tamen potius animos nouos cepit: coacto Cōcilio multa pro Monachis sanxit: annoque labente Ordinē S. Benedicti egregio S. Pācratij Monasterio auxit, quod altero fere lapide Roma dissitū, viam occupabat veteribus Aureliam dictam. Etsi enim porta Ianiculensis emitteret ac admitteret viatores, ob insignia tamen opera, à C. Aurelio Cotta, & M. Aurelio fratribus, id loci posita, tam vix quam portae nomen Aureliae inditum est.

Monasterium S. Pancratij propter viam Aureliam positum.

Imperatoribus Ecclesiam Dei vastantibus, coemeterium illic erat, quod à S. Calepodio Presbytero appellabant, commune Martyribus sepulchrum. Postquam id Pancratium, è Phrygia oriundum, atque sub Maximiano & Diocletiano ad mortem adactum, excepit, nouum decus, nouam gloriam acquisiuit.

Igitur locum deinceps interuisere Romani, colere, venerari: qua pietate impulsus Symmachus, ibidem Ecclesiam, opibus & priuilegiis diuitem, sub annum à nato Seruatore quingentesimum, statuit. Eandem auxere Gregorius Magnus, Honorius I. Innocentius IV. Demum Leo X. titulum Cardinalis addidit. Vt multa paucis absoluamus, miracula quae S. Pancratius crebro edebat, Sanctorumque corpora ibidem condita, fecere, vt illa Aedes nullo non tempore à Romanis frequentaretur. Vigilium Papam plus simplici vice insigni iniuria fuisse affectum, grauiter Narses ac Pop. Rom. tulere: cuius facinoris etsi Pelagius compertus haud esset, apud istos tamen suspicione nauatae operae laborauit, nec eum prius pro Pontifice habere voluerunt, quam in celebri Sancti Pancratij Basilica suspicionem à se publice remoueret. Ergo huc pertractus, in locum editiorem sese eduxit: tum sacro Euangeliorum libro capiti imposito, concepto iuramento fidem fecit, ea se culpa vacare. Quid? Romanis templum hoc, asylum fuit, quo supplicationes suscipere consueuerunt, ad publicas calamitates auertendas, fuitque vicesima septima D. Gregorij Homilia hic habita. Sed cum populus turmatim eo aduolaret, Clerici vero quorum erat rem diuinam curare, parum diligenter munus fungerentur, Pontifex submotis illis Monachos introduxit, cuius epistolam ad Maurum S. Pancratij Abbatem scriptam subijcere iuuat.

Greg. Turon. de gloria Martyr. c. 15.

Eius in templo Pelagius grauem suspicionem à se amoliuit.

D. Greg. l. 3. Epist. 18

Transfertur ad Monachos S. Bened.

Ecclesiarum cura, quae Sacerdotalibus officiis euidenter infixa est, ita nos cogit esse sollicitos, vt nulla in eis neglectus culpa appareat. Quoniam vero Ecclesiam Sancti Pancratij, quae erat commissa Presbyteris, frequenter neglectam fuisse cognouimus; ita vt venientes Dominico die populi, Missarum solennia celebraturi, non inuento presbytero, murmurantes redirent: hoc matura deliberatione nostro sedit arbitrio, vt eu remota, Monachorum congregationem in Monasterio, eidem Ecclesiae cohaerenti, constituere, cum Dei gratia, deliberemus: quatenus Abbas, qui illic praeesset, curam & solitudinem antefata Ecclesia habere, modis omnibus debuisset. In quo etiam

Monasterio te Maurum Abbatẽ prævidimus præponendum, statuentes, vt terras præfata Ecclesia, vel quicquid illuc intrauerit, seu de redditibus eius accesserit, antedicto Monasterio tuo debeat applicari, atque illuc sine diminutione aliqua pertinere. Ita sane, vt quæcunque in ipsa suprascripta Ecclesia fienda reparandaque sunt per te sine dubio reparentur. Sed ne remotis Presbyteris, quibus Ecclesia ipsa fuerat ante commissa vacare mysteriis videatur, idcirco tibi huius tenoris auctoritate præcipimus, vt peregrinum illic adhibere debeas Presbyterum, qui sacra possit Missarum solennia celebrare. Quem tamen & in Monasterio tuo habitare, & exinde vitæ subsidia habere, necesse est. Sed & hoc præ omnibus cura tua sit, vt ibidem ad sacratissimum corpus D. Pancratij quotidie opus Dei procul dubio peragatur. Hæc igitur quæ tibi præcepti huius facienda serie deputamus, non solum te perficere, verumetiam ab his, qui in officio locoque tuo successerint, sic in perpetuum seruari volumus & impleri, vt nullus deinceps in supra dicta Ecclesia possit inueniri neglectus. Hinc cognoscere licet quando, & quam ob causam S. Pancratij Asceterium in nostrum Ordinem concesserit: nec non quam magni Magnus Gregorius Monachos S. Benedicti æstimauerit, quos celeberrima Ecclesia donauit, vt Populi Rom. pietatem, Clericorũ negligentia fatiscentem, confirmarent. Olim ampla illustris, ac tres in naues distincta stabat, hodieque fornicibus duabus vtrinque sublatis, adeo late se expandit, vt neminem adeuntem excludat.

Præstat tamen omnibus S. Calepodij cœmeterium ob infinitam sacrorum ossium copiam, diuersas per cellulas digestorum. Thesaurus hic, non facile comparandus, Ordini S. Benedicti ad annum vsque millesimum ducentesimum quadragesimum nonum in manu fuit, vt ex quodam ætatis huius monumento constat, quod Pompeius Hugonius producit. Quãdo autem nobis successerint Ambrosiani, qui alteram quoque S Clementis Ecclesiã, in monte Cœlio sitam, ac titulo Cardinalis ornatam, obtinuere, compertum non habemus. Monasterij vero huius Abbas magnæ auctoritate polluit in vrbe; nam Pontifici Max. sacris operanti assistere solebat. Præter alios viros insignes, quos Monasterium numerauit, non vltimo loco posuerim Nicolaum Presbyterum Cardinalem & Abbatem, sub Victore III. fama inclytum.

Pomp. Hugon. de Station. Rom.

Transit ad Ambrosianos

* * *

CAPVT II.

Maximianus Archiepiscopus Syracusanus in Sicilia.

S. Maximianus adeo ad vnguem virtutis numeros impleuit, vt in suo S. Andreæ Monasterio iuberetur esse Abbas. Cum D. Gregorius legationem Constantinopolim obiret, Pelagio mittente, hunc præter alios eiusdem Asceterij Monachos in familiam adsciuit, quibus cum sacra colloquia iniuit, quoties onus humeris nutantibus residens, ponere pauliper visum est. Certe fatetur ipsemet, se subinde in sacris libris hærentem, difficultates cum istis communicasse, quæque in litterario horum congressu imbibisset, pro concione dixisse. Compositurus Dialogorum libros, Maximianum rogauit, quorundam Sanctorum facta, quæ negotijs implicito excidissent, in memoriam sibi restitueret. Optime profecto sibi consulunt, qui negotiorum mole pressi ac distenti sacræ contemplationi indulgere nõ possunt, vti cupiunt, id tamen operam dent, vt horis succisiuis cum viris religiosissimis sermones de cœlo serant: neruos curis sæcularibus remissos intendant. Fit enim non raro, vt tali congressu spiritus multo luculentius accendatur, quam longa meditatione. Hoc D. Gregorius in more positum habuit, huiusque gratia S. Maximiano familiarissime vsus est. Ægre tamen hoc homine caruit Pelagius: quocirca eum à Gregorio repetiuit. Qui etsi magno dolore afficeretur, quod charum amicum Pontifici ac Monasterio S. Andreæ restituere cogeretur, morem tamen, vt par erat, gessit: amico multam salutem dixit: missum fecit, qui in itinere hoc casu ictus est, quem Magnus Legatus ipse memorat.

Neque hoc silendum puto, inquit, *quod Omnipotens Deus super Maximianum famulum suum, nunc Syracusanum Episcopum, tunc autem mei Monasterij Patrem, dignatus est monstrare miraculum. Nam dum iussione Pontificis mei in Constantinopolitana vrbis palatio responsis Ecclesiasticis deseruirem, illuc ad me idem venerabilis Maximianus, charitate exigente, cum fratribus venit: qui cum ad Monasterium meum Romam rediret, in mari Adriatico nimia tempestate deprehensus, inæstimabili ordine, atque inusitato miraculo erga se, cunctosque qui cum eo aderant, Omnipotentis Dei & iram cognouit, & gratiam. Nam cum in eorum mortem ventorum nimietatibus, eleuati fluctus desæuirent, ex naui, clauis perditis, arbor*

S. Maximianus ad S. Andreæ Monachus.

D. Greg. in Ezech. ho. 14.

Eo D. Gregorius familiarissime vsus est.

D. Greg. l. 3. Dial. c. 36.

S. Maximianus lacera naui octiduũ vectus, portum feliciter tenuit.

abscissa est: vela in vndas praiecta, totumque vas nauis quassatum nimiis fluctibus, ab omni fuerat sua compage dissolutum. Rimis itaque patentibus intrauit mare, atque vsque ad superiores tabulas impleuit nauem, ita vt non tam nauis intra vndas, quam vnda iam intra nauem esse videretur. Tunc in ea jam naui residentes, non iam ex morte vicina, sed ex ipsa eius praesentia ac visione turbati omnes, sibimet pacem dederunt, corpus & sanguinem redemptionis acceperunt, Deo se singuli commendantes, vt eorum animas benigne susciperet quorum corpora in tam pauenda morte tradiderat. Sed Omnipotens Deus, qui eorum mentes mirabiliter terruit, eorum quoque vitam mirabilius seruauit. Nam diebus octo nauis eadem vsque ad superiores tabulas aquis plena iter proprium peragens enatauit. Nono autem die in Cotbrotensis castri portum deducta est. Ex qua exierunt omnes incolumes, qui cum praedicto venerabili viro Maximiano nauigabant. Cumque post eos ipse quoque egressus fuisset, mox in eiusdem portus profundum nauis demersa est, ac si illis egredientibus pro pondere subleuatione caruisset: & quae plena hominibus in pelago aquas portauerat, atque natauerat, Maximiano cum suis fratribus recedente, aquas sine hominibus in portu non valuit portare: vt hinc Omnipotens Deus ostenderet, quia hanc onustam sua manu tenuerat, quae ab hominibus vacua, & derelicta, super aquas non potuit manere.

Igitur ad summum Pontificatum euectus Gregorius, Maximianum sibi de manu elabi haud passus est. Itaque cum Archiepiscopali Cathedrae Syracusanae Praesulem, simulque toti Siciliae Legatum imposuit. Cum autem rebus gerendis nemini facile palmam cederet, Gregorius Magnus grauissima negotia cum eo communicare consueuit, quod è pluribus illius epistolis colligas. Officio integerrime fungendo à bonis omnibus gratiam iniuit: à malis tamen subinde tactus fuit, quae fors viris summis vt plurimum subeunda est. Magno incommodo ereptum sibi à fatis hoc anno primarij ciues maiorem in modum luxerunt: Pontificem vero accepti vulneris certiorem facientes, vehementer rogarunt, vt prouinciam committeret Maximiano alteri.

D. Greg. l. 3. ep. 11. l. 13. 14.

Hoc anno fatis concessit.

Laudauit Pontifex hanc ciuium vrbanitatem: amori in suum Praesulem etiam gratias egit; cuius virtutes simul hoc compendio absoluit: *Hoc tamen sciat magnitudo vestra, quia ciuitati illi quem dare possimus Maximiano Reuerendissimo similem, non habemus.* Totum dixit. Postremo eiusmodi se virum missurum spopondit, qui saltem per interuallum subsequatur Maximianum illam aetatem ingeniis ac virtutibus faecundam fuisse, neminem fugit, vt tanto pluris aestimandus sit Maximianus, quem Pontifex tot aliis antepoſuit. Locum in Ecclesiae fastis V. Id. Iunij obtinet.

D. Greg. l. 4. ep. 47.

Colitur ab Ecclesia 9. Iunij

Annus Christi 595. Annus Benedicti 115.

CAPUT I.

Marinianus Archiepiscopus Rauennas.

S Maximiano extincto, Monasterium S. Andreae vnius Archiepiscopi iactu-ram fecisse visum est. Sed breui damnum resartum est, Mariniano in sedem Archiepiscopalem Rauennatensem collocato. Id temporis Rauenna caput vrbium erat quae Imperatori Constantinopolitano parebant in Italia. Erat etiam Exarchi sedes, qui loco Imperatoris ibidem iura dabat, vnde ipsis quoque Archiepiscopis aliquis splendor aspergebatur, quo non pauci perfricti ceruices sumpserunt, Pontificem ecce sibi suas habere iubentes, ipsi vero aliud filum sunt orsi, & magna saepe negotia D. Gregorij antecessoribus facessiuere, donec fato concessit Iohannes, cui quidem Rauennates substituerunt Iohannem alium, is tamen à Pontifice eiectus fuit. Tum suffragiis itum in Donatum est, sed neque hunc probauit Pontifex. Cum se toties frustra esse animaduertissent ciues, ac intelligerent id agi à Gregorio, vt semina litium tollerentur, Marinianum delegerunt, oneri parem, vel maiorem, & Pontifici in paucis charum. Hic, domo Romanus erat, Ordinem S. Benedicti in Monasterio S. Andreae professus, ad virtutes à D. Gregorio eductus, atque imprimis orationi & vitae asperitati deditus, quod studium neque in Archiepiscopatu exuit. Magistrum vero suum tum maxime expressisse visus est, cum ab humeris suis vtraque manu eiecit Archiepiscopatum, velut ille summum Pontificatum; adeo alienus fuit ab aucupio infularum. Scite rem narrat ipse Gregorius: *Excellentissimi viri Domini Patritij voluntatem in persona Donati Archidiaconi implere voluimus. Sed quia valde periculosum est animae temere cuiquam manum imponere, curae nobis fuit vitam actusque eius subtili inuestigatione discutere. Et quoniam multa inuenta sunt sicut eidem Domino Patritio scripsimus, quae eum pro culpa ab Episcopatu remouent, Dei iudicium metuentes, eo ordinando ea non praesumpsimus consentire. Sed nec Iohannem Presbyterum,* psalma-

Rauenna Exarchi sedes.

Pōtificatum sibi è ciuium voto Marinianus gessit.

D. Greg. l. 4. ep. 45.

Grauem frustra declinauerat infulam.

psalmorum nescium, præsumpsimus ordinare, quia hac eum res minus sui profecto habere studium demonstrabat. His igitur remotis, cum ad eligendum de suis à nobis partibus vrgerentur, & nullum se habere ad hoc officium faterentur idoneum, maiorque nos vna cum eis teneret afflictio, tandem venerabilem fratrem Presbyterum Marinianum, quem diu mecum didicere in Monasterio conuersatum, communi concordantique voce atque consensu sæpius petierunt. Et quia bene nobis eius vita est cognita, atque in lucrandis animabus illum nouimus esse solicitum, nullam in ordinatione ipsius moram attulimus. Quantum vero vobis cum illo conuenire valeat, citius cognoscetis, quia ad Episcopatum venit inuitus. Hieronymus Rubeus oris ac morum suauitatem huius Archiepiscopi multis encomijs prosequitur, additque Ordinis sancti Benedicti fuisse Monachum, & à Gregorio Magno, qui se in eundem Ordinem quondam intulisset, non absq; vi ad Archiepiscopatum pertractum, nec voluisse humeros oneri subijcere, nisi à magistro illius ferendi accepisset modum: eaque gratia Gregorium pastorali scribendo manum admolitum esse. At at, errorem hic nexuit Rubeus, cum sanctus Doctor Pastorale pro Ioanne, Mariniani antecessore, composuerit; quamuis ad eam normam suas hic etiam rationes diligentissime direxerit, & Commentarios in Iob etiamnum viuo auctore suis Clericis legendos proposuerit.

Rub. hist. Rauen. l. 4.

Vires ieiunando fregit.

In voluendis libris summum studium posuit: inedia corpus ita vexauit ac viribus exhausit, vt Pontifex ipsi imperarit, maiorem sui duceret rationem. Tandem fugiente penitus vigore, graui morbo correptus est, fatali sanguine pallida per ora eluctante. Afflictam eius valetudinem ægre D. Gregorius tulit: quid medicis Romanis curando malo videretur, significauit: demum Romam inuitauit, data sponsione omnem se operā nauaturum infirmo: quod si fato concedendum foret, oculos se mortuo condituram. Serio quoque fame enecto imperauit, vt deinceps ieiunijs, vigilijs, concionibus, modum statueret. Instaurata nonnihil valetudine, semel atque iterum à cibo per hebdomadem abstinendi copia ei per Pontificem facta est, ne vacillantes artus denuo affligeret, si veterem ieiunandi consuetudinem reuocaret.

S. Gregor. l. 5. ep. 28.

Hinc apparet quantam suis ouibus curam supremus iste pastor adhibuerit, amicis præsertim, ac inter hos Mariniano, cui ex morbo decumbenti ministrare cupiebat: ægrum vero ipsius animum multo diligentius curaturus, non quod ex aliquo is vitio laboraret, sed quod de neglectu nonnullo pauperum traductus fuisset. Qua de causa ipsum ad lineam (si abijsset) datis litteris reuocauit, etiam atque etiam inhortando, ne mores alios induceret, quam in Monasterio coluisset. Quid opus est multis? vnū exemplum cape. Iter Rauenna fecerant quidam senes pauperes. Inde Romam delati, & à Pontifice excussi quantum ab Archiepiscopo accepissent! *nihil*, retulere; nec panem quidem, præter illius Ecclesiæ consuetudinem. Incensus Gregorius, illico ad Secundinum Monachum hæc scripsit: *Dixerunt* (senes mendicantes) *Respondit nobis dicens: non habeo, quod vobis dare possim. Et miror si is qui vestes habet, argentum habet, cellaria habet, quod pauperibus debeat dare, non habet. Dic ergo ei, vt cum loco, mutet & mentem. Non sibi credat solam lectionem & orationem sufficere, vt remotus studeat sedere, & de manu minime fructificare; sed largam manum habeat: necessitatem patientibus concurrat: alienam inopiam suam credat. Quia si hæc non habet, vacuum Episcopi nomen tenet.* Et epistola vicesima octaua ad ipsum Marinianū data, *Quia ergo te multū diligo, inquit, instanter admoneo, vt nō plus pecuniæ, quam animabus studeas.*

D. Gregor. l. 5. Indict. 14. ep. 29.

D. Gregorius pauperū curam ei per Secūdinū Monachum iniecit.

Hunc in modum à Gregorio M. excitatus ad frugem quidem se non recepit, cum frugi semper fuerit, sed à minimis sibi næuis quam diligentissime cauit: Archiepiscopatum auxit: atq; vt paucis complectar, vbiq; officium fecit: qua de causa Pontifex, non modo virum priuilegijs, sed etiā sacro Pallio ornauit, & grauissima negotia illis in partibus per eundem explicauit. Cæterum annis vndecim menseq; vno Archiepiscopatu sanctissime gesto, morte oppeijt, cū suis prius in mandatis dedisset, vt exanime corpus in Monasterio S. Apollinaris (quod etiam Classense appellamus) cōderent, quo Monachos ab ipso introductos Rubeus existimat, etsi templum multis annis ante positum fuerit.

In Monasterio Classensi sepultus est.

CAPVT II.

Monasterium Classense, cui etiam S. Apollinaris nomen.

HOc D. Apollinaris Monasterium in vrbe Classensi situm, S.P.N. Benedictum ætate longe anteiuit; nec certo constat, quandonam Monachis nostris cesserit. Sed cum Rubeus à Mariniano introductos fuisse asserat (forte factum cum is sedem Archiepiscopalem caperet:) idque vero quam simillimum sit, ad hunc annum non de nihilo retulimus.

Porro ciuitas Classensis altero fere lapide Rauenna distans, Archiepiscopo parebar: natales autem istos habuit. Qua Sapis fluuius relictis terris, mari se committit, sinus pandebatur, nauibus excipiendis aptissimus. Captus loci opportunitate Cæsar Augustus, animum ad portum ibi aperiendum muniendumque, adiecit. Editam ergo turrim statuit, quam Pharum dixit, quod facibus in ea accensis prolatisque viam nauigantibus notaret, nec secus quam Pharus illa Ægyptia naucleris indicaret, quo vela verterent. Vt deinde naues bellicæ, quæ mare Adriaticum & Ionium sulcabant, hanc in stationem confluerent, imperauit. Itaque non longo tempore ex Istria, Dalmatia, Græcia, Ægypto, Africa, tendere hnc puppes: turba nautica cum vectoribus ædificare casas: denique iustam condere vrbem, ac appellare Classensem, eo quod portus integras classes hospitio acciperet.

Ciuitatis Classensis incoonabula.

Emporium multo nobilissimum, colorem tamen illustriorem à sanguine S. Apollinaris, discipuli sancti Petri duxit, qui eam prouinciam prædicando obiuit. Oriundus Antiochia erat, & quorundam sententia è LXXII. Christi discipulis, adeoque primis Italiæ cultoribus adnumerandus. Quamuis autem terram circumquaque tereret, Rauennæ tamen quasi sedem fixerat.

S. Apollinarem habuit Apostolum: baberque tutelarē.

Postquam Apostoli officio egregie functus est, in sacrificulorū immane odium incidit, quod non ante remiserunt, quam is in ciuitate Classensi interficeretur, deinceps futurus prouinciæ tutelaris. Repostum in tumulo, mediocre imprimis templum condebat, cui magnifica postmodum moles imposita fuit. Videlicet Iustinianus Imperator singulari studio opera publica & admiranda ædificandi tenebatur, quod Procopius, auctor grauis, testatum facit. Maxime vero tam ipse quam alij Imperatores Constantinopolitani in Rauenna exornanda curam & aurum consumpsere, quod Exarchorum sedes esset, iam inde à Theodorico Rege Ostrogotho celebris. Itaque Iuliano Argentario negotium dedit, vt templum ibi amplissimum S. Vitalis Martyris honori moliretur. Vrsicinus vir sanctissimus, Ecclesiæ Rauennatensis id temporis præsul, vidit, ac facinus probauit: manus tamē perfricans, S. Apollinaris studio ardens, agere cum Argentario cœpit, vt Apollinari tam Classensium quam Rauennatensium Diuo tutelari, templum aliud, quod priori nihil concederet, construeretur. Facile persuasit beneuolo auditori, vt Imperatorem adiret: hanc in mentem alias pronum impelleret. Iustinianus conuenit: Vrsicinus fit petitionis compos. Quo pacto duabus in ciuitatibus duo conspicua templa sunt erecta, oculatorum testium iudicio in Europa paucis secunda. Ambo labentibus annis in potestatem Ordinis nostri venerunt. Rauennatense etiamnum Congregationi Casinensi adhæret: sed nunc in Classense templum lumina conijciamus.

Hieron. Rub. l. 3.

Iustinianus magnificum templum S. Apollinari posuit.

Leander Albertus, qui describendum id suscepit, postquam architecturam & impensum aurum mire extulit (quippe pretioso marmore, saxisque prægrandibus constructum, & cum splendidissimis Italiæ templis comparandum) centum triginta pedes longum, octoginta quinque latum, sexaginta octo altum esse, nec non quinquaginta sex fenestris diem admittere, affirmat. Insuper laquearia tres in ordines distincta pretiosis ac versicoloribus columnis pendere: parietes marmore primi nominis scite secto, vestitos: pauimentū quoq; varias in figuras elegantet explicatum. Ad maiestatem tamē ante omnia facit, primos Archiepiscopos Rauennates ibi conditos esse. Nam cultui & amori sancti Apollinaris hoc dederunt, vt propriam vrbem Classensi postponerent. Duodecim sancta in eo corpora, non secus quam nitidissima sidera, monstrantur, quæ inter caput ac sol S. Apollinaris est. Blondus non Iustiniani, sed Regis Theodorici opus esse, contendit: alij Narsem conditorem faciunt: recte tamen Rubeus Theodorico quædam solum beneficia deberi, asserit. Sed vt vt sit, inter augusta antiquitatis monumenta haud immerito numeratur.

Leand. Albert. in Romanula.

Ceius (sic) dcam hic capę.

Archiepiscoporū Rauēnat. quondam coeditoriem fuit.

Blond. Italia ill. lust.

Circum Basilicam (æui illius more) aliquot stabant Monasteria, cultui S. Apollinaris addicta. Cæteris præstabat, quod Iohannes Marinianus antecessor extruxerat, SS. Marcello, Marcelliano, & Feliculæ sacrum. In templo vero etiam Canonici rem diuinam faciebant: paulatim vero et annis, sic etiam potentia superiores Monachos exclusere, donec Zacharias Pontifex Max. cum illac iter haberet, ad S. Apollinaris ossa diuertens, Clericis submotis, Monachos nostros restituit, simul ditissima dona adijciens, altaribus ornandis impendenda. Post hoc sub annum septingentesimū quinquagesimum factum, cum Ordo noster maximum incrementum sumeret in Italia. Ex religiosissimo isto Cœnobio præter alios viros præstantissimos, prodiere Honestus Archiepiscopus Rauennatensis, & S. Romualdus, Congregationis Camaldulensis auctor. Loco etiam multæ opes accessere, cum S. Apollinaris gratia, tum quod Archiepiscoporum Rauennatensium esset conditorium.

Zacharias PP. submotis Clericis Monachos loco restituit.

Si quandoque casus grauis accideret, iuramentum ad s. Apollinaris ossa Itali edebant, quod Gallos alibi facere consuesse ante hac narrauimus. Id in nonnullis D. Gregorij epistolis notauetis, præsertim 53. l. 5. Archiepiscopus Rauennæ perpetuum pallij vsum sibi arrogabat: (nam statis id diebus vsurpare, cæteris commune erat:) sinæque Ecclesiæ consuetud nem ote pleno prætexuit. Quocirca D. Gregorius cuidam Notario, cui nomen Quæstorio, in mandatis dedit, vt capulares senes in vrbe conquisitos, ad S. Apollinaris tumulum perduceret; tum hocce iuramentum nuncupare iuberet: *Ego N. iuro per Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, & per vnitatem Dei omnipotentis, & per hoc corpus Beati Martyris Apollinaris, me quouis humano fauore aut emolumento neglecto dicere velle veritatem.*

Iuramenta edita ad s. Apollinaris ossa. S. Gregor. l. 5. ep. 53.

Mos quoque obtinuit, vt designatus Archiepiscopus, ad Sedē Rauennatensem inaugurandus, noctem antecedentem ducetet in Monasterio Classensi: postera vero luce Rauennam peteret, Monachis eum per aliquantū viæ prosequentibus. Lateta proficiscentis tenere solebant Abbas, & aliquis Cardinalis Ecclesiæ Cathedralis: cumque peruentum fuisset, certis ritibus persolutis, Capitulo ipsum ac effusis obuiam principibus ciuitatis committebant.

Rubeus l. 10. hist. Rauen.

Porro Monasterium hoc iam inde à Mariniano Archiepiscopo, vt visum est, & Zacharia Pontifice Max. possedimus ea sorte, quam expressimus, donec ad annum millesimum centesimum tricesimum octauum Summi Pontificis voluntate ad Camaldulensem Cōgregationem vna cum suis Prioratibus transijt, quæ prima de Ordine S. Benedicti nigrum habitum in candidum vertit: Cum enim s. Romualdus in Monasterio Classensi votis nuncupatis vixisset, post vero disciplinam monasticam secundum S. P. nostri Regulam magnis incrementis per Italiam propagasset, æquum videbatur tantis meritis æternum statuere monumentum, vt re Classensi ad nouam Congregationem translata, posteris constaret, è quonam Monasterio vir tantus prodijsset. Hæc & huius classis alia Rubeus te docucrit.

Monasterium Classense an. 1138. Cōgregationi Camaldulensi accessit.

Rub. l. 5.

Si vis, Catalogum tibi subijciam Cœnobiorum, in vtraque vrbe ac vicinia sitorum, præter illa duo s. Vitalis & s. Apollinatis, quæ cæteris dignitate anteibant.

Monasteriorū SylLabus quæ vrbs Classensis. Rauenna. & vicina loca habuere.

1. S. Adalbertus in insula Pereo.

2. S. Seuerus. Hodie ad Cistertienses pertinet. Cum adhuc Monachis nigris in manu esset, sanctus Romualdus patrem suum induxerat, vt habitum ibidem sumeret.

3. S. Maria in Cosmedin, quod Ascetetium Basiliani aliquamdiu incoluere.

4. s. Maria Rotunda. Insigne Monasterium Congregationi Casinensi subiectum. Amalasuntha Regina id construxerat patri suo Theodorico Mausoleum, cuius anno quingentesimo vicesimo sexto mentionem fecimus.

5. s. Iohannes Euangelista.

6. s. Petrus ad vincula, opus s. Stephani Regis Hungariæ. Videlicet, vt tegni huius pauperes Romam tendentes, hospitio ibidem acciperentur.

7. Laurentius in Cæsatia.

8. s. Mames.

9. ss. Iohannes & Stephanus in vrbe Classensi, quo in Monasterio Claudius, eruditione clarus, Abbatis munus obiuit, ad quem Gregorius Magnus epistolas duas dedit: Ille vero opuscula non pauca ex huius operibus contexuit.

D. Gregor. epist. 18. & 19. l. 7. Indict. 1.

10. ss. Maurus, Marcellus, & Felicula, in vrbe Classensi.

11. ss. Marcus, Marcellus, Felicula, Rauennæ.

12. s. Donatus.

13. s. Maria de Palatiolo, nobile quondam Asceterium. Vertentibus annis Monasterio s. Vitalis, & Congregationi Casinensi accessit.

14. s. Michael, cui loco Bibliotheca libris Mss. refertissima, celebre nomen peperit.

15. s. Gregorius, Monialium domiciliū.

16. s. Mereurialis, Parthenon.

17. s. Martinus de Cœlo Aureo. Monasterium hoc cum primarijs in vrbe æquādum, anno millesimo quingentesimo duodecimo S. Francisci familiam accepit. P. F. Franciscus Gonzaga Ordinis sui homines aliquamdiu in suburbio commoratos, refert, postea vero à nostris templo S. Martini in Cœlo Aureo donatos, cuius fabricam multum extollit. Cæterum admiratione plane dignum est, Classensem vrbem, pharū, portum, Augusti Cæsaris opera, magnitudine Romana non inferiora, procubuisse, vt non superfit qnod digito monstres præter arenā; Monasteriū vero templumq; S. Apollinaris, etsi crebro à Saracenis expilata, vltimam tamen cladem euasisse. At cum Iohannes IX. Archiepiscopus Rauennæ, animaduerteret, corpus S. Apollinaris, totius illius ditionis, Apostoli, hostium iniurijs obiectum esse, ingenio vsus dolum insignem fuit, quo incolis & Saracenis mire imposuit. E multis Sanctorum corporibus, quæ in Monasterio cōdita erant, duo sustulit, vtriq; nomē S. Apollinaris imponens. Mox in vulgus spatsit

P. F. Fran. Gonzaga hist. de S. Franc.

S. Apollinaris Monasterium nunquam murauit.

S. Apollinaris lipsana, se auctore, Rauennam in Monasterium S. Martini de Cœlo Aureo migrasse, quo reuera è duobus corporibus vnum transtulerat: alterum autem alio collocarat, nempe vt incursantes quandoque hostes confunderet, atque falleret, cum interea verus Apollinaris locum nunquam mutasset. Populus tamen hoc errore ab Archiepiscopo imbutus, eundem late vulgauit: Quocirca fraude hac etiam captus P.F. Franciscus Gonzaga, sacra ossa suo in Monasterio recubare, calamo quidē strictò pugnauit: dubium vero quod multos tenuit, suppressit, quasi nemo vnquam dubitasset. Ego certe cum singulari amore familiam D. Francisci complectar, & eam Ordini nostro curæ cordique esse sciam (quod plurima beneficia testatum faciunt) post cōcessum sancti Martini Monasterium, ossa sancti Apollinaris ipsi denegaturus haud fuissem, nisi sententiam aduersam robustioribus testimonijs fultam esse scirem.

Hieron. Rub. l. 3. Hieronymus Rubeus (nec enim vel mihi, vel Gonzagæ, quorum res agitur, fidem habere velim:) Rubeus, inquam, qui Rauennæ historiam litteris prodidit, librum integrū, excussis prius Monasteriorum archiuis, hoc de argumento confecit; quo illos deceptos fuisse ostendit, qui S. Apollinarem veteri sede mutata, in Monasterium S. Martini de Cœlo Aureo concessisse credidissent. Nimirum litteras in promptu esse ab anno millesimo centesimo septuagesimo tertio, quibus Alexander III. acri lite, quæ inter hæc duo (etsi eiusdē tunc Ordinis) Monasteria intercesserat, audita, Hildebrando & Theouino Cardinalibus negotium dederit, vt in rem quærerent: hos autem summa diligentia imperium exequētes, S. Apollinaris ossa vna cum laminis tribus argenteis longe antiquissimis, martyrium illius referentibus, inuenisse: victoriam Monasterio Classensi adiudicasse: inde liti finem impositū fuisse.

Iussu Alexandri III. quæsitus, & in Monasterio, quod ab ipso S. Apollinaris dicitur, inuentus est.

Præterea cum anno millesimo quingentesimo vndecimo Iulius II. ad vrbē diuertisset, Franciscus Soderinus sacra D. Apollinaris lipsana, è crypta subterranea egesta, publico cultui in templi choro exposuit, cōstructo de marmore non vili Mausoleo. Leander Albertus Dominicanus, Friderico Barbarossa Imperatore, eadem ab Hildebrando Alexandri III. auspicijs fuisse reperta, tam affirmat, quam Rubeus, vt mirari satis non possim, tam graues auctores nullum pōdus apud Gonzagam habuisse. Potuisset rem saltem in medio reliquisse. Sed culpa vacat vir doctus bonusq;: nil enim de suo attulit: referentibus alijs fidem habuit, historicis ac tabulis prætentis. Cæterum S. Martini Cœnobium plurimis annis Classensi anteiuit: nam illud à Rege Theodorico; istud sub Iustiniano Imp. ædificatum fuit. At calamum sisto, quandoquidem post nouem id sæcula ad Franciscanos transeundo, haud amplius ad historiæ meæ fundum spectat.

Auctoritate Iulij II. sacra ossa è crypta in publicam lucem prolata sunt.

CAPVT III.

Regula S. P. N. Benedicti à Pontifice Max. approbatur.

Hoc tempore multis malis agitari cœpit Gregorius Magnus. Nam vexabatur ab Orientis Imperatore: Patriarcha vero Cōstantinopolitanus Oecoumenici titulum superbe sibi vindicando, nouos motus ciebat. Credetes Pontificem extra teli iactum fuisse, hoste vtroq; procul distante; at Exarchus ab Imp. proximus, eiusdemque Vicarius, nec non Agilulphus Longobardorum Rex, Italiæ incubantes, cominus iniurias in sacram Sedem iaciebant. Hic etiam contracto exercitu Romā obsidione sepsit, Gregorius tamē se ipso maior, etiam in tanta tempestate clauum rectè tenuit: Concilium Romæ habuit, quo Ecclesiasticis plurimum profecit. Conuenere viginti tres Episcopi: triginta quinque Presbyteri Cardinales: Canones sanciti septem, è quibus secundus & sextus valde in rem Monachorū erant. Priore cautum est, ne sæculares in cubiculum secretius Pontificis deinceps se immitterent, vtque solis Clericis & Religiosis frequentandi, ac ministeria ibidē obeundi fas esset. Ita nimirum Religiosos pastoris sui virtutes ducturos: Pontificem his arbitris sinistræ famæ fore securum. Hoc tamen cæteris rebus omnibus hoc anno gestis anteponimus, quod gloriosi Patris nostri sanctissimas leges confirmarit. Bullam in archiuo Sublacensi, Ordinis nostri primo Monasterio, seruari, testatur Baronius, quā tamen obiter tantummodo attingit, nobis maiorem partem afferre visum est.

D. Gregorius sacra comitia Romę habet.

Baronius an. 595.

Gregorius Episcopus Seruus seruorū Dei, Reuerendissimo & prudentissimo Honorato, Abbati Monasterij S. Benedicti & S. Scholasticæ sororis eius &c. Ego Gregorius sanctæ Romanæ Ecclesiæ Præsul, scripsi vitam S. Benedicti, & legi Regulam, quam ipse Sanctus manu sua propria scripsit. Laudaui & confirmaui in generali Synodo, & per diuersas partes Italiæ, vt illic & vbicunq, latina littera legerentur, præcepi vt diligenter obseruarent, quicunque ad conuersionis gratiam accessuri essent, vsq, ad finem mundi. Et confirmo duodecim Monasteria quæ ipse Sanctus construxit, & in vnoquoque duodenos Monachos posuit

Regulam S. Benedicti confirmat.

fuit. Scriptũ per manus Benedicti Scriniarij S.R.E. mense Iulio, indictione 3. Pontificatus Domini Gregorij in sacratissima Sede Beati Petri anno sexto.

Vnde cognoscas quanta propagandi Ordinis cura S. Gregorium tenuerit, dum Regulam Diui Patris nostri non tantũ in Concilio approbauit, sed etiam vt vbique locorum, quo lingua latina penetrasset, reciperetur, sanctissimeque obseruetur, statuit. Qui sapit, profectò vel hinc intelligit, Pontificem istum Ordinis S. Benedicti fuisse, cuius Regulam tanto ardore confirmauit: tanto studio per Italiam & Orbẽ vniuersum diffudit, nullum interea verbum de Regula S. Equitij, cuius in familiam à Baronio non rectè asscritur, faciendo. Immo dũ S. Benedicti Regulam toti Italiæ sanxit amplectendam, an non S. Equitij leges (si quas scripsisset) hoc Canone sustulisset? è Cœnobijs, & ex omni memoria euulsisset?

Igitur Regulę Ordinum ab hoc tempore cõfirmari cœperunt, auctore Gregorio M.; adeo nullam curam, industriam, laborem nullum in re vlla constituenda prætermisit. Oportet profectò S. P. Nostri leges ad amussim sacri Euangelij factas esse, quas Vicarij Christi Pontifices tam cito probarunt, ceditque ad magnam D. Benedicti gloriam, tot Religiones iam inde ab exordio Ecclesiæ institutas, ijsdemque regulas à viris sanctissimis præscriptas, ipsius tamen omnium fuisse primam, cui calculus Pontificius publice obtigisset. Approbauerint ante id Episcopi eam viuendi rationem, quam in ipsorum Diœcesibus iniuere Monachi: æqui bonique fecerint, eorundem seu leges, seu regulas, confirmasse tamen censendi non sunt, cum hoc in vnius Summi Pontificis potestate situm sit. Hic solus confirmat, hic solus robur, constantiam, perpetuitatem rebus tam grauibus addere potest. Olim itaque Confirmationis Romanæ loco, Episcoporum nutus sufficiebat: at hodie res hæc soli Pontifici in manu est.

Solius Pŏtificis est, Ordines approbare.

In Ordinibus tria sunt, quibus nituntur & consistunt. Nimirum, Obedientiæ, Castitatis, & Paupertatis vota, quæ Deo nuncupantur, nõ aliunde quam è lege Euangelica petita. Deinde certus viuendi modus ad hæc vota rite obseruanda, qui legibus, à prudenti ac pio viro latis, continetur; quæ vt vim habeant, publica auctoritate firmari debent. Olim nemo nouis Religionum institutis intercedebat. Episcoporum quidem habebatur ratio, quibus tacentibus, etiam Pontifices consentire credebantur. Ita SS. Pachomij, Hilarionis, Basilij, Augustini, ac quorundam aliorum Regulis factum. Neq; enim vlla tum decreto tenebantur, vt à Sede Romana peterent Confirmationem. Atqui anno millesimo cẽtesimo septuagesimo nata ad speciem Religio est, quam Pauperum de Lugduno appellarunt, superstitionibus ac hæresibus non minus scatens, quã caseus albis vermibus; quibus prouocatus Lucius III. surgentem improbam potius, quã piam familiam, multis nominibus de hæresi ream factã, condemnauit: in semine extinxit. Reliquiæ Innocentium III. adiuere, petitum vt sua sibi instituta confirmaret: sed facessere iussi sunt. Orta posthęc duo magni Orbis maiora sidera, Dominicus & Franciscus, cũ nouum vterq; Ordinem molitetur, supplicarunt Vicario Christi, vt conditas à se leges, ratas esse vellet. Patres qui tum generale Concilium ab Innocentio III. indictũ in Laterano peragebant, moti Sanctorum istorum cauta prudentia, Canonem rogarunt, ne quis deinceps nouam absque Sedis Apostolicæ auctoritate institueret Religionem: quod negotium cum totius Ecclesiæ interesset, idem Canon in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. repetitus fuit. Intelligis puto cur prima Ecclesiæ ætate Patrum Regulæ à Pontificibus nõ fuerint approbatę, hoc vero nobile punctũ primus omnium tulerit S. Benedictus. At at caput agitas, Regulam videlicet D. Augustini ante à Gelasio fuisse confirmatam. Hunc enim Summum Pontificem Distinctione 15. c. sancta Rom. Ecclesia illustrissimi Doctoris libros publice approbasse. Nimirum igitur Caput illud inspice, quo Papa & auctorem & eius præclara opera dilaudat: mirabor nisi mox videbis aliud tum actum esse, quam confirmatã vel Regulam vel Religionem D. Augustini: Hæreticorum lucubrationes spargi, molestè ferebat Pontifex: ne quid ergo detrimenti res Catholica caperet, earum lectione interdixit: postea libros proborum auctorum Catalogo confecto obtulit, atque imprimis sancti Augustini, Doctoris sane miraculosi. Nam quid ego de tanto patre dicam? Atqui hoc non est approbate Regulam, aut Religionem sed censuram ac sententiam ferre de libris, quod nihil fidei Catholicæ, vel bonis moribus aduersum cõtineant. Vbi vero Regulæ ad Lydium lapidem data opera exiguntur, primo loco S.P.N. Benedicti Regula ponitur: post eam SS. Basilij & Augustini. Iohannes III. anno quingentesimo sexagesimo quarto, concesso celebri S. Medardi Monasterio magni momenti priuilegio, *Monachi*, inquit, *huius Monasterij gaudeant libertate, & alsq; omni inquietudine obediant praeceptis Regulæ S. Benedicti.* Negare tamen non possumus Pon-

Lucius III. pauperes de Lugduno hæresis condemnauit

Concil. Later. sub Innoc. III.

Concil. Lugdun. sub Greger. X.

Caus. 18. quæst. 2. c. Perniciosam.

Lege Panormit. c. final. de religiosis domibus.

Pontificem Monachis potius hisce persuadere voluisse, vt ad Regulam S. Benedicti vitam componerent, quam eandem confirmare. Illud autem prætereiri non debet, Regulam vnam hanc, inter alias facile principem visam Pontifici Max. dignamque, quam Galliæ Ascetis non modo commendaret, sed etiam imponeret, quamuis breue temporis spatium à morte nostri Patris intercesserit. Hæc cum ita, oblique significauit, eam sibi vehementer probari. Cui enim alias ita studiose Monachis inculcasset? Sed Gregorius Magnus scrupulum hunc nobis supra exemit, quod postea etiam Zacharias Papa fecit, cuius Confirmationem, annis quidem posterioribus acceptam, libet hic ponere, quod sit huius argumenti locique.

Zacharias PP. Regulam S. Benedicti approbat. *Zacharias Episcopus, Seruus Seruorum* Dei, *omnibus Christi sanguine redemptis salutem & Apostolicam benedictionem. Omnipotenti Deo, cuius melior est misericordia super vitas, gratias agimus, qui gloriosus in Sanctis suis atque mirabilis est, ac virtutes & dona ineffabili largitate dispergit. Ipse quippe Beatissimum Benedictum, Patrem omnium instituit Monachorum. Ipse illius meritis Casinense Monasterium in solo Tertulli Patricij fundatum, omnibus per totum Orbem Cœnobijs clementi benignitate præfecit, vbi ipse Sanctus Monachorum Regulam scripsit, quam sanctæ memoriæ Gregorius, prædecessor noster, in libro Dialogorum satis approbat & laudat: & nos approbamus, & laudamus, & sanctam instituimus, & ordinamus in dedicatione eiusdem Ecclesiæ dum ibidem cum Archiepiscopis tredecim, & Episcopis sexaginta octo adessemus.* Item, S. P. N. Benedicti Regulam, ante alias fuisse confirmatam, etiam Canonistæ fatentur. Canonistæ Benedictinos in publicis confessibus & supplicationibus cæteris Religiosis anteponunt. Nam in Rubrica *de maioritate & obedientia*, Ordini S. Benedicti in publicis actibus, veluti confessibus, supplicationibus, locum primum concedendum, plerique sentiunt. Certe non antiquitatis nomine, cum SS. Basilius & Augustinus annis superiores sint; sed Confirmationis, quam palmam S. Benedictus cæteris Patribus præripuit. Pluribus verbis ista scribunt Zabarella Cardinalis: Felinus: Bartholomæus Cassaneus, producti consiliationibus hac super re Bononiæ, Paduæ, Ferrariæ habitis, quibus multos primæ notæ Iurisperitos adiungunt, haud ignaros sancto Benedicto Patres non paucos, Religionum conditores, si ætas spectetur, anteponendos, qui tamen ei primum deberi locum existimarunt, quod Ecclesia Dei Regulam ipsius ante alias approbauerit & confirmarit.

Zabar. determin. Bonon. Felin. de maiorit. & obed. Cassan. 4. part. Catal. gloriæ mundi. consid. 34.

CAPVT IV.

S. Gregorius Archiepiscopus Turonensis.

Poterat Ordo S. Benedicti hoc anno lætitia diducere pectus, ob bonos quos faciebat progressus, nisi bis nobile funus ducendum fuisset in Gallia, sancto Gregorio Turonensi, & sancto Sulpitio diem supremum obeuntibus. Posterioris res gestas alibi narrauimus, nunc par est vt prioris virtutem quoq; in litteras ac lucem mittamus, cuius labore tot libros in manibus habemus.

Fuit igitur Gregorius iste Gallus, ex Aruernia oriundus, patre Florentio, matre Armentaria, longe nobilissimis parentibus, iuxtaque religiosissimis, natus. Sedem profecto pietas ea in familia fixerat, è qua etiam S. Gallus Aruerniæ Episcopus, & Vegetius Pagatus, cuius Martyrium Eusebius memorat, prodiere. Indolem à prima pueritia in litteras sponte pronam, parentes excolendam in tempore tradidere. Vnde tam doctus euasit, quam ætas illa ferebat. Eruditionem sanctitate ita miscuit, vt crebra miracula patraret etiam iuuenis. Patri vice altera è grauissimo laboranti morbo, medelam adhibens, quam ipsi angelus suggesserat, salutem attulit. Videlicet nomen IESV tabellæ inscriptum, suppósuit ægrotantis puluinari. Alias excitato è piscis cuiusdam intestinis fumo ingentem æstum, quo mater coquebatur, submouit. Cognati, noti, omnes, quorum ad aures miraculum acciderat, obstupuere. Aliquando admodum adhuc puerum brachijs exceptum, S. Niceto Archiepiscopo Lugdunensi obtulerunt, qui magna & singularia in eo latitare, olim prodenda, vaticinatus est, simulque gestienti benedixit. Quocirca à tenello isto flosculo nemo non præstantissimos fructus sibi promisit. Nec potuit non proficere, eum apud S. Gallum, cuius egregijs facinoribus plena Franciæ historia est, virtutum tyrocinia posuerit, quem is postea ad beatos Cœlites discessurus, sancto Abito Episcopo commendauit, commisitque. Non fugiebat virum hunc, vti inter improbos vitijs, sic inter bonos virtutibus vel ificari solere adolescentiam, ideoque Gregorium Monachis immiscuit. Initiatus iam sacerdotio, in Monasterijs vt plurimum Turonensibus cómorabatur, in quibus insignem erga Deum pietatem, deinde erga S. Martinum affectú tenerrimum imbibit, quibus vinculis innexus adamantinis, non facile alio se mouebat. Certe vicina sancti Martini ossa tanta in Gregorij pectus incendia voluerunt, vt

Surius 17. Nou. Euseb. Cæs. l. 5. Gregorij Turonésis bonam indolem litteris subigit. Medetur ægroto patri. Monachis se adiungit.

amore

amore æstuans, non modo tutelarem sibi præsidem delegerit, sed etiam capto stylo, acta ipsius quatuor libris descripserit. Insuper tot præclara Monachorum exempla pietatis, & in sanctum Martinum amor, tantum apud candidissimam animam potuere, vt Turonis S. P. N. Benedicto nomen dederit, merito à Trithemio inter Ordinis nostri viros sanctos, doctos, Ecclesiastica dignitate præstantes, positus. Cum Monachum longe optimum ageret, designatus Archiepiscopus est, nec ante ceruici suæ hoc onus imponi passus, quam à Clericis, ciuibus, Rege Sigeberto, Brunechilda Regina, vis obluctanti afferretur. Venancius Fortunatus suis carminibus in applausus Galliam prouocat, sic orditur:

Trithem. de vir. ill. l. 2. c. 10. l. 3. c. 31. l. 4. c. 43. *Vitta Archiepiscopali redimitur.*

Plaudite nunc populi Turoni, vota tenentes
Præsulis aduentu, spes gregis ecce! venit.

Non dicam sanctissimum Pontificem respondisse exspectationi, cum eam longe superauerit, nusquam à diligentissimi pastoris officio deflectens. Templum sancti Martini dilabens vetustate, non modo deforme senium contraxerat, verum etiam passim vitium fecerat. Huc ergo Gregorius omnium primo incubuit: huc manum admouit instaurando, in splendorem dando, miracula Patroni per parietes bonis coloribus explicando, nihilque prætermittendo quod quisquam desiderare potuisset. Quas seruo & clienti suo gratias Magnus Martinus retulerit, non abs re fecero, si ad minimum setigero, quando copia narrare omnia haud sinit.

Templũ S. Martini instaurat.

Ægroto S. Martinus gratias refert

Forte maligna febri ardebat Gregorius, timentibus quoque medicis ve vitam cum morte commutaret. Ægrotus multis milliaribus Turonis abesset, se tamen accinxit, inuitisq; medicis in viam dedit, quod spem in S. Martino positam haberet. Calorem, dum se mouebat, intendere visus, maiorem in modum à suis rogatus est, vt figeret pedem, is tamen promouit. Vbi ad sepulchrũ Diui tutelaris peruentum est, euaporauit lethifer æstus, æger sospitatem recepit. Item, sublatum iam in Sedem Pontificiam, male habuit dysenteria, quæ adducto secum calore, spem viuendi non tantum medicis, sed ipsi quoque anhelanti & caminum euoluenti ademit. Accito igitur seruulo, quicquid in medicis & pharmacis spei fuit, dixit, consumpsimus. Medicina vnica superest; quam si frustra adhibuerimus vltra dubitandum haud est, Numen de me statuisse, mihique esse moriendum. Age, de S. Martini sepulchro pulueres mihi affer, quos potioni infunde: hæc, vti confido, iactam mutabit aleam. Minister (Armentario nomen

Greg. l. 2. c. 1.

erat) consilium hoc in arena cæptum sequitur: sine mora præceps ad sancti Martini tumulum contendit, legit puluisculos: diluit: ori Præsulis sitientissimo admouet: hic educit. Forte tum index horam designabat sextam, (miraculum!) ad nonam corpus is sanum è straro corripuit: afflictas vires cibo reuocauit. Immo ipse alijs quoque varijs ex morbis laborantibus huiusmodi medicinam præbuit, ac fato subduxit. Sed mihi iam nullum negotium est cum alijs.

Euenit iterum vt cum simili morbo conflictaretur, ac aliquanto acciperetur immitius. De more adhibuit medicos, quibus vbi oleum & opera petijt, fores S. Martini denuo pulsans, filum de velo, ad sui patroni aram suspenso, exemit: tum sibi applicans in crucem distendit: fatum auertit. Lingua eidem sic intumuerat, vt eam ad verba edenda expedire non posset. Vt primum ad S. Martini sepulchrum se ferens, exertam illam, qua licebat, cancellis admouit, rotondam & agilem recepit. Igitur Gregorius pro fonte suæ salutis, plane S. Martinum habuit. Rea etiam summa admiratione digna, pulueres, fila, quæque alia ad Cœlites pertinent, sæpe morbos, nulla arte medicabiles pellere.

S. Gregor. l. 4. c. 1.

Cap. 2.

Reliquias de Beatissima Virgine & sancto Martino, perpetuo secum circumferebat, non tantum quod Magnæ illi Matri, huicq; patrono suo deuotissimus esset, verũ etiam vt gloriam miraculorum (quæ creberrima, vt Clerici ipsius apud Surium referunt) patrabat, à se amolireiur, sacra vbiq; lipsana prætexendo. Contra Arianos acerrima bella gessit, quæ postmodum ipse descripsit. Chilpericum Regem nouam de diuinis personis loquendi rationem introducentem, animose repressit: Iudæos in triumphum duxit. Plerisque Concilijs in Gallia habitis, adfuit, in quibus sibi præclarum nomen peperit, præsertim in Synodo Parisiensi, ad quam Episcopi quamplurimi confluxerant, vt Prætextatum, Archiepiscopum Rothomagensem, gradu mouerent, exolum Chilperico, quod partes Meroboi filij fouisset, quem in S. Carilephi Cœnobio Monachum induere compulsum, alibi narrauimus. At cum Archiepiscopus vacare culpa videretur, Gregorius sumpta iu pectus confidentia, tam Chilperico, quam Fredegundæ Reginæ andacter obuiam iuit. Cum etiam ipse à Laudesto, nõ bono Clerico, de infami nota Reginæ aspersa, reus esset factus, causam suam in Synodo Benaiensi strenue egit, coacto Laudesto, vt calumniam, mendacio consutam resorberet. Igitur improba spe delusus Laudestus, in-

Sacrarum Reliquiarum summum in S. Gregorio studium. *Surius 17. Nou.*

S. Gregor. Turon. l. 5. c. 47.

Id. l. 6. c. 5.

Archiepiscopatum strenue gerit.

Lib. 5. c. 47. 48. 49.

nocentissimo viro nihil ademit, sed illustriorem reddidit.

Historiã ab obliuione vindicat.

Quam multos Cœlitum, quam varios casus, qui Galliam, Italiam, Hispaniam, Orientem versarunt, ab æterna obliuione calamo suo vindicarit, haud paulo melius historici sciunt, quam Dauus. Catalogum suarum lucubrationum ipse hunc prodidit decem libros de gestis Francorum. septem de Miraculis. vnũ de Vitis Patrum. Commentarium in Psalterium: item in officium Ecclesiasticum. Stylo, vt censebat inculto, veniam poposcit. Quamuis enim litterarum studiosissimus fuerit, nec palmam sibi à condiscipulis præripi sit passus, bella tamen, quibus ea ætate Gallia flagrabat, eloquentiæ Tullianæ silentium imposuere. Plerisque nihilominus sine fuco producta veritas magis placet: vnde veteri fertur prouerbio: *Veritatis simplex oratio.*

Lib. 10. c. 31. hist. Franc.

Archiepiscopatum viginti vnum annos gessit. Vltimo (is erat à Christo nato quingentesimus nonagesimus quintus) historiam de Franciæ Regibus cum vita absoluit. Quamuis autem minima sæpe sit persequutus, nullibi tamen itineris Romani, ad Gregorium Magnum suscepti, meminit, de quo Clerici Turonenses, Vincentius & Trithemius hæc narrant. Gregorius Pontif. aduentantem Romam Gregorium Turonensem ore hilari accepit. Deductum deinde ad Apostolorum principum sacra lipsana, cum oculis obiret curiosius, ita ingentes animos in corpore tam angusto locum habere, obstupuit. Cœlitus id sentiens Turonensis, *Dominus fecit nos*, exclamauit, *& non ipsi nos. Idem in paruis, qui in magnis.* Vbi Pontifex intellexit, quod etiam arcana pectoris penetraret, miraculo perculsus multo iam pluris suum hospitem fecit. Huius, inquam, itineris, cum non meminerit ipse Gregorius, apud me suspicione laborat. Addunt, hodie quoque Turonis cathedram deauratam monstrari, à Gregorio Magno munus, Gregorio Turonensi missum. Altos spiritus semper pressit: submissioni sedulo semper studuit, vnde mortem obiturus ad limen Ecclesiæ condi, ac omnium pedibus subijci voluit. At Canonici rectissime dicto non audientes fuere, concesso ei latere templi sinistro, cum sanctus Martinus dexterum teneret. Ad nutum Numinis hoc factum est, hoc eum honore dignantis, quod tam religiose Episcoporum solem Martinum viuus coluisset.

Vincent. l. 21. c. 125. Trithem. 3. c. 51.

Ossa sua omnium pedibus subiecit.

* *
*

Annus Christi 596. Annus S. Benedicti 116.

Gregorius Magnus Euangelij lucem Angliæ infundit.

Forte Gregorius, priuatus etiamnum Monachus, adolescentes forma præstantes in foro indigne venum exponi conspexit. Promoto gradu interrogauit, vndenam gentium essent? ac audito ex Anglia aduectos, miseratus egregiæ indolis miserrimam conditionem, vota secum concepit, atque in nobilem insulam expeditionem suscipere constituit, propediem profecturus, nisi obicem posuisset Pontifex. Radices tamen admissus in gentem pius amor altissimas egit, quocirca Ecclesiæ clauo admotus, huiusmodi mancipia conquiri, Ecclesiarum censu emi, libertate donari, atque fide Romana in Monasterijs institui iussit. Quamuis autem suo totam Angliam conuertendi desiderio satisfacere non posset, gaudebat tamen ex parte saltem agrum illum coluisse, videndo bonæ spei pueros sacris Christianis imbutos, piorum quondam Magistrorũ officia inter suos obituros.

Gregorius M. cogitat in Angliam.

D. Gregor. l. 5. Indict. 14. ep. 110.

Antiquissima proinde Anglorum Seminaria sunt ab ipso Gregorio Magno profecta: in Monasterijs S.P.N. Benedicti instituta, vbi adolescentia sanctam matrem Ecclesiam biberet: prouecta postmodũ longius ætate, solidisque virtutibus munita, lac idem suis quoque popularibus instillaret. Iamque pigebat moræ Pontificem: quocirca delectu in Monasterio S. Andreæ habito, viros grauissimos, industrios, compertæ sanctitatis, huic expeditioni designauit, quibus Augustinum, Monasterij Præpositum seu Priorem, veluti ducem præfecit. Sed cum eum Monachi quadraginta sequuti sint, crediderim quosdam ceu copias auxiliares, ex alijs quoque Cœnobijs accitos, accedentibus etiam ipsis Anglis, iam sat superque ad capessendam hanc prouinciam in Monasterijs edoctis.

En sacrã mittit expeditionẽ

Porro præcinctis iam ad iter, quid factu opus esset, Summus Ecclesiæ Antistes exposuit. datis deinde litteris, Galliæ Regibus, Reginæ, nec non Episcopis, commendauit. Integras afferre, mora esset; at saltem libando rem, nemini sano stomachum mouerimus.

Gregorius Virgilio, Episcopo Arelatensi.

Lib. 5. Indict. 14. ep. 53.

Indicamus Sanctitati vestræ, Augustinum seruum Dei, præsentium portitorem,

cuius zelus & studium bene nobis est cognitum, cum alijs seruis Dei pro animarum uot illuc compendio transmisisse, sicut ipse vobis coram positus poterit indicare, in qua re oratione vos eum, & auxilijs adiuuare necesse est. Candidum autem Presbyterum communem filium, & patrimoniolum Ecclesiæ nostra, fraternitati vestra quippe vt vnanimis nobis studeat habere commendatum. Quia igitur patrimoniolum ipsum per annos plurimos prædecessor vester tenuit, & collectas apud se pensiones seruauit, fraternitas vestra, cuius sint res, vel cui erogentur consideret, atque eas animæ suæ respectu suprascripto filio nostro Candido presbytero nobis restituat dirigendas. Nam valde execrabile est, vt quod à Regibus gentium seruatum est, ab Episcopis dicatur ablatum.

Gregorius Desiderio Viennensi, & Syagrio Augustudunensi, Episcopis Galliæ.

Epist. 14. *Indicamus Sanctitati vestra, Augustinum seruum Dei, præsentium portitorem, cum alijs serui Dei pro animarum illuc salute direxisse. Itaque fraternitas vestra eis modis omnibus in quibus causa poposcerit, impendat solatia, vt bonis operis adiutores possitis existere.*

Gregorius Arigio Patritio.

Epist. 57. *Salutantes gloriam vestram paterna dulcedine petimus, vt lator præsentium, & serui Dei, qui cum eo sunt, vestra, in quibus necesse fuerit, solatia consequantur.*

Gregorius Theodorico & Theodeberto Regibus Francorum.

Epist. 58. *Peruenit ad nos, Anglorum gentem ad fidem Christianam, Deo miserante, desideranter velle conuerti, sed sacerdotes è vicino negligere. Ob hoc igitur Augustinum seruum Dei, præsentium portitorem, cum alijs seruis Dei præmidimus illuc dirigendum, in qua re efficaces valeant, atque idonei apparere, excellentiam vestram paterna salutantes charitate quæsumus, vt his quos direximus, fauoris vestri inuenire gratiam mereantur: & quia animarum potestas est, vestra eos potestas tueatur, & adiuuet.*

Teodentibus in Angliam Monachis dæmon obicem ponit. Interea nonnihil egit dæmon, nec piget in vnam, minus in vtramque dormiuit aurem, sed fibulam haud ineptam cudit, quam Monachis affigeret. Delati namque in Galliam, multa de insola sciscitantes, deque incolis multa, non modo in vltimum eam orbis locum à natura reiectam, sed insuper vniuersam ardere bellis: crudam vbique barbariem dominari: idola coli: impios fumos dæmonibus fieri: gentis linguam absonam esse, acceperunt. Vnde paulatim animos remittere, speque sua excidere cœperunt, in arena sementem se facturos rati.

Capto igitur consilio, visum fuit S. Augustinum expeditionis ducem ad D. Gregorium mittere, vt eum de vano labore, quem suscepturi essent, dum alij alios non intelligerent, faceret certiorem. Subolùit Pontifici pannicus metus, à malo dæmone incussus: ideoque timidis nouos animos addidit: difficultates quasuis perrumpere iussit, cuius epistolam Venerabilis Beda refert, fere in hæc verba scriptam. Beda l. 1. hist. Angl. c. 23.

Gregorius deterritis animos reuocat. *Rectius, amantissimi filij, facturi fuissetis si viam hanc nunquam iniuissetis, quam quod pedem, referatis meta nondum potiti. Perferetis igitur, inuante Deo, quod suscepistis onus. Non vos frangat longa viæ tædium; neque maledicorum lingua absterreant, sed potius statuite pie cœpta perficere, ac pro certo habetote, ex magnis laboribus capi magna præmia. Redeunti proinde ad vos Augustino præposito morem gerite, quem nunc vestrum Abbatem renuncio. Et quidem animarum interest, vt cius à nutu humiliter pendeatis. Omnipotens Deus sua gratia vos conseruatos velit, faxitque vt ego in cœlo fructus laborum vestrorum videam. Etsi enim agrum hunc meis manibus colere ipse nō possim (quod ægre mihi facit:) præmij tamen particeps esse vehementer cupio.*

Reducem ex Italia Augustinum obuijs brachijs accipientes, hastam quam cum clypeo abiecerant, certatim repetiuere, raptisque quas ipsi sibi fecerant inducijs, à Brunechilde Regina, nec non Theodeberto & Theodorico eius nepotibus atque Episcopis adiuti vela in Angliam fecere anno insequenti.

Annvs Christi 597. Annvs S. Benedicti 117.

CAPVT I.

S. Augustinus cum socijs Angliam tenet: idola obsidet, atque expugnat.

Christiana fides tempestiue illata Angliæ. Hoc anno in Angliæ portum inuectus Augustinus cum socijs, Gregorij M. respondit expectationi. Non tota insula id temporis studebat idolis, quando lux Euangelij iam ante incolis passim aspersa fuerat, Eleutherio Pontifice diuini verbi præcones in Britanniam submittente. Factum hoc sub annum centesimum quinqua-

quagesimum sextum, Lucio torquente sceptrum. Tam altas autem recta fides miserat radices, vt multi sub Imperatoribus Romanis vitam pro illa tuenda fuderint. Vbi Constantinus Magnus rerum potitus est, quem in vitales auras editum Britannia excepit, deinmoit procella. Nam hic seriam tutelam Christianis gessit, qui in insula perdurant, vsq; dum Saxones eam subegerunt. Quamuis autem Pelagius virulenta hæresi diffusa, rem Catholicā ibi maiorem in modum afflixerit, euertere tamen funditus non potuit, SS. Germano & Lupo, Episcopis Galliæ, clypeum fortiter obijcientibus. Id temporis insulæ, Britanniæ maioris, nomen fuit; incolæ vero Briti seu Bretones dicti: postea tamen mutauit nomen, cum Europa à gentibus aquilonaribus capta, Scoti partē insulę Septentrionalem in potestatem redegerunt, quibus pellendis cum insi lini pares non essent, Anglos rogarunt, vt sibi suppetias ferrent. Hunc Alemanniæ populū Anglosaxones quondam appellarunt, vel quod duabus è nationibus cōflatus esset: vel quod sedem in Saxonia habuisset. Auxiliares hæ copiæ magna vi Scotis signa intulere, ac locis in potestatem redactis exuere: sed cum Scotis debellatis soluti curis oculos hilarius circumferrent, auidisq; arriderent fertiles campi, pascua herbida, ferrei, cuprei, argentei, aurei montes, clemensq; cœlū, tem non omnino ineptam se facturos putarunt, si patriam præ Britannia contemnerent, ac tem angustā domi in hac insula extēderent. Itum in sententiam est: post multa cruenta prœlia cū Bretonibus suscepta feliciter, partem insulæ meliorē insedeiunt: eidem nomen suum indiderunt, dixereque Angliam.

Pelagius candidas animas hęresi imbuit.

Anglosaxones Bretonibus suppetias tulerunt.

Tandem meliorem insulæ partem sibi vindicarunt.

Ea ætate Germani, præsertim Saxones, idula cæci adorabant, vt hanc maximā cladem Britāuia tum accepisse visa sit, religionis Christianæ iacturam, veteribus cultoribus in Walliam, insulę extremum angulum, migrantibus. Atq; hic rerum illarum status erat, quando Gregorius M. laboranti Angliæ (ita enim deinceps appellabimus) subueniendum ratus, viros Apostolicos illuc misit. Porro cum iam nostri vela facerent, non Walliæ, vbi Catholici degebant, sed Cantiæ portū petiuere, vbi Edilbertus (vel Ethelbertus) rerum potiebatur, idolis addictus. Quilibet enim è summis militiæ Saxonicæ præfectis regnum sibi cōdebat, qua fortunæ ac militum fauore maxime valebat, vt præter Scotorum, Bretonum, Pictorumq; reges, septem alij mox sint numerati, qui omnes postea Monachorum nostrorum sudore ad Christum traducti sunt.

Nostri imprimis Cantiam petiuerunt.

Regni Cantiæ præ cæteris babuere rationem, cuius frequenter Venerabilis Beda meminit: neque statim peregrinum imposuere pedē, sed aliquamdiu in Taneto, parua insula, consedere, ignotis linguis operam dando, nec non interpretes Gallos conducendo, quod à S. Gregorio in mandatis acceperant. Et ne quid huius ignores, rem miram ex historia M. S. T. Sprotti, Monachi Cantuariensis habe. *Applicuerunt in insula de Taneth, in loco qui dicitur Ratesbonrgh, vbi Patre Augustino de naue descendente supra quandam petram à casu fletit, & pedem eius eidē quasi luto impressit. Cuius rei gratia idem lapis asseruatur, & intra capellam de eodem Sancto ibidem fundatam, honorifice collocatur: sed & singulis annis, die suæ depositionis ob deuotionē & spem recuperandæ sanitatis, fit concursus populorum dicentium:* adorabimus vbi steterunt pedes eius. Linguis satis instructi, ad Edilbertum misetunt, nunciatum sese Roma adesse: merces aduehere non terrenas sed cœlestes: cum ipso imprimis cōmunicare velle, si veniendi fieret potestatem. Rex Christianæ religionis non penitus ignarus erat, quippe de qua nonnihil à sua coniuge (Bertha nomen fuit) Christianis sacris imbuta, & è Gallia oriunda, inaudiuerat, quæ Regi ea etiam conditione nupserat, vt sibi Christianæ esse liceret: qua de causa Luithardum Episcopum secum habebat, qui & ipse nonnunquam Edilberti pectus tentauit, etsi non perfregerit. Æquis igitur auribus legatione accepta, S. Augustinum cum socijs hærere iussit in portu, quem primo tenuissent, donec colloquendi facultas daretur: curaturum se, ne quid interea ipsis deficeret. Elapsis inde aliquot diebus, Rex eo se conferens, apertum in campum hosce Apostolos prouocauit, præstigias, fascinationes aut incantationes superstitione metuens, si rectum subijsset. Nostri ab huiusmodi artibus alienissimi, dicto audientes in liberum campū prælata Cruce argentea, nec non Seruatoris mundi imagine picta, prouolatunt, sibique Regique Cœlum cantu propitiantes. His signis, armis, hoc classico bellum S. Augustinus cum socijs aduersus idola, deuotosq; idolis Anglos auspicatus est.

Beda Li. 1. c. 25.

Reiner. in Apostol. Angliæ.

Edilbertus benigne nostros accepit.

Colloquio post hæc inito, Apostolicæ cohortis ductor Augustinus, IESVM Christum prædicare cœpit, ad peccata nostra expianda cœlo delapsum: hinc ad Superos inferosque deflectens, quantis præmijs veius Deus afficeret bonos: quanta supplicia sumeret de malis, exposuit: se autem à Gregorio, rei Christianę summo Capite missos, vt Regem hæc mysteria edocerent. Deus Opt. Augustini verbis eam vim addidit, vt

Augustini dicta æqui bonique fecit.

regis

regis beneuolentiam conciliaret, ac animũ manifestè duceret. Etsi enim non illicò se dedidetit, boni tamen se consulere dicta affirmauit, subijciens simul, vetera cum nouis subito commutare non posse. Anglos, seq;, à tot retro actis annis idolorum instituisse viam: non pro prudentibus facturos, si extemplo nouam religionem incertamq; capessant. Longam profectionem sua causa susceptam, pro beneficio accipere, ideoque obicem docentibus se nullum positurum; quin tecto potius victuq; adiuturum: nec cuipiam subditorum fraudi fore, si Christo accederet. Stetit deinde promissis, nostros Dotnoberniæ (hodie Cantuariam dicunt) regia vrbe, de habitatione, annona, cæterisque necessarijs prospiciendo.

Ob iactum feliciter sic fundamentum, S. Augustinus cæterique infinitas Numini gratias habuere. Quamuis autem insontes compositiq; mores, quos ex Monasterio attulerant, vitæq; asperitas, sat magnum pondus apud infideles habere potuissent, nec nouo additamento opus esse videretur, Patres tamen, vt auidius oculos animosq; in se conuerterent, eam viuendi rationem instituerunt, cuius exemplũ Apostoli primiq; Christiani præiuerant, S. Lucas vero in eorundem Actis depinxit, *perseuerantes in cõmunione fractionis panis, & orationibus*, admittendo solum ea, quæ vitæ tolerandæ necessaria erant. Capti nonnulli insolita hospitum suorum virtute, atque doctrina, in fidem Christianam concessere.

Act. c. 2.

Proxime Cantuariam templum stabat sartum tectumq;, bellis superioribus, quod mireris, intactum, ab antiquis Bretonibus positum, in quod Regina Bertha sese statis temporibus inferre ad preces Numini fundendas consueuerat. Augustinus flocci faciens superbam (pro sæculo & insulæ ingenio) vrbem, huc eum socijs secedere, hic pijs meditationibus incumbere: psallere: Canonicarum horarum pensum persoluere: inde se postmodum simul eijcere: habere conciones: sacris vndis conuersos lustrare. Ac debebat labores acuere non vana spes ad frugem perducendi Regis, quam is quotidie augebat. Pauci dies inter catechisticas doctrinas, exhortationes, præmiorum cœlis repositorum pollicitationes & miracula absumpti, cum Edelbertus à Numine tactus, & innocentissimis Patrum nostrorum moribus captus, in Catholicam Religionem concessit. Lætus nuncio Gregorius Magnus, tam bona noua cum Eulogio, Episcopo Alexandrino, communicans, *Vestra vobis gratia vicem reddo*, inquit, *& non dissimilia nuncio. Quia dum gens Anglorum in mundi angulo posita, in cultu lignorum ac lapidum perfida nunc usque remaneret, ex vestra mihi orationis adiutorio placuit, vt ad eam Monasterij mei Monachum, in prædicationem transmittere, Deo auctore, debuissem. Qui data à me licentia, à Germaniarum Episcopis Episcopus factus, cum eorum quoque solatijs ad prædictam gentem in finem mundi perductus est: & iam nunc de eius salute & opere ad nos scripta peruenerunt. Quia tantis miraculis vel ipse, vel hi qui cum eo transmissi sunt, in gente eadem coruscant, vt Apostolorum virtutes insignis, quæ exhibent, imitare videantur. In solennitate Dominica Natiuitatis plus, quam decem millia Angli ab eodem nunciati sunt fratre, & coepiscopo nostro baptizati.*

RexDeo tam inanitatem oculo vtroque videns, vero Numini se dedidit

Beda l. 1. c. 26.

D. Gregor. l. 7. Indict. 2. epist. 30.

Qua de causa Venerabilis Beda miraculo simile habet, animos insulanorum ita subito ab idolis ad Christum perductos. Rege namque sacris vndis tincto, populus ad eius exemplum se componens, catervatim aduolauit, vt Euangelica lege imbueretur: inde salutifero fonte lustraretur. Quotquot nomina dabant, singularem ab Edelberto gratiam inibant: nec tamen aduersos hac causa peius accipiebat, sed potius beneuole inuitabat, hortabatur, rogabat, vt à vanissimis Dijs desciscerent: verum Deum sequerentur. Patrum proinde nostrorum cura, vigilia, sudore, Regisque sociata opera factum, vt ad Natalem Seruatoris nostri diem decem millia amplius capita sacro baptismati submitterentur.

Regis ad exemplũ subditi se composuere.

Locum suburbanum nostri habitabant: Rex successibus lætus alium ipsis perquam commodum designauit: mox cura omnis in templum Cathedrale extruendum versa. Pontifex abeunti Augustino in mandatis dederat, nisi verba perderet apud Anglos, vt pedum Archiepiscopale illico capesseret, quo oues errantes (quippe nondum satis recti tramitis gnatas) coërceret. Ergo mari ac ventis se credit: in Galliam vela facit: ab Arelarensi Archiepiscopo & mitram xvi. Kalend. Decemb. inauguratur. Facile autem existimari poterat, quanto gaudio Gregorium Magnum affecturus esset, si de bono progressu, quem fides Catholica faceret in Anglia, eundem redderet certiorem. Itaque sanctum Laurentium Presbyterum, qui postmodum ipsi successit, & sanctum Petrum, Monasterij quod in suburbio Cantuariensi SS. Apostolis Petro & Paulo conditum fuit, Abbatem primum Romam dimisit, Pontificem singula edocturos. Legario hæc quidem aliquot post annis

Augustinus è sententia fluentibus rebus pedũ Archiepiscopale cepit.

annis obita fuit, nos tamen vti nonnulla alia, anno isto narramus, quo operi manus admota est, ne toties ex Anglia uobis abeundum sit, illucque denno remeandum.

Pontifex audito omnia sibi è voto & sententia in Anglia fluere, tanta lætitia perfusus est, quanta rarissime dum vixit. Messis autem cum videretur copiosior, quam cui legendæ manus paucæ sufficerent, SS. Mellitum, Iustum, Paulinum, Rufinianum, veluti supplementa, S. Augustino duci submisit, viros profectò insignes, ad diuinam huiusmodi expeditionem factos. Insuper certos istos latores nactus, varias epistolas ad varios dedit, quas saltem libare iuuat.

Lib. 9. epist. 52.

Gregorius Mennæ Episcopo Tolosano.

Pontifex rem Catholicam in Anglia promouet litteris.

Redemptoris nostri gratia cooperante, tanta de Anglorum gente ad Christianæ fidei gratiam multitudo conuertitur, vt Reuerendissimus communis frater, & Coëpiscopus noster Augustinus eos qui secum sunt, ad hoc opus exequendum per diuersa loca, asserat non posse sufficere, aliquantos ad eos Monachos cum dilectissimis & communibus filijs, Laurentio Presbytero, & Mellito Abbate præuidimus transmittendos. Et ideo fraternitas vestra eis charitatem, quam decet, exhibeat.

Gregorius Theodorico Regi Francorum.

Epist. 58.

Quanta bona Reuerendissimo fratri & Coëpiscopo nostro Augustino ad Anglorum gentem proficiscenti, excellentia vestra præbuerit, reuertentes ab eo quidam Monachi retulerunt. Vnde vberes referentes gratias petimus, vt his quoque Monachis, qui ad eum directi sunt, suffragia vestra copiosius præbere, atque eos ad proficiscendum iuuare dignemini, vt quanto beneficia vestra eis amplius exhibetis, tanto maiorem vicissitudinem ab omnipotenti Deo, cui seruiunt, expectetis.

Gregorius Clothario Regi Francorum.

Epist. 55.

Quidam qui cum Reuerendissimo fratre & Coëpiscopo nostro Augustino ad Anglorum gente perrexerant, remeantes, quanta eundem fratrem nostrum excellentia vestra charitate receperit, quantisque suffragijs proficiscentem adiuuerit, narrauerunt. Paterno igitur affectu salutantes, petimus, vt Monachos præsentium portitores, quos ad prædictum fratrem nostrum vnà cum Laurentio Presbytero & Mellito Abbate misimus, habeatis peculiariter commendatos.

Gregorius Brunechildi Reginæ Francorum.

Epist. 56.

Quanto fauore quantaque opitulatione excellentia vestra Reuerendissimum fratrem nostrum & Coëpiscopum Augustinum proficiscentem ad Anglorum gentem adiuuarit, nec silentio fama reticuit. Et quidem per hoc quod alijs impenditis, vos iuuatis. Quæ autem, quantaque in conuersione supradictæ gentis Redemptor noster fuerit miracula operatus, excellentia vestra iam notum est.

Gregorius Augustino Episcopo Anglorum.

Epist. 58.

Gloria in excelsis Deo; & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: quia granum frumenti mortuum cadens in terram, multum fructum attulit: cuius amore in Britannia fratres quærimus, quos ignoramus. Quis autem narrare huic sufficiat, quanta lætitia in omnium corde fidelium fuerit exorta, quod gens Anglorum, operante Omnipotentis Dei gratia, & tua fraternitate laborante, expulsis errorum tenebris, sanctæ fidei luce perfusa est? Cuius opus est hoc, nisi eius, qui ait: Pater meus vsque nunc operatur; & ego operor!

Gregorius Edelberto Regi Anglorum.

Epist. 50.

Reuerendissimus frater noster Augustinus Episcopus, in Monasterio regulariter doctus: sacra scriptura scientia repletus: auctore Deo, bonis operibus præditus: quæ vos admonet, libenter audite: deuote peragite, studiosè in memoria reseruate.

S. Augustinus à Gregorio Magno donatus pallio.

Cæterum Augustino ob egregios labores non tantum animose susceptos, sed etiam feliciter peractos, pallium Archiepiscopale munus misit: duodecim Episcopos per archidiœcesin constituendi potestatem fecit: quibusdam dubijs implicitum extricauit: ne omnia simul infirmis adhuc humeris imponeret, sed potius tempori seruiret, suasit, ne dum infelix lolium importune nimis euelleret, etiam fidem, quæ altas nondum radices egisset, elideret. Nec tantum mandatis onusti in Angliam à Pontifice rediere legati; sed insuper sacris vasis, vestibus, libris, sanctorum Apostolorum & Martyrum venerandis lipsanis graues. *Habemus*, inquit T. Sprottus Monachus Cantuariensis, *Bibliam sancti Gregorij & Euangelium*

Vide Apostolat. Angliæ Reuoceti nostri.

gelium eiusdem (quod hodie Bibliotheca Cottoniana habet:) & quasdam cappas veteres: quæ omnia Gregorius misit Augustino vna cum pallio per Laurentium Presbyterum & Petrum Monachum.

Summam Summi Pontificis prudentiam ex eiusdem epistola, ad Mellitum Abbatem data, licet existimare.

Gregorius Mellito.

Lib. 9. ep. 71.

CVm Deus Omnipotēs vos ad reuerendissimū virum fratrem nostrum Augustinū Episcopū perduxerit, dicite ei, quod diu mecum de Anglorū causa cogitans tractaui, videlicet, quia fana idolorum destrui in eadem gente minime debeāt: sed ipsa quæ in eis sunt, idola destruantur. Aqua benedicta fiat: in eisdem fanis aspergatur: altaria construantur: Reliquiæ ponantur. Quia si fana eadem bene constructa sunt, necesse est vt à cultu dæmonum in obsequium veri Dei debeāt commutari, vt dum gens ipsa eadem fana sua non videt destrui, de corde errorem deponat, & Deum verum cognoscens ac adorans, ad loca quæ consueuit familiarius concurrat. Et quia boues solent in sacrificio dæmonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua solennitas immutari, vt die dedicationis vel natalitio Sanctorum Martyrum, quorum reliquiæ illic ponuntur, tabernacula sibi circa easdem Ecclesias, quæ ex fanis commutata sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conuiuiis solennitatem celebrent. Nec diabolo iam animalia immolent, sed ad laudem Dei in esu suo animalia occidant, & donatori omnium de satietate sua gratias referant, vt dum eis aliqua exterius gaudia reseruantur, ad interiora gaudia consentire facilius valeant. Nam duris mentibus simul omnia abscindere, impossibile esse, non dubium est: quia is qui locum summum ascendere nititur, necesse est vt gradibus vel passibus, non autem saltibus eleuetur. Sic Israëlitico populo in Ægypto Dominus se quidem innotuit, sed tamen eis sacrificiorum vsus, quos diabolo solebant exhibere, in proprio cultu reseruauit, vt eis in sacrificio suo animalia immolare præciperet quatenus cor mutantes aliud de sacrificio amitterent aliud retinerent, vt etsi ipsa essent animalia, quæ offerre consueuerant; veruntamen Deo hæc & non idolis immolantes, iam sacrificia ipsa non essent.

Visum Pontifici non fana, sed idola destruenda in Anglia.

Augustinum admonuit, ne ob miracula supercilium efferret. Lib. 9. ep. 58.

Timens deinde ne infernus alastor S. Augustino ob miraculorum, quæ patrabat, multitudinem iniiceret vanam gloriam (sæpe viris sanctis affixam fibulam) his eum verbis coërcet: *Gaudeas quia Anglorum animæ per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahuntur. Pertimescas vero, ne inter signa quæ fiunt, infirmus animus in sui præsumptione se eleuet & vnde foras in honore attollitur, inde per inanem gloriam intus cadat. Meminisse etenim debemus quod discipuli cum gaudio à prædicatione redeuntes dum cælesti Magistro dicerent: Domine, in nomine tuo dæmonia nobis subiecta sunt protinus audierunt. Nolite gaudere super hoc sed potius gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis.*

Bertham quoque, seu Adelbergam (ita S. Gregorius appellat, nec diuersa, me iudice, à priore est) Reginam Angliæ laudibus extulit, quod bonam operam rei Christianæ nauasset, eam ad Helenam, Constantini Magni matrem, comparans, Romanorum pectora amore Christi accendentem. Præmij ipsam non secus quam laboris participē fore, promisit. Denique nouos diuini verbi satores vt sibi haberet commendatos, etiam atque etiam rogauit.

Cas. Baro. an. 597. Frustra Bedam de oscitantia seu ignorantia postulat.

Cæterum, quam Beda Bertham, inscriptio epistolæ D. Gregorij nominat Adelbergam: quam ob rem Baronius Venerabilem virum de negligentia postulat, quasi vero idem vocabulum per diuersa idiomata & nationes traductum, non ita subinde corrumpatur, vt videatur esse aliud, veluti Alphonsus, Ildephonsus, Alonsus. Henricū Vngari Hermenericum, Hispani Enriq; appellant. Sic Hermenegildus Catalaunis est Armengol: & Santiego ab ipsis Castellanis longo annorum tractu factus est Diego. Quocirca in eam cum aliis opinionem descendo, Bertham à Berga non differre. Nemo vero nisi in Anglia, Franciaque hospes, ignorat syllabam Ald vel Adl nobilium nominibus præponi solita, veluti Don in Hispania. Ab hac origine nata Adelberga, Aldeflenda, Aldefrida, Aldeburga, aliaque Reginarum summiq; generis fœminarum nomina propria. Præter Auentinum, lippi tonsoresque testes sunt. Germanis *adel* significare nobilitatem, vt Adelberga vel Adelbertha, sit nobilis Berga seu Bertha. Quis etiam animum inducat Bedam, historiæ Anglicanæ conditorem, fugisse Regum & Reginarū nomina propria, præsertim Berthæ, ita prolixe de regno toto meritæ? Immo si error obrepsisset (quod vero simile haud est) potius amanuensi qui epistolam inscripsit, quam Bedæ, viro diligentissimo, impingendum, quam hic vocare culpa, pro certo habeo.

Auent. de nom. German.

CAPVT II.

S. Augustinus ac socij passim ponunt Monasteria in Anglia.

S. Augustinus noster ad 100. Monasteria extruxit.

MEllitus & Paulinus cum nouis suppetiis, à Pōtifice submissis appellentes, obuiis brachiis ab Augustino cæterisq; Monachis, agrum illum Britannicū colētibus, excepti sunt. Pauci negotio impares fuissēt,

Nec inutiliter tracta mora est, sed labore mox in diuersos humeros distributo, per totum regnum templa Monasteriaque extructa sunt. Raulinus Monachus Cluniacensis Regum Franciæ nobilis concionator, oratione in quodam Capitulo Cluniacensi habita, S. Augustinum ad centum Cœnobia ædificasse dixit: qua multitudine calamum nostrum plane obruit: duo tamen absque mala negligentiæ nota præterire nō licet, quorum vnum in Cantuariæ suburbio erectum, Sanctisque Petro & Paulo dicatum fuit, vbi Monachi à sæcularibus penitus seiuncti, perpetua psalmodia & precibus cœlum pulsarent: Lectioni, contemplationi, silentio, ieiuniis studerent. Alterū in vrbe ipsa cōdidit: S. Saluatori sacrauit: ibiq; Cathedralem Ecclesiam instituit. Quamuis autem Monachi omnia hic officia obirent, quæ parochorum & Canonicorum sunt, vitam nihilominus cœnobiticam, ad normā S. Regulæ, degebant. Duo hæc Asceteria semper coniunctas habebant dexteras, & vultus in se mutuo conuersos veluti duo Angeli Propitiatorij. Si quis animum à curis & muneribus externis aliquantisper abducere volebat, vt solus cum Deo solo ageret, in SS. Petri & Pauli Monasterium se abscondebat. Huius incolæ vicissim suppetias Monasterio S. Saluatoris ferebāt, quoties diuina officia solennius obeunda erāt. Si vicissim huius incolæ suppetias illi ferre debebant, à S. Augustino accersebantur. Fuerunt hæc duo Monasteria tanquam equus Troianus, è quo ingenti numero cum totius insulæ bono, concionatores, catechistæ, Abbates, Episcopi, Archiepiscopi præclarissimi prodierunt.

Raulin. Serm. de perfecta Religion. plantat. Inter quæ duo Cantuariæ fundata eminuerunt.

Monasterio S. Saluatoris cathedrā Archiepiscopalem imposuit.

In Monasterio suburbano Abbatis munus primus obiuit Petrus, quo Gregorium Magnum familiariter Constantinopoli vsum esse, supra memorauimus. Vitam etsi duxerit innocentem, mors tamen nulla huius ratione habita opprestit nauigantem, cum ex Anglia traiiceret in Galliam. Namque ab infido mari ipso in littore haustus est. Exanime corpus in terram euolutum, humarunt accolæ, visæque cœlo delapsæ faces tumulo, insidere, splendorem animæ ipsius nimio satius indicantes, quod Venerabilis Beda testatum facit. Sacra lipsana inde Bononiam translata, quam fieri poterat, decentissime collocata sunt.

Petrus, primus Abbas ad SS Petri & Pauli Cantuariæ.

Eius exanime corpus cœlestes faces prodidere. *Beda. l. 1. c. 33.*

Multas in hoc Monasterium Rex opes, multa Archiepiscopus priuilegia contulit, veluti designatum Regum Cantiæ & Archiepiscoporum Cantuariensium cœmeterium. Imprimis Edilbertum ac Bertham, inde Reges alios accepit. Moliebatur S. Augustinus sumptuosum templum aliud, quo ipse ossa quondam abstruderet: nec passa mors est, vt tectum imponeret. Manum tamen vltimam S. Laurentius dedit, à S. Augustino Archiepiscopus proximus, idque sacrauit. Ipse vero cum successoribus exacta vita in quodam ad S. Petri sacello sepulchrum & requiem cepit. Tandem nulli amplius locus fuit. Tum enimuero Templum S. Saluatoris Archiepiscopale conditorium esse iusserunt.

Monasterium S. Petri Regum & Archiepiscoporū

publicum mausoleū fuit.

Quædam adhuc alia Monasteria nostra, si memoria tenes, Ecclesias Cathedrales fuisse, ostendi: hoc autem Cantuariense non solum rebus aliis antecelluit, sed insuper S. Regulam diutissime seruauit: archiepiscopalis & metropolitana sedes fuit. Rogatus ab Augustino Summus Pontifex, quænam leges Episcopis Angliæ sanciendæ viderentur? Quod attineret ad fortunas, respondit, eas quatuor in partes diuidi solere, quarum vna cederet Episcopo, non tantum vnde ipse vitam toleraret, sed insuper vnde familiam aleret: hospites ac peregrinos acciperet. Alteram traherent Clerici, & Ecclesiæ ministri: tertia effunderetur in pauperes: quarta fabricæ templorum impenderetur.

Quamuis autem ita mos aliis in Ecclesiis obtineret, Augustinus tamen omnia in medium conferri iuberet: nec quemquam ex communi ærario quicquam in priuatos loculos deriuare pateretur. Proinde ipse veluti Antistes, omnis ex æquo bonoque dispensabat; nihil sibi reponeret. Quippe Anglos ad normam primitiuæ Ecclesiæ imbuendos, in qua fideles non suis anaie crumenis studebant, *sed erant illis omnia communia*, Itaque Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos Ecclesiæ Cathedralis in Monasterio degentes, voto & vinculo paupertatis non absoluit. Quod si, adiungit, minoribus ordinibus, initiati vxores ducere velint, de reditibus communibus iisdem prospiciatur; quodque acceperint, domi suæ consumant.

Ad S. Saluatorem ærarium erat commune.

Quocirca optimum facto eidem visum fuit, pro his aliquam partem è communi massa resecare: cætera Monachis, peregrinis, mendicis, & si quid publica vtilitas vel necessitas exegisset, recōdere atq; promere.

Num nam intelligis Pontificem de Monasteriis Cathedralibus statuisse, ne partem facultatum Abbas, partem Monachi ducerent: quam tamen distributionis rationē Episcopos & Clericos inire permisit. Factum vero labentibus annis, vt Pontifices rhurdā hāc certia de causis in Monasteriis tam Cathedralibus quā Collegialibus

remitterent. Nam à principio ignota sacro Ordini vocabula erant, *renta mensa Abbatialis: renta Prioris: Camerarij: Sacristani &c.* quæ hodie quoque in Congregationibus atque Cœnobiis bene constitutis barbarum sonant, veluti ex fonte proprietatis hausta.

Hæc insuper Gregorij Magni epistola satis ob oculos ponit, hanc viuendi de communi normam non tantum in Cantuariense Monasterium Cathedrale fuisse introductam, sed etiam à S. Augustino Romæ obseruatam. Et ne putes eum viuendi modum Cannnicos quoque tenuisse, quamuis nulli Regulæ addictos, Venerabilem Bedam adducimus, qui de S. Aidano, Episcopo Lindisfarnensi, communem vitam in Cathedrali Monasterio agente, hæc memoriæ prodidit: *Quia nimirum Aidanus, qui primus eius loci Episcopus fuit, cum Monachis illuc & ipse Monachus adueniens, Monachicam in ea conuersationem instituit, quomodo & prius beatus Pater Augustinus in Cantia fecisse noscitur, scribente ei Reuerendissimo Papa Gregorio quod supra proposuimus.*

Beda l. 4. c. 27.

Hæc vitæ norma multos in annos in S. Saluatoris Monasterio permansit, disciplina ad rigorem exacta; quod fieri solet in locis, vbi nec fores, nec aures nec animi laxiulo patent. Quin ipsi quoque Archiepiscopi magnum ad veteres mores conseruandos momentum attulerunt, veluti S. Laurentius, S. Iustus, S. Mellitus, Gregorij Magni discipuli: quibus S. Theodorus aliique viri sanctitate præstantes successerunt, qui cum omnes Ordinis nostri essent Monachi, Regulæ apprime studiosi, vitam cœnobiticam seu communem perfecte exequuti sunt. Atqui vertentibus annis rigor multũ remisit.

Quemadmodum porro Angli seu Saxones domo & terra Britannos exuerunt, ita Dani eosdem ex insula, in qua iam sedem fixerant, eijcere conati sunt. Dum igitur sors varia exercuit Angliam, Monachi ad S. Saluatorem minus caute & cogitate res suas tractantes, paulatim in mores sæculares prolapsi sunt, quod Osbertus in vita Dunstani deplorat. Nimirum non Deo, sed suo seruiebant genio: frigebat oratio: pro silentio in arcana claustri penetrauerant fabulæ: antiqua solitudo patuit congressibus: virtutum tegumentum & disciplinæ custos rigor, facessere iussus. Vestes non vilitas, secundum Regulam, sed pretium commendabat: mensas non olera, non legumina, sed opimæ epulæ instruebant: nec canes quidem nihili facti, sedalti in Monasterio, & ferue-bat venandi studium, Monachis quoque operam inepte nauantibus. Hos, proh dolor! si vidisses, homines sæculares vidisses. Osbertus ista narrat. nosque idem eadem tibia canimus, vt intelligant Monasteria, qua via tam sancte iurata abire soleat disciplina. Tandem singulari Numinis beneficio factum, vt Nordmanni rerum potirentur, Rex vero Gulielmus debellator dictus, Lanfrancum litteris & virtutibus æque clarum, Ecclesiæ Cantuariensi præficeret, qui nouis moribus exactis, veterem disciplinam restituit. Atque vt appareat, quam bene diuina Maiestas velit Monachis, dum remedia extra ordinem morbis illorum adhibet, rem miram ex eodem auctore recensebimus.

Boni mores Monasterij Cãtuariensis paulatim viciati sunt.

Sur. vita Dunstan. 19. May.

Lanfrancus restituit rem.

Rem sacram faciebat Lanfrancus Archiepiscopus. Cuiusdam Monachi officium erat, cantare Euangelium: quod dum fungebatur, patulum os cacodæmon subiit. Non mora, frontem miser rugis exarare: supercilia premere: tartarum inimicis oculis euoluere: rumpi, fingi: visa, leo, tigris esse. Nec iam animis pendebant cæteri, quidnam esset, quando labris inepte sparsis scelera secreta in publicum effundebat vt quisque ante ora se obiecisset; qua loquacitate effecit, vt omnes male sibi conscij inde se auferrent, nec quisquam pedem prope figeret, nisi vel integer vitæ, aut per confessionem lustratus. Hi posteriores si quando stationem repetebant, indignabatur diabolus sacerdotibus, qui nigros in candidos verterant. Grani hoc casu consternati Monachi, cultas vestes, mensarum delicias, mores non religiosos, illico exuerunt: ad frugem se recipere certatim instituerunt: nec multo post redijt Monasterio Cathedrali vetus facies, S. Lanfranco, eiusque successore S. Anselmo, fatiscentem nauim industria singulari compingentibus.

Numen de vno pœnas sumens, omnes ad lineam reuocauit.

Aliquot post annos S. Thomas Archiepiscopus lectus est, quem Cantuariensem appellamus, eo quod Cantuariæ Pontificatum gesserit. Conquesti cum ipso sunt Monachi, quod habitu amictus Clericali, rei diuinæ interesset, vt Eduardus eius æqualis refert. Thomas autem mores sibi ante vestes mutandos ratus, has in minima cura à principio posuerat, donec cœlitus admonitus cucullum sumpsit. Enimuero cum S. Regula in Monasterium Cathedrale introduceretur, iam tum posterorum habita ratio fuit, sancita lege vt Archiepiscopi, si è Monachis non legerentur, Monachum induerent, ne caput ac membra cultu diuerso, qui etiam animos disiungit, viuerentur. Hæc cum ita, duplici nomine Thomas Cantuariensis noster est.

Archiepiscopi Cãtuariẽses solebant habitum Monasticum sumere.

Eduard. apud Sur. 29. Dec.

S. Thomã Cantuariensem Ordo S. Benedicti sibi vindicat.

Nam habitum S. Benedicti sumpsit: deinde ab Henrico II Angliæ Rege in exiliũ actus, Monachis Pontiniacensibus Congregationis Cistertiensis se adiunxit, togamque candidam induit. Sed cum mirum sanctissimi viri desiderium teneret Anglos, Rex eundẽ non modo reuocauit, sed etiam sedi Archiepiscopali restituit, forte quod miseriis fractum putaret, nec amplius linguam in vetitos amores suos stringere ausurum. Atqui spe falsus est. Quapropter Henricus sæpe indignanti animo hanc vocem edidit. *Se in suo regno cum vno sacerdote pacem habere non posse.* Sublegerunt hæc verba proiectæ audaciæ sicarij, & gratiam à Rege inituri, Archiepiscopum vesperis operam dantem in templo adoriuntur: ducũt, librant ferrum: caput in plagam destinant. Imperterritus Præsul, cum Monachos videret magno nisu foribus incumbere, ac velle sceleratissimos latrones excludere, inhibuit, negans Ecclesiam Dei more castrorum custodiendam: simulque genibus se se excipiens, nec non D. Benedicti aram complectens, ceruicem præbuit.

Meyerus an. 1171. Innocentius III. priuilegium singulare Ecclesiæ Cathedrali Montis Regij concessit; nimirum vt Archiepiscopo fatis functo, *Innoc. 3. l. 1. epist.* Monachis potestas esset alium suo de cœtu eligendi. Quod si parem honori atque oneri non haberent, aliunde Ordinis sui Monachum accerserent. Huiusmodi priuilegio *Ius Archiepiscopi Cant. eligendi penes Capitulũ erat.* etiam gaudebant Cantuarienses Monachi. Demortuo namque Archiepiscopo, Monachi suffragia pro successore ferre consueuerant, secundum Regulam. Is autem in quẽ plura conuenerant, Archiepiscopus ac totius Insulæ primas renunciabatur; quod *Vincent. l. 29. c. 109. Virgil. Polyd. l. 5. Meierus an. 1208. Gulielmus Neubr. l. 2. c. 25 VVestm. an. 1170.* multi auctores testatum faciunt. Alias aliunde petebant virum aliquem summum in regno. Recte negant vllum bolum tam esse bonum, vt absque gemitu glutiri queat. Si enim Meiero, Polydoro, Vincentio, Gulielmo Neubrigensi, Matthæo Westmonasteriensi credis, ex hoc ouo, quod paulo ante priuilegium appellauimus, multæ calamitates S. Saluatoris Monasterio natę sunt. Aliquando enim, maiorem Innocentij Pontificis Maximi, vt debebant, rationem habuere, quam Iohannis Angliæ Regis. Hic contemptum interpretatus, Regi non ferẽdum, ira ardens non paucos regno exegit.

Capituli præses Prior erat: nam Archiepiscopus Abbatis officio fungebatur. Vti vero Archiepiscopos inter & Capitula non semper bene conuenit; ita Monachi quoque Cantuarienses à suo Archiepiscopo *Innocent. l. 1. & 2. ep.* erant alieni, quod ex Innocentij III. epistolis cognoscas; qui tamen semper à parte Monachorum stetit. Ille enim debito auidior, fortunis Conuentus iam tum separatis manum inijciebat: Clericos quoque in publicis supplicationibus Monachis mistos prodire volebat, susque deque Capituli Cantuariensis seu Monasterij S. Saluatoris constitutiones habens. Adi, si vacuus es, Bullam Pontificiam, in Appendicem sepositam. *Append. Script. 92.* Nobis tantum consilium est hic ostendere, in Monasterio S. Saluatoris vitam Monasticam à principio institutam: multis deinde sæculis ibidem perdurasse, adeo vt Iohannes Valeus ad annum Christi nati millesimum trecentesimum trigesimum Monachorum Cantuariensium faciat mentionem. Confecto enim scriptorum Ecclesiasticorum *Nostros in Monasterio S. Saluatoris vsq; ad Henricũ VIII. perdurasse, vero Simile est* catalogo, Iohannem Tanetum Monachum & Cantorem Cantuariensem in eũdem retulit, aliquot librorum auctorem. Hæc vltima Monachorum Ecclesiæ illius maioris memoria est, in quam nos quidem inciderimus: nec aliquando nos legisse meminimus Canonicis sæcularibus ibi fuisse locum: vt plane vero quam simillimum sit, munus obiuisse Religiosos, vsquedum Henricus VIII. Styge afflatus, nec sacra amplius nec aras curauit: à fide Catholica desciuit: regnum in vltimas calamitates egit: Monachos omnes proscripsit.

Tantum operæ, amice Lector, hoc in argumẽto triuimus, vt viuendi rationem, quã in hac Cathedrali Ecclesia Monachi Ordinis S. Benedicti iniuerunt, oculis subijceremus, quandoquidem hoc ad exemplar aliæ quoque Ecclesiæ Cathedrales ab initio fuerunt in Anglia constitutæ. Etsi vero nonnullæ temporis lapsu traditæ sint sæcularibus, pleræque tamen S. Dunstano Archiepiscopo, veluti sole nouo Angliæ exorto, ad S. P. N. Benedictum se receperunt. Porro *Monachi Cantuarienses etiam Canonici dicti.* huiusmodi Cathedralium Ecclesiarum in Anglia & alibi terrarum Religiosi aliquando Monachi: aliquando appellabantur Canonici vtrumque aptissime, cum κανών latinis Regula sit: κανονικός regularis. Monachi proinde nomen ipsis positum est, à solitudine ductum, quod solum Deum haberent, cui seruire curarent, quantumuis non in desertis, sed in cœtu degerent. Canonici autem dicti sunt seu Regulares, quod illis in Ecclesiis Cathedralibus vitam secundum D. Benedicti Regulam instituerent: ac officia Ecclesiastica more aliorum Canonicorum obirent. Consuetudo ferebat, vt ij qui S. Saluatoris Monasterium incolebant, fere Monachi Cantuarienses nominarentur: interdum etiam Canonici: sed iam intelligis non ad D. Augustinum, verum ad S. P. N. Benedictum

perti-

pertinuisse; qui error tibi eximendus erat.

Duo igitur ordines Canonicorum sunt, quos quod vulgus non absque nugatione Regulares vocat. Vnus Regulæ D. Augustini, alter Sancti Benedicti adhæret. Classem Canonicorum tertiam, qui Constitutionibus Concilij Aquisgranensis sub Ludouico Pio sancitis addicti erant, alio differimus. Primis sæculis Ecclesiæ vt plurimum D. Augustini, vel nostri Patris Benedicti Regulas amplexæ sunt, taciturnitatibus (quod D. Gregorius Summus Pontifex nostris Angliæ Apostolis præscripserat) in medium collatis; postea Regularibus (tanta vis temporis est!) Canonicis successerunt sæculares: quibus in Antistitem, Præpositum, Decanum, Scholasticum, Canonicos, Sacellanos, præbendarios diuisis.

Canonicis Regularibus successerunt sæculares.

Quamuis autem in quibusdam Ecclesiis Cathedralibus tam altas Patriarcha vterque egerit radices, vt nec longo tempore potuerint euelli; abolita tamen Gregorij Magni lex est, quam de communi marsupio rogauerat. Ad vitam religiosam, mutuo animorum eoque arctissimo complexu opus est, feruoreque exhelanti: demum summorum, infimorumq; ad Deo seruiendum conspiratione. Atqui cum Ecclesia Cathedralis amplissimæ instar machinæ sit hominès ab Episcopo ad æditnos vsq; & paruos pueros, ferme innumeros inuoluat, visum est veterem normam haud reuocandã: nec de vllo nobis Episcopo cõstat, cui non suũ ærarium sit, à Capituli crumena diuersum. Quamuis præterea in nonnullis huiusmodi Conuentibus vna Capituli crumena sit, nihilominus officiorum vel dignitatum quibusdam aliquid singulare cedit.

Leone X. clanes tenente, liber editus fuit cui titulus, *Prouinciale omnium Ecclesiarum*, in quo hæ Cathedrales Ordini S. Benedicti adscribuntur. Monreal seu Monsregius, Archiepiscopatus in Sicilia, vbi Monachi ad Regulam illius Patriarchæ viuunt, & Ecclesiæ Cathedralis munia exequuntur. Metropolitanæ huic Ecclesiæ Episcopatus Catanensis subditus est, ac Monachi eandem normam, quam superiores, sequuntur.

Ecclesiæ Cathedrales Ord. S. Benedicti

In Aquitania, Regni Galliæ parte, Iohannes XXII. duo Monasteria nostri Ordinis in Episcopatus vertit (Vapracensem & Sarlatensem) S. Benedicti Regula ibidem relicta. Idem in Gallia Narbonensi cum illustrissimo Monasterio San Ponce de Tomer, ab eodem Iohãne Papa factum. His accedit Episcopatus Otomiensis, in Dania situs. Huiusmodi autem Monasteria Cathedralia non alibi frequentiora fuere, quam in Anglia, vbi Archiepiscopus Cantuariensis Primas totius insulæ erat, à quo viginti Episcopi pendebant, quos Monachos fuisse non immerito arbitror: multæ enim me huc coniecturæ ducunt. Nonne enim hoc monstri simile foret, si Metropolitanus rerum caput, & Episcopi eidem subditi, velut membra, tam longo inter se distarent interuallo, vt ille quidem Monachus, hi autem Canonici essent sæculares? Non tamen inficias iuero, plerosque demum istos Episcopatus S. Regulæ nuncium misisse. Anno millesimo quingentesimo decimo quarto, Leone X Pontificatum gerente, Witumensis & Wigurniensis, Episcopatus duo, veterem adhuc normam sequebantur.

Pauca hæc Monasteria Cathedralia sunt, si ad ea compares, quæ vbiuis terrarum cum S. Regulæ obseruatione Canonicorum ministeria coniunxerunt. Quid opus est multis? Primis sæculis tanta huius Regulæ gratia & felicitas fuit, vt in plerisque Ecclesiis Cathedralibus haberet locum, quod in Britannia minori, ac maiori notauimus, nec non deinceps in Germania faciemus. Vulgus eos qui extra conspectum in solitudine degebant, Monachos: qui vero in Ecclesiis Cathedralibus commorabantur Canonicos nominabat. Cum autem D. Augustinus suæ Ecclesiæ Canonicis Regulam præscripserit, multis impositus error, Canonicos Regulares opinantibus nullos alibi reperiri, nisi de familia D. Augustini. Mox qui hoc ex fonte biberũt, de plurimis Episcopis, Pontificibus, itemq; innumeris Sanctis nostri Ordinis conclamarunt: inque spongiam incumbentes ex Albo S. P. N. Benedicti penitus deleuerunt. Ipsi quoque historici vt primum in Canonicum inciderunt, quem virtus aut doctrina posteritati commendauerat, illico calamum in manus sumunt: virum in syllabum D. Augustini transcribunt, quasi non infiniti Canonici Regulam S. Benedicti fuissent professi. Et ne à linea longe abeamus, in sola Ecclesia Cantuariensi decies mille Sanctos nobis subducnat. Numerum mea quidem sententia nimium: hominem tamen huc sistam qui dixit: vt videas, noueris, scias, multos viros illustres ab Ordine S. Benedicti auelli, quod Canonicos Regulares S. Benedicti cum Canonicis D. Augustini quidam confundant.

Errori se præbent, qui omnes Canonicos Regulares in D. Augustini familiam conscribunt.

Cum ageretur annus Christi Liberatoris nostri millesimus quingentesimus septuagesimus prim'. Iohannes Truslus Canonicus Regularis Ordinis D. Augustini volumine bene magno typos exercuit, opere

Truslus sine tabulis Canonicorum S. August. agmen e ducit.

in libros quinque distincto. Primus Ordinis illustrissimi Sanctos ad calculum vocat, producitque Anastasium Cardinalem, 216000. in sacros fastos referentem. Mox eundem testem facit, Cantuariæ decies mille Canonicos Regulares martyrium subiisse. Ne autem Lectorem non stertentem in stuporem daret, ad Capitulum in S. Saluatoris Ecclesiam Cathedralem confluxisse asserit. & cum palmia ad Superos Cal. Maij euasisse. Alphonsus Chaconius vt summa conficeret, pariter instat. *In Anglia itcm Metropoli Cantuariensi*, inquiens, *irruentibus barbaris decem millia Canonicorum Regularium, qui ad generale Capitulum conuenerat, in Ecclesia Archiepiscopali S. Saluatoris, pro Christi fide Martyrio coronati sunt, eorumque festum Calendis Maij agitur, Anastasio Bibliothecario, Iohanne de Nigrabale, & Iohanne Trullo tradentibus.* Aduerte sis autem Chaconiũ solum affirmare, hos Martyres fuisse Canonicos Regulares, sed Ordinis S. Augustini non facere mentionem. Trulli testes non vidimus; siue tamen multos siue paucos in promptu habeat, fidem ægre faciet. Primo enim quis adeo obesæ naris est, cui non suboleat, decies mille viros ad vnum Capitulum haud confluxisse? Experientia com pertum est, vsus semper tulit, Prælatum, stipante vno vel altero socio, ad Capitulum se conferre, nec misceri integra Conuentuum agmina. Quis autem in vna Anglia tot posuerit Monasteria? Sed neque si data porta, omnes Canonici Regulares Ordinis S. Augustini conuenissent Cantuariam, Trulli numerum fuissent æquaturi. Sed agedum Trulle, vbi tu tantæ multitudini ædes, habitationes, lectos designaueris non iam dicam in Monasterio, sed (vt tibi aliquid dem) in vrbe? In vrbe, inquam, non maxima regni? Vbinam tibi, obsecro, penus cum hæc scriberes, vbinam annona fuit? Frustra nobis verba iniicis.

Crediderim indictum Cantuariam Capitulum aut Concilium fuisse: è viginti Episcopatibus subditis Canonicos aliosque frequentes conuenisse: (fac centum, ducentos, vel cum Trullo decies mille aduolasse:) item adduci me quoque patiar, vt credam Danos vel Nordmannos Insulam & Saluatoris Ecclesiam irrumpentes, quam plurimos Religiosos è medio sustulisse: attamen omnes ad disciplinam S. P. N. Benedicti pertinuisse pro certo habeo. Huic familiæ Monasterium illud fundatum fuisse ostendimus: ab Augustino nostro Benedictinos introductos: multa hos sæcula ibidem egisse, nec aliud genus hominum diuina officia in eadem Ecclesia exsoluisse, palam fecimus. Cui igitur persuaserit Trullus Canonicos Regulares Ordinis D. Augustini ad celebrandum Capitulum generale Ecclesiam alienam occupasse? Vt in primario quopiam propriæ familiæ Monasterio celebretur, vsus iam olim obtinuit. In huiusmodi errores non se induit, qui Monachos S. Benedicti, in Ecclesias Cathedrales introductos, aliquando Canonicos Regulares, vocabulo communi, appellatos, probe nouit.

Sed Canonicis D. Augustini dimissis, ad nostros redeamus, Catalogus Archiepiscoporum Cantuariensium triginta Præsules nobis exhibet, qui prius Regulam coluere S. Benedicti: è quibus pars media in Sanctorum fastos relata est. Ante alios ab Ecclesia celebrantur S. Augustinus, S. Laurentius, S. Mellitus, S. Iustus, S. Theodorus, S. Dunstanus, S. Elfegus Martyr, S. Lanfrancus, S. Anselmus. Reliqua alio seposuimus.

Chacon. l. de Martyr. Cardin.

CAPVT III.

Eliense Monasterium in Anglia situm.

Percelebratum hocce Monasterium est, non modo quod conditorem habuerit S. Augustinum, sed quod varij id calua crebro versauerint. Elis insula, Brigensi Comitatui adiuncta, ei nomen dedit. Octoginta milliarium spatio ambitus coerceturi Metropoli & Episcopatui, vti Cœnobio, nomen suum impertit, quod ipsa à Græcis mutuum accepit, quibus τὸ ἕλος palus est. Quippeni vero sic diceretur, cum nebulosis paludibus frequentissima sit, vt ægre per eam iter faciat hyeme! Hoc genus loca Monasteriis capiebant maiores nostri: hunc situm vigilibus oculis designauit Monachis suis S. Augustinus, vt interuallo vndarum intercepto, deduceret illos è sæculo, soli Deo vacaturos. Sumptus erigendæ fabricæ è pio Ethelberti ærario hausti sunt: Cœnobium vero dedicatum Beatissimæ Virgini. Non facile referam, quam sanctam ibi vitam egerint Monachi, in publicum quoque subinde effusi, vt Augustinum, cõmunem Angliæ Apostolum, gnauiter tem Catholicam promouentem, iuuarent. At non æquis oculis hanc arcem aspexere cacodæmones, aduersus orcum excitatam. Ergo stimulos Pendæ, Merciorum Regi, admouent; homini idololatræ, barbaro, crudeli, Catholicorum pesti, qui furore ceu œstro, percitus, insulam simulque Monasterium sursum deorsum vertit.

Polyd. Virg. l. 4. & 7.

Monasterium Eliense ex ærario Ethelberti Regis ædificatũ.

Sub annum sexcentesimum octogesimũ S. Edeltbreda (cuius nomini ac honori Cathedralis Ecclesia Eliensis dicata est) filia

Ab Edeltbreda denuo instauratũ.

Annæ

Annæ Regis Orientalium Anglorum, Elredo (Polyd. Egfredo) Northumbrorum Regi præter voluntatem collocata fuit, cũ prius Cololinghę in finibus Scotiæ sito Parthenone haud ignobili, vitam religiosam duxisset. Libertatem nacta, nec ignara Beatissimæ Virginis Eliense Monasterium à gentilibus solo æquatum, eo se retulit: templum, ædes instaurauit: dicatis Deo virginibus sedem ibi constituit, quibus ipsa se adiunxit. Locum à singulari pietate, & religione laudatum, ipsæ quoque regiæ filiæ celebrare consueuerunt. Vota hic Deo nũcuparunt Hermanilda, Regis Cantiæ filia: S. Sesburga, Regis Anglorum Orientalium filia: S. Vereburga, Merciorum Regis filia, quas omnes alio differimus.

Ergo cacodæmoni iterum ægre fuit, à fœminis sibi bellum moueri: quocirca Danos in Elidem ciet t insulæ ac Parthenoni exilium affert. Extructo è ruinis iterum Monasterio, Clerici Monialibus successere, qui tamen ad annum nongentesimum sexagesimum cedentes, locum Monachis, cultoribus antiquis, liquere, qui stationem nunquam deinceps deseruerunt. Sed pluribus rem exponamus.

Post Virgines, à Clericis habitatũ fuit.

Sub hæc tempora Ethelwoldus Ordinis nostri magnum decus, infulam Pontificiam Wintoniensem ferebat, quam à virtute acceperat. Venit in mentem sancto viro, cum Monachi primo locum possederint, reducendos esse: quod vt fieret, cum Edgaro Rege transegit. Tum vterq; Iohannem XIII. Pontificem Max. per legatos adiit: in sententiam traxit, vt Monachi postliminio accerserentur, cum locus S. Benedicto imprimis contraditus fuerit, nec alia aliquando Regula ibi culta, quod Polydorus Virgilius affirmat, Clericus Italus, qui multos annos in Auglia, tributum S. Petri, vt vocabant, exigendo contriuit, ac Insulæ historiam centum ab hinc annis condidit, quo tempore Monachos Eliense Monasterium habitasse asserit, vt merito animũ subeat, vsque ad Henricum VIII. perdurasse, qui cum Monachis religionem quoque solum vertere coegit. Vt vero S. Regula superstes fuerit, Monasterij tamen imperium ad Episcopum deflexit.

Submotis Clericis locũ occuparunt Monachi.

Polyd. l. 7.

Voluebatur Christi nati annus millesimus centesimus vndecimus cum regnante Henrico I hoc Asceterium in summum disciplinæ, opum, auctoritatis fastigium enasit: nam toti insulæ dominabatur: Comitatum Brigiensem subiectum habebat: Abbas etiam Comitis titulo insignis erat. Rebus tunc præerat Richardus, qui Monasterio famæque suæ simul se consulturum ratus, verso in Ecclesiam Cathedralem Asceterio, Lincolniensem Episcopum, cuius in Diœcesi illud situm erat, ante alios adortus est: videlicet, oues ipsius nimis longe lateque sparsas: vno baculo ægre posse coërceri: sibi equidem suas quoque esse; at posse insuper alias pascere, si quæ de grege Lincolniensi sibi committerentur. Post hæc promittere, polliceri, spondere piam operam, si vellet. Inductus argumentis Episcopus vrgenti Richardo assensus est. Captus iisdem Henricus Rex, animum Paschalis vna cum Lincolniensi Antistite non mediocriter versauit, vt Pontificem in sententiam impellerent, qui momentis causæ probatis, annuit petitioni. Sed rerum arbiter Deus aliter in Abbatem Richardum, mitram Pontificiam meditantem, consuluit. Fato enim prius occubuit ac abiit, quam venisset Bulla: mitram vero nouam Henricus quidam adeptus est, qui tum Episcopus erat Bangoriensis. Enimuero Eliense Monasterium tam erat diues, vt subducta bona æris copia numeroso Prioratui sustentando (cuius Conuentus Capituli vices gerebat:) tãtum nihilominus fortunarum superesset pro Episcopo, vt suis sedibus alibi relictis, ad hanc adspirarent. Deinde quemadmodũ Perniæ Comitatus mensæ Episcopi Placẽtiæ appendix est, ita Brigensis Comitatus Episcopo Eliensi in manu erat, qui multis annis, suffragia ferentibus Monachis, legi consueuit.

Polyd. l. 11.

Richardũ spes mitræ Episcopalis delusit.

Sub annum millesimum ducentesimum nonagesimum octauum, à Monachis designatus est Prior non modo ex præscripto S. Regulæ, sed etiam secundum Canones, qui Prælatum aliunde peti non permittũt, si domi idoneus rei gerendæ suppetat. Porro à potiore Conuentus parte designatum Episcopum, Archiepiscopus Cantuariensis, tanquam Metropolitanus, confirmauit. Cum autem nonnulli Monachorum nescio qua de causa votis suis Iohannem Cãcellarium regium expetiuissent, lis Romam delata, à Pontifice ita explicata est, vt Priorem à maiore Capituli parte designatum, Episcopum esse iuberet Noruicensem, electione Monachorum pro ea vice rescissa. Anno millesimo trecentesimo primo iterum euenit, vt Monachi, fatis extincto Episcopo, suum eligerent Priorem, qui in Cathedram succederet. Hunc cum Episcopus Cantuariensis confirmaturum se negaret, Pontificem Max. appellarunt, qui electionem approbauit: Prioremque Episcopum Eliensem renunciauit. Multa alia Monasteria S. Augustinus eiusque discipuli ædificarunt, quæ cum illius ætatis scriptores literis non prodiderint, nobis quoque silentio sunt prætereunda. Sufficiunt autem

Monachi Elienses Episcopũ eligere solebant.

ea quæ attulimus, ad fidē faciendum sanctū hunc Præsulem Cœnobia Ordinis S. Benedicti fundasse, quod eundem profiteretur. *Hisce noster Yepes, iacta in saculi illius auctores culpa querelaque, silentium Lectari suum purgat.* Interea R. P. Clemens Reynerus, è disciplina S. P. N. Benedicti Monachus, S. Theologiæ Professor, nec non Congregationis Anglicanæ Secretarius, magnam segetem falci nostræ obiecit, edito ad annum millesimum sexcētesimum vicesimum sextum Apostolatu Angliæ, quo ea in insula Monachi nostri sunt functi. Dignus profecto luce, tuisque oculis historicus. Scio equidem quod non sit faber, quisquis portat malleum, sed qui malleum facit; hic vero historici leges adeo numeris omnibus absoluit, vt nullam in eo sis desideraturus. Receptissimas Ecclesiarum traditiones, nulla ætate ab Anglis in dubium vocatas, nouit: gentis suæ publicas de Monasteriis nostris atque Apostolis voces audiuit: Bibliothecas & archiua obiuit: monumenta vetustissima, tabulas antiquissimas, ipse inspexit: nihil nō diligētissime exequutus est.

Varijs casibus iactatum Monasterium.

Descripturus Monasterium Eliēse, Herefordensem Godvvinum producit, Catalogo Episcoporum Angliæ ista referentē. *S. Etheldreda filia fuit Annæ Regis Orientalium Anglorum: bis nupta: semel quidem Tumberto principi Australium Anglorum, qui ipsi in dotem concessit hanc insulam Ely: deinde eo post triennium mortuo, Egfrido Regi Northumbrorū: cum quo postquam duodecim vixisset annos, ipsum dereliquit, omnemque pompam ac delitias (quibus gaudere potuisset) vt Deo inseruiret eo modo, quē ipsi maxime acceptum iudicaret. Ad insulam ergo Eliensem se se recepit: cumque ibidem Ethelbertus Rex Cantij antea, nempe anno 607. Ecclesiam S. Augustini consilio ædificasset, eandem ipsa instaurauit & auxit an. 677. suasuq; VVilfridi Eboracensis Archiepiscopi, non sine auxilio fratris sui Aldulphi (seu Ethelvvolphi) Regis Orientalium Anglorum, in Cœnobium Sanctimonialiū conuertit, cui ipsa præfuit, Abbatissæ munus exercens. Centum octoginta tres annos sub ipsa Etheldreda, & post ipsam Sexbinga, Ermenilde, VVereburga, aliisque Abbatissis Cœnobium illud perseuerauit, donec ad annum 890 ab Inguare & Hubba paganis ducibus, fuisset deiectū. Diu postea desolatum, octo Presbyteris secularibus habitaculū præbuit. quos inde submouit Ethelvvaldus, Episcopus VVintoniensis, qui empta à Rege Edgaro tota insula, auctoritate regia Abbatem Monachosque ibi constituit, Brithnotum qui Cœnobij sui VVintoniensis Prior seu Præpositus extiterat, primum Abbatem præfecit circa annū 970. Hunc crudeliter occisum ferunt iussu Elstrudæ, Regis Edelredi vxoris, pugiunculis sub axillis confossum, quod Actæonis instar, ipsam infeliciter cōspexisset in loco quodam veneficiis operantem. Secundus Abbas ei successit Elfsius: deinde suo ordine Leofsinus, Leofricus, Leofsinus alter, VVlfricus, Turstanus sub Gulielmo Normanno. Octauus Abbas Theodvvinus, tum Godefredus, decimo loco Simon: quo mortuo cū vacasset Abbatia per septennium, Richardus Comitis Gilberti filius Abbas effectus, obtinuit vt fieret Ecclesia Cathedralis, eiusque Abbas fieret Episcopus. Cœnobio nihilominus perseuerante, Monachisque Canonicorū vicē habentibus: quo priuilegio ipse cū potiri per fruì mortis necessitate subtractus, locum fecit Herueo, quem ex voluntate Regis Henrici primi, Monachi sibi prælatum elegerant anno 1109.* Hęc, subijcit Reynerus, ex Chronico ipso Eliensi ms. quod adhuc extat in Bibliotheca Cottoniana: vnde liquido apparet Ecclesiam Eliensem à prima fundatione, per S. Augustinū facta, vsq; ad nostra fere tēpora fuisse Benedictinam. Nam de toto illo tempore, quod ab Henrici schismate ad S. Ethelvvoldi instaurationem interuenit, nulla est cōtrouersia, quin fuerit semper à Monachis Benedictinis possessa, qui & toto illo interuallo temporis ius eligendi Episcopum, tanquam suū Prælatum & Pastorem, retinuerunt. Ethelvvoldum quidem constat Monasterium à Dania deuastatum, quod ante fuerat Sāctimonialium, Monachis eiusdem Regulæ exhibuisse. Nam S. Etheldredam sub Regula Benedictina vixisse, quod S. Wilfridus eiusdem normæ cum esset, eam & sacrauit Monialem, & consecrauit Abbatissam circa annum 673. vt habent Annales Teukesberiēsis Monasterij qui eam narrant anno. 679. obijsse. Vitam ipsius conscripsit auctor antiquus Thomas Eliensis Monachus, quam in ipsis Chronicis Eliensibus legimus. In ea inter alia hæc scribuntur; *Rex vero* (Egfridus) *tandem victus ipsius* (Etheldredæ) *importunis precibus, licet inuitus, tamen eam dimisit inuisibilem. Illa nimirum gauisa valde de regis consensu atque licentia, quāuis difficulter & sero impetrata sumptibus secum pluribus paratis, nobilis virgo & potens Regina intrauit Monasteriū S. Ebba Abbatissæ (quæ erat amita Regis Egfridi, & S. Osvvaldi Martyris & Osvvini Regum germana)* positum *in loco quem Coludi nominant vrbem (Caldingham) accepta velamine Sanctimonialis à præfata Antistite VVilfrido. Ingressa igitur Monasterium Etheldreda, hostiam viuam se Deo obtulit: cuncta quæ mundi sunt, deseruit: spreuit, atque à se procul abiecit. Insuper pro regali diademate tumuli obumbratur velamine: pro bysso & purpura, ambitur nigra veste & aspera &c.* Vbi ex ipsa Wilfridi consecrationis & nigri habitus mentione satis ostenditur Benedictinam fuisse. Liquet enim S. Wilfridum & S. Benedictum Geruiensem circa annū Domini 660. Regulā S. Benedicti

Tract. 1. sect. 1. §. 20.

Etheldreda a Rege missionē accipit.

Sacrum velum sumit in Monasterio S. Ebbæ, Ord. Bened.

per totum Northumbriæ regnum stabiliuisse, atque adeo Monasterium S. Ebbæ Coludense ipsamque Ebbam cum reliquis aliorum Cœnobiorum religiosis iam pridem eidem S. Regulæ se subdidisse: atque adeo Iacobus Paulini Diaconus, Wilfridi in Scotis reducendis adiutor, quin & ipse Paulinus euidenter eiusdem Regulæ fuisse monstratur alumni. Quin & in hoc ipso Monasterio Eliensi adhuc Monachos Benedictinos, licet paruo numero superfuisse, Polydorus indicat. Sane Etheldredam in hoc eodem Cœnobio instaurato, centum religiosas personas, partim Sanctimoniales in Claustro proprio, partim etiã Monachos in vicinis ædificiis posuisse, eisque iure Abbatissæ præfuisse, ab anno 673. ad annum vsque 679. apud nostros historicos in confesso est; de quo vide fidelissimum scriptorem Stonum, in Anna Rege, S. Etheldredæ parente. Sed & addit huic considerationi vim maximam, sororum & consanguinearum ipsius parilis deuotio. Etenim S. Withburga soror ipsius, virginitatem Deo consecrans, Cœnobium Detbam construxit, & ibidem Abbatissa Virginibus præfuit: quod Monasterium posterioribus sæculis Eliensi Monasterio S. Ethelvvoldus Abbas annexuit. Simili modo Sancta Regina Sexburga, altera soror, postquam Ercomberto magni Ethelberti à S. Augustino conuersi nepoti, Cantiorum Regi, liberos peperisset Egbertum & Lotharium, Reges deinceps Cantiorum, & Ermenildem atque Erkengodam, marito Rege defuncto sub sororis Etheldredæ gubernio monialis facta est, eidemque in regimine Eliensis Monasterij successit. Traxit ad idem Cœnobium eadem pietas & filiam ipsius Ermenildam Reginam Merciorum, quæ Wulferum Regem, maritum suum, Christo adduxit: eoque defuncto vnicam de ipso susceptam filiam S. Wereburgam secum ad Eliense Cœnobium, Christo Domino seruituram, allexit. Erkengoda quoque altera Ermenildæ soror, vna cum Sithrica & Ethelburga materteris suis, Annæ Regis Orientalium Anglorum filiabus in Brigensi S. Pharæ seu Burgundoforæ Monasterio Gallicano Moniales factæ, magnorum virtutum fulgoribus radiarunt. Adeo quamuis peregrinæ, eiusdem tamen Cœnobij Brigensis factæ sunt Abbatissæ: Erkengodæ vero sanctitatem, etiam miracula diuina, & mors pretiosissima, Angelorum obsequiis honorata, comprobarunt. Quare cum omnes isti Sancti ad Benedictinam formulam vitam iam composuerint, nemo dubitare potest Eliense & Derhamense Monasterium, & Brigense ac Calense Cœnobium, fuisse prima sui origine Benedictina. Sane non potest sine proteruia negari, eandem quoque Regulam & institutionem S. Benedicti primis Anglorum Apostolis cultam fuisse. Profecto Eliensis Monasterij Chronica ms. quæ adhuc extant venerandæ antiquitatis in Bibliotheca Cottoniana, cum historiam Cœnobii illius à prima pertexant origine, nullum prorsus alterius Regulæ vel Ordinis mentionem faciũt, qui in ipso ante Benedictinam Regulã floruerit, cum tamẽ tam in crebris Etheldredæ sanctæ miraculis recensendis, quam in ipsis diplomatibus ac priuilegiis referendis, celeberrima S. Benedicti, Regulæque eius habeatur mentio.

Quam vera sit hæc narratio, non ex cõiecturis aut cerebro nouitio ducta sed ex antiquissimis tabulis petita, prudens Lector existimabit. Sed nunc Yepesio locum iterum & operam demus.

Honos Episcopalis adeo non proprius Monasterij Eliensis erat, vt potius communis quam plurimorum fuerit in Anglia. Pleræque enim Ecclesias Cathedrales habebant & moderabantur Monachi Ordinis S. Benedicti, suoque de cœtu Episcopos legebant, quod locis propriis ostendemus. Qui Polydorum Virgilium, Matthæũ Westmonast. Florentium Monachum, vel parum terit, in nostras Ecclesias Cathedrales, veluti Cantuariensem (cui viginti Episcopatus annexi) Eliensem, Rofensem, Wintoniensem, Circestrensem, Conuentrẽsem, Dunelmẽsem, Wigorniensem, Lichfeldensem, Batoniensem primo fere oculorum coniectu incidit. *Pleræque Sedes Episcopales olim pertinebant ad Monachos S. Benedicti in Anglia.*

Hæc cum iam scribendo absoluissem, fortuna mihi Petrum Blesensem, studio Iohannis Busæi, hominis de Societate Iesu editum, atque Matthæum Parisiensem, ad S. Albani Monachum Benedictinum, obtulit, qui me quamuis non vacillantem, confirmarunt tamen, nostros tam in S. Saluatoris Monasterio Cantuariensi, quam Beatæ Virginis Eliensi, pro nouis Præsulibus suffragia ferre solitos. Murmurauerat Blesensis sat liberaliter, quod S. Thoma à sicariis è medio sublato, Monachi Archiepiscopum nouum suis calculis illico designassent, nil morati Episcopos subditos ac suffraganeos. Videtur quidem suam causam agere: frustra tamen cum Monachis conqueritur, qui iure suo sunt vsi. At Busæus impactam Monachis labem suis Scholiis absterit. Sæculo enim, quo Blesensis vixisset, agitatum ac disputatum calide fuisse, scribit, num eligere Episcopum Cantuariensem solis Monachis Cathedralibus, *Bles. ep. 27*

libus, illam Ecclesiam obtinentibus, iure conueniret? an vero adsciscendi ac admittendi quoque Episcopi, Metropolitanæ illius Ecclesiæ suffraganei? Videri suum Petrum hoc posterius sibi persuasisse, grauiore proin censura Monachos verberasse: atqui exitum probasse actæ. Videlicet labente anno millesimo ducentesimo quinto, Iohanne Angliam regente, litem fuisse delatam Romam: Innocentium Pontificem Max. argumentis partium ac momentis ad trutinam expensis, Episcopis Suffraganeis perpetuum silentium per Decretum imposuisse: solis Monachis Cathedralibus Metropolitani Cantuariensis electionem conuenire, pronunciasse. Hocque referre, subdit, Matthæum Parisiensem anno millesimo ducentesimo sexto historiæ Angliæ. Adiui post hæc Matthæum istum: prolixe vidi quod Busæus compendio narrauit. Bullam Pontificiam seposui in Appendicem. Duobus nominibus ius eligendi Antistitem Monachis Cathedralibus in Anglia concessum crediderim. Vno, ne à Regula sua discederent, quæ Capitis eligendi potestatem ipsis facit. Altero quod in more apud Ecclesias Cathedrales positum fuerit, vt Capitularium calculis Antistites eligerentur. Quamuis autem suffraganeos pro Archiepiscopo suffragia tulisse, Iura doceant, moremque Concilium III. Aurelianense confirmarit, Summi Pontifices paucos tamen, veluti Cantuarienses in Anglia, Montis regalis in Sicilia, Monachos Cathedrales Ordinis nostri, hoc priuilegio gaudere voluerunt.

Ius eligendi Archiepiscopi Cantuariens. penes Monachos cathedrales esse, Innocent. Pōtif. pronūciauit.

Append. scrips. 32.

Tit. de Elect. & electi potest. c. 24. & 53.

Dist. 63. C. Metropolitano.

Annvs Christi 598. — Annvs S. Benedicti, 118.

Tempus autem nobis vellit, vt ex Anglia nos eijciamus in Italiam. Iuuat autem iter habere per Hispaniam, Recaredi Regis & S. Leandri oratores ad Pontificem, itineris comites habituros. Gothis per Concilium III. Toletanum ad fidem Catholicam perductis, nexti Hispania cum Italia cœpit, nuntiis iam vltro citroque crebrius commeantibus. Hoc anno Recaredus Rex cum S. Leandro aliquot Abbates, necnon Probinum presbyterum misere Romam, auro, argento, cimeliis, trecentis vestibus graues, in pauperes S. Petri effundendis. Cum enim optimi Pontificis in egenos amor & cura neminem fugeret, iuuabatur opibus subinde alienis, vt præclare de mendicabulis posset mereri, quam ipse sibi prouinciam studiosissime vindicabat. Ex his legatis vnum Monasterij Arlanzæ Abbatem fuisse, ex eiusdem vetusto libro didici. Acti graui tempestate, sequenti primum anno iter domum relegerunt.

Recaredus Rex & S. Leander oratores ad D. Gregorium mittunt.

Annvs Christi 599. — Annvs S. Benedicti 119.

Capvt I.

Extrema pars vitæ S. Leandri, Archiepiscopi Hispalensis, & S. Florentiæ Abbatissæ, eiusdem sororis germanæ.

Gregorius Magnus Recaredi Regis legatos humanissime accepit: munera æqui bonique fecit: misso sacro pallio, S. Leandro gratias retulit: pallio hanc epistolam adiunxit.

Gregorius Episcopo Hispaniarum.

D. Greg. l. 7. ep. 126. Gregorius Magnus Leandro respōdet.

Sanctitatis tuæ suscepi epistolam, solius charitatis calamo scriptam. Ex corde enim lingua tinxerat, quod in charta pagina resundebat. Boni autem sapientesque viri affuerunt, cum legeretur, quorum statim viscera in compunctione commota sunt. Cœpit quisque amoris manu in suo corde te rapere, quia in illa epistola tuæ mentis dulcedinem non erat audire, sed cernere. Accendebantur & mirabantur singuli, atque ipse ignis audientium demonstrabat, qui fuerit ardor dicentis. Nisi enim in se prius faces ardeant, alium non succendunt. Ibi ergo vidimus, quanta charitate tua mens arserit, quæ sic & alios accendit. Vitam vero vestram minime nouerant, sed vis altitudo vestri cordis patuit, ex humilitate sermonis. Vitam autem meam cunctis esse imitabilem, illa vestra epistola loquitur. Sed quod non est ita, vt dicitur, sit ita quia dicitur, ne quis non fuit, mentiatur. Adhuc autem breuiter cuiusdam bonæ mulieris verba loquor: Nolite me vocare Noëmi; *id est, pulchram:* sed vocate me Mara, quia amaritudine plena sum. *Neque enim, bone vir, hodie ego sum ille, quem nosti. Multum, fateor, exterius proficiendo, interius cecidi: atque de eorum numero esse pertimesco, de quibus scriptum est:* Deiecisti eos, dum alleuarentur. *Cum alleuatur enim, deijcitur, qui honoribus proficit, & moribus cadit. Ego enim vias mei capitis sequens, summopere esse decreueram opprobrium hominum, & abiectio plebis, atque in eius sortem currere, de quo rursus per Psalmistam dicitur:* Ascensus in corde suo disposuit, in valle lachrymarum; *vt videlicet tanto verius intus ascenderem, quanto per conuallem lachrymarum foris humilius iacerem. At me multum nunc deprimit*

Ruth. c. 1.

Psal. 72.

Psal. 83.

honor onerosm: cura innumera perstrepunt: & cum se se ad Deum animus colligit hunc suis impulsibus, quasi quibusdam gladiis, scindunt. Nulla cordis quies est. Prostratum in infimis iacet sua cogitationis pōdere depressum. Aut rara valde, aut nulla hoc in sublimia penna contēplationis leuat. Torpet ignauia mens: & circumlatrantibus curis temporalibus, iam pene ad stuporem deducta cogitur modo terrena agere, modo etiā quæ sunt carnalia dispensare. Aliquando vero fastidio exigēte compellitur quadam etiam cum culpa disponere. Quid multa loquor? victa suo pondere, sanguinem sudat. Nisi enim sanguinis nomine culpa censeretur, Psalmista non diceret. Libera me de sanguinibus. *Cū vero culpas culpis iniungimus, hoc quoque quod per alium Prophetam dictum est, implemus.* Sanguis sanguinem tetigit. *Sanguis enim sanguinem tangere dicitur, cum culpa culpa adiūgitur, vt iniquitatis cumulus multiplicatur. Sed inter hæc per omnipotentem Deum deprecor, vt in perturbationis fluctibus lapsum tua orationis manu me teneas. Quasi enim prospero flatu nauigabam, cum tranquillam vitam in Monasterio ducerem. Sed procellosis subito motibus tempestas exorta, in sua perturbatione me rapuit: & prosperitatem itineris amisi, quia quiete perdita, mentis naufragium pertuli. Ecce nunc in vndis versor, & tua intercessionis tabulam quæro, vt qui naui integra diues peruenire non merui, saltem post damna ad littus per tabulam reducar. De podagra vero molestia sanctitas vestra, vt scribit, affligitur enim dolore assiduo & ipse vehementer attritus sum. Sed facilis erit consolatio si inter flagella, quæ patimur, quæcunque fecimus ad memoriam delicta reuocamus, atq; hæc non iam flagella, sed dona esse conspicimus si, quæ carnis delectatione peccauimus, carnis dolore purgemur.*

Psal. 50.

Osee 4.

Præterea, ex benedictione B. Petri Apostolorum principis, Pallium vobis transmisimus, ad sola Missarum solennia vtendum: quo transmisso, valde debui qualiter esset vobis viuendum, admonere. Sed loquutionem supprimo, quia verba moribus anteitis. Omnipotens Deus sua vos protectione custodiat, atque ad celestis remunerationem patriæ, cum multiplici animarum fructu, perducat. Ego autem quanta occupatione deprimor, ex debilitate, breuis attestatur epistola, in qua ei, quem multum diligo, parum loquor.

Scripserat etiam ad Recaredum. Addidit epistolæ Crucem, cui segmentum de felici arbore quæ Seruatorem nostrum tulit, inclusum erat: item aliquot capillis S. Iohannis Baptistæ. *Clauim*, inquit, *paruulam, à sacratissimo Beati Petri Apostoli corpore vobis pro eius benedictione transmisimus, in qua inest ferrum de catenis eius inclusum, vt quod collum illius ad martyrium ligauerat, vestrum ab omnibus peccatis soluat. Crucem quoque dedi latori præsentium vobis offerendam, in qua lignum Dominicæ crucis inest, & capilli B. Iohannis Baptistæ. Ex qua semper solatium nostri Saluatoris, per intercessionem Præcursoris eius, habeatis.* Igitur Romani Pontifices olim claues Regibus ac Principibus dono mittere consueuerant, inditis ramentis, de catena S. Petri derasis lima, quibus cubicularij S. Petri constituebantur. Morem hunc tempus aboleuit, sed clauibus successere Rosæ, quibus Pontifices Dominica die, quam *Lætare* appellamus, bene dicere solent. Latore autem Gregorius Magnus vsus est Cyriaco, Monasterij sui ad S. Andream Abbate, quod ex epistola, ad Claudium Hispanum data liquet.

Recaredū segmento S. Crucis, & aliquot capillis S. Iohannis Bapt. donat.

Lib. 7. ep. 127.

Porro vt omnia alia testimonia de vita Sancti Leandri, per præstantissimas virtutes acta, nos deficerent, sola Gregorij Magni epistola suis coloribus virum nobis sat superque depingeret, quos olim morum similitudo Constantinopoli arctissime iunxerat: Pastorale tamen non ipsi, sed Iohanni Archiepiscopo Rauennati conscripserat (quod prologus prodit) cui oneris grauitatem exponit, quod Antistites subeunt: mirum proinde ipsi videri non debere, quod gnarus quid sui ferre valerent humeri, eosdem Pontificatui onatus sit subtrahere. Morales, qui *Pastorale* Sancto Leandro dicatum fuisse putat, dormitauit cum bono Homero; sed facile veniam tribuimus, cum is maiorum longe rerum Iliadem condiderit quam Homerus.

Ambros. Moral. l. 2 c. 3.

Neque tantum virtutibus, sed etiam litteris ac libris scribundis operam nauauit sanctus iste Archiepiscopus Hispalensis. Stylo enim hæresin Arianam refutauit & confixit. Etiam alia multa cum Constantinopoli, tum alibi extorris patria (teste S. Isidoro fratre) cōposuit. Insuper alios atq; alios ad Baptisma ritus Ariani adhibebant: immo verba quoque, à Catholicorum verbis aliena. Stylo proinde suo hanc etiam hydræ partem pressit. ita vt sentiret, quod idem Sanctus Isidorus affirmat. Lucubrauit insuper Institutionem Virginum, quam S. Florentinæ sorori suæ, inscripsit, cuius exemplar à manu Gothica in Monasterio Sancti Æmiliani de la Cogolla vidi, apposita era sexcentesima quinquagesima noua (mediusfidius antiquissima!) cui respondet Christi annus sexcentesimus vicesimus primus, vt vix anni viginti à morte viri tum effluxerint. Maximi librum hunc fecimus, cum propter suum auctorem: tum quod antiquitate alios in Hispania anteire videretur. Breuiarium & Missale

S. Leāder hæresin Arianam confecit.

S. Isidorus de viris ill. c. 14.

Varios libros lucubrauit.

(quod

(quod Mozarabe vocant) in diuersas sententias trahunt Hispanis, dum nonnulli Sanctum Isidorum, alij potius Sanctum Leandrum pro auctore habent. Recte compoui hanc litem autumamus, si prima manus vni, vltima alteri concedatur. Enimuero S. Leandrum præter multas orationes etiam Hymnos pro Psalterio scripsisse, Hispania non nescit, veroque simile est à Sancto Isidoro apta in loca digestos. Missale Mozarabe illud est, quo vsi Christiani sunt Mauris & Arabibus mixti, qui diuinum officium à Gothis acceptum, à SS. Leandro ac Isidoro confectum perfectumque, studiose retinuerunt. Ad D. Gregorium, nec non ad alios epistolas non paucas dedit, quibus Lectori persuadet, non se obiter tantum literis fuisse tinctum, sed in adyta eruditionis penetrasse.

Missale Mozarabe perfecit.

E viuis excessit Hispali, Recaredo regnante, vt Sanctus Isidorus refert. Quocirca hunc annum, aut initium sequentis, morti ipsius deberi arbitror. Nam Regem annus sexcentesimus è solio sustulit, quandoquidem Luina sceptro era sexcentesima trigesima nona, id est, Seruatoris anno sexcentesimo primo, potitus est. Quod vero anno, quem voluimus, in humanis adhuc fuerit, ex epistola D. Gregorij paulo ante à nobis descripta, liquet. Hoc enim tempore missa fuit: nec aliam deinceps mentionem de S. Leandro reperio, vt nesciam quo argumēto vel testimonio ducti nonnulli, anno sexcentesimo septimo eum concessisse asserant: nihil, inquam, video, cur Recaredo serius vita eum absoluam. Sæpe laborantem ac hæresibus implicitam Hispaniam vidit: erroribus & laboribus sua opera explicatam reliquit. III. Idus Martij ad Cœlites abeuntem quotannis cultu decenti prosequitur Ecclesia: præsertim Hispania, & in Hispania Hispalis, qua vrbe etiam post mortem donatus, atque in SS. Iustæ & Ruffinæ templo conditus est, cuius honori Monasterium quoque Monialium ibidem dedicarunt.

Concessit Hispali.

Gloriæ insuper huic Sancto Archiepiscopo vertēdum, quod suis germanis ad virtutem ac eruditionem facem prætulerit, vt par erat natu maiorem Seueriani liberis erant. Theodora, Regi Leouigildo collocata: S. Fulgentius, S. Isidorus, S. Florentia. Sunt qui S. Braulium immisceant, sed apta testimonia non deponunt. Sunt etiam, qui S. Fulgentium Ordinis Sancti Benedicti Monachum faciant, quibus tum fidem habebimus, cum antiquum grauem auctorem nobis attulerint. Alius quidam S. Fulgentius Monasticen professus est in Africa, atqui secundum D. Augustini Regulam. Etiam Sanctum Isidorum è syllabo Ordinis expungo, cum vita quam egit, Regula quam Monachis Hispalensis Archiepiscopus scripsit, aliam mihi sententiam iniiciant. Romæ ad S. Andreæ quidam Sanctus Isidorus fuit, Siculus postea Episcopus, vnde error fortsan de altero natus.

Viam suis germanis ad virtutē præiuerat

S. Isidorus è catalogo Monachorum D. Benedicti vid. tur mouendus.

S. Florentinam ipsius sororem, in vrbe cui Ecyæ nomen, sacrarum Virginum Antistitem egisse, compertum est, similem omnino sanctis fratribus. Ferunt quadraginta Monasteria habuisse subdita, mille sponsis Christo addictis plena; à carne secundum D. Benedicti Regulam, in quam iurauerat, penitus abstinuisse: sitim aqua tantum extinxisse: de lana subuculas tenello corpori imposuisse, idque cæteris quoque rebus dure habuisse. Ad XII. Cal. Iulij constitutus ab Ecclesia ei honos est. Ne vero memoriæ possit excidere, Monasterium quod S. Dominici discipuli habitant, nec non Xenodochium Ecyæ ipsius tutelæ erecta sunt. Hoc argumentum amplexus F. Rodericus Yepes de vrbe hac, deque S. Florentina librum condidit, è quo nos pauca in rem nostram carpsimus.

S. Florentina Virginum mille Antistes.

Igitur S. Florentinam, inquit, cum Monialibus in isto Monasterio vixisse, præter traditionem perpetuam, multa alia antiquitatis indicia produnt, veluti turris admodum anuosa, quam omnes turrim S. Florentinæ appellamus. In claustri medio cellarum vestigia reperias. Hospitale atque Confraternitatem ciuitas habet, quibus à S. Florentina nomen est: tot autem retro sunt lapsi anni, vt originem nemo sciat. Solent etiam Confratres S. Florentinæ statuam, cultu Monastico amictam, in hoc B. Virginis de valle Ecyana Asceterium publica pompa deferre, ibique vesperas cantando, lacrum persoluendo, verba de loco superiore faciendo, festum instituere, vt sanctissimam Antistitem veteris habitationis admoneant. Neque vero ex alicuius imperio vel præcepto sic supplicatum eunt, sed quod nuda maiorum suorum vestigia sibi imitanda putent, quodque sacellum vna cum altari S. Florentinæ dicato, extent, quæ nunc noua templi moles non parum obruit. Huc etiam iidem S. Florentinæ Confratres summis tribus festis confluunt, & circa ipsius aram fusi, rem diuinam obeunt. Cum insuper cæteras per ciuitates hospitalia ad paruum numerum redigerentur, vt tanto maiori hospitalitati locus esset, ac fors

F. Roderic. Yepes, c. 6.

Monasterium & hospitale S. Florentinæ etiam hodie superfunt.

ac sors eadem hospitalibus Ecijæ imminetet, accidit vt Philippus Rex anno millesimo quingentesimo septuagesimo in Andaluciam iter faciens, ad tenue hoc Monasterium deflecteret, cui supplicé libellum porrexi, persuasiq; ne antiquum S. Florentinæ Xenodochium, quod ego id temporis procurabam, alteri alicui annecteret, vt ne celebris pompa, quam retulimus, intercideret: sanctæq; Antistitis memoria aboleretur.

Sepulta quidem in Monasterio Vallis B. Virginis fuit, atqui Barbaris Hispaniam inuadentibus & subigentibus, Christiani in fugam coniecti eius corpus nec non sancti Fulgentij abstulere, ac Berzoeanæ non procul illustrissimo Cœnobio Guadalupe recondiderunt, vbi hodie quoque perdurant.

E quadraginta Monasterijs quæ S. Florentina moderabatur, maxime id eminebat, quod ipsa incolebat, extra ciuitatem Ecija prope ripam fluminis Xenil situm, & Nostra Domina de Valle dictû, quod postmodum Ordini S. Hieronymi cessit. Hoc in Parthenone fama est trecentas Moniales simul vitam ad S.P.N. Benedicti Regulam, & leges à S. Leandro sancitas, exegisse, táq; altas Monasticam disciplinam opera S. Florentinæ egisse ibidem radices, vt ipsa quoq; demortua floruerit, donec maris instar insulis Mauris, religio solum vertit. Imminentibus barbaris cum nulla miseris Virginibus pateret fuga, correptis cultellis adeo fœdum in modum bonos dilaniarunt vultus, vt extincta penitus forma à libidinosissimis bipedum fastidirentur, scelerumque purę ferro conficerentur, quod his fere verbis F. Rodericus Yepes enarrat. A maioribus nostris haud secus quam lac imbibimus memoriam Cœnobij Nostræ Dominæ de Valle: cultumque erga S. Florentinæ imaginem: quodque vitam ibidem cum suis Virginibus posuerit. Nepotes pietatem erga viam quæ ducit in Monasterium, vocarúntque Via Virginum, (vel camino de las virgines) ab auis acceperunt. Nam qua è templo S. Crucis tenditur in Cœnobium vsq; Monialium sanguine respersa quondã, fuit, vel ab Arianis, vel à Mauris cæsarum. Tereuti illam viam etiam ponticulus occurrit quem pariter à Virginibus appellamus. Ad portam Palmalæ antiquæ in marmora incidas, quæ harum quoq; Virginum sanguine tum illita esse ferunt, cum ex Monasterio insontes victimæ raperentur. Item nostra memoria quædam fœmina (Mariæ Alonso nomen erat) cum ante primam facem ex more iraret in Monasterium, Virgines conspexit ardentibus candelis instructas, & in supplicationem digestas, sibique oblatum ceteum passim ostendit: ac in supremam fati horam reposuit. Quocirca magna pars vrbis bonam huius viæ partem nudis pedibus, vel etiam poplitibus terere consueuit, donec imaginem Dei parentis, & locum à S. Florentina habitatum, oculis vsurpent. Si quidquam testibus ocularis credis, mihi fidem habe sis, qui duos annos in hoc Monasterio exegi: qui cum alias, tum vero maxime singulis Sabbatis confertam turbam, ad matutinum sacrum confluentem, atque ad portam natantibus pietate oculis præstolantem, egomet vidi.

Moniales nostræ Dominæ de valle imminétibus barbaris bonos vultus deformarunt.

Roder. Yepes c. 6.

Formam & vitam maluerunt perdere, quã sponsum.

CAPVT II.

Cyriacus Abbas S. Andreæ Romæ. S. Maximus Episcopus Zaragosæ. Iohannes Viclarensis Episcopus Gironæ.

CYriacum, virum grauissimum, Gregorius Magnus suo Monasterio præfecerat, cui, dum Pontificatum gessit, semper consulere maiorem in modum studuit. Multas ille quidem obiuerat legationes, ab ea tamen ad Barbarinos Sardiniam colentes, à fide alienos, suscepit, multo maxime inclaruit. Quantum Ecclesia fructum eius à labore ceperit, D. Gregorius hac epistola tangit.

Cyriacus Abbas ad S. Andreæ Barbaricinos idololatros excoluit.

Gregorius Hospitoni Duci Barbaricinorum.

CVm de gente vestra nemo Christianus sit, in hoc scio, quia omni gente tua es [illegible], quia tu in ea Christianus inuentus. Dum enim Barbaricini omnes vt insensata animalia viuant, Deum verum nesciant, ligna autem & lapides adorent, in eo ipso quod verum Deum colis, quantum omnes antecedas, ostendis. Sed fidem quam percepisti, etiam bonis actibus & verbis exequi debes, & Christo cui credis, offerre quod praeuales, vt ad eum quoscunque poteris, adducas, eosque baptizari facias, & aeternam vitam diligere admoneas. Quod si fortasse ipse agere non potes, quia ad aliud occuparis, salutans peto, vt hominibus nostris, quos illuc transmisimus, scilicet fratre & Coepiscopo meo Felici, filioque meo Cyriaco, seruo Dei, solatiari in omnibus debeas, vt dum eorum labores adiuuas, deuotionem tuam Omnipotenti Domino ostendas: & ipse tibi in bonis actibus adiutor sit, cuius famulis solatiaris. Benedictionem vero S. Petri Apostoli vobis transmisimus, quam peto vt debeatis benigne suscipere.

Lib. 3. epist. 27.

Gentem hanc Africanam idolis deditam, patria exuerunt Vandali. Sic pulsi sedem in Sardinia quæsiuere potius, à principio, quá fixere. Numero paulatim aucti, intra suam se pellem continere indignum rati, incolas infestarunt: prædas egerunt: in omnem occasionem vires promouendi intenti. Barbaros istos animos vt D. Gregorius subigeret, Felicem Episcopum & Cyriacum Monasterij S. Andreæ Monachum misit, qui plurimos sacris vndis lustrarunt: adeo hic Pontifex terra mariq; rectæ fidei experses, errores turpes ponere, & in Ecclesiam Romanam concedere docuit.

Procop. l. 2 bell. Vand.

Hoc item anno Concilio in Gallia coacto, Gregorij Magni iussu idem Cyriacus adfuit. Negotium in quod ibi incubuere Patres, Baronius memorat, putatque Cyriacum Legati Pontifici munus istu ipso anno Barcinone in Hispania obiuisse, quo Recaredus Synodum indixerat. Coniecturam inde ducit, quod aduersus vitia, quæ magnanimus Pontifex persecutus fuerat in Gallia, Canones à Patribus sanciti sint in Hispania. Synodo XII. Episcoporum subscripsere Iohannes Viclariensis (Episcopus de Girona hodie:) & Maximus Episcopus de Zaragosa, ambo sancti Benedicti Monachi.

Concilio Barcinonensi adfuit cum munere Legati Pontif.

D. Gregor. l. 7 epist. 112. 113. 114.

Maximum litteris ac virtutibus excultum, Stylo soluto & pedestri æque clarum, sanctus Isidorus in Album, quod de viris illustrioribus confecit, iure merito retulit. Trithemius vtraque oratione libros ab ipso editos, ait, mira elegantia compositos. Permagni autem fiebat historia, quam de Gothis Hispaniam incolentibus conscripsit, quod opus Argeobito, Episcopo de Oporto dedicauit. Ab inuido sæculo nostris annis subductum esse, moleste fert doctorum natio. Fragmenta quædam F. Prudentius de Sandoual Episcopus Tuyensis excepit, ac libro suo, quem de Castiliæ Monasterijs contexuit, inspersit: nos vero, quibus autographum ne quidem post adhibitam insignem industriam videre contigit, breues hic esse cogimur. Vitam longe produxisse virum oportet: nam huius temporis Concilijs interfuit: Tarraconensi ac alijs quoque subscripsit, vt plane Isidori ætatem attigisse videatur. Ita enim iste Sanctus de Maximi libris verba facit, quasi etiam tum publicæ luci desudaret, ac emisisset, quæ ipse needum acceptsset. Agaliensi Monasterio nomen dedisse fertur, quod summos viros orbi ac Ordini educauit.

S. Isidor. de clar. viris c. 46. Trithem. de Script. Ecclesiast.

S. Maximus litteris clarus.

In Iohannem Viclariensem post Regem Leouigildum incidimus tanquam casu obuium, adeo nunquam sciscitati sumus, vnde domo esset, vel quas res gessisset Synodo, cuius meminimus, hæc verba subiecit.

Iohannes peccator de Gerunda, in his constitutionibus annuens, subscribo. Male fidei exemplar Moralem habuisse oportet, qui eundem quoque Presbyterum de Girona nominat. Quod si vis, typographo errorem impinge. Hoc enim tempore iam is Gironæ Pontificatum gesserat. Cæterum multitudo nominum fecit, vt multis ignotus esset, quod illis euenire consueuit, qui alios atque alios sumunt vultus. His enim Iohannes Gothus, illis Iohannes Viclariensis, alijs Iohannes Gerundensis dicebatur. Sed non absque causa tot ei nomina posita fuere. Nam gente Gothus erat: professione Monachus & Monasterij Viclaræ fundator: dignitate denique Episcopus Gironæ. Natus est in Portugalliæ vrbe, cui olim Escalabis, nunc autem Santaren nomen, decimo quarto vel quinto lapide Vlyssipone remota: Sic enim à S. Irene, Ordinis nostri Moniali dicta.

Moral. l. 12. c. 7.

Iohanni Viclarensi plura fuere nomina.

Adolescentiam adhuc ducens, S. P. N. Benedicto se dedit. P. F. Hieronymus Romanus in Dumiensi Monasterio Monachum induisse putat, non aliam forte sequutus facem, quam quod Dumiense Monasterium tota Portugallia fuerit percelebratum. Fragmenta sancti Maximi à Prudentio Sandoual collecta, ad aliud eum limen trahunt. Nam Toleti in Monasterio Agaliensi ipsum vota nuncupasse, expressis verbis asserunt. Insuper optimæ indolis excolendæ gratia Constantinopolim (id temporis literarum Sedem) transmissum indicant, vbi annos septem discendo exegisse putatur, quamuis nonnulli decem ac septem numerent. Linguarum, artium liberalium, Philosophiæ, Theologiæ, Sacrorum librorum, egregie iam peritus, in patriam reuertit regnante Leouigildo (cui Ariani in delitijs:) nec multo post magna positæ operæ, partæque doctrinæ, specimina dedit Catholicis applaudentibus, hæreticis dentes stringentibus.

Hieron. Roman. hist. Eccl. ms. l. 3. c. 10.

In Agaliensi Monasterio Toleti Monachū professus est.

Rex magna comitate virum à principio accepit: bene habuit: suas in partes varijs artibus illexit: at vbi veteres ollas se lauare didicit, accensus ira Cataloniam malis omnibus facessere iussit, Numine sic dirigente, vt eam prouinciam non secus quam Castiliam fide Catholica imbueret. Barcinone seu Barcellonæ vt plurimum habitabat, quod gentis caput esset, ibique insignem Ecclesiæ Romanæ operam nauauit. Ab eodem quoque conditum Monasterium, cui

Catalonos fide Catholica instituit.

Valclara seu Vallis clara nomen; vnde quamuis multos præclaros viros prodijsse credibile sit, historici tamen solum Iohannem fundatorem ac Abbatem, & qui ei successit Nonitum, in litteras miserunt.

Dum igitur hæreticos Arianos pressit, crabrones mire in se concitauit, qui tam iræ quam odij impotentes, insidijs crebro collocatis, necem ipsi meditati sunt, affecturi præsenti supplicio, nisi Deus periculo virum exemisset. Leouigildo fatis sublato successit Recharedus, qui Catholicos exilijs actos in patriam reuocauit. Iobannes excitato Monasterio, iam stabilem sedem apud Catalonos fixerat, vnde id commodi prouinciæ partum est, vt Ariana hæresis radicitus velleretur. Postquam Rex intellexit, quantum Cataloni fructum ex ipsius laboribus ferrent, Pontificiæ Sedi Gerontæ imposuit sudantem. Ad vltimam senectam prouectus est, quippe qui Suintilam Gothorum Regem attigit.

Mitra Pōtificia sudantem ornauit Recaredus Rex.

Scribendo, & tam Catholicorum quam hæreticorum aures verberando, traducto æuo, etiam posteritati consultum iuit. Nam sanctus Isidorus, à quo pleraque hactenus petiuimus, inter eius lucubrationes Regulam recenset, monachis quidem compositā, cuius tamen vsui futuram. Non autem animum inducas nouam ipsum Regulam Ordini nouo instituendo condidisse, diuersam ab ea quam S. P. N. Benedictus dedit, qui se sacramento pridem obstrinxerat; sed monachis suis in Valleclara priuatas quasdam tulisse leges, veluti munimenta disciplinæ. Item historiam scripsit, at filum, quod ab anno quingentesimo sexto est orsus, non vltra quingentesimum nonagesimum produxit. Prosper Aquitanicus Annales à mundo condito litteris prodere cœperat: manum postea Victor Tunensis (non Turonensis) admouit: desertos à Victore, Iohannes Viclarensis excepit. *Multa alia scribere dicitur*, inquit sanctus Isidorus, *qua ad nostram notitiam non peruenerunt.* Assequutus proinde sanctum Isidorum est. Egregios labores obliuio inuoluit: tempus edax consumpsit: nisi quod historia MS. exitium euaserit. A Trithemio sanctissimus appellatur: ab Arnoldo Wion Cœlitum fastis ad VI. Maij inseritur: quamuis in aliorum Menologijs mihi non sit visus.

S. Isidor. de viris illust. c. 44.

Trithem. de vir. ill. l. 2. c. 25. & l. 3. c. 37.

Scripsit Annales.

* *
*

Annus Christi 600. Annus S. Benedicti 120.

CAPVT I.

S. Hermelinda Monialis.

Inter Prouincias quæ Monasteriorū Sanctorumque Ordinis D. Benedicti multitudine alijs palmam præripiunt, merito Belgium censeas, quod Germaniam inferiorem dicunt hodie, lingua, cultu, moribus, superiori admodum similem, situ autem humiliorem, qua de causa fluuij, ex alpibus Germaniæ superioris nati, in Belgium tendunt: exinde in mare feruntur. Nobilis hæc pars orbis à natura secū ita depressa est, vt alicubi incolarum industria miræ artis ac roboris perfido mari repagula obijciat, ne hauriat prouinciam. In hoc igitur profundo Belgio crebri montes cœlo tenus sese extulere: viri nimirum, eruditione & sanctitate summi, præsertim annis ducentis, proxime sequentibus. Nunc tantum rerum maximarum spem faciamus, simul viam indicādo, qua nostri ex Anglia in Germaniam se tulerunt. Vestigia, ipsa Monasteria signabunt.

Belgium viris doctis & sanctis nostri Ordin. ferax.

E sacris Virginibus prima occurrit S. Hermelinda, patre Hermenoldo, matre Hermenseoda, vtroque nobili sanguine, in Brabantia nata. Quippe *ex eius prosapia, descēdisse dicitur Pipinus pater S. Gertrudis, Dux primus Brabantiæ, Carolomanni & Emegardis filius:* quodque forsan pluris feceris, Clotario & Dagoberto regnantibus, Maior Domus. Tenellæ virgunculæ igniculos iniecit sponsus Virginum IESVS, cuius diuino amore adeo capta fuit, vt cætera omnia videretur fastidire. Ieiunare, psalmos voluere, concionibus aures dare, volupe illi erat. Exactis sic primis annis, viro cœpit maturescere. Ergo parentes nuptias agitare animo: cuinam charum pignus collocarent, sedulo circumspicere: nonnunquam quid fieri ab illa vellent, blande significare. Illico, at vultum duxit gnata: abnuit. Instant genitores, rogant, vrgēt, blandiuntur, terrent: Hermelinda vel deflectit aures, vel pollice verso iactam esse aleam, ait, frustra preces aut minas effundi. Cum nulla torum elabendi pateret via, viam ferro hunc in modum sibi aperuit. Vibrantibus Hymenæi metu digitis caput inuadens, vincula imprimis soluit: tum altera manu exleges capillos colla per candida passos, stringens, altera raptam de proximo forficem agitans, citros grauiter ipsa sibi cæcidit: cincinnos posuit: vt pater, vt mater spem nuptia-

S. Hermelinda illustri sanguine orta.

Ex ms. Cod. Eccles. Traiectens. Surius ap. Oddob.

Detrectat nuptias.

Capillos ponit.

tum conficiendarum deponerent, effecit. Victi constantia parentes, Odencæ villulæ (non procul Louanio sitæ) fortunas ei assignarunt, quibus vitam toleraret. Atqui castissima virgo & domo & rebus relictis, solitudinem cogitabat, vbi nulla connubij, tædarum nuptialium, sobolis charæ, fieret mentio, sed diem noctemque vna cum Deo terere liceret. Itaque solicite aptum sibi locum vestigando Beuecum defertur, ductu, vt credebat, Numinis. Sede hic lecta, templum vicinum nudis pedibus perpetuo frequentabat: corpus a sæpe accipiebat: tempus omne suo cum sponso Christo consumebat. Quid fit? Habitabant eodem loci fratres duo, ætate florentes, connubij expertes. Per hos opportune effundi posse oleum ratus cacodæmon, quod insons virgo fictili circumferret vase, vtriusque pectus ingenti libidinis rogo succendit. Modo euntem, modo redeuntem cupidis oculis obseruabant, sed speculis diuersis, quod alter alterum fallere studeret. Fluxit aliquantum temporis, cum casto huic amori indulgentes agerentur ad insaniam. Id vero mirifice acuit dolorem, quod, si vim afferre auderent, bonoris iactura ipsis facienda foret, ac publica infamia subeunda. Oh, quoties nihilominus vesanæ insidiæ collocatæ fuere, dum solus amor infamiam, tum cætera quoque mala omnia ferre potest! Qui tamen virginem ardebat impotentius, aliam technam ei struendam ducens, æditum bonis verbis lautisque promissis conuenit, illiceret iuuenculam. Inde crebra cum hoc colloquia clandestina inire: vt silentibus noctibus in templi penetralia admitteretur, orare ac impetrare: venire: at breui intellexit Hermelinda, sagax fæmina, cuinam fucum faceret. Negauit autem leno turpis, virginem verbis aut donis ad flagitium perduci posse: quocirca si ea potiri vellet, nocte intempesta speret, sui securam. Perditus amore iuuenis consilium pessimum renidenti vultu probare: ad statam horam aduolare: pellem ante captam vrsam ipse sibi vendere: atqui Bonum Nomen Hermelindam discrimini tam præsenti hoc pacto exemit. Ea nocte, qua scelestus virgini imminebat, angelus nomine ipsam ciens, aufer te hinc, dixit, hinc te moue, Hermelinda: velis ac remis fuge, vt ne virginitatis, quam Deo dicasti, facias naufragium. Illa voci morem gerens, continuo in fugam se trepidam coniecit, nec satis certa tamen, quo vela verteret. Ergo iterum cœlestis genius, heus! pergesis, adiecit; villam pete cui Meldrici (vulgo Meldaert) nomen posuere: hic voti compos cœlitus fies. Init solicitis passibus, ne in casses incideret: tandem peruenit angeli auspicijs: ac tum soluta metu, sede stabili fixa, tenerum corpus varie vexabat, indignanti stomacho, nil præter agrestes herbas inculcando: ad vnguem obediendo.

Beveci sedē figit.

Castissimo pectori impurissimus iuuenis insidias tēdit.

Libare hic oportet, quod supra plenis faucibus propinanimus, Ordinis nostri prima ætate quasdam fœminarum se Deo in Cœnobio dicasse: alias separatim quidem coluisse, sed perito cuidam magistro atque Superiori obedientiam præstitisse, quod Hermelindam fecisse, ex Molano audi: *Ibidemque animam suam Deo reddidit sanctificatam castitate virginali, obedientia Regulari, & mira abstinentia, insuperque eremitica vita.* Codex M S. Ecclesiæ Traiectensis sæpe Religiosos ipsi affuisse, ait: sine dubio lineam vitę degendæ duxerunt. Wion III. Cal. Decemb. inter Montales Benedictinas eandem adducit. Quo propius, dum viueret, angelorum ad puritatem accessit, hoc diligentius isti funus demortuæ curarunt, clara voce iusta persoluendo: cætera quoque expediendo, obsequio sanctæ Catharinæ noto. Quadraginta octo annos contriuit à sæculi cultu aliena, solis angelis amica. Tumulus hoc pacto innotuit. Iter quidam habuit per solitudinem, cui cœlestis ephebus Meldricis nomen ante id inusserat. Delatus ad locum quo virgo quiescebat, adeo gradum promouere non potuit, quam si lignum aut saxum foret. Nocte ad dimidium prouecta, splendere, quaquauersus radios diffundere tumulus: ambrosiæ auras ac aures demulcere voces. Albescente die, lux quidem cœlestis extincta, nares tamen imbuit Arabico gratior odor, vocis pondera habens. Homo negotiorum plenus inde in viam se dedit attonitus: postmodum vacuus rediit: excubias iterum ibidem egit. Deus Opt. Max. sepulchrum tota manu, vt prius, notauit. Ille pectus quatiens, *Vere Dominus est in loco isto,* dixit, *& ego nesciebam!* Nec mora, domum reuertitur: rebus è sententia instructis terga dedit: ad S. Hermelindam se referens, sepulchro eius sacellum imposuit, ibidemque vitæ reliquum religiosissime absoluit.

Molan. Indic. V. Hermelindis.

Funꝰ eius curant angeli.

Tumulū ipsius illustrent radij produnt.

Gen. c. 28.

Diffuso rumore populus aduolauit cantando, *Tua sunt hæc*, Christe, *opera, qui Sanctos tuos ita glorificas.* Ligonibus mox instant, franguntque terram: certatim fodiunt: glebas euoluunt: sarcophagum reperiunt, ambrosios, Superi! longe lateque spirantem odores. Inde S. Hermelinda defecta hominum membra fouere: cæcis, surdis, clandis, energumenis præsentem opem ferre: quosuis malo quolibet soluere: Hac

grana

gratia non tantum cominus, sed etiam eminus accincti viæ, nudis huc pedibus côtendebant afflicti. Pipinus dux, S. Gertrudis genitor, tot rebus super naturæ vires ab Hermelinda editis permotus, sacra Virginis ossa splendidiore loco posuit: insuper templo Monasterium monialium adiunxit, aliorum piorum fundatorum vestigia legens. Non procul aberat Asceterium Monachorum de disciplina S. Benedicti, nobilissimo S. Bauonis Monasterio subditum, qui in Parthenone S. Hermelindæ rem sacram curare consueuerant. Vnde cognoscas è familia illas virgines nostri Patris fuisse. Annuã huic Diuæ cultum Ecclesia ad XV. Cal. Nouem. instaurat, Belgio imprimis applaudente. Tumulum vero mutauit XXII. Maij.

Pipinus Rex eius honori condit Monasterium.

CAPVT II.

S. Wolphius Stylita.

Monti cuidam non procul Treuiris sese erigenti, Monasterium imposuerat Wolphius, quem vulgo laicum dicebant, quanrumuis Monachus esset, tuq; Diaconorum ordinem receptus. Viri memoriam lôgæuum tempus absumpsisset, nisi S. Gregorius Archiepiscopus Turonensis à tanta iniuria vindicasset. Igitur ex illo promamus, quisnam fuerit, quod nobis luculenter indicat Dialogus, in quo sermonem duo habent, vno interrogantis, altero respondentis partes sibi sumente. S. Wolphius parentibus Longobardis quidem, sed Christianis natus in Italia est. Indolem, quæ bona erat præditus, ad se inuitauit Numen, etiamnũ pueri sæpe auidis auribus egregias res à S. Martino Turonensi gestas imbibendo (nam fama etiam Galliam Cisalpinam, seu Longobardiam, in qua S. Wolphius agebat, impleuerat) tanto eius amore accensus est, vt colendi sui Martini gratia sibi ieiunia indiceret: stipem erogaret: templum frequentaret: alia faceret.

S. Gregor. Turonen. l. 8. c. 15. hist. Fräc.

Wolphius puer S. Martini studiosissimus.

Cum natu iam esset grandior, subijt animũ sedibus è patrijs sese eijcere in Galliam: S. Martini Mausoleum inuisere. Factum: & factum bene. Etenim in S. Aredium Abbatem, animorum tractandorum peritissimũ magistrum, incidit, à quo diu aliquot ad virtutem formatus, demum ad sepulchrum deductus est, vbi Martinum crebro osculo salutare, & circumplecti licuit. Quo magis accessit, magis æstuauit: interea varijs cogitationibus fatigatus, de se statuit. Nam cultu erga sanctum Pontificem rite defunctus, Eposium montem petiuit: sacram ibi ædem excitauit. Dianam colosso arduam, honore vario qui montem quique circumiectam terram colebant, prosequebantur. Wolphius infelicem populi cæcitatem miseratus, grauissimis verbis in idolum inuectus, vanitatem eius edocuit: Vltimo persuasit, vt Deæ vellent manus inijcere, atque è longa statione deiectam solo applaudere. Dat signum Wolphius: illi capiunt ligones, vectes, moliuntur saxum, at nihil agunt, operam perdunt. Dea, veluti Marpesia cautes, immota stetit. Ille via alia aggrediundam conspiciens, corpore humi pronoluto, lachrymas ac preces fudit, vt Deus ipse manum statuæ pertinaci admoueret, supplicauit. Inde funium spiris idolum ligant, trahunt; tollitur in cœlum clamor; Diana nullo negotio in mille frusta dissipatur. Grauiter hunc casum Styx tulit, quem vt propediem vlcisceretur, pustulis S. Wolphium à capite ad calcem obseuit. Hic communi Gallorum medico fretus S. Martino, salutifero eius Basilicæ oleo, quod vitreo vasculo condiderat, cutem inunxit: hæc ad dæmonis inuidiam denuo nituit.

Signum Dianæ solo affligit.

Cæterum nullam magnam virtutem Oriens habuit, quam non Occidens quoque domi viderit. Simeon ac Daniel Stylitæ totum mundum suspenderunt admiratione, quod positis columnis insisterent supra humanam patientiam, ventis, imbribus, calori, algori, vel si duobus verbis vis, iniurijs cœli expositi. S. Wolphio nostro exemplum præiuere, qui constructo supra montem Eposium Monasterio, ac Cœnobitis per cellas digestis, rigidam pro se columnam erexit, in quam euadens, multorum dierum spatio institit, quam si trabalibus clauis pedes defixus esset. Quantam hic pœnam subiuerit, horresco, dum cogito: Caput perflabant venti: offusa tristi hyeme, madidus iacebat capillus: incultam barbam deducebat splendida stiria: deciduo imbri non sola vestis, sed simul natabat vix ossa tegens cutis: vestigia nuda deterebat columna: is tamen stetit immobilis, ac si nihil horum ad se pertineret. Nulla arte facinus augemus: ipsi sancto Wolphio, qui fecit ac tulit, crede. *Columnam etiam statui*, inquit apud Turonensem, *in qua cum grandi cruciatu sine vllo pedum stabam tegmine. Itaque cum hyemis tempus solito aduenisset, sic rigore glaciali vrebar, vt vngues pedum meorum sæpius vis frigoris excuteret, & in barbis meis aqua gelu connexa, candelarum more penderet. Magnam enim hyemem regio illa persæpe dicitur sustinere.* Vis dicam quo pacto vacuo stomacho consultum fuerit, in quo nonnulli vitæ ac virium statuunt fundamentum? Panem à dominico longe diuer-

Aliquot diebus continuis columnæ insistit.

Fortiter fert cœli iniurias.

diuersum, olusculum, cum pauxillo aquæ, sumere consueuit: nec aliter defectum corpus curauit: aut contra frigus horridum muniuit. Absq; incredibili Numinis amore fuisset, quo ardebat, gelu vir extingui debuisset.

Vltima hæc supplicia, quæ ipse epulas ducebat, Episcopi non amplius tectis oculis aspicere, non animis æquis ferre potuere. Quocirca re in medium collata, ingens noui Stylitæ ausum non modo nō probarunt, sed insuper vt stationem deseretet, oratione aspera imperarunt. Intemperijs ipsum agi, si Simeonem Antiochenum æquaturum se speraret: vix alteri tam robustos spiritus, tam solidos pedes datos videri: ad vltimum descenderet. An durius in hominem inuecti sint, vt patientiæ ipsius specimen caperent: vel quod corporis vexationes tam acerbas, tam supra naturæ vires susceptas, haud permittendas fidelibus, piĝsertim Religiosis, censerent, non appono, cum nesciam. Simeon Stylita abire columna à maioribus iussus, extemplo morem gessit: idem Wolphius fecit: ad Monasterium se recepit: ex more aliorum vixit, spe plenus fore, vt columnam repetere liceret, sed animi falsus est. Namq; Antistes Treuirensis Magnericus ad villam ipsum euocans, operas clam submisit, quæ interea dum iter faceret, columnā verterent. Redux possessur spem sibi pariter euersam cernens, vitam ad Cœnobij normam instituit, non ignarus obedientiam sacrificio anteferendam. Sanctitatis ipsius fama impulsus Gregorius Turonensis, eundem in Monasterio inuisit. At nunc accipe, quæ codex ms. Monasterij Rubeæ vallis suppeditat. *Hic S. Wolphius bonorum semper operum incrementis proficiens, multisque clarus virtutibus, in pace tandem quieuit, sepultus est in eodem loco in Ecclesia, quam ipse ædificauit, in qua multa apud eius memoriam crebro referuntur fieri miracula. Contigit autem, cum idem locus ex antiquitate esset neglectus, vt quadam die ob incuriam incendium pateretur. Cumque Ecclesiam & omnia in circuitu ignis absumeret, mœsti ciues de beati viri reliquijs, turbari cœperunt, quia eas velut fracto loculo detectas, antiquitus reliquerat. Et ecce sedato igne diligenter intuentes, ossa viri sancti ab hac vstione intacta reperiunt, ac si nullum loculo ille incendium fuisset perpessus. Ob hanc causam & maxime quia solitarius erat locus, visum est venerabili Egeberto Treuirorum Episcopo, vt ossa sancti viri in memoratum superius castrū (Exosium seu Eposium) transferrentur, quatenus ibi cum maiori reuerentia & custodia haberentur. Inito itaque consilio cum ex eodem loco præsente Episcopo, & Clericis vel Monachis aliaque populi frequentia deportarentur, euntibus illis cum fluuium praterissent, larga supra eos repente pluuia descendit. Sed vt tanti viri Dominus meritum ostenderet, per omne quod a prædicto loco ad castrum tendebatur spatium cum nequaquam imber cessaret, super sancti viri feretrum nec vna pluuia gutta cecidit.* Festum eius XXI. Octob. tabulæ Benedictinorum habent, inquit Surius. Hoc insuper anno Arnoldus pientissimus Dux nobile Monasterium Gladariense in Brabantia non lōge à Longauilla ædificauit, & sancto Martino dicauit. Huius filius S. Arnolphus mundo valere iusso in S. Benedicti Ordinem concessit: lectus postea Metensis archiepiscopus, onus cum honore denuo deponens, in solitudinem se subduxit. Magnam merito stirpis huius habemus rationem, quippe cui vniuersus Christianus Orbis plurimum debet. Nimirum inde sanguinem duxere Carolus Magnus, Ludouicus pius, Imperatores: nec non Austriaci, quorum in gloriosa Domo iam decimum tertium indisticauit Romana Aquila. Immo non reperias in Europa Regem, qui originem suum huc non referat. Vita defunctus Arnoldus, in Monasterio Gladariensi quod fundauerat, ossa composuit, posteris suis præclaro exemplo religiosas domos ædificandi relicto, qui sedulo vestigia seruarunt.

Ab Episcopis mouetur statione.

Ignis à sacris ipsius ossibus abstinet.

Item pluuiæ à feretro.

Surius 21. Octob.

Franc. Rosiers. tom. 3 c. 47. hist. Lotharin.

Arnoldus dux in Monasterio Gladariensi, quod fundauerat, conditur.

Annvs Christi 601. Annvs S. Benedicti 121.

Gregorius Magnus Concilium cogit.

Etsi Pontifex hic Nestorem ætate non æquauerit, si tamen facta ipsius ad calculum exigas, quemuis senem putabis superasse. Anno quingentesimo nonagesimo quinto sacra Comitia indixerat, quibus causam Monachorū egregie agens, S. P. N. Benedicti Regulam confirmauit. Nunc iterum Concilium ad S. Iohannem Lateranēsem coëgit, quo pariter Ordini nostro consultum iuit. Id Tomus 3. Concil. hac inscriptione exhibet: *Decretum Lateranensis Concilij, de quiete & libertate atque exemptione nigrorum Monachorum, in quo beatus Gregorius Papa præsedit.* In libris impressis desiderabantur subscriptiones, quas Cardinalis Baronius ex Bibliotheca Vaticana subiecit. In Patrum igitur consessu ita exorsus est.

Quam sit necessarium Monasteriorum quieti prospicere, & de eorum perpetua securitate

D. Gregorius Concilium indixit.

ritate tractare, ante actum nos officium, quod in regimine Cœnobij exhibuimus, informat.

Quo iniqua onera Monachis imposita sustulit.

Et quia in plerisque Monasterijs multa à Præsulibus præiudicia & grauamina Monachos pertulisse cognoscimus, oportet ut vestræ fraternitatis prouisio de futura eorum quiete salubri disponat ordinatione, quatenus conuersantes in illis, in Dei seruitio gratia ipsius suffragante mente libera perseuerent. Sed ne ex ea, quæ magis emendanda est, consuetudine, quisquam Monachis quicquam molestiæ præsumat inferre. necesse est ut hæc, quæ inferius enumerare curauimus, ita studio fraternitatis Episcoporum debeant custodire, ut ex eis non possit ulterius inquietudinis occasio reperiri. Postea sequentia capita sanxit.

Episcopos & sæculares res Monasteriorum imminuentes coercuit.

Interdicimus igitur in Nomine Domini nostri IESV *Christi, & ex auctoritate Beati Petri Apostolorum Principis, cuius vice huic Romanæ Ecclesiæ præsidemus, prohibemus ut nullus Episcoporū vel sæcularium ultra præsumat de redditibus, rebus, vel chartis Monasteriorum, vel de cellis, vel villis, quæ ad ea pertinent, quocunque modo vel qualibet occasione minuere, vel dolos, vel immissiones aliquas facere. Si qua causa forte inter terram venientem ad partem suarum Ecclesiarum & Monasteriorum euenerit, & pacifice non potuit ordinari, apud electos Abbates & alios Patres timentes Dominum, sine voluntaria dilatione, medijs sacrosanctis Euangelijs, finiatur.*

Ius eligendi Abbatē Monachis asseruit.

Defuncto autem Abbate cuiusque Congregationis, non extraneus eligatur, nisi de eadem Congregatione, quem sibi propria voluntate concors fratrum societas elegerit: & qui electus fuerit, sine dolo vel venalitate aliqua ordinetur. Quod si ipsi inter se personam inuenire nequeant, solerter sibi curent de alijs Monasterijs similiter ordinandum. Neque constituto Abbate, quæcunque persona qualibet occasione præponatur, nisi forte exstantibus, quod absit, criminibus, quæ sacri Canones punire monstrantur.

Licentiā monachos alio transferendi inuitis Abbatibus, Episcopis ademit.

Pariter autem custodiendum est, ut inuito Abbate ad ordinādā alia Monasteria, aut ad Ordines sacros vel Clericatus officium, tolli exinde Monachi non debeant. Descriptiones quoque rerum & chartarum Monasterij ab Episcopo Ecclesiasticas fieri, omnino vetamus: sed si quando res exigit, Abbas loci cum alijs fratribus causas rerum inuentarū faciat, & eorum consilio & iudicio finiantur. Obeunte quoque Abbate, Episcopus in describendis prouidendisque rebus Monasterij acquisitis, vel datis perquirendis, nullatenus se permisceat. Missas quoque publicas, ab eo in Cœnobio fieri, omnino prohibemus, ne in seruorum Dei recessibus & eorum receptaculis, ulla popularis præbeatur occasio conuentus, vel mulierum fiat nouus introitus, quod omnino non expedit animabus eorum. Neque audeat ibi cathedram collocare, vel quantamlibet potestatem habere imperandi, nec aliquam ordinationem, quamuis leuissimam faciendi, nisi ab Abbate loci fuerit rogatus, quatenus Monachi semper maneant in Abbatum suorum potestate: nullumque Monachum sine testimonio vel concessione Abbatis, in aliqua Ecclesia teneat, vel ad aliquem promoueat honorem.

Hanc ergo scriptorum nostrorum paginam omni futuro tempore ab omnibus Episcopis firmam statuimus illibatamque seruari, ut & suæ Ecclesiæ iuuante Domino tantummodo iure contenti, & Monasteria Ecclesiasticis conditionibus seu angarijs, vel quibuslibet obsequijs sæcularibus, nullo modo subiaceant, nullis Canonicis iuribus deseruiant, sed remotis vexationibus in cunctis grauaminibus, diuinum opus cum summa deuotione perficiant.

Vniuersi Episcopi respondere:

> *Libertati Monachorum congaudemus, & quæ nunc de his statuit Beatitudo vestra, firmamus.*
>
> *Agnellus Episcopus sanctæ Ecclesiæ Ferentinensis huic constituto à vobis promulgato subscripsi.*

Et sic alij omnes Episcopi numero viginti, quatuordecim Presbyteri, & Diaconi quatuor, Non. April. Indict. IV. Hoc genus multa deinceps decreta & priuilegia, partim à D. Gregorio, partim ab alijs Pontificibus profecta, reperies. Quamuis enim Concilium Lateranense omnia Monasteria in libertatem asserui iuerit, nihilominus alibi aërem verberauit, Episcopis dicto non audientibus: alibi tam sanctas leges tempus aboleuit, ut Episcopis denuo manus Monasteriorum rebus admouentibus, fuerint denuo coërcendi.

CAPVT II.

Probus ad clauum Monasterij S. Andreæ admonetur. Ordo S. Benedicti locum in Palæstina capit.

Diligentia Gregorij Magni plurimum hoc anno enituit: nam mense Octobri Synodum alteram in Laterano peregit, à qua Probus Monasterij S. Andreæ Abbas, ad cuius electionem ipse Deus momentum contulit, res relictas disponendi facultatem petijt, quod Pontifex ita recenset.

Lib. 9. epist. 22.

In nomine Domini Salvatoris nostri IESV *Christi. Imperantibus Domino Mauritio & Tiberio Augustis, anno Incarnationis Dominicæ* DCI. *præsidente beatissimo & Apostolico Papa Gregorio, atque considentibus Reverendissimis Menna, Episcopo Telesino &c. astantibus etiam Diaconibus & Clero, Paterius Secundicerius dixit: Probus Abbas Monasterij SS. Andreæ & Luciæ, vestris, si præcipitis, desiderat aspectibus præsentari. Gregorius Episcopus sanctæ Ecclesiæ Catholicæ vrbis Romæ dixit: veniat. Cumque ingressus fuisset, dixit: cur adesse volueris, fateri te conuenit. Probus Abbas dixit: petitionem præ manibus habeo: postulo à beatitudine Domini mei, vt eam suscipi, & vobis relegi iubeatis. Gregorius dixit: fiat. Qua cum suscepta fuisset, Paterius ita bis recitauit. In nomine Dei nostri* IESV *Christi. Ea quæ nunc Beatitudini vestræ intimare desidero, olim Domino meo bene comperta sunt, vestramque mihi conscientiam testem esse quod suggero. Quoniam dum ante hos annos ex laico ad religiosum migrassem officium, disposueram in cella super me solitarius habitare, ibique ipsis paucis diebus, qui supersunt, vitam transigere. Propter quod nec aliquid de substantiola mea ante ordinaui, siue disposui, sciens tam ab intestato, quam ex testamento filium mihi posse succedere. Quadam autem die cum inter alios ad obsequia Domini mei fuissem ingressus, subito atque inopinanti intrare in Monasterium, atque onera Abbatis debuissem suscipere, præcepistis: statimque surgentes non indulto ad deliberandum vel tractandum mihi spatio, ad Monasterium iam cum Monachis ambulare coactus sum. Vnde quia nihil ante de substantia mea potui ordinare, idcirco lachrymabiliter supplico, vt concessa per constitutionem vestri decreti licentia, facultas mihi sit de omnibus rebus meis voluntatem meam disponere, quatenus nec mihi obedientia mea officiat, nec filio pauperi possit esse damnosa. Nam cunctis notum est, quia illos legalis sanctio quicquam de substantia sua prohibet, postquam Monasterium ingressi fuerint, ordinare &c. Hanc autem suggestionem supplicationemque meam Æmiliano Notario sanctæ Ecclesiæ Romanæ scribendam dictaui, eique propria manu ego Probus seruus vester subscripsi, & vobis Beatissimo Domino meo Gregorio Papæ porrexi.* Gregorius dixit: *postquam textus nobis oblatæ petitionis innotuit, Probus Abbas paulisper abscedat, vt de his quæ petit, cum fratribus filiisque nostris, quid statuendum sit, deliberare possimus.* Postquam diu de eius petitione tractatum est, dixit Papa Gregorius: *Probus Abbas rursus adueniat, vt ea quæ nobis cum fratribus filiisque nostris visa sunt, cognoscamus. Cumque præsentatus fuisset, dixit: vbi veritas cum ratione concordat, desideria petentis implere, non minus iustum est, quam benignum. Perpensa igitur serie à te petitionis oblata, omnia quæ in ea loquutus es, ita esse recolimus. Neque enim vel in nostram vnquam antea cogitationem ascenderat, vt in quocunque Monasterio Abbatis tibi curam debuissemus iniungere. Sed quadam die, dum de ordinando Monasterio, cui præesse dignosceris, cum nostris filiis tractaremus, atque idoneam personam huic officio quæreremus, ex improuiso te ingrediente, cordi nostro & eorum, qui nobiscum ad tractandum aderant, subito natum est, vt te illic Abbatē Deo propitio constituere deberemus. Quod quia recenti tibi constat impositum, vt voluntatis tuæ rigorem vix nostra potuerint adhortationes inflectere, necesse fuit (ne forte habere debuisses post te spatium redeundi) vt iam ordinatum Abbatem ad ipsum te Monasterium, cuius nec Monachus fuisti antea, mitteremus. Ne ergo hæc obedientia vel dilectionis tuæ tristitiam, vel aliis posset inferre iacturam, vniuersas res tuas alienandi, vel vt volueris disponendi, liberam tibi per constituti huius nostri statuta tribuimus licētiam. Per quam, eam te in disponendis eis, vt tibi placuerit, habere nouerit facultatem, quam habere poteras, antequam Monasterium intrares. Nec quicquam tibi Abbatis officium, quod repente ac inuitus nosceris suscepisse, formides obsistere; quia vt in ordinandis disponendisque rebus tuis non haberes licentiam, dilectionem tuam, ne post se rediret, nostra coegit instantia. Proinde tanquam si ingressus Monasterium non fuisses, ita omnia quæ de vniuersa facultate tua ordinare disposueris, illibata, & sine aliqua, Deo auctore, statuimus, refragatione seruanda.*

Probus petit à Pontif. facultatē condendi testamēti.

Cœlitus designatus est Abbas.

Iohannes Diaconus dum Gregorij M. prudentiam extollit, qua classem D. Petri felicissime duxit, nonnullam laudis partem in eos inclinat, quorum is consilio vsus fuit. Istorum vero in numero etiam Probum habuit, quem grauissimis negotijs explicandis aptissimum extitisse oportet, nam Italia simulque patrimonio Ecclesiæ ardente, Agilulpho Longobardorum Rege, nec-non Imperatoris Constantinopolitani ministris incendia miscentibus, Pontifex legati partes Probo dedit, qui licet flagrans bellum non exhauserit, pacem tamen aliquam restituit.

Ioan. diac. l. 2. c. 11.

Grauissima negotia confecit.

Proprium senectutis vitium est, ab ære loculis condito, velut à re sacra manum abstinere: ad terruncium quoque attentum esse: prope metam longissimum viaticum

parare: at in S. Gregorio omnia diuersa erant. Non argento, non auro, non vestibus parcere senex, qua in re illud perquam venuste cecidit, vt misericordiam, vt liberalitatem suam in Palæstinam vsque extenderet. Cum enim animo volutaret, quam plurimos mortales terras tractusque maris emeriri longissimos, vt Dominicum sepulchrum, tum loca alia Seruatoris nostri vestigijs trita, oculis coram vsurparent, non paucos vero vltima egestate premi: sæpe etiam morbis iactari Hierosolymis, sed nemini curæ esse, ideoq; non tam morborum vi, quam neglectu vitam fundere: onustum auro argentoque Probum Abbatem Hierosolymam misit, vt ibidem, ac in monte Sinai, peregrinis etiam frequenti, Xenodochium ad amussim Romanam ædificaret.

A D. Gregorio missus Hierosolymam. Xenodochiũ ædificauit

Enimuero vt primum Pontificatum inijt, ædes excitauit quibus pauperes & peregrini acciperentur. Rerum potestas in his penes vnum erat, qui omnia digerebat, ne quid hospites seu valerent, seu ægrotarent, desiderare possent. Cum Monasterio S. Andreæ Xenodochium Romæ coniunxerat, vt tanto maior ratio pauperum haberetur: deinde vt monachis in promptu occasio esset, explicandæ charitatis. Multa huiusmodi Monasteriorum in Ordine nostro exempla sunt. Ergo tam Monachis quam peregrinis & pauperibus habitacula conduntur in vrbe sancta: præfecturam gerit Probus. Hos in vsus censum Ecclesiæ collocauit Maximus Pontifex Gregorius; quod silentio sibi Walafridus Strabo haud prætereundum ratus, *Legitur*, scripsit, *legitur de S. Gregorio, quod non, sicut alij, in structione Ecclesiarum laborauerit, sed in doctrina, & eleemosinarum largitate, quam nõ solum apud suos, verum etiam longe, & in exteris prouincijs positos exercere curauerit.*

Itemque Monasterium.

Hos primos ab Ordine nostro fuisse arbitror, qui S. Regulam intulere Palæstinæ. At via sic iam aperta, alij sequi, & sedem pluribus locis figere sunt ausi. Quamuis autem terra sancta à diuersis paganis in potestatem redacta sit, facere tamen non potuerunt, quin fere semper aliquæ S. Benedicti reliquiæ apparerent. S. Stephanus Hungariæ coronæ gemma, simili pietate actus, extruxit Hierosolymis Xenodochium alterũ, idque opimis reditibus auxit, ad leuandam pauperum & peregrinorum egestatem. Leo Cardinalis Ostiensis quendam è nostris (Iohanni nomen erat) in Solymorum vrbe ac monte Sinai sex annos continuisse, memorat. Postea per Græciam relegentem iter, in monte S. Honorij ad aliquot dies consedisse: sed hærentem in anchora, à D. Benedicto è cœlis delapso admonitum, vt in viam se daret: Montem Casinum peteret.

Bonfin. in Steph. Ostiens. l. 3 c. 22. hist. Cas.

S. Basilium occupasse Orientem, nemo nescit; penetrasse tamen S. P. Nostrum in Syriam, Arabiam, Græciam, ac alia regna & prouincias Asiæ, pro certo habemus. Sed neque Constantinopoli quidem ita penitus excussi sumus, quin hodie quoque supersit Asceterium, quod Christiani à S. Benedicto appellant: videlicet veteris possessoris monumentũ, in quo nunc de Societate aliquot versari Patres accepimus. Quemadmodum autem D. Basilius Ordinem suum toto diffuderat Oriente quidẽ, sed tamen progressu in Occidentem vsque facto, etiam hic sedes aliquot fixit, adeo vt Iohannes Diaconus Monasterium S. Andreæ Romæ ad ipsum deuolutum fuisse asserat, præter alia, in quæ subinde incidemus: ita Occidentis Patriarcha Benedictus Europæ limitibus coërceri se haud passus, in Orientem traiecit: Monasteria posuit, pauca ea quidem ante millesimum à Christo nato annum: inde vero innumera, atque imprimis S. Bononij opera. Profectionem hic vir, tota quondam Italia percelebratus, susceperat Hierosolymam: inde quoque in Ægypti deserta penetrans, ac pererrans, antiquis trita anachoretis, at tum ob frequentes barbarorum incursiones frequentari desita, plurima passim Cœnobia posuit: legibus sancti Benedicti instruxit, quod Molander, qui res gestas sancti Bononij memorat, litteris commendauit.

S. Bononius Ordinẽ *per* Ægyptũ mire propagauit.

Surius 30. Aug.

Deinde quando Godefridus Bullionius contractis in Occidente Christianorum viribus, ingentem exercitum ciens, mouit in Palæstinam, vrbe sancta regnoque potitus est, licuit tum etiam Patriarchæ nostro proferre fines, & copiosam coloniam ducere in Asiam. Enimuero vt armis vim adderet Bullionius, Monachos Ordinis nostri quam plurimos trahebat, qui ad seruiendum sacræ militiæ non minus prompte, quam sæculares, nomina dabant: Deum votis & sacrificijs propitiabant: milites inhortabantur, dehortabantur: peccatis expiabant: morti proximos atque in fatalem arenam descensuros, animabant: nec quicquam suarum partium desiderati ab exercitu sinebant.

Recepta à Godefrido Bullionio Palæstina, late se fudere Monachi.

Ipse adeo copiarum ductor Godefridus, Gulielmo Tyrio expeditionis illius historico, teste, non minorem susceperat curam, vt quam plurimos Monachos legeret, quam milites conduceret, non ignarus rei summã precibus sibi potius, quam armis conficiendam. Religiosos autem istos bellatores officium suum tam diligenter, tam integre exequutos, quam si non militiæ, & inter ar-

Guliel. Tyr. l. 9. c. 9.

ma ac tympana versatentur, sed arcana Monasteriorum suorum incolerent. Hinc omnia ex voto cecidere. Subacta Palæstina, fides, salus, dignitas, Christiani ipsi sibi restituti. Patriarcha Hierosolymitanus, Episcopi, Religiosi, cum Latini nominis omnes forent, Ecclesiæ Latinæ parebant mores, ritus, ad summam, quicquid in ea vigebat ac valebat, in Palæstinam accersebatur: qua occasione sancti Benedicti familia, quæ id temporis plurimum florebat, suas partes feruide agens, per Asiam se extendit. Capta sedes in valle Iosaphat: in monte Thabor, in monte Sinai, in monte Carmeli (cui sanctæ Margaritæ nomen inditum erat:) in Bethania, in eo Galileæ monte, ex quo Seruator noster triumphato orco in cœlum euectus est. Ac quidem templi tectum ea parte lato ore hiabat, patebatque, qua is olim sese in æthera sustulerat.

Monasteria posita in valle Iosaphat, in monte Thabor, in monte Sinai, in mõte Carmeli, &c.

Celebre quoque Monasterium fuit, vulgo Latinum seu Ecclesiæ Latinæ appellatũ, vbi Monachi ad Regulam S. P. N. Benedicti iuxta Constitutiones insignis Asceterij de Caba in Italia siti vixerunt: cumque in Monasterio illo Hierosolymitano ritus valerent Ecclesiæ Romanæ, huius gratia Latini nomen ei posuerunt. Maxima hic loci cura peregrinorum ab Occidente aduentantium, cumque valetudine sinistra conflictantium, cura suscepta: neque hoc prætereiri debet, à Cœnobij istius frequentissimo iuxtaque copiosissimo hospitali, Ordinem militarem sancti Iohannis tam celebrem, tam longe lateque diffusum, originem duxisse. Sed vela hic contraho, ne præter tempus nauigem. Consilium tantum fuit D. Gregorij in egenos liberalitatem breui creta notare, nec non iacta Ordini nostro in Oriente fundamenta eidem in acceptis ferre. Vitæ ac laborum pulcherrimam telam anno sexcentesimo quarto absoluit. Cum igitur Probus anno sexcentesimo primo etiamnum hæserit in Italia, extremo Pontificatus tempore Gregorium hanc expeditionem in Palæstinam destinasse oportet. Quid si Probus condendi testamenti copiam sibi fieri calide petiuit, quod conuasare, quod sarcinam constringere, & Hierosolymam proficisci iam iussus esset.

* *
*

Annus Christi 602. Annus S. Benedicti 122.

CAPVT I.

Claudius Abbas, & librorum S. Gregorij Catalogus producuntur.

Viros quosdam sanctitate ac eruditione præclaros D. Gregorius in intimam adsciuit familiaritatem. Cum his de rebus Ecclesiæ grauissimis cõsilia cepit: diuina volumina enucleauit. Eos Iohannes Diaconus dignos censuit, nec immerito, quos commendaret posteritati; Cæteros iam in theatrum dedimus, vt solus nobis producendus sit Claudius, Monasterij Classensis Antistes, tam rari ingenij, quã doctrinæ, ideoque sæpius à S. Gregorio in re litteraria adhibitus. Monachum ad S. Andreæ agebat, dum ille Abbatis munus fungebatur: postmodum SS. Iohannis & Stephani Cœnobio (non sancti Apollinaris, vt quidam putarunt) in vrbe Classensi præfectus est, cui Monasterio fauens Pontifex, multa priuilegia impertiuit, Canonibus Concilij Lateranensis quam simillima, quod hæc epistola ad Marinianum data docet.

Ioan. diac. lib. 2. c. 11.

Claudius vir praeclarus.

D. Gregor. l. 7. ep. 18.

Gregorius Mariniano Episcopo Rauennati.

Qvam sit necessarium Monasteriorum quieti prospicere, & de eorum perpetua securitate tractare, anteactum vos officium, quod in regimine Monasterij exhibuistis, informat. Et ideo quia Monasterium Beatorum Iohannis & Stephani, quod in Classitana est ciuitate constitutum, cui communis filius Claudius Abbas praeesse dignoscitur, multa à prædecessoribus vestris praeiudicia atque grauamina pertulisse cognouimus, oportet vt fraternitatis vestræ prouisio, eorum de futuro quietem salubri ordinatione disponat, quatenus conuersantes illic in Dei seruitio, ipsius quoque gratia suffragante, mente libera perseuerent. Sed ne ex ea qua magis emendanda est consuetudine, quisquam illic quolibet tempore quicquam molestiæ præsumat inferre, necesse est vt hæc qua inferius enumeranda curauimus, ita fraternitatis vestræ studio debeant custodiri, vt ex eis non possit vlterius inferendæ inquietudinis occasio reperiri. Interdicimus igitur vt nullus Episcoporum aut sæcularium vltra audeat de redditibus, de rebus vel chartis prædicti Monasterij, vel de loco aliquo, qui ad id pertinet, quocunque modo, qualibet occasione minuere, nec immissiones do-

D. Gregori monasterio SS. Iohannis & Stephani in vrbe Classensi multa priuilegia confert.*

nes dolosas aliquas facere. Sed si qua forte causa inter Rauennatem Ecclesiam, & præfatum Monasterium euenerit, & pacifice non potuerit ordinari, apud electos à partibus timentes Deum, sine voluntaria dilatione, mediis sacrosanctis Euangeliis finiatur. Defuncto vero Abbate, cuiuscunque Congregationis non extraneus, nisi de eadem conuersatione, quem sibi propria voluntate concors fratrum societas elegerit; & qui electus fuerit, sine dolo vel venalitate aliqua, ordinetur. Quod si aptam inter se personam inuenire nequiuerint, solerter de aliis Monasteriis sibi similiter eligant ordinandum. Neque viuenti Abbati quæcunque persona qualibet occasione in suo Monasterio præponatur, nisi forte extantibus (quod absit) criminibus quæ sacri Canones punire monstrantur. Pariter autem custodiendum est, vt inuito eiusdem Monasterii Abbate, ad ordinanda alia Monasteria, aut ad Ordines sacros, vel Clericatus officium tolli exinde Monachi non debeant. Sed si abundantes fuerint, & ad celebrandas Deo laudes, vel vtilitates Monasteriorum complendas sufficiant, Abbas cum deuotione de his, qui superfuerint, efferat, quos dignos coram Deo putauerit. Quod si sufficienter habens, dare noluerit, *tunc Rauennas Episcopus ad ordinanda alia Monasteria,* de his, qui supersunt, tollat. Ad Ecclesiasticum tamen *officium nullus exinde producatur, nisi quem Abbas loci monitus propria voluntate obtulerit. Quisquis autem ex prædicto Monasterio ad Ecclesiasticum ordinem peruenerit, vlterius illic nec aliquam potestatem, nec licentiam habeat habitandi. Obseruandum quoque est, vt descriptio rerũ aut chartarum eiusdem Monasterii ab Ecclesiasticis fieri nõ debeat, sed si quando res exigit, Abbas loci cum Abbatibus aliis rerum inuentarum attestationem faciat. Quoties autem pro vtilitate Monasterii sui ad Romanum Pontificem Abbas venire, vel transmittere forte voluerit, ei modis omnibus liceat. Præterea cum Episcoporum aduentus desideranter à Monasteriis debeant expectari, quia tamen hospitandi occasione prædictũ Monasterium temporibus decessoris vestri nobis fuisse nunciatum est prægrauatum oportet, vt hoc Sanctitas vestra decenter debeat temperare. vt visitandi exhortandique gratia ad Monasterium, quoties placuerit ab eiusdem ciuitatis Antistite accedatur. Sed si charitatis illic officium Episcopus impleat, vt grauamen tamen aliquod Monasterium non incurrat. Vestram quoque fraternitatem prædictus Abbas non solum non metuat ad Monasterium frequenter accedere, sed etiam desiderabiliter concupiscat, sciens quod per vos substantia Monasterii omnino grauari non possit.*

Claudius libros scribendo, publico desudauit.

Cæterum Claudius aliquas lucubrationes, viro erudito dignas, posteris reliquit, veluti librum vnum in historiam Regum: alium in prouerbia Salomonis: tertium in Cantica: quartum in Prophetas. Fons tamen è quo volumina hæc hausit, S. Gregorius fuit, qui morte Claudii intellecta, hæc ad Iohannem Subdiaconum Rauennatem scripsit.

Lib. 10. ep. 22.

Venientes Monachi Monasterii quondam Abbatis Claudii, petiuerunt sibi Constantium Monachum Abbatem debere constitui, quos valde ego in petitione sua detestatus sũ, quia mihi terrenæ mentis esse omnino apparuerunt, quia terrenum nimis hominem Abbatem quæsiuerunt habere. Cognoui enim, quod idem Constantius peculiaritati studeat, quæ res maxime testatur, eum cor Monachi non habere. Ac deinde cognoui, quia ad Monasterium, quod in Piceni prouincia situm est, solus pergere sine aliquo fratrum suorum, præsumpsit. Ex qua eius actione cognouimus, quia si sine teste ambulat, recte non viuat. Aut quomodo aliis Regulam teneat, quam sibimetipsi nescit tenere? Ab hoc igitur recedentes, Cellerarium quendã, nomine Maurum, petiuerunt, cuius vita ac industria multa testificantur, quia & quondã Abbas Claudius cum quibusdam laudauit. Tua itaque experientia sollicite requirat, etsi eius vita ad locum regiminis digna est, à Reuerendissimo fratre & Coepiscopo nostro Mariniano hunc Abbatem ordinari faciat. Si vero est, quod ei omnino obuiet, & ex sua Congregatione inuenire aptum minime possunt, ipsi sibi aliunde eligant: & is quem elegerint fiat. Hoc autem prædicto fratri & Coepiscopo omnino dicere stude, vt peculiaritatem à quatuor aut quinque Monasterii Monachis, in quibus corrigi hactenus minime potuit, studiosissime cõpescat, & hoc ipsum Monasterium à tali peste mundari festinet. Quia si illis peculiaritas à Monachis habetur, neque concordia neque charitas in Congregatione eadem poterit permanere. Quid est autem habitus Monachi, nisi contemptus mundi? Quomodo igitur mundum despiciunt, qui in Monasterio positi, aurum quærunt? Ita igitur tua experientia faciat, vt neque loci ordinatio differatur: neque ad nos vlterius hac de re querela perueniat. Præterea quia idẽ charissimus quondam filius meus Claudius aliqua me loquentem de prouerbiis, de Canticis Canticorum, de Prophetis, de libris quoque Regum, & de heptatico audierat, quæ ego scripto tradere præ infirmitate non potui, ipse ea suo stylo dictauit, ne obliuione deperirent, vt apto tempore hæc eadem mihi inferret, & emendatius

dicta-

dictarentur: quæ cum mihi legisset, inueni dictorum meorum sensum valde in multis fuisse permutatum. Vnde necesse est, vt tua experientia omni excusatione atq; mora cessante, ad eius Monasterium accedat: conuenire fratres faciat, & sub omni veritate, quantascunque diuersis scripturis chartas detulit, ad medium deducant: quas tu suscipe, & mihi celerrime transmittite. Hactenus Diuus Gregorius, qui ad suam ioculem reuocans quæ Claudius chartis mandauerat, taodem in lucem emisit.

Si quis negotia expēdat, quibus hic Pontifex implicitus perpetuo fuit, neque ab humeris reiecit, sed confecit, mirabitur profecto vel vnam illi horam superfuisse, quam dictando vel scribendo contereret. Sed multum ea studendi ratio potuit, qua veteres sunt vsi. Nimirum, tres aut plures viri eruditi librum eundem, vel Caput voluminis sacri legebant: postea examinabant: multa industria nucleum persequebantur: sententijs deinde in medium allatis, ea probabatur, quæ rem acu tangere visa fuit. Huiusmodi congressus à quibusdam Collationes appellabantur: hinc etiam factum, vt similem coniunctionem studiorum ac sermonum Dialogis exponerent. Collationes Iohannes Cassianus scripsit, è sanctissimorum Eremitarum habitis colloquijs promptas. Sed ad epistolam, Iuoio Catanensi Episcopo à Gregorio missam, animū aduerte.

D. Gregorius in speciata opera diuinos libros excutere solebat.

Quæsiui qui vobiscum adhæreant in lectionis sacræ collegio; & neminem reperi, & vehementer ingemui paupertatem boni. Et quamuis peccator ego valde occultis, tamen si ad B. Petri Apostoli limina venire volueritis, in sacro eloquio strictum poteritis me habere collegam. Sic dies, sic horas succidere solebat Magnus hic Pontifex, ne soles conderet sine literis. Pectora muliere fidibus & cantu: Milesias expedire fabulas: floriferos adire hortos: fronde super viridi trahere non leues somnos, grande nefas ratus, Petrum Diaconum, Maximianum, Marinianum, Claudium, aliosque negotijs vacous ad se vocans, in sacras literas cum ijsdem incubuit, paleis deinde sedula disputatione discussis, granum calamo mandauit. Neque tantum valenti ex sententia, verum etiam è dira podagra decumbenti hoc opus, hic labor fuit, quod ex ipsius ad Marinianum Episcopum Rauennatem epistola disce. *Quod communem filium Claudium Abbatem, latorem præsentium, longa apud nos hactenus mora retinuit, res illa fecit, quod magnum nobis (sicut nostis) erat in verbo Dei solatium: quem etiam hic adhuc volueramus diutius retinere, nisi & ipse ad suum Monasterium festinasset, & nos Congregationi fratrum eius præsentiam esse omnino necessariam, sciremus.*

D. Gregor. l. 11. c. 27. indict. 7.

D. Gregor l. 7. indict. 1. ep. 19.

Animi ingenui esse, ait Cicero, fateri, & laudibus publice ferre eos, per quos profeceris. Iam mihi magnum hunc Pootificem audi. *Scio quia plerumque multa, in sacro eloquio, quæ solus intelligere non potui, coram fratribus meis positus intellexi: ex quo intellectu & hoc quoque intelligere studui, vt scirem ex quorum mihi merito intellectus daretur. Patet enim, quia hoc mihi pro illis datur, quibus mihi præsentibus datur. Ex qua re largiente Deo, agitur vt sensus crescat, & elatio decrescat, dum propter vos disco, quod inter vos doceo.* Nō igitur quidquid in mentem propriam venit, calamo effudit, sed limam prius alienam adhibuit, vnde nihil est quod apud ipsum non mireris, non obstupescas. Audi qozlo virum. *Ab omnibus corripi, ab omnibus emendari paratus sum: & hunc mihi solum amicum existimo, per cuius linguam ante apparitionem districti iudicis mea maculas mentis tergo.* Hinc ipsius libri tam sunt vndique puri: hinc nullius viri docti conspectum, & censuram subire timent. In Iobum 35. lib. elucubrauit, eruditione plenos, vt dubites an alij aliquando sint visi, quibus vis maior ad mores efformandos fuisset. Idcirco Morales appellantur, non quod sensum, quem vocamus litteralem, ad vnguem non exponeret, sed quod sanctus Doctor rerum cardinem in moribus versari gnarus, ad hos docendos & orbi inculcandos, summas vires conuertisset. Opus hoc S. Leandri rogatu Constantinopoli cœpit: Romæ perfecit: quod tanto applausu statim exceptum fuit, vt in Ecclesijs publice recitaretur, quantumuis auctore inuito. Quā enim moleste id ferret, Iohanni Subdiacono Rauennati significauit, cui præterea in mandatis dedit, Mariniano Episcopo suggereret, rectius facturum; si potius Commentarios in Psalmos à se editos legi curaret, quippe magis populares. Omnibus autem deinceps sæculis ipsius Moralia pro amussi ac norma vitæ rectissime instituendæ, à cunctis habita fuere. Odo religiosissimus Abbas Cluniacensis, luculentum opus in libros decem contraxit, ratus sic magis obuium, & in promptu fore. Idem consilium Simoni Monacho Affligeniensi fuit, vt in cōpendium, quod fere manus caperet, operose redigeret. Historiam regum libris sex explicauit, quibus scribendis non parum se desudasse, confitetur, quod nemo Latinorum eam totam ante se persequutus esset. Psalmos de pœnitentia ita exposuit, vt non modo facile intelligerentur, sed legentis vel audien-

Hom. 14. in Ezech.

Censuræ patientissimus fuit

Lib. 2. epist. 37.

Magna moralia dignum Magno Gregorio opus.

Regum historiam 6. libris exposuit.

D. Gregor. Prol. in lib. Reg.

Lucubrationes etiam commentarios in psalmos.

audientis pectus subito admissæ culpæ dolor subiret. Qua de causa, vt hi Commentarij in Ecclesia Rauennæ publice legerentur, Marintano Episcopo potestatē fecit. In Cantica Salomonis soliro breuioc fuit, vt nobis suspicionem iniecerit, à Claudio Abbate excepta, illo dictante, ac paucis in aduersaria relata esse (quorum paulo ante meminimus:) neque à Pontifice frequenter ægroto, semper vero negotijs obruto, ad finem pluribus verbis deduci potuisse. Duos item libros condidit in Ezechielem Prophetam, digestos in Homilias, quo tempore Agilulphus Rex ingentes Logobardorum copias Romam mouit.

In Cantica Salomonis: | In Ezechielem: | XL. Homiliæ in Euangelia:

Insuper quadraginta Homilias lucubrauit, è quibus nonnullas vel dictauit, vel sua manu chartis mandauit. Alias pro concione dixit maximo auditorum fructu, quas Notarij volante stylo in tabulis signarunt: Sanctus Gregorius vero reuoluendo atque ad incudem reuocando absoluit, & Abbati Secundino, qui se pridem Monachum præstantissimum præbuerat, munus misit.

Pastorale:

Vix Pontificatum inierat cum Pastorale contexuit, opus plane aureum, perpetua manu versandum ab illis, qui Christi oues pascunt.

Libros IV. Dialogorum:

Scripsit etiam Libros quatuor Dialogorum, quibus verba cum Petro Diacono serit, huic sciscitandi partes dans, sibi respondendi sumens. Tantum hi pondus habuere, vt creditum sit Longobardos miraculorum copia visa, quæ Deus Catholicorum precibus solicitatus patrauit, Ecclesiæ Romanæ accessisse. Cæterum eos Theodolindæ Agilulphi Longobardorum Regis coniugi, Pontifex inscripsit, ad quam multas quoque litteras, subinde cum sacris munusculis, dederat, vt partim beneuolentiam hunc in modum semper instauraret, qua deinde ad barbaræ gentis conuersionem vteretur. Quanti autem Oriens & Occidens Pastorale & Dialogos fecerint, facile hinc æstimare licet, quod illud Anastasius Patriaccha Antiochenus: hos Zacharias Papa è lingua Latina in Græcam verterint.

Libros XII. epistolarum:

Solis epistolis Libros duodecim impleuit, quibus ingenium ad omnia promptum, egregie prodidit. In his Imperatores, Reges, bella, Ecclesiarum Antistites, Concilia, hæreses, schismata, sæculi illius legas: Insuper in Sanctos, Sanctas, Monasteriorum Fundatores: in pauperes, peregrinos, captiuos, mancipia incidas. Ad postremum, omnem vbiq; mouit lapidem Ecclesiæ Dei ædificandæ. Quoties litteris ita varijs modo iudicis seueri, modo blandi Patris, modo suasoris, dissuasoris, magni, humilisue personam sumpsit, comitatem grauitate condiuit, vt quemuis hominem prudentissime agere posse videretur! nullus sæculi illius historicus plus mihi rerū ad historiam, quam melior, suggessit, si verum fateri velim, quam duodecim hi libri epistolarum.

His Antiphonarium adde: Lib. de Sacramentis: Missale: Rationale diuinorum: quibus conficiendis, digerendis, propagandis, non parum operæ datum est.

Antiphonarium, lib. de Sacramentis, Missale, Rationale:

Nobile ingenium etiam in quinq; Libris Mosis explicandis exercuit, lucubrando de illis libros septem, quos tamen sceleratissimi bipedum, fatali odio à sanctissimo viro diffidentes, cū alijs ipsius chartis igni absumēdos dederunt, quem Iohannes Diaconus lacbrymis restinguere, frustra conatus est. Sparsa fragmenta Paterius, vir doctus & Pontificis Notarius, collegit. Nam ex omnibus eius operibus tres libros composuit, varia S. Scripturæ loca ex mente Doctoris Ecclesiæ declarando, capitibus operum illius designatis. Aiunt D. Gregoriū probasse industriam, ac induxisse hominem, vt telam pertexeret. Roma Paterium cum D. Gregorio typis coniunxit, vt nihil de thesauro tam precioso negligentia subduceret.

Lib. V. in Pent. Mosis. | *Ioan. diac. l. 4. c. 69.*

Censura, quam D. Gregorius de suis libris tulit, quamque tulere alij.

PRofunde Gregorium Magnum fundamenta iecisse oportet, qui librorum ac eruditionis fabricā ad cœlum vsque eduxit. Omnium censuris, omnium stylis, obeliscis, & vnguibus lucubrationes suas obiecit, cū nemo tamen mortalium esset, qui limam adbibere posset, aut in spongiam incumbere. Moralia & Pastorale quam doctrina plena sunt! Is tamen cum Anastasio Patriarcha Constantinopolitano queri & expostulare ausus est, quod hoc Græce vertisset: quippe perquam ægre sibi facere, scribens, quod vir nucleis Græcis relictis, sua putamina vanum proponeret. Moralia sua à capite ad calcem culpat, quasi rebus ac verbis elegantibus nuda, nullo numero haberi deberent. Sancto Leandro ab initio, Lectori à fine tenuitatem operis, crebra labe respersi, toto pectore excusar, veniam supplex petit. Quidam Innocentius, Africæ Præfectus, horum librorum copiam sibi fieri rogans, quod magno eorum desiderio pars illa Orbis teneretur, hoc responsi tulit: *Si delicioso cupitis pabulo saginari, Beati Augustini patriotæ vestri opuscula legite, & ad comparationem siliginis illius nostrum furfurem non quæratis.* Hæc

D. Gregorius nihil se fecit, quē omnes magni fecerunt. | *D. Gregor. l. 8 ep. 37.*

tis. Hac virgula clarissimus Ecclesiæ Doctor suos libros semper ferit: Quamuis autem etiam rerum suarum magnifici æstimatores, in speciem verba humilia componere soleant (quem morem hypocritas induere Seruator noster testatus est.) At cum ventum fuerit ad opera, videas sub velleribus ouillis infames stabulis lupos dentes stringere in censores: ingenij sui partus quales quales mordicus defendere. Atqui Magnus Gregorius noster neminem minus blãde, quam se, accepit. Ab animo verba operaque non latum vnguem distabant. Vestiebat vili: honorem deferebat omnibus, non indignis: Sacerdotes filios, Episcopos fratres: sanguine aut gradu altos, Dominos: huius census fœminas, Dominas: denique in Bullarum exordijs, *Seruum Seruorum Dei*, se appellabat, quam inscriptionis formulam cæteri deinceps Pontifices imitati sunt. Cibum sumere consueuerat cum duodecim pauperibus, quorũ callosas manus ac illitos turpi luto pedes, aqua pura sedulo abluebat. Neq; domi tantum suæ vel late sub priuato, sed in publico quoque se submisse gerebat, Maximus in Ecclesia Dei Pontifex. Exempla plurima litterarum monumentis consignauit Sophronius: vnum cape: de cæteris fac sis coniecturam. Abbas quidam Persa (Iohanni nomen erat) Ruma redux, ecquam Romæ videndæ causam habuisset, vel quid omnino id loci vidisset, rogatus, hæc retulit. Iter suscepi Romam limina Apostolorum salutandi gratis. Cum versarer vrbe in media, forte rumor increbuit, Gregorium Papam transiturum. Ergo quid potissimum tum agerem, mecum voluens & reuoluens, ad pedes ipsius me abijcere constitui, & venerandum virum adorare. Quid fit? Processit Seruus seruorum Dei: & cum tenderet qua stabam ego, animaduertit è turba me eluctari, iamque pronum ad vestigia sua osculo libanda propendere: nec mora, pedes meos prior ipse occupauit (Solem ac Deum testor!) nec corpus ante humo attollere voluit, quam me stare vidisset. Ilum deinde in salutationem: suggessit mihi in manum ab ipso nummi: famulis in mandatis datum, vt quacunque re necessaria me instruerent. Attonitus laudaui Deum, quod tam submissi animi Vicarium, tam beneuolum ac beneficum erga omnes Patrem, orbi præfecisset.

Seruus seruorum Dei fuit.

Sophron. c.151. Prati spirit.

Abbatis Persæ vestigia se in publica supplicatione demisit.

Igitur dum se suaque in minimis posuit hic orbis pater gloriam, laudem, æternitatem ab alijs accepit, Numine humilitatem ipsius sic compensante. *Gregorius Papa, Sedis Apostolicæ Romana Episcopus*, inquit S. Isidorus, *plenus compunctionis & timoris Domini, affabilitate excellens, tantum scientiæ lumen, gratia Spiritus sancti habuit, vt nemo vel hodiernorum vel antiquorum Doctorum ipsum æquauerit!* Denique felicem ac fortunatum eum censet, cui obtigisset Gregorij Magni libros legere, & intelligere.

A viris grauissimis summis laudibus ornatus fuit.

Isidor. de vir. illust. c. 40.

S. Ildefonsus magistri sui de viris illustribus lucubrationes vlterius producens, iterum orbi spectandum ac admirandum dedit Gregorium, etsi laudibus iam ante à sancto Isiduro satis onustum. *Itaque S. Gregorius*, inquit, *adeo vndique clarus fuit, vt missis comparationibus ad viros omnes illustres, nihil habeat antiquitas quo plus gloriari possit. Nam sanctitate superior fuit Antonio: eloquentia Cyprianum vicit: sapientia Augustino antecellit.* Quæ vbi prolixius executus est, hanc clausulam imposuit: *Felicissimus tamen & nimium felix, cui dedit Deus studiorum eius omnia perpendere dicta.* Multa alia ab antiquitate encomia afferre, promptum nobis esset, at nolumus te festinantem morari. Hoc à vicino tibi sæculo encomium habe. *Gregorius Papa I. ex Monacho Ordinis sancti Benedicti, patria Romanus, vir in diuinis Scripturis eruditissimus, & in sæcularibus vtique doctissimus, Theologorum princeps, splendor Philosophorum, & Rhetorum lumen, vita & conuersatione integer atque sanctissimus, cui diuinas Scripturas explananti Spiritus sanctus aliquoties visibili specie apparuit, eique arcana mysteriorum eorundem inuisibili magisterio reserauit.* Ne autem Trithemius videatur aliquid dare communi eiusdem Ordinis vinculo, P. Franciscus de Ribera adest, non vltimum Societatis Iesv decus, qui laudes ipso ex cornu copiæ in Gregorium profundit. Nam dignum indicat, quem dies noctesque teras: memoriæ penitus inculces. In summo beneficio Numinis deputandum, quod Ecclesiæ tantum Doctorem cœlo demiserit. Neque post sacra volumina, à diuino Spiritu dictata, alios Ecclesiam Dei habere libros, qui vtilitate vel eruditione moralibus Gregorij Magni anteponi debeant. Immo omnes ipsius lucubrationes religione, doctrina, eloquentia, grauitate, ita florere, ita planam bonis moribus viam sternere, vt pede inoffenso à capite ad calcem vsque decurri queant. Anatomistas corpora perscrutantes ac dissecantes nihil esse ad hunc Doctorem (si compares) animæ penetralia & arcana in lucem producentem. Nullum sacræ Scripturæ locum silentio ab ipso prætetiri: nihil à summo quopiam ingenio

S. Ildefon. de viris illust. c. 1.

Trithem. de Script. Ecclesiast. an. 604.

P. Franc. Ribera Prol. in Malach.

genio reperiri posse, quod ipse non digito monstrauerit. Eius volumina, armaria esse multo instructissima: auctorem pro communi veræ pietatis magistro æstimandum.

Sed vt principes illi partes nonnulli concedant, cum è sacra pagina sensus eruendus est moralis: alibi tamen vel pari passu cum alijs eum ambulare, vel etiam sequi putant. Idcirco diuersam in opinionem descendens Ribera, nemo animum inducat, inquit, Diuum Gregorium sacram Scripturam ad mores accommodando, palmam tantum alijs præripuisse. *Sibi similis fuit, quocunque ingenium applicuit.* Putes, Lector, Appellem pinxisse Alexandrum Magnum. Non habeo quod his laudibus addam. Quamuis siste gradum: namque aspectui tuo Concilium VIII. Toletanum (Flauio Recisuinto Rege, & Eugenio I. Pontifice iunctum) subtrahere nefas arbitror, quando Concilia pondus præ Doctoribus priuatis habent. Eius sententia hæc est: *Beatus Gregorius Papa, ob vitam ac merita honorandus, dignus est qui omnibus, quotquot de moribus scripsere, anteferatur.*

D. Gregorius laudatus à Concilio VIII. Toletano.

Quod autem nunc producemus doctrinæ humanâ maioris testimonium, totus orbis admittere cogitur. Non solum virtutis verum etiam scientiæ singularis, comes inuidia est. Illa ac altera cæteris mortalium præstitit Gregorius: quæ res cum amicos ipsi parere debuissent, fecerunt inimicos. Murmurarunt inter sese æmuli, & quem in modum egregios libros oblitterarent, consultarunt. Itum in sententiam à stultis (ne quid grauius dicam) excitandum rogum: libros in eundem spargendus. Non fefellit, quod meditabantur flagitium, Petrum Diaconum. Ardens igitur & igneus, cauete exclamauit, prosiliens in medium, cauete istis libros tam magni Patris comburatis, cuius capiti sæpe Spiritus sanctus, columbæ specie insidere, & quid scriberet, instillare visus est. Postea ratiunum momenta, veluti arietes, attonitis admouit: peccaturos nimirum in Spiritum sanctum si tantum nefas in se admitterent: nec impune laturos. Atqui ne fumos vendere aliquibus videretur, fidem iniurando se facturum, dixit, ea lege, vt si rem tantam non cunfirmasset, edito iuramento illico animam exhalaret. Quod si mendacium fuisset, superuixeret. Accepta conditio fiat. Ergo prodit in medium Petrus: iniurandum nuncupat, Spiritum sanctum in caput Gregorij Papæ, plus simplici vice cœlo delapsum, & à se conspectum esse, affirmans. Circumfusis æmulis stant horridæ comæ, omnibus iam solicitis quo grauissimis verbis conceptum iuramentum fit euasurum. Proh sancte Deus! Dum intenti ora tenent singuli, Petrus Diaconus dicendi & viuendi finem simul fecit, reliquis annis bonori sui magistri impensis. Nec plus vltra inuidia progressa est, omnibus nouo ac inaudito casu consternatis. Libris vero D. Gregorij summa auctoritas accessit, veluti à Spiritu sancto approbatis. Hinc pictores candidam humero ipsius columbam imponunt, multa tenso collo in secretam aurem inserentem.

Si per æmulos stetisset, D. Gregorij tot libros polueri inscriptos fuisset.

Ioan. diac. l. 4. c. 69.

Petrus Diaconus vt seruaret huius Pontif. lucubrationes, perire voluit.

Annus Christi 603. Annus S. Benedicti 123.

CAPVT I.

S. Venerius.

Extremi anni graues Gregorio Magno fuere. Vt enim deditis Deo viris detestata bella r vt onus Pontificatus prætereamus: fatalis morbus penitus oppressit virum: lectulo totum imposuit: nisi quod inter cruciatus bonum animum habuerit, nec suas partes in naui sancti Petri desiderari passus sit. Duodecimus liber Registri testimonium esto. Poterat leuare atrocem morbum mors Mauritij Imperatoris, qui multas illi molestias facessere consueuerat, post quem Phocas sceptro Constantinopolitano admotus est. Hic non quicquam potius habuit, quam litteras ad Pontificem Max. dare, officia, amicitiam polliceri. Ferunt id temporis Venerium floruisse, disciplinæ D. Benedicti alumnum multo sanctissimum. Hunc illi locum dedi, quod Phocas post Imperium adeptum parum de anno sexcentesimo secundo, & Diuus Gregorius adhuc minus de sexcentesimo quarto, attigerint. Malui igitur historiam ægri Pontificis intertumpere, quam virum memorabilem à tergo relinquere.

Vltimi anni graues D. Gregorio fuere.

Itaque nobili sanguine S. Venerius ortus est. Ductu Numinis vrbē suam Lunensem cum insula Palmaria, quam olim Tertullus glorioso P. N. Benedicto concesserat, commutauit, quod disciplinam monasticam in ea florere intellexisset: à qua tamen D. Gregorius adolescētes annis octodecim minores natu arceri voluit, quod ea ætas aspero cœlo, & Monasticis austeritatibus ibi ferendis adhuc impar esset. Nullus tamen rigor S. Venerium potuit repellere, quin eo penetra-

D. Gregor. l. 1. ep. 48.

S. Venerius asperam vitā in insula Palmaria duxit.

netraret. Vbi autem peruenit, non modo incommoda vniuersa æquis humeris tulit, sed insuper exemplo incolas auteiuit. Orationi & ieiunijs comptimis deditum fuisse aiunt: herbis sua sponte natis, & fructibus arboreis indomitam placasse famem. Pauca hæc affetimus, quod illius sæculi historiei non plus in litteras miserint. Sanctorum fasti multa his paucis verbis complectuntur. *Venerius admiranda sanctitatis vir.* Nonnihil prolixior cæteris Petrus Venetus (quē alij Petrum de Natalibus dixere) in eo describendo fuit. Solet vero hic auctor miracula Sanctorum magno studio posteritati prodere; sed virtutes quibus clatuere, & & asperitates quibus inimicum animæ corpus subegere, nec primoribus quidem digitis aliquando attingit. Verum vt est mea sententia, melius de Superis meretur, qui mores quos coluere diligenter enumerat: nam Lectori viam qua itur ad astra, hoc pacto aperit. Facta autem portentosa quem fructum ferant, nisi quod nouitate oblectent? mundum dent in stuporem! Immo si vult Deus non à probis tantum, sed etiam ab improbis edi possunt. Iuuat tamen breuiter illi aures dare.

S. Venerius eodē die arator, sator, ac messor fuit. Conuenerat S. Venerium homo rusticus, animæ suæ negotia cum eo tractandi gratia. Bonum factum! Nam sibi arant, occant, serunt, metunt, qui sic sunt. Vicissim postea sanctus Pater instrumenta rustica, quibus terram desertam coleret, ac parum hordei, quod subacto agello mandaret, agrestem orauit. Forte stabant flauæ segetes omnibus aruis, & falcem expectabant, cum hem tibi! semina à Venerio iacta per glebas versas moliuntur viam: enituntur in herbescentem viriditatem: inde surgunt in culmum: florent: exponunt grauidas spicas: vibrant hirsuras aristas: quodque miraculi caput est, die non amplius vno perducuntur ad maturitatem. Insuper trium demortuorum vagas animas in corpora inania reuocauit. Cum magna hinc ipsi gloria parta fuisset, superbiam infestum Sanctis malum metuens, in insulam Cirnen, minus frequētem, sese eiecit, vbi cotuns quotidie panis dimidium cum paruo lucello alio in vngues implicans, ei cænam instruxit, quod genus obsequij alius Eliæ, ac alius Paulo primo Eremitæ olim præstiterat. Draco præterea ingenti volumine insulæ incubans, grauem terrorem incolis incusserat, non tulit venenosum monstrum Venerius: in fugam, & in mare ocyus egit.

Tres mortuos in vitam reuocauit.

Ipse ab angelis sepultus est. Denique funus istius serui Dei duxere ac sepeliuere Angeli, quod idem Petrus Venetus memorat, sarcophago diu oleum ægris salutiferum fundente. Lucius Episcopus Lucensis multos post annos Deo indice corpus eius solidum reperit, in quo nihil prorsus virij, nihil corruptelæ erat: ac insuper gratissimum odorem spirabat. Igitur templum imposuit Diuo tam præsenti, vnde sine mora fons hiante gleba scaturire cœpit. Postmodum Apollinaris Antistes Rhegium imperante Ludouico translatum, in æde S. Prosperi condidit, vbi Monasterium non ignobile stare, nostrique Venerij historiam in promptu habere, Arnoldus Wion affirmat. In Ecclesiæ fastis ad XIII. Septemb. diem occurrit. *Wion 13. Septemb.*

CAPVT II.

Regina Brunechildis aliquot Monasteria extruxit Augustoduni.

Mihi epistolas D. Gregorij excutienti, duæ hoc anno in manus venere, Brunechildi Reginæ Franciæ, & Theodorico ipsius nepoti missæ. Burgundiæ quondam caput Augustodunum fuit, vrbs amplissima, cuius in suburbio Monasterium regia aula cum nepote suo posuit, & sancto Martino dedicauit. Deuso Monachorum numero Lupus primus Antistes præfuit. Alterum in vrbis sinu statuerunt, quod S. Mariæ dicatum, atque à sacris Virginibus habitatum fuit, sedente primo ad clauum Thesalia. Excitarunt quoque paupertinæ turbæ Xenodochium, non absque amplissimo censu, cui Monachos adiunxerunt ac Abbatem, vt hic vtrisque attenderet. Postquam summam manum imposuerant, quædam priuilegia pro iisdem altius stabiliendis à Pontifice Magno flagitarunt & impetrarunt, quorum hic fragmentum cape. *D. Gregor. l. 11. ep. 8. & 9.* *Augustoduni Monasteria duo excitata:* *Et Xenodochium.*

Gregorius Senatori Presbytero & Abbati. *D. Gregor. l. 11. c. 10.*

Iuxta scripta filiorum nostrorum, præcellentissimorum Regum Brunichilda ac nepotis ipsius Theodorici Xenodochium, quod in ciuitate Augustodunensi à Syagrio, reuerendæ memoriæ Episcopo, & prædicta filia nostra, Regina excellentissima, constructum est, cui tu præesse dignosceris, huiusmodi priuilegia præsentis auctoritatis nostra decreto indulgemus, concedimus, atque firmamus, statuentes nullum Regum, Antistitum, vel nullum quacunque præditum dignitate, vel quemquam alium de his, qua Xenodochio à suprascriptis præcellentissimis filijs nostris Regibus iam donata sunt, vel in futuro *Gregorius Magnus priuilegia addidit.*

à qui-

à quibusuis alijs de proprio fuerint iure collata, sub cuiuslibet causa occasionisue specie minuere, vel auferre, siue suis vsibus applicare, vel alijs pijs causis, pro sua auaritiæ excusatione posse concedere: sed cuncta quæ ibi oblata sunt, vel offerri contigerit, tam à te, quam ab eis, qui in eius officio locoque successerint, perenni tempore illibata, & sine inquietudine aliqua volumus possideri. Eorum tamen vsibus, pro quorum sustentatione gubernationeque concessa sunt, modis omnibus profutura. Item constituimus, vt obeunte Abbate atque Presbytero suprascripti Xenodochij, atque Monasterij, non alius ibi quacunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem Rex eiusdem prouinciæ cum consensu Monachorum, secundum timorem Dei, elegerit, ac prouiderit ordinandum. Hoc quoque capitulo præsenti subiungimus, vt locum auaritiæ excludamus, nullum de Regibus, nullum de Sacerdotibus, vel quemcunque alium per se, suppositamue personam de ordinatione eiusdem Abbatis, vel quibuscunque causis, Xenodochio ipsi pertinentibus, audere in auro, siue alia qualibet specie commodi quicquam accipere: neque eundem Abbatem ordinationis suæ causa dare aliquid præsumere, ne hac occasione ea, quæ à fidelibus pijs locis offeruntur, aut iam oblata sunt, consumantur. Et quoniam multæ occasiones in deceptione religiosarum personarum à prauis illic, vt dicitur, hominibus exquiruntur, Abbatem atque Presbyterum prædicti Xenodochij nullo modo priuandum deponendumque censemus, nisi causa specialiter criminis exigente. Vnde necesse est, vt si qua contra eum huiusmodi querela surrexerit, non solus Episcopus ciuitatis Augustodunensis causam examinet, sed adhibitis sex alijs Episcopis suis, subtili hac inuestigatione perquirat. Similiter quoque definitione iuxta desiderium conditorum decernimus, vt nullus eorum qui eidem Xenodochio atque Monasterio Abbas aut Presbyter inposterum fuerit ordinatus, ad Episcopatus officium quacunque obreptione sit ausus accedere, ne res Xenodochij vel Monasterij iniqua erogatione consumens, grauissimam egestatis necessitatem pauperibus ac peregrinis, vel ceteris exinde viuentibus generet. Si quis Regum, Sacerdotum, iudicum, ac personarum secularium, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Et nisi vel ea, quæ ab illo male ablata sunt, restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleuerit, à sacratissimo corpore ac sanguine Dei nostri Redemptoris IESV *Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ vltioni subiaceat.*

Inter alia aduerte sis animum, amabo te, hospitalis & Monasterij Antistiti fas non fuisse, ad Pontificiam aspirare dignitatem, ne pauperibus & Monachis destinatas facultates in sua deglutiret mensa, id quod sanctissimus Gregorius etiam alibi decreuerat. Monasterium S. Martini, quod cæteris duobus antecelluit, Brunechildis magnis opibus, ad veterem maiestatem eductis ædificijs, auxit, decorauitque, Gulielmo Paradino teste. Incolas, *Monachos Brunechildis* vulgo nuncupabant, quod eos Regina accersiuisset. Ibidem etiam condi voluit cum ex sententia adhuc res fluerent, votiq; compos facta est quamuis fortuna postmodum mutata; intraque sinum templi ad nostra vsque tempora conquieuit.

16. q. 1. cap. Hinc est etiam.

Guliel. Parad. de antiquo statu Burgund.

Brunechildis Atanagildi Gothorum regis filia.

Cæterum Brunechildis ex Hispania fuit oriunda, Atanagildo Gothorum Rege nata; tum Sigiberto Franciæ Regi collocata binam sobolem, Ingundam & Crotildam, edidit, quæ olim S. Hermenegildo nupserunt & Recaredo, cuius à sanguine Rex Alphonsus Catholicus genus cum feris nepotibus duxit. Sigiberto fatis sublato, manum sceptro cum Childeberto filio admouit Brunechildis. Hoc quoque erepto, Theodeberto & Theodorico paruis nepotibus tutelam gerens, rebus porro præfuit. Singulari prudentia prædita fæmina, par summis negotijs fuit, nec quicquam infra ingenium (quod maximum erat) egit. Monasteria construxit tam magnifica, vt Aimonius putet incredibile dictu, & difficile creditu videri debere, qui oculis non vsurpauerit, fæminam soli Austrasiæ ac Burgundiæ imperantem, tanta opera moliri atque statuere potuisse. Allatis huiusmodi nuncijs sæpe ei D. Gregorius scripsit, aliquando exemplo singulari, aliquando ad filios quoque & nepotes exemplo communi. Si quæras in libris epistolarũ ipsius, facile duodenæ occurrent. Plerisque Reginam laudibus efferi, in bonum publicum ita sedulo intentam, Numinisq; beneficium interpretatur, quod ei Francia regenda concessa esset: alijs gratias ei meminit, vel quod omnẽ industriam filijs ac nepotibus ad pietatem educendis adhibeat: vel quod Augustinum, Mellitum, cæterosque Angliæ Apostolos, illac iter facientes, summa beneuolentia prosequatur, æterno olim præmio apud Superos afficienda. At libet saltem vrbanitatis ac humanitatis breue specimen huc ponere.

Amplissima fundauit Monasteria.

Aimon. hist. Fran. l. 4. c. 1.

D. Gregor. l. 11. & 12.

Lib. 9. epist. 22.

In nomine Domini Salvatoris nostri Iesv *Christi. Imperantibus Domino Mauritio & Tiberio Augustis, anno Incarnationis Dominica* DCI. *præsidente beatissimo & Apostolico Papa Gregorio, atque considentibus Reverendissimis Menna, Episcopo Telesino &c. astantibus etiam Diaconibus & Clero. Paterius Secundicerius dixit: Probus Abbas Monasterij SS. Andreæ & Luciæ, vestris, si præcipitis, desiderat aspectibus præsentari. Gregorius Episcopus sanctæ Ecclesiæ Catholicæ vrbis Romæ dixit: veniat. Cumque ingressus fuisset, dixit: cur adesse volueris, fateri te convenit. Probus Abbas dixit: petitionem præ manibus habeo: postulo à beatitudine Domini mei, vt eam suscipi, & vobis relegi iubeatis. Gregorius dixit, fiat. Quæ cum suscepta fuisset, Paterius in his recitauit. In nomine Dei nostri* Iesv *Christi. Ea quæ nunc Beatitudini vestræ intimare desidero, olim Domino meo bene comperta sunt, vestramque mihi conscientiam testem esse quod suggero. Quoniam dum ante hos annos ex laico ad religiosum migrassem officium, disposueram in cella super me solitarius habitare, ibique ipsis paucis diebus, qui supersunt, vitam transigere. Propter quod nec aliquid de substantiola mea ante ordinavi, siue disposui, sciens tam ab intestato, quam ex testamento filium mihi posse succedere. Quadam autem die cum inter alios ad obsequia Domini mei fuissem ingressus, subito atque inopinanti introire in Monasterium, atque onera Abbatis debuissem suscipere, præcepistis: statimque surgentes non indulto ad deliberandum vel tractandum mihi spatio, ad Monasterium iam cum Monachis ambulare coactus sum. Vnde quia nihil ante de substantia mea potui ordinare, ideirco lachrymabiliter supplico, vt concessa per constitutionem vestri decreti licentia, sit mihi fit de omnibus rebus meis voluntatem meam disponere, quatenus nec mihi obedientia mea officiat, nec filio pauperi possit esse damnosa. Nam cunctis notum est, quia illos legalis sanctio quicquam de substantia sua prohibet, postquam Monasterium ingressi fuerint, ordinare &c. Hanc autem suggestionem supplicationemque meam Æmiliano Notario sanctæ Ecclesiæ Romanæ scribendam dictans, eiq; propria manu ego Probus seruus vester subscripsi, & vobis Beatissimo Domino meo Gregorio Papæ porrexi.* Gregorius dixit: *postquam textus nobis oblatæ petitionis innotuit, Probus Abbas paulisper abscedat, vt de his quæ petit, cum fratribus filijsque nostris, quid statuendum sit, deliberare possimus.* Postquam diu de eius petitione tractatum est, dixit Papa Gregorius: *Probus Abbas rursus adveniat, vt ea quæ nobis cum fratribus filijsque nostris visa sunt, censeamus. Cumque præsentatus fuisset, dixit: vbi veritas cum ratione concordat, desideria petentis implere, non minus iustum est, quam benignum. Perpensa igitur serie à te petitionis oblata, omnia quæ in ea loquutus es, ita esse recolimus. Neque enim vel in nostram vnquam antea cogitationem ascenderat, vt in quocunque Monasterio Abbatis tibi curam debuissemus iniungere. Sed quodã die, dum de ordinando Monasterio, cui præesse dignosceris, cum nostris filijs tractaremus, atque devotam personam huic officio quæreremus, ex improuiso te ingrediente, cordi nostro & eorum, qui nobiscum ad tractandum aderant, subito natum est, vt te illic Abbatē Deo propitio constituere deberemus. Quod quia renitenti tibi constat impositum, vt voluntatis tuæ rigorem vix nostræ potuerint adhortationes inflectere, necesse fuit (ne forte habere debuisses post te spatium redeundi) vt iam ordinatum Abbatem ad ipsum te Monasterium, cuius nec Monachus fuisti antea, mitteremus. Ne ergo hæc obedientia vel dilectioni tuæ tristitiam, vel alijs posset inferre iacturam, vniuersas res tuas alienandi, vel vt volueris disponendi, liberam tibi per constituti huius nostri statuta tribuimus licētiam. Per quam, eam te in disponendis eis, vt tibi placuerit, habere noveris facultatem, quam habere poteras, antequam Monasterium introires. Nec quicquam tibi Abbatis officium, quod repente ac inuitus noscerit suscepisse, formides obsistere; quia vt in ordinandis disponendisq; rebus tuis non haberes licentiam, dilectionem tuam, ne post se rediret, nostra coegit instantia. Proinde tanquam si ingressus Monasterium non fuisses, ita omnia quæ de vniuersa facultate tua ordinare disposueris, illibata, & sine aliqua, Deo auctore, statuimus, refragatione seruanda.*

Probus petit à Pontif. facultatē condendi testamēti.

Cœlitus designatus est Abbas.

Iohannes Diaconus dum Gregorij M. prudentiam extollit, qua classem D. Petri felicissime duxit, nonnullam laudis partem in eos inclinat, quorum is consilio vsus fuit. Istorum vero in numero etiam Probum habuit, quem grauissimis negotijs explicandis aptissimum extitisse oportet, nam Italia simulque patrimonio Ecclesiæ ardente, Agilulpho Longobardorum Rege, nec-non Imperatoris Constantinopolitani ministris incendia miscentibus, Pontifex legati partes Probo dedit, qui licet flagrans bellum non exhauserit, pacem tamen aliquam restituit.

Ioan. diac. l. 2. c. 11.

Grauissima negotia confecit.

Proprium senectutis vitium est, ab ære loculis condito, velut à re sacra manum abstinere: ad terruntium quoque attentum esse: prope metam longissimum viaticum

parare

parare: at in S. Gregorio omnia diuersa erant. Non argento, non auro, non vestibus parcere senex, qua in re illud perquam venuste ceeidit, vt misericordiam, vt liberalitatem suam in Palæstinam vsque extenderet. Cum enim animo volutaret, quam plurimos mortales terras tractusque maris emetiri longissimos, vt Dominicum sepulchrum, tum loca alia Seruatoris nostri vestigijs trita, oculis coram vsurparent, non paucos vero vltima egestate premi: sæpe etiam morbis iactari Hierosolymis, sed nemini curæ esse, ideoq; non tam morborum vi, quam neglectu vitam fundere: onustum auro argentoque Probum Abbatem Hierosolymam misit, vt ibidem, ac in monte Sinai, peregrinis etiam frequenti, Xenodochium ad amussim Romanam ædificaret. Enimuero vt primum Pontificatum inijt, ædes excitauit quibus pauperes & peregrini acciperentur. Rerum potestas in his penes vnum erat, qui omnia digerebat, ne quid hospites seu valerent, seu ægrotarent, desiderare possent. Cum Monasterio S. Andreæ Xenodochium Romæ coniunxerat, vt tanto maior ratio pauperum haberetur: deinde vt Monachis in promptu occasio esset, explicandæ charitatis. Multa huiusmodi Monasteriorum in Ordine nostro exempla sunt. Ergo tam Monachis quam peregrinis & pauperibus habitacula conduntur in vrbe sancta: præfecturam gerit Probus. Hos in vsus censum Ecclesiæ collocauit Maximus Pontifex Gregorius; quod silentio sibi Walafridus Strabo haud prætereundum ratus, *Legitur*, scripsit, *legitur de S. Gregorio, quod non, sicut alij, in structione Ecclesiarum laborauerit, sed in doctrina, & eleemosinarum largitate, quam nō solum apud suos, verum etiam longe, & in exteris prouincijs positos exercere curauerit.*

A D. Gregorio missus Hierosolymam. Xenodochiū ædificauit

Itemque Monasterium.

Hos primos ab Ordine nostro fuisse arbitror, qui S. Regulam intulere Palæstinæ. At via sic iam aperta, alij sequi, & sedem pluribus locis figere sunt ausi. Quamuis autem terra sancta à diuersis paganis in potestatem redacta sit, facere tamen non potuerunt, quin fere semper aliquæ S. Benedicti reliquiæ apparerent. S. Stephanus Hungariæ coronæ gemma, simili pietate actus, extruxit Hierosolymis Xenodochium alterū, idque opimis redditibus auxit, ad leuandam pauperum & peregrinorum egestatem. Leo Cardinalis Ostiensis quendam è nostris (Iobanni nomen erat) in Solymorum vrbe ac monte Sinai sex annos contriuisse, memorat. Postea per Græciam relegentem iter, in monte S. Honorij ad aliquot dies consedisse: sed hærentem in anchora, à D. Benedicto è cœlis delapso admonitum, vt in viam se daret: Montem Casinum peteret.

Bonfin. in Steph. Ostiens. l. 3 c. 12. hist. Cas.

S. Basilium occupasse Orientem, nemo nescit; penetrasse tamen S. P. Nostrum in Syriam, Arabiam, Græciam, ac alia regna & prouincias Asiæ, pro certo habemus. Sed neque Constantinopoli quidem ita penitus excussi sumus, quin hodie quoque supersit Asceterium, quod Christiani à S. Benedicto appellant: videlicet veteris possessoris monumentū, in quo nunc de Societate aliquot versari Patres accepimus. Quemadmodum autem D. Basilius Ordinem suum toto diffuderat Oriente quidē, sed tamen progressu in Occidentem vsque facto, etiam hic sedes aliquot fixit, adeo vt Iohannes Diaconus Monasterium S. Andreæ Romæ ad ipsum deuolutum fuisse asserat, præter alia, in quæ subinde incidemus: ita Occidentis Patriarcha Benedictus Europæ limitibus coërceri se haud passus, in Orientem traiecit: Monasteria posuit, pauca ea quidem ante millesimum à Christo nato annum: inde vero innumera, atque imprimis S. Bononij opera. Profectionem hic vir, tota quondam Italia percelebratus, susceperat Hierosolymam: inde quoque in Ægypti deserta penetrans, ac perertans, antiquis trita anachoretis, at tum ob frequentes barbarorum incursiones frequentari desita, plurima passim Cœnobia posuit: legibus sancti Benedicti instruxit, quod Mosander, qui res gestas sancti Bononij memorat, litteris commendauit.

S. Bononius Ordinē per Ægyptū mire propagauit.

Surius 30. Aug.

Deinde quando Godefridus Bullionius contractis in Occidente Christianorum viribus, ingentem exercitum ciens, mouit in Palæstinam, vrbe sancta regnoque potitus est, licuit tum etiam Patriarchæ nostro proferre fines, & copiosam coloniam ducere in Asiam. Enimuero vt armis vim adderet Bullionius, Monachos Ordinis nostri quam plurimos trahebat, qui ad seruiendum sacræ militiæ non minus prompte, quam sæculares, nomina dabant: Deum votis & sacrificijs propitiabant: milites inhortabantur, dehortabantur: peccatis expiabant: morti proximos atque in fatalem arenam descensuros, animabant: nec quicquam suarum partium desiderari ab exercitu sinebant.

Recepta à Godefrido Bullionio Palæstina, late se fudere Monachi.

Ipse adeo copiarum ductor Godafridus, Gulielmo Tyrio expeditionis illius historico, teste, non minorem susceperat curam, vt quam plurimos Monachos legeret, quam milites conduceret, non ignarus rei summā precibus sibi potius, quam armis conficiendam. Religiosos autem istos bellatores officium suum tam diligenter, tam integre exequutos, quam si non militiæ, & inter ar-

Guliel. Tyr. l. 9. c. 9.

nes dolosas aliquas facere. Sed si qua forte causa inter Rauennatem Ecclesiam, & præfatum Monasterium euenerit, & pacifice non potuerit ordinari, apud electos à partibus timentes Deum, sine voluntaria dilatione, medijs sacrosanctis Euangelijs finiatur. Defuncto vero Abbate, cuiuscunque Congregationis non extraneus, nisi de eadem conuersatione, quem sibi propria voluntate concors fratrum societas elegerit; & qui electus fuerit, sine dolo vel venalitate aliqua, ordinetur. Quod si aptam inter se personam inuenire nequiuerint, solerter de alijs Monasterijs sibi similiter eligant ordinandum. Neque viuenti Abbati quacunque persona qualibet occasione in suo Monasterio præponatur, nisi forte extantibus (quod absit) criminibus quæ sacri Canones punire monstrantur. Pariter autem custodiendum est, vt inuito eiusdem Monasterij Abbate, ad ordinanda alia Monasteria, aut ad Ordines sacros, vel Clericatus officium tolli exinde Monachi non debeant. Sed si abundantes fuerint, & ad celebrandas Deo laudes, vel vtilitates Monasteriorum complendas sufficiant, Abbas cum deuotione de his, qui superfuerint, efferat, quos dignos coram Deo putauerit. Quod si sufficienter habens, dare noluerit, *tunc Rauennas Episcopus ad ordinanda alia Monasteria,* de his, qui supersunt, tollat. Ad Ecclesiasticum tamen *officium nullus exinde producatur, nisi quem Abbas loci monitus propria voluntate obtulerit. Quisquis autem ex prædicto Monasterio ad Ecclesiasticum ordinem peruenerit, vlterius illic nec aliquam potestatem, nec licentiam habeat habitandi. Obseruandum quoque est, vt descriptio rerū aut chartarum eiusdem Monasterij ab Ecclesiasticis fieri nō debeat, sed si quando res exigit, Abbas loci cum Abbatibus alijs rerum inuentarum attestationem faciat. Quoties autem pro vtilitate Monasterij sui ad Romanum Pontificem Abbas venire, vel transmittere forte voluerit, ei modis omnibus liceat. Preterea cum Episcoporum aduentus desideranter à Monasterijs debeant expectari, quia tamen hospitandi occasione prædictū Monasterium temporibus decessoris vestri nobis fuisse nunciatum est prægrauatum oportet, vt hoc Sanctitas vestra decenter debeat temperare. vt visitandi exhortandiq; gratia ad Monasterium, quoties placuerit ab eiusdem ciuitatis Antistite accedatur. Sed si charitatis illic officium Episcopus impleat, vt grauamen tamen aliquod Monasterium non incurrat. Vestram quoque fraternitatem prædictus Abbas non solum non metuat ad Monasterium frequenter accedere, sed etiam desiderabiliter concupiscat, sciens quod per vos substantia Monasterij omnino grauari non possit.*

Cæterum Claudius aliquas lucubrationes, viro erudito dignas, posteris reliquit, veluti librum vnum in historiam Regum: alium in prouerbia Salomonis: tertium in Cantica: quartum in Prophetas. Fons tamen è quo volumina hæc hausit, S. Gregorius fuit, qui morte Claudij intellecta, hæc ad Iohannem Subdiaconum Rauennatem scripsit. Claudius libros scribendo, publico desudauit.

Venientes Monachi Monasterij quondam Abbatis Claudij, petierunt sibi Constantium Monachum Abbatem debere constitui, quos valde ego in petitione sua detestatus sū, quia mihi terrenæ mentis esse omnino apparuerunt, quia terrenum nimis hominem Abbatem quæsiuerunt habere. Cognoui enim, quod idem Constantius peculiaritati studeat, quæ res maxime testatur, eum cor Monachi non habere. Ac deinde cognoui, quia ad Monasterium, quod in Piceni prouincia situm est, solus pergere sine aliquo fratrum suorum, præsumpsit. Ex qua eius actione cognouimus quia si sine teste ambulat, recte non viuat. Aut quomodo alijs Regulam teneat, quam sibimetipsi nescit tenere? Ab hoc igitur recedentes, Cellerarium quendā, nomine Maurum, petierunt, cuius vita ac industria multa testificantur, quia & quondā Abbas Claudius cum quibusdam laudauit. Tua itaque experientia sollicite requirat, etsi eius vita ad locum regiminis digna est, à Reuerendissimo fratre & Coepiscopo nostro Mariniano hunc Abbatem ordinari facias. Si vero est, quod ei omnino obuiet, & ex sua Congregatione inuenire aptum minime possunt, ipsi sibi aliunde eligant: & is quem elegerint fiat. Hoc autem prædicto fratri & Coepiscopo omnino dicere stude, vt peculiaritatem à quatuor aut quinque Monasterij Monachis, in quibus corrigi hactenus minime potuit, studiosissime cōpescat, & hoc ipsum Monasterium à tali peste mundari festinet. Quia si illis peculiaritas à Monachis habetur, neque concordia neque charitas in Congregatione eadem poterit permanere. Quid est autem habitus Monachi, nisi contemptus mundi? Quomodo igitur mundum despiciunt, qui in Monasterio positi, aurum quærunt? Ita igitur tua experientia faciat, vt neque loci ordinatio differatur: neque ad nos vlterius hac de re querela perueniat. Præterea quia idē charissimus quondam filius meus Claudius aliqua me loquentem de prouerbijs, de Canticis Canticorum, de Prophetis, de libris quoque Regum, & de heptatico audierat, quæ ego scripto tradere præ infirmitate non potui, ipse ea suo stylo dictauit, ne obliuione deperirent, vt apto tempore hæc eadem mihi inferret, & emendatius Lib. 10. ep. 22.

dicta-

dictarentur: qua cum mihi legisset, inueni dictorum meorum sensum valde in multis fuisse permutatum. Vnde necesse est, vt tua experientia omni excusatione atq; mora cessante, ad eius Monasterium accedat: conuenire fratres faciat, & sub omni veritate, quantascunque diuersis scripturis chartas detulit, ad medium deducant: quas tu suscipe, & mihi celerrime transmitte. Hactenus Diuus Gregorius, qui ad suam incudem reuocans quæ Claudius chartis mandauerat, tandem in lucem emisit.

D. Gregorius in sociata opera diuinos libros excutere solebat.

Si quis negotia expēdat, quibus hic Pontifex implicitus perpetuo fuit, neque ab humeris reiecit, sed confecit, mirabitur profecto vel vnam illi horam superfuisse, quam dictando vel scribendo contereret. Sed multum ea studendi ratio potuit, qua veteres sunt vsi. Nimirum, tres aut plures viri eruditi librum eundem, vel Caput voluminis sacri legebant: postea examinabant: multa industria nucleum persequebantur: sententijs deinde in medium allatis, ea probabatur, quem rem acu tangere visa fuit. Huiusmodi congressus à quibusdam Collationes appellabantur: hinc etiam factum, vt similem cōiunctionem studiorum ac sermonum Dialogis exponerent. Collationes Iohannes Cassianus scripsit, è sanctissimorum Eremitarum habitis colloquijs promptas. Sed ad epistolam, Iunio Catanensi Episcopo à Gregorio missam, animū aduerte.

Quæsiui qui vobiscum adhereant in lectionis sacra collegio; & neminem reperi, & vehementer ingemui paupertatem boni. Et quamuis peccator ego valde occultus, tamen si ad B. Petri Apostoli limina venire volueritis, in sacro eloquio strictum poteritis me habere collegam. Sic dies, sic horas succidere solebat Magnus hic Pontifex, ne soles conderet sine litteris. Pectora mulcere fidibus & cantu: Milesias expedire fabulas: floriferos adire hortos: fronde super viridi

D. Gregor. l. 12. c. 27. indict. 7.

trahere non leues somnos, grande nefas ratus, Petrum Diaconum, Maximianum, Marinianum, Claudium, aliosque negotijs vacuos ad se vocans, in sacras litteras cum ijsdem incubuit, paleis deinde sedula disputatione discussis, granum calamo mandauit. Neque tantum valenti ex sententia, verum etiam è dira podagra decumbenti hoc opus, hic labor fuit, quod ex ipsius ad Marinianum Episcopum Rauennatem epistola disce. *Quod communem filium Claudium Abbatem, latorem præsentium, longa apud*

D. Gregor. l. 7. indict. 1. ep. 19.

nos hactenus mora retinuit, res illa fecit, quod magnum nobis (sicut nostis) erat in verbo Dei solatium: quem etiam hic adhuc voluerámus diutius retinere, nisi & ipse ad suum Monasterium festinasset, & nos Congregationi fratrum eius præsentiam esse omnino necessariam, sciremus.

Animi ingenui esse, ait Cicero, fateri, & laudibus publice ferre eos, per quos profecens. Iam mihi magnum hunc Pontificem

Hom. 14. in Ezech.

audi. *Scio quia plerumque multa, in sacro eloquio, quæ solus intelligere non potui, coram fratribus meis positus intellexi: ex quo intellectu & hoc quoque intelligere studui, vt scirem ex quorum mihi merito intellectus daretur. Patet enim, quia hoc mihi pro illis datur, quibus mihi præsentibus datur. Ex qua re largiente Deo, agitur vt sensus crescat, & elatio decrescat, dum propter vos disco, quod inter vos doceo.* Nō igitur quidquid in mentem propriam venit, calamo effudit, sed limam prius alienam adhibuit, vnde nihil est quod apud ipsum non mireris, non obstupescas. Audi quæso virum. *Ab omnibus corripi, ab omnibus emendari paratus sum: & hunc mihi solum amicum existimo, per cuius linguam ante apparitionem districti iudicis mea maculas mentis tergo.* Hinc ipsius libri tam sunt vndique puri: hinc nullius viri docti conspectum, & censuram subire timent.

Censuræ patientissimus fuit

Lib. 2. epist. 37.

In Iobum 35. lib. elucubrauit, eruditione plenos, vt dubites an alij aliquando sint visi, quibus vis maior ad mores efformandos fuisset. Idcirco Morales appellantur, non quod sensum, quem vocamus litteralem, ad vnguem non exponerent, sed quod sanctus Doctor rerum cardinem in moribus versari gnarus, ad hos docendos & orbi inculcandos, summas vires conuertisset. Opus hoc S. Leandri rogatu Constantinopoli cœpit: Romæ perfecit: quod tanto applausu statim exceptum fuit, vt in Ecclesijs publice recitaretur, quantumuis auctore inuito.

Magna moralia dignum Magno Gregorio opus.

Quā enim moleste id ferret, Iohanni Subdiacono Rauennati significauit, cui præterea in mandatis dedit, Mariniano Episcopo suggereret, rectius facturum, si potius Commentarios in Psalmos à se editos legi curaret, quippe magis populares. Omnibus autem deinceps sæculis ipsius Moralia pro amussi ac norma vitæ rectissime instituendæ, à cunctis habita fuere. Odo religiosissimus Abbas Cluniacensis, luculentum opus in libros decem contraxit, ratus sic magis obuium, & in promptu fore. Idem consilium Simoni Monacho Affligeniensi fuit, vt in cōpendium, quod fere manus caperet, operose redigeret. Historiam regum libris sex explicauit, quibus scribendis non parum se desudasse, confitetur, quod nemo Latinorum eam totam ante se persequutus esset. Psalmos de pœnitentia ita exposuit, vt non modo facile intelligerentur, sed legentis vel audien-

Regum historiam 6. libris exposuit.

D. Gregor. Prol. in lib. Reg.

Lucubrauit etiam commentarios in psalmos.

audientis pectus subito admissæ culpæ dolor subiret. Qua de causa, vt hi Commentarij in Ecclesia Rauennæ publice legerentur, Mariniano Episcopo potestatē fecit. In Cantica Salomonis solito breuior fuit, vt nobis suspicionem iniecerit, à Claudio Abbate excepta, illo dictante, ac paucis in aduersaria relata esse (quorum paulo ante meminimus:) neque à Pontifice frequenter ægroto, semper vero negotijs obruto, ad finem pluribus verbis deduci potuisse.

In Cantica Salomonis:

Duos item libros condidit in Ezechielem Prophetam, digestos in Homilias, quo tempore Agilulphus Rex ingentes Logobardorum copias Romam mouit.

In Ezechielem:

Insuper quadraginta Homilias lucubrauit, è quibus nonnullas vel dictauit, vel sua manu chartis mandauit. Alias pro concione dixit maximo auditorum fructu, quas Notarij volante stylo in tabulis signarunt: Sanctus Gregorius vero reuoluendo atque ad incudem reuocando absoluit, & Abbati Secundino, qui se pridem Monachum præstantissimum præbuerat, munus misit.

XL. Homilias in Euangelia:

Vix Pontificatum inierat cum Pastorale contexuit, opus plane aureum, perpetua manu versandum ab illis, qui Christi oues pascunt.

Pastorale:

Scripsit etiam Libros quatuor Dialogorum, quibus verba cum Petro Diacono facit, huic sciscitandi partes dans, sibi respondendi sumens. Tantum hi pondus habuere, vt creditum sit Longobardos miraculorum copia visa, quæ Deus Catholicorum precibus sollicitatus patranit, Ecclesiæ Romanæ accessisse. Cæterum eos Theodolindæ Agilulphi Longobardorum Regis coniugi, Pontifex inscripsit, ad quam multas quoque litteras, subinde cum sacris munusculis, dederat, vt partam beneuolentiam hunc in modum semper instauraret, qua deinde ad barbaræ gentis conuersionem vteretur. Quanti autem Oriens & Occidens Pastorale & Dialogos fecerint, facile hinc æstimare licet, quod illud Anastasius Patriarcha Antiochenus: hos Zacharias Papa è lingua Latina in Græcam verterint.

Libros IV. Dialogorum:

Solis epistolis Libros duodecim impleuit, quibus ingenium ad omnia promptum, egregie prodidit. In his Imperatores, Reges, bella, Ecclesiarum Antistites, Concilia, hæreses, schismata, sæculi illius legas: Insuper in Sanctos, Sanctas, Monasteriorum Fundatores: in pauperes, peregrinos, captiuos, mancipia incidas. Ad postremum, omnem vbiq; mouit lapidem Ecclesiæ Dei ædificandæ. Quoties litteris ita varijs modo iudicis seueri, modo blandi Patris, modo suasoris, dissuasoris, magni, humilisue personam sumpsit, comitatem grauitate condiuit, vt quemuis hominem prudentissime agere posse videretur! nullus sæculi illius historicus plus mihi rerū ad historiam, quam melior, suggessit, si verum fateri velim, quam duodecim hi libri epistolarum.

Libros XII. epistolarum:

His Antiphonarium adde: Lib. de Sacramentis: Missale: Rationale diuinorum: quibus conficiendis, digerendis, propagandis, non parum operæ datum est.

Antiphonarium, lib. de Sacramētis, Missale, Rationale:

Nobile ingenium etiam in quinq; Libris Mosis explicandis exercuit, lucubrando de illis libros septem, quos tamen scelestissimi bipedum, fatali odio à sanctissimo viro diffidentes, cū alijs ipsius chartis igni absumēdos dederunt, quem Iohannes Diaconus lachrymis restinguere, frustra conatus est. Sparsa fragmenta Paterius, vir doctus & Pontificis Notarius, collegit. Nam ex omnibus eius operibus tres libros composuit, varia S. Scripturæ loca ex mente Doctoris Ecclesiæ declarando, capitibus operum illius designatis. Aiunt D. Gregoriū probasse industriam, ac induxisse hominem, vt telam pertexeret. Roma Paterium cum D. Gregorio typis coniunxit, vt nihil de thesauro tam precioso negligentia subduceret.

Lib. V. in Pent. Mosis.

Ioan. diac. l. 4. c. 69.

Censura, quam D. Gregorius de suis libris tulit, quamque tulere alij.

Profunde Gregorium Magnum fundamenta iecisse oportet, qui librorum ac eruditionis fabricā ad cœlum vsque eduxit. Omnium censuris, omnium stylis, obeliscis, & vnguibus lucubrationes suas obiecit, cū nemo tamen mortalium esset, qui limam adhibere posset, aut in spongiam incumbere. Moralia & Pastorale quam doctrina plena sunt! Is tamen cum Anastasio Patriarcha Constantinopolitano queri & expostulare ausus est, quod hoc Græce vertisset: quippe perquam ægre sibi facere, scribens, quod vir nucleis Græcis relictis, sua putamina varium proponeret. Moralia sua à capite ad calcem culpat, quasi rebus ac verbis elegantibus nuda, nullo numero haberi deberent. Sancto Leandro ab initio, Lectori à fine tenuitatem operis, crebra labe respersi, toto pectore excusat, veniam supplex petit. Quidam Innocentius, Africæ Præfectus, horum librorum copiam sibi fieri rogans, quod magno eorum desiderio pars illa Orbis teneretur, hoc responsi tulit: *Si delicioso cupitis pabulo saginari, Beati Augustini patriota vestri opuscula legite, & ad comparationem siliginis illius nostrum furfurem non quaratis.* Hac

D. Gregorius nihili se fecit, quē omnes magni fecerunt.

D. Gregor. l. 8 ep. 37.

tis. Hac virgula clarissimus Ecclesiæ Doctor suos libros semper ferit: Quamuis autem etiam rerum suarum magnifici æstimatores, in speciem verba humilia componere soleant (quem morem hypocritas induere Seruator noster testatus est.) At cum ventum fuerit ad opera, videas sub velleribus ouillis infames stabulis lupos dentes stringere in censores: ingenij sui partus quales quales mordicus defendere. Atqui Magnus Gregorius noster neminem minus blãde, quam se, accepit. Ab animo verba operaque non latum vnguem distabant. Vestiebat vili: honorem deferebat omnibus, non indignis: Sacerdotes filios, Episcopos fratres: sanguine aut gradu altos, Dominos: huius census fœminas, Dominas: denique in Bullarum exordijs, *Seruum Seruorum Dei*, se appellabat, quam inscriptionis formulam cæteri deinceps Pontifices imitati sunt. Cibum sumere consueuerat cum duodecim pauperibus, quorũ callosas manus ac illitos turpi luto pedes, aqua pura sedulo abluebat. Neq; domi tantum suæ vel late sub priuato, sed in publico quoque se submisse gerebat, Maximus in Ecclesia Dei Pontifex. Exempla plurima litterarum monumentis consignauit Sophronius: vnum cape: de cæteris fac sis coniecturam. Abbas quidam Persa (Iohanni nomen erat) Roma redux, ecquam Romæ videndæ causam habuisset, vel quid omnino id loci vidisset, rogatus, hæc retulit. Iter suscepi Romam limina Apostolorum salutandi gratia. Cum versaret vrbe in media, forte rumor increbuit, Gregorium Papam transiturum. Ergo quid potissimum tum agerem, mecum voluens & reuoluens, ad pedes ipsius me abijcere constitui, & venerandum virum adorare. Quid fit? Processit Seruus seruorum Dei: & cum tenderet qua stabam ego, animaduertit è turba me eluctari, iamque pronum ad vestigia sua osculo libanda propendere: nec mora, pedes meos prior ipse occupauit (Solem ac Deum testor!) nec corpus ante humo attollere voluit, quam me stare vidisset. Itum deinde in salutationem: suggesti mihi in manum ab ipso nummi: famulis in mandatis datum, vt quæcunque te necessaria me instruerent. Attonitus laudaui Deum, quod tam submissi animi Vicarium, tam beneuolum ac beneficum erga omnes Patrem, orbi præfecisset.

Seruus seruorum Dei fuit.

Sophron. c.151. Prati spirit.

Abbatis Persæ vestigia se in publica supplicatione demisit.

Igitur dum se suaque in minimis posuit hic orbis pater gloriam, laudem, æternitatem ab alijs accepit, Numine humilitatem ipsius sic compensante. *Gregorius Papa. Sedis Apostolicæ Romanæ Episcopus*, inquit S. Isidorus, *plenus compunctionis & timoris Domini, affabilitate excellens, tantum scientiæ lumen, gratia Spiritus sancti habuit, vt nemo vel hodiernorum vel antiquorum Doctorum ipsum æquauerit!* Denique felicem ac fortunatum eum censet, cui obtigisset Gregorij Magni libros legere, & intelligere.

A viris grauissimis summis laudibus ornatus fuit.

Isidor. de vir. illust. c.40.

S. Ildefonsus magistri sui de viris illustribus lucubrationes vlterius producens, iterum orbi spectandum ac admirandum dedit Gregorium, etsi laudibus iam ante à sancto Isiduro satis onustum. *Itaque S. Gregorius*, inquit, *adeo vndique clarus fuit, vt missis comparationibus ad viros omnes illustres, nihil habeat antiquitas quo plus gloriari possit. Nam sanctitate superior fuit Antonio: eloquentia Cyprianum vicit: sapientia Augustino antecelluit.* Quæ vbi prolixius executus est, hanc clausulam imposuit: *Felicissimus tamen & nimium felix, cui dedit Deus studiorum eius omnia perpendere dicta.* Multa alia ab antiquitate encomia afferre, promptum nobis esset, at nolumus te festinantem morari. Hoc à vicino tibi sæculo encomium habe. *Gregorius Papa I. ex Monacho Ordinis sancti Benedicti, patria Romanus, vir in diuinis Scripturis eruditissimus, & in sæcularibus vtique doctissimus, Theologorum princeps, splendor Philosophorum, & Rethorum lumen, vita & conuersatione integer atque sanctissimus, cui diuinas Scripturas explananti Spiritus sanctus aliquoties visibili specie apparuit, eique arcana mysteriorum eorundem inuisibili magisterio referauit.* Ne autem Trithemius videatur aliquid dare communi eiusdem Ordinis vinculo, P. Franciscus de Ribera adest, non vltimum Societatis IESV decus, qui laudes ipso ex cornu copiæ in Gregorium profundit. Nam dignum iudicat, quem dies noctesque teras: memoriæ penitus inculces. In summo beneficio Numinis deputandum, quod Ecclesiæ tantum Doctorem cœlo demiserit. Neque post sacra volumina, à diuino Spiritu dictata, alios Ecclesiam Dei habere libros, qui vtilitate vel eruditione Moralibus Gregorij Magni anteponi debeant. Immo omnes ipsius lucubrationes religione, doctrina, eloquentia, grauitate, ita florere, ita planam bonis moribus viam sternere, vt pede inoffenso à capite ad calcem vsque decurri queant. Anatomistas corpora perscrutantes ac dissecantes nihil esse ad hunc Doctorem (si compares) animæ penetralia & arcana in lucem producentem. Nullum sacræ Scripturæ locum silentio ab ipso prætertiti: nihil à summo quopiam ingenio

S. Ildefon. de viris illust. c.1.

Trithem. de Script. Ecclesiast. an.504.

P. Frans. Ribera Prol. in Malach.

genio

genio reperiri posse, quod ipse non digito monstrauerit. Eius volumina, armaria esse multo instructissima: auctorem pro communi veræ pietatis magistro æstimandum.

Sed vt principes illi partes nonnulli concedant, cum è sacra pagina sensus eruendus est moralis: alibi tamen vel pari passu cum alijs eum ambulare, vel etiam sequi putant. Idcirco diuersam in opinionem descendens Ribeta, nemo animum inducat, inquit, Diuum Gregorium sacram Scripturam ad mores accommodando, palmam tantum alijs præripuisse. *Sibi similis fuit, quocunque ingenium applicuit.* Putes, Lector, Appellem pinxisse Alexandrum Magnum. Non habeo quod his laudibus addam. Quamuis siste gradum: namque aspectui tuo Concilium VIII. Toletanum (Flauio Recisuinto Rege, & Eugenio I. Pontifice iunctum) subtrahere nefas arbitror, quando Concilia pondus præ Doctoribus priuatis habent. Eius sententia hæc est: *Beatus Gregorius Papa, ob vitam ac merita honorandus, dignus est qui omnibus, quotquot de moribus scripsere, anteferatur.*

D. Gregorius laudatus à Concilio VIII. Toletano.

Quod autem nunc producemus doctrinæ humanâ maioris testimonium, totus orbis admittere cogitur. Non solum virtutis verum etiam scientiæ singularis, comes inuidia est. Illa ac altera cæteris mortalium præstitit Gregorius: quæ res cum amicos ipsi parere debuissent, fecerunt inimicos. Murmurarunt inter sese æmuli, & quem in modum egregios libros oblitterarent, consultarunt. Ilum in sententiam à stultis (ne quid grauius dicam) excitandum rogum: libros in eundem spargendos. Non fefellit, quod meditabantur flagitium, Petrum Diaconum. Ardens igitur & igneus, cauete exclamauit, prosiliens in medium, cauete sitis libros tam magni Patris comburatis, cuius capiti sæpe Spiritus sanctus, columbæ specie insidere, & quid scriberet, instillare visus est. Postea rationum momenta, veluti arietes, attonitis admouit: peccaturos nimirum in Spiritum sanctum si tantum nefas in se admitterent: nec impune laturos. Atqui ne sumos vendere aliquibus videretur, fidem iureiurando se facturum, dixit, ea lege, vt si rem tantam non confinxisset, edito iuramento illico animam exhalaret. Quod si mendacium fuisset, superuiueret. Accepta conditio fiat. Ergo prodit in medium Petrus: iusiurandum nuncupat, Spiritum sanctum in caput Gregorij Papæ, plus simplici vice cœlo delapsum, & à se conspectum esse, af-

Si per æmulos stetisset. D. Gregorij tot libros pulueri inscriptos fuisset.

Ioan. diac. l. 4. c. 69.

Petrus Diaconus vt feraaret huius Pontif. lucubrationes, perire voluit.

firmans. Circumfusis æmulis stant horridæ comæ, omnibus iam solicitis quo grauissimis verbis conceptum iuramentum sit euasurum. Proh sancte Deus! Dum intenti ora tenent singuli, Petrus Diaconus dicendi & viuendi finem simul fecit, reliquis annis honori sui magistri impensis. Nec plus vltra inuidia progressa est, omnibus nouo ac inaudito casu consternatis. Libris vero D. Gregorij summa auctoritas accessit, veluti à Spiritu sancto approbatis. Hinc pictores candidam humero ipsius columbam imponunt, multa tenso collo in secretam autem inserentem.

Annus Christi 603. Annus S. Benedicti 123.

CAPVT I.

S. Venerius.

Extremi anni graues Gregorio Magno fuere. Vt enim deditis Deo viris detestata bella: vt onus Pontificatus prætereamus: fatalis morbus penitus oppressit virum: lectulo totum imposuit: nisi quod inter cruciatus bonum animum habuerit, nec suas partes in naui sancti Petri desiderari passus sit. Duodecimus liber Registri testimonium esto. Poterat leuare atrocem morbum mors Mauritij Imperatoris, qui multas illi molestias facessere consueuerat, post quem Phocas sceptro Constantinopolitano admotus est. Hic non quicquam potius habuit, quam litteras ad Pontificem Max. date, officia, amicitiam polliceri. Ferunt id temporis Venerium floruisse, disciplinæ D. Benedicti alumnum multo sanctissimum. Hunc illi locum dedi, quod Phocas post Imperium adeptum parum de anno sexcentesimo secundo, & Diuus Gregorius adhuc minus de sexcentesimo quarto, attigerint. Malui igitur historiam ægri Pontificis interrumpere, quam virum memorabilem à tergo relinquere.

Vltimi anni graues D. Gregorio fuere.

Itaque nobili sanguine S. Venerius ortus est. Ductu Numinis vrbē suam Lunensem cum insula Palmaria, quam olim Tertullus glorioso P. N. Benedicto concesserat, commutauit, quod disciplinam monasticam in ea florere intellexisset: à qua tamen D. Gregorius adolescētes annis octodecim minores natu arceri voluit, quod ea ætas aspero cœlo, & Monasticis austeritatibus ibi ferendis adhuc impar esset. Nullus tamen rigor S. Venerium potuit repellere, quin eo pe-

D. Gregor. Li. ep. 48.

S. Venerius asperam vitā in insula Palmaria duxit.

 netra-

netraret. Vbi autem peruenit, non modo incommoda vniuersa æquis humeris tulit, sed insuper exemplo incolas anteiuit. Orationi & ieiunijs comprimis deditum fuisse aiunt: herbis sua sponte natis, & fructibus arboreis indomitam placasse famem. Pauca hæc afferimus, quod illius sæculi historici non plus in litteras miserint. Sanctorum fasti multa his paucis verbis complectuntur. *Venerius admirandæ sanctitatis vir.* Nonnihil prolixior cæteris Petrus Venerus (quē alij Petrum de Natalibus dixere) in eo describendo fuit. Solet vero hic auctor miracula Sanctorum magno studio posteritati prodere; sed virtutes quibus claruere, & & asperitates quibus inimicum animæ corpus subegere, nec primoribus quidem digitis aliquando attingit. Verum vt est mea sententia, melius de Superis meretur, qui mores quos coluere diligenter enumerat: nam Lectori viam qua itur ad astra, hoc pacto aperit. Facta autem portentosa quem fructum ferant, nisi quod nouitate oblectent? mundum dent in stuporem! Immo si vult Deus non à probis tantum, sed etiam ab improbis edi possunt. Iuuat tamen breuiter illi aures dare.

S. Venerio eodē die arator, a-tor, ac messor fuit.

Conuenerat S. Venerium homo rusticus, animæ suæ negotia cum eo tractandi gratia. Bonum factum! Nam sibi arant, occant, serunt, metunt, qui sic sunt. Vicissim postea sanctus Pater instrumenta rustica, quibus terram desertam coleret, ac parum hordei, quod subacto agello mandaret, agrestem orauit. Forte stabant flauæ segetes omnibus aruis, & falcem expectabant, cum hem tibi! semina à Venerio iacta per glebas versas moliuntur viam: enititur in herbescentem viriditatem: inde surgunt in culmum: florent: exponunt grauidas spicas: vibrant hirsutas aristas: quodque miraculi caput est, die non amplius vno perducuntur ad maturitatem. Insuper trium demortuorum vagas animas in corpora inania reuocauit. Cum magna hinc ipsi gloria parta

Tres mortuos in vitam reuocauit.

fuisset, superbiam infestum Sanctis malum metuens, in insulam Citnen, minus frequētem, sese eiecit, vbi coruus quotidie panis dimidium cum paruo lucello alio in vngues implicans, ei cænam instruxit, quod genus obsequij alius Eliæ, ac alius Paulo primo Eremitæ olim præstiterat. Draco præterea ingenti volumine insulæ incubans, grauem terrorem incolis incusserat, non tulit venenosum monstrum Venerius: in fugam, & in mare ocyus egit.

Ipse ab angelis sepultus est.

Denique funus istius serui Dei duxere ac sepeliuere Angeli, quod idem Petrus Venetus memorat, sarcophago diu oleum ægris salutiferum fundente. Lucius Episcopus Lucensis multos post annos Deo indice corpus eius solidum reperit, in quo nihil prorsus virij, nihil corruptelæ erat: ac insuper grauissimum odorem spirabat. Igitur templum imposuit Diuo tam præsenti, vnde sine mora fons hiante gleba scaturire cœpit. Postmodum Apollinaris Antistes Rhegium imperante Ludouico translatum, in æde S. Prosperi condidit, vbi Monasterium non ignobile stare, nostrique Venerij historiam in promptu habere, Arnoldus Wion affirmat. In Ecclesiæ fastis ad XIII. Septemb. diem occurrit. Wion 13. Septemb.

CAPVT II.

Regina Brunechildis aliquot Monasteria extruxit Augustoduni.

Mihi epistolas D. Gregorij excutienti, duæ hoc anno in manus venere, Brunechildi Reginæ Franciæ, & Theodorico ipsius nepoti missæ. Burgundiæ quondam caput Augustodunum fuit, vrbs amplissima, cuius in suburbio Monasterium regia auia cum nepote suo posuit, & sancto Martino dedicauit. Denso Monachorum numero Lupus primus Antistes præfuit. Alterum in vrbis sinu statuerunt, quod S. Mariæ dicatum, atque à sacris Virginibus habitatum fuit, sedente primo ad clauum Thesalia. Excitarunt quoque paupertinæ turbæ Xenodochium, non absque amplissimo censu, cui Monachos adiunxerunt ac Abbatem, vt hic vtrisque attenderet. Postquam summam manum imposuerant, quædam priuilegia pro ijsdem altius stabiliendis à Pontifice Magno flagitarunt & impetrarunt, quorum hic fragmentum cape.

D. Gregor. l. 11. ep. 8. & 9.

Augustoduni Monasteria duo excitata:

Et Xenodochium.

Gregorius Senatori Presbytero & Abbati.

D. Gregor. l. 11. e. 10.

Iuxta scripta filiorum nostrorum, præcellentissimorum Regum Brunichilda ac nepotis ipsius Theodorici Xenodochium, quod in ciuitate Augustodunensi à Siagrio, reuerendæ memoriæ Episcopo, & prædicta filia nostra, Regina excellentissima, constructum est, cui tu præesse dignosceris, huiusmodi priuilegia præsentis auctoritatis nostræ decreto indulgemus, concedimus, atque firmamus, statuentes nullum Regum, Antistitum, nullum quacunque præditum dignitate, vel quemquam alium de his, quæ Xenodochio à suprascriptis præcellentissimis filijs nostris Regibus iam donata sunt, vel in futuro à quis-

Gregorius Magnus priuilegia addidit.

à quibusuis alijs de proprio fuerint iure collata, sub cuiuslibet causa occasionisue specie minuere, vel auferre, siue suis vsibus applicare, vel alijs pijs causis, pro sua auaritiæ excusatione posse concedere: sed cuncta quæ ibi oblata sunt, vel offerri contigerit, tam à te, quam ab eis, qui in tuo officio locoque successerint, perenni tempore illibata, & sine inquietudine aliqua volumus possideri. Eorum tamen vsibus, pro quorum sustentatione gubernationeque concessa sunt, modis omnibus profutura. Item constituimus, vt obeunte Abbate atque Presbytero suprascripti Xenodochij, atque Monasterij, non alius ibi quacunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem Rex eiusdem prouinciæ cum consensu Monachorum, secundum timorem Dei, elegerit, ac prouiderit ordinandum. Hoc quoque capitulo præsenti subiungimus, vt locum auaritiæ excludamus, nullum de Regibus, nullum de Sacerdotibus, vel quemcunque alium per se, suppositamue personam de ordinatione eiusdem Abbatis, vel quibuscunque causis, Xenodochio ipsi pertinentibus, audere in auro, siue alia qualibet specie commodi quicquam accipere: neque eundem Abbatem ordinationis suæ causa dare aliquid præsumere, ne hac occasione ea, quæ à fidelibus pijs locis offeruntur, aut iam oblata sunt, consumantur. Et quoniam multæ occasiones in deceptione religiosarum personarum à prauis illic, vt dicitur, hominibus exquiruntur, Abbatem atque Presbyterum prædicti Xenodochij nullo modo priuandum deponendumque censemus, nisi causa specialiter criminis exigente. Vnde necesse est, vt si qua contra eum huiusmodi querela surrexerit, non solus Episcopus ciuitatis Augustodunensis causam examinet, sed adhibitis sex alijs Episcopis suis, subtili hac inuestigatione perquirat. Similiter quoque definitione iuxta desiderium conditorum decernimus, vt nullus eorum qui eidem Xenodochio atque Monasterio Abbas aut Presbyter inposterum fuerit ordinatus, ad Episcopatus officium quacunque obreptione sit ausus accedere, ne res Xenodochij vel Monasterij iniqua erogatione consumens, grauissimam egestatis necessitatem pauperibus ac peregrinis, vel cæteris exinde viuentibus generet. Si quis Regum, Sacerdotum, iudicum, ac personarum sæcularium, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Et nisi vel ea, quæ ab illo male ablata sunt, restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleuerit, à sacratissimo corpore ac sanguine Dei nostri Redemptoris Iesv Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ vltioni subiaceat.

Inter alia aduerte sis animum, amabo te, hospitalis & Monasterij Antistiti fas non fuisse, ad Pontificiam aspirare dignitatem, ne pauperibus & Monachis destinatas facultates in sua deglutiret mensa, id quod sanctissimus Gregorius etiam alibi decreuerat. Monasterium S. Martini, quod cæteris duobus antecelluit, Brunechildis magnis opibus, ad veterem maiestatem eductis ædificijs, auxit, decorauitque, Gulielmo Paradino teste. Incolas, *Monachos Brunechildis* vulgo nuncupabant, quod eos Regina accersiuisset. Ibidem etiam condi voluit cum ex sententia adhuc res fluerent, votiq. compos facta est quamuis fortuna postmodum mutata; intaque situm templi ad nostra vsque tempora conquieuit.

16. q. 1. cap. Hinc est etiam.

Guliel. Parad. de antiquo statu Burgund.

Cæterum Brunechildis ex Hispania fuit oriunda, Atanagildo Gothorum Rege nata; tum Sigiberto Franciæ Regi collocata binam sobolem, Ingundam & Crotildam, edidit, quæ olim S. Hermenegildo nupserunt & Recaredo, cuius à sanguine Rex Alphonsus Catholicus genus cum setis nepotibus duxit. Sigiberto fatis sublato, manum sceptro cum Childeberto filio admouit Brunechildis. Hoc quoque erepto, Theodeberto & Theodorico paruis nepotibus tutelam gerens, rebus porro præfuit. Singulari prudentia prædita fæmina, par summis negotijs fuit, nec quicquam infra ingenium (quod maximum erat) egit. Monasteria construxit tam magnifica, vt Aimonius putet incredibile dictu, & difficile creditu videri debere, qui oculis non vsurpauerit, fæminam soli Austrasiæ ac Burgundiæ imperantem, tanta opera moliri atque statuere potuisse. Allatis huiusmodi nuncijs sæpe ei D. Gregorius scripsit, aliquando exemplo singulari, aliquando ad filios quoque & nepotes exemplo communi. Si quæras in libris epistolarũ ipsius, facile duodenæ occurrent. Plerisque Reginam laudibus effert, in bonum publicum ita sedulo intentam, Numinisq; beneficium interpretatur, quod ei Francia tegenda concessa esset: alijs gratias ei meminit, vel quod omnẽ industriam filijs ac nepotibus ad pietatem educendis adhibeat: vel quod Augustinum, Mellitum, cæterosque Angliæ Apostolos, illac iter facientes, summa beneuolentia prosequatur, æterno olim præmio apud Superos afficienda. At libet saltem vrbanitatis ac humanitatis breue specimen hic ponere.

Brunechildis Atanagildi Gothorum regis filia.

Amplissima fundauit Monasteria.

Aimon. hist. Fran. l. 4. c. 1.

D. Gregor. l. 11. & 12.

Lib. 11. epiſt. 8.

Gregorius Brunechildi Francorum Reginæ.

Ideoque laudibus à S. Gregorio ſingularibus ornata.

INter alia bona hoc apud vos præ cæteris tenet principatū, quod in medijs huius mundi fluctibus, qui regentis animos turbulenta ſolent vexatione confundere, ita cor ad diuini cultus amorem & venerabilium locorū quietem diſponendam reducitis, ac ſi vos nulla alia cura ſolicitet. Vnde quia huiuſmodi præpoſitorum actio, ſubiectorum magna ſolet eſſe munitio, præ alijs gentibus gentem Francorum aſſerimus felicem, quæ ſic bonis omnibus prædictam meruit habere Reginam. Poſtea Reginam petitionis compotem facit, Monaſterijs Auguſtoduni recens erectis, priuilegia concedendo, aliaque negotia exigit. Ad vltimum, *In gloriæ veſtræ cura*; inquit, *cognouimus, quam de vita animæ, & de regni veſtri ſoliditate cogitatis, quia Redemptorem noſtrum formidantes, eiuſq; in omnibus præcepta ſeruantes, & hic agitis vt regni veſtri gubernacula ſubſiſtant, vt poſt longa annorum curricula vos quoq; de terreno regno ad regnū cæleſte tranſferatis.* Meruit profecto æternum Gregorij M. calamū, poſitis tot ampliſſimis templis Cœnobijſque, cultu Numinis viribus ſummis promoto: re publica (vbicunque ipſa quidem imperitabat) optime conſtituta.

Fortuna felici Brunechildis, aduerſa tandem fuit. *Gregor. Turō. hiſt. Fran. l. 4. c. 27.*

Porro nihil infelicius, quam nimia felicitas. Inter exempla locus fere primus Brunechildi debetur. Etenim Regis filia fuit: Regis coniunx: Regum mater: Regum auia: quodque Gregorius Turonenſis addit, formæ ac morum elegantia prædita, ſagax, affabilis. His fortunæ ac naturæ dotibus inſtructa, id conſequuta eſt, in imperandi ſocietatem vt facile admitteretur: multa ſuo ex arbitrio faceret, tā dextere, vt etiam ſapientiſſimus Pontifex raperetur in admirationem. Sed cum firmiſſima baſi ſtare ſibi videretur, tam grandibus nominibus fulta, hem tibi, in miſerrimam ſubito ſortem incidit, in qua ſpiritum fudit. Quid adeo ipſi exitium attulerit, non conuenit inter auctores. Franci putant, magnitudinem ſuam amplius capere non potuiſſe mobilem fœminam: caput ſtolide nimis ſuſtuliſſe: ad crudelitatem à clementia deflexiſſe: at Hiſpani faſtiditam memorant, quod extera foret: neque egregia ipſius facinora æquis oculis aſpicere potuiſſe Francos. Ad poſtremum, de ſuo culmine ab inuidia præcipitem actam. Vt vt ſit, in nullam Reginam plus fortuna ſæuijſſe viſa eſt. Nam aſſueta imperio vidua, nepotibus demortuis, ad pronepotem Sigibertum vela conuertit, Theodorici Regis ſpurium, qui victus à Rege Clotario II. ad quem regna hæreditate deuoluta ſunt. Inſtantibus poſtea ac incitantibus flagitioſiſſimis miniſtris; victoriæ quoque inſolentia iram ardentem acuente & ſufflante, Brunechildem ætate oppido grauem, corripuit: humi porrectam brachijs pedibusque laqueo tenaci equis diuerſis illigauit: tum torta ſcutica iiſdem ad impetum impulſis, quatuor in partes (horreſco referens!) diſtraxit. Neque hic ſtetit carnificina. Nam quilibet ſonipedum fruſto ſuo per ignotum nefas eunlſo potitus, celerem fugam calcibus citatis explicuere pauidi; per æqua per iniqua ſpacia ſequentem & reſultantem identidem Reginam diripuere. Pars maior, cui non licuit oculos fugere, barbara in arena ſpectaculum iacuit. Regijs artubus hunc in modum excuſſis, nomen multo peius dilaceratum fuit. Quotusquiſque enim de Gallis Tragœdus hanc minus quam Medeam habuit! Ore ac verſu duro famam, recte factis ab ipſo partam, non depopulatus eſt!

Nam illigatam equis, quatuor in partes diſtraxit Clotarius.

Etiā ipſius famā lacerarunt Franci. *Mariana l. 5. c. 10. hiſt. Hiſp.*

Multi ex hiſtoricorum natione viri docti probique, cauſam eius publico calamo egerunt; Hiſpani præſertim, atque ante alios Iohannes Mariana de Soc. homo eloquentia & reliqua eruditione conſpicuus. Non equidem mihi hoc ſumpſero, vt omni omnino culpa abſoluere velim. Enimuero vitia vt neſcias, regnum docet: quid autem errauerit, memorabimus cum acta S. Columbani exponemus. Nihil gratiæ dabimus, nec nos quicquam mouebit, quod eam Hiſpania genuerit: quod noſtrum in Ordinem ſumma beneficia contulerit: quod Hiſpaniæ Regum auia fuerit: tantoq; minus nos iſta tranſuerſos agent, quanto rectius iam quidam è Gallis ipſis calculos ponunt: abominandum facinus proceribus ac barbaro militi aſcribunt, vetera imperia vltum euntibus. Si quis bonæ cauſæ Brunechildis teſtes à nobis exigat, duos iuxtaque magnos adducimus. Gregorium Magnum, & Gregorium alterum Turonenſem, hiſtoriæ illius ætatis lumina. Ille infinitas prope laudes in ipſam cōgerit. Epiſtolæ in manu ſunt. Iſte tantum abeſt vt nomē eius proſcindat, vel ignominia leuiſſima notet, vt potius encomijs ornet: moribus æque ac forma pręſtantem deprædicet: prudentia ſingulari præditam fuiſſe dicat. Quis autem animum inducat, Gregorium Turonenſem, hiſtoricum multo liberrimum, quique ſcapham ſcapham, ficum ficum appellare ſolet, nullam ei penitus labem aſperſurum fuiſſe, ſi fœda facinoribus improbis, ſi ſceletum ſentina extitiſſet, de quibus ſupplicium extra

Gregori⁹ Magnus, ac alter Turonēſis eandē à morum probitate celebrarunt.

ordinē

ordinē ſumi debuiſſet? Fredegundam Reginam, Brunechildis æqualem ac æmulam, ob exercitas crudelitates laceſſens, graphice depinxit: oculis totius orbis obiecit: & ab iſta, ſi famam prius ipſa ſuam indignis factis laceraſſet, calamum abſtinuiſſet? Non parum ſaltem mutiuiſſet?

Genebrar. an. 590.

Maſon. in Clotario 2.

Genebradus & Papirus Maſonus, hiſtorici Galli, prima claſſe reponendi, ſerio cauſam eius apud poſteros ſuſcepere. Sed audi priorem, *Illud conſtat*, inquit, *illam fuiſſe ab infidis proceribus proditã.* Poſterior ſummis ipſam viribus defendit, vt adeo putares hominem pro ara & foco decertare. Res enim à Clotario geſtas componens, multis verbis pietatem, religionem, magnū animū, ſagacitatem, Brunechildis celebrat, ac dignum admiratione futurum, ait, Reginam videre caudis equorum implicitam diuidi: per lapides ac dumos raptari: niſi acerba ſors mortalium non raro huiuſmodi documenta iam ante dediſſet, atque victoria non nebulas modo militibus offundere, ſed lumina adimere conſueuiſſet. Ab hoſte ipſam ſæpe innocentiam obtorto collo in ius rapi. Collectis deinde ac in medium depoſitis Gregorij Magni laudibus, his demū verbis ſaccum conſtringit: *Igitur aut Brunechildam piam fuiſſe oportet: aut Gregorium certe impium.* Cum igitur Galli recentiores tanto ſtudio crimina à Brunechilde amoliantur: cum ſumpti barbari ſupplicij culpam reijciant in regni proceres: cum credendi culpent facilitatem hiſtoricorum libris per orbem vulgatis, quis, obſecro te, vitio mihi homini Hiſpano verterit, cuius Ordo plurimum huic Reginæ debet, ſi tantiſper de via hiſtoriæ deflexi? Immo non deflexi, ſed officio defunctus ſum, eam Reginam in theatrum producendo, ad quam D. Gregorius, quem hactenus ſub manibus habuimus, tam multas epiſtolas dedit. Iam hoc, quod dicam, humanitatis fuit. Spectatores è gleba meliore ficti, funeſtam eius ſortem miſerati, errantia per agros membra legere, & cum trunco (miſerabile viſu!) in S. Martini Monaſterio Auguſtodunenſi humarunt.

Galli recentiores cauſam Brunechildis ſuſcipiunt.

Auguſtoduni in Monaſterio S. Martini ſepulta eſt.

ANNVS CHRISTI 604. ANNVS S. BENEDICTI 124.

CAPVT I.

Gregorius Magnus cum grauiſſimis morbis conflictatur.

ANno ſexcenteſimo quarto ineunte, morbis grauiſſimis vexatus S. Gregorius fuit, iam dudum hac in arena exercitatus. Non mollis ad aſtra via eſt: Magnum præmium viro huic deſtinauerat ſupremum Numen, at duris laboribus adipiſcendum. Quoties in Moralibus inculcat, amicos Dei varijs ærumnis excoqui & exhauriri ſolere! quippe ni hoc idem experiri ipſe debuit! Valetudine vt plurimum aduerſa eſt vſus, quod malum cum ætate ſe intendit ac creuit. Eidem Pontificatus Maximus (onus Ætna grauius) incubuit ſimul, quem inuitus adiuit, & moleſte tulit, quod varijs tunc caſibus orbis opprimeretur. Vaga peſtis vita, qua nihil dulcius, exuebat Italiam: diræ peſti elapſos capiebat nihil mitior fames: ferrum ac manus innocenti ſanguine imbuebant Longobardi, bellis, horridis bellis, plerumque per Italiam flagrantibus. Vidit ipſum orbis caput Romam hoſtilibus ſe armis obſideri, premi, ad incitas redigi. Quis autem verbis expediat, pauor, lachrymæ, ſingultus, clades incolentis populi, ac ſparſa per ædes & plateas funera, quantum mitiſſimo patri indoluerint? Calamo Iobum ſcite profecto depinxerat, ſed caſibus grauiſſimis expreſſit melius. Illi non tantum periere opes, fortunæ, liberi, ſed inſuper valetudo: hic bello, fame, peſtilentia vexatus, pariter ſæuos in morbos incidit.

Tā morbi quam labores & publica mala fregere Gregorium.

E ſtomacho fere perpetuo laborauit, & immiti podagra. Ille iam ante Pontificatum malus fuit: hæc in puppi atque ad clauum Petri ſedentem inuaſit, vltima crudelitatis exempla in ſanctum virum edere auſa, quod epiſtolis non paucis deplorauit. Nec cum ætate is progrederetur, hęc chordas remiſit, ſed altius intendit. Quocirca ab anno quingenteſimo nonageſimo nono ad ſexcenteſimum quartum vſque morborum & dolorum incus, fere in lectulo decubuit. Nonnunquam inuitos pedes è ſtrato, rapuit tamen, vt rei diuinæ operaretur, bene gnarus, quantum hinc fructum metere liceret. Nec enim committebat vt inducias, ab atrocibus morbis impetratas, male perderet: potius indignantia veſtigia trahebat ſuum ad medicum IESVM. Quoties, quæſo te, tormenta hæc cum amicis communicauit, ſerentibus epiſtolis? Audi quiritantem Secundino Monacho: *Scire te neceſſe eſt, chariſſime fili, quia tantis podagra doloribus, tantiſque curarum tumultibus premor, vt quamuis nunquam me aliquid fuiſſe reminiſcar, valde tamen me videam non eſſe qui fuerim.* Queſtus multo grauiores apud Maximianum Arabiæ Epiſcopum peregit. *Multum iam tempus eſt, quod ſurgere de lectulo non valeo. Nam modo me podagra dolor cruciat: modo neſcio quis in toto corpore*

A podagra peſſime habitus fuit.

L. 7. Indict. 2. ep. 54.

L. 9. ep. 29.

cum dolore se ignis expandit, & fit plerumque vt vno in me tempore ardor cum dolore affligat: & corpus in me, animusque deficiat. Quantis autem alijs necessitatibus extra hæc, quæ retuli, infirmitatis afficiar, enumerare non valeo, sed breuiter dico, quia sic me infectio noxij humoris imbibit, vt viuere mihi pœna sit, & mortem desideranter expectem, quam gemitibus meis solam esse credo posse remedium, proinde frater sanctissime, diuina pro me pietatis misericordiam deprecare, vt percussionis suæ erga me flagella propitius mitiget, & patientiam tolerandi concedat, ne nimio, quod absit, tædio in impatientiam cor erumpat, & ea quæ bene curari per plagam poterat culpa, crescat ex murmure. Hem quæ non lamenta expressit acerbus dolor! Simillima ad Rusticianum patricium canit:

Lib. 9. epist. 28. *Me, qualis fuerim, nostis: ita tamen amaritudo animi & assidua exacerbatio, atque per hoc podagræ molestia afficis, vt corpus meum, tamquam in sepulchro ita siccatũ sit. Vnde fit vt iam de lectulo raro surgere valeam.* Hoc anno ad extremam vitæ lineam à podagra promotus est, adeo vt acceptis à Theodelinda, Longobardorum Regina, litteris, quibus responsum ad Secundini Abbatis epistolam exigebat, suis verbis silentium excusauerit:

Lib. 12. ep. 7. *Tãta nos podagra infirmitas tenuit, vt non solum non dictare, sed nec ad loquendum possemus assurgere, sicut & præsentium portitores legati vestri cognouerunt, qui nos & venientes infirmos inuenerunt, & discedentes in summo vitæ periculo atque discrimine reliquerunt.* Ergo solamen hoc ipsi quoque ademptum est, sacra cum amicis inire colloquia, quo animi ægritudinem leuare solebat. Parum abest vt animam efflet.

CAPVT II.

Miracula à Gregorio Magno patrata.

Dure eos habet Deus, quos amat: quædam tamen veluti solatiorũ crustula suggerit, vt ne animum abijciant, ac inde intelligant se amati. Quot ærumnæ, calamitates, morbi, vires imprimis, deinde vitam quoque D. Gregorio, Numine sic volente, exhauserunt? Fecit tamen viro sancto animos, quod videret precibus suis à cœlo frequenter locum linqui: patrare se miracula: arcana nonnunquam diuina secum communicari. Poterant igitur luculenta hæc amoris erga se Dei testimonia miseriarum nubes diflare: iacentem erigere. Sed horum exempla aliqua ponamus.

D. Gregorius S. hostiam in visibi- lem carnem conuertit. Cum aliquando rem faceret diuinam, hem populo de more circum aram fuso, & sacrum epulum expectanti se miscuerat fœmina, à censu & sanguine sat bonæ notæ, at malæ si fidem spectasses. Cum enim Pontifex niueam hostiam circumferret, eamque in ora patula imponens, diceret: *Corpus Domini nostri* Iesv *Christi custodiat corpus & animam tuam, in vitam æternam*, grauissimis verbis fœminæ risum mouit. Ergo subducta manu ad aram se refert, facile coniectans quid hæc olla coqueret. Sacro peracto, fœminam ridiculam euocauit, turba vndique imminente, vt spectaret quam ridendo fabam sibi cudisset. Illa nihil sic publice cientem demorata, altari & Pontifici sedulo se admouit. Interrogat hic, ecquæ tanta ipsi causa ridendi fuisset, cum labra diuinæ hostiæ explicaret? Muliercula rubore suffusa, orbiculi, excepit, alba de farina, quos tu in exertas linguas, & ora hiantia indidisti, hisce meis manibus non ita pridem domi meæ pisti sunt. Quocirca cum eos tu Corpus Domini nostri Iesv Christi esse dictitares, risus subijt probe conscientiam, nec premere potui. Illico labitur in genua Gregorius: longo ordine exemplum sequitur iussus populus: cœlo pariter intendunt palmas, Deumque votis solicitant, ne hoc diutius errore fœminam duci permitteret. Miraculum! compotes votorum fiunt: specie panis remota, caro apparuit. Accita propius fœmina, tremulis oculis attonita obit videt contemplatur carnem, pectusque noxium plangens, fine fine risum suum damnat. Cæterum dubio hoc fœminæ per inauditum prodigium absterso, candidum panis velum reductum est. Item cum orbis totus sacras eum posceret reliquias, tam tenax fuit, etsi cætera liberalis in egenos, vt facilius clauam, quod aiunt, Herculi extorsisses, quam ipsi paruum ossis fragmentum, quod nollet Romanæ vrbis thesaurum imminuere. Ne tamen oratores dimitteret inanes, purã telam (id temporis brandeum appellabant) pixide conditam, & corporibus Sanctorum admoram, dare consueuerat. Rem hæc te epistola docebit.

Gregorius Constantiæ Augustæ. Lib. 3. epist. 30.

Tenax sacrarum reliquiarum fuit. *Serenitas vestra pietatis, religionis studio, & sanctitatis amore conspicua, propter eam, quæ in honorem S. Pauli Apostoli in palatio ædificatur, Ecclesiam, caput eiusdem S. Pauli, aut aliud quid de corpore ipsius, suis ad se iussionibus à me præcipit debere transmitti. Et dum illa mihi desiderarem imperari, de quibus facillimam obedientiam exhibens, vestram erga me amplius potuissem gratiã prouocare, maior me mæstitia tenuit, quod illa præcipitis quæ facere nec possum, nec audeo.*

audeo. Nam corpora SS. Petri & Pauli Apostolorum tantis in Ecclesijs suis coruscant miraculis atque terroribus, ut neq; adorandum sine magno illuc timore possit accedi. Deniq; dum beatæ recordationis decessor meus, quia argentum, quod supra sacratissimum corpus B. Petri Apostoli erat, longe tamen ab eodem corpore (fere quindecim pedum spacio) mutare voluit, signum ei non paruis terroris apparuit. Sed & ego aliquid similiter ad sacratissimum corpus S. Pauli Apostoli meliorare volui: & quia necesse erat ut iuxta sepulchrum huiusmodi effodi altius debuisset, Præpositus loci ipsius ossa aliqua, non quidem eidem sepulchro coniuncta reperit. Quæ quoniam leuare præsumpsit, atque in alium locum transponere, apparentibus quibusdam tristibus signis, subita morte defunctus est. Præter hæc autem sanctæ memoriæ decessor meus, itidem ad corpus S. Laurentij Martyris quædam meliorare desiderans, dum nescitur ubi venerabile corpus ipsius esset collocatum, effoditur exquirendo: & subito sepulchrum ipsius ignoranter apertum est. Et hi qui præsentes erant, atque laborabant Monachi & Mansionarij, qui corpus eiusdem Martyris viderunt, quod quidem minime tangere præsumpserunt, omnes intra decem dies defuncti sunt, ita ut nullus vita superesse potuisset, qui sanctum & iustum corpus illius viderat. Cognoscat autem tranquillissima domina, quia Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum reliquias dant, ut quicquam tangere præsumant de corpore: sed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad sacratissima corpora Sanctorum ponitur: quod leuatum in Ecclesia, quæ est dedicanda, debita cum veneratione reconditur: & tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora deferantur. Vnde contigit, ut beatæ recordationis Leonis Papæ temporibus, sicut à maioribus traditur, dum quidam Græci de talibus reliquijs dubitarent, prædictus Pontifex hoc ipsum brandeum allatis forficibus inciderit, & ex ipsa incisione sanguis effluxerit. In Romanis namque, vel totius Occidentis partibus, omnino intolerabile est atque sacrilegum, si Sanctorum corpora tangere quisquam fortasse voluerit. Sudarium, quod similiter transmitti iussistis, cum corpore eius est, quod ita tangi non potest, sicut nec ad corpus eius accedi. Igitur rumpatur Augusta: scindat indignatione capillos: nihil impetrabit à Gregorio.

Fuit præterea, ut nobilem Romanum ob repulsam uxorem à fidelium communione remoueret. Infamiæ huius (non enim iniuriæ) pessimus maritus nimium quantum impatiens, magos adijt (qui gliscente etiamnum gentilitate obuij Romæ erant) orauitque, ut in rem malam maximam agerent Papam, si possent; non sibi defore pecunias, quibus operam nauatam compensaret. Hi promittunt: captatur occasio & tempus: in publicum se promit Pontifex: equo per urbem vehitur. Collocati in insidijs magi, voce cacodæmonem cient, idque moliuntur ut suis artibus & imperijs obsequentem in quadrupedem immittant, certum exitium allaturum sessori. Proh sancti Cœlites! Aduolat corniger dæmonculus: inuolat equum. Hic subito tremefactus concutere iubas: quatere fræna: sublato arduo pectore primis ungulis alternatim pugillari: modo fugam agitare: tumidis animam naribus effundere: spumare: ad summam, omnes in partes ac artes se versare, inuitum sessorem, ut excuteret, duroque solo applauderet. Solliciti ministri manus injciunt: summis viribus domandæ bestiæ incumbunt: operam perdunt. S. Gregorius auxilium aliud comparandum ratus, cœlum precibus pulsat, ut periclitanti sibi opem ferat, simulque palma producta aërem cruce verberat: nec mora turpis alastor ceu fulmine ictus, ex equo Troiano confestim se aufert: elabitur; Magi frustra intendunt oculos, ut videant iacentem Troiam. Igitur sonipes caput, collum, gradum, denuo componere victorem Pontificem æquo dorso ferre. Neque sic inulti abiuere magi, sed luminibus capti fuere. Dum igitur eunt redeuntque viam cæci, atque ubique impingunt, venit in mentem, manifesto pœnas se persoluere Pontifici. Deum debere verum esse, cuius ipse vicarium agat. Hominum igitur fidem implorant ut religionem Christianam edoceantur, quod quam Gregorio curæ fuerit, incredibile dictu est, qui eosdem sacro fonte sua manu abluit. Si verum fateri volunt, scipione duce ad Matrem Ecclesiæ peruenerunt. Annonam & vestem pius Pater ex ærario Pontificio ipsis admensus est; lumina tamen adempta non reddidit. An ne libros magicos, nondum satis forsan detestatos, relegerent, ac furuos orci spiritus denuo solicitarent?

Magi aduersus eũdē, oleum & operam perdiderunt.

Porro sæuos morbos D. Gregorium excruciasse, sunt qui causam se scire putant. Scilicet eiusdem vota pro anima Traiani, quam profundus tartarus iam hauserat, nuncupata. Sed rem ab ouo repetamus: factumque ex ore publico narremus. Vlpius Traianus Imperator ex Hispania oriundus ita imperium gessit, ut prope omnibus Augustis anteferri queat. Cum copias duceret in Dacos, & iam moueretur graue agmen,

Traianus inter multos malos Imperatores ausus est esse bonus.

men, ecce! nullius ferme nominis, solaque canitie splendida vetula, viam qua is arduus equo vehebatur occupans, mœsta brachia diuersas in partes iactabat: modo supplices palmas lacrymis perfusas ad sidera tollebat, multa loqui tentans potius, quam expediens: nisi quod fidem Imperatoris miserabili gestu verbisq; tertiatis appellaret. Attonitus spectaculo Traianus, fræno adducto coërcuit sonipedem, tubarum cantu exultantem. Muliercula sibi audientiam fieri conspiciens, resorbuit oonnihil profilientes lachrymas: filium questa sibi vnicū à nefarijs quibusdā hominibus interfectum. In ius equidē se vocasse sicarios, sed repulsam à iudicibus fuisse passam, quod scelesta capita opibus pollerent. Circumferri Augustum à fama, quasi sine discrimine esset omnibus æquus. Per cuncta se ipsum sacra obtestari, statueret meritum supplicium in reos! Quid faceret hic Imperator, ab officioso senatu, à prætotiano milite sepius? curas in plurimas, nec non remotissimas, diuisus? Verteret habenas, iurisque dicundi causa repeteret vrbem? At inter arma silent leges. Certe res capitis erat; nihilominus adorantem fœminam differendā putauit, donec bello confecto Romam rediret, ideoque bene sperare iussam, renitenti vultu missam fecit. Defecta singultibus mater iterum aggressa abeuntem est, quid si nō rediturus sis, vociferans, cedo sis an iustissima causa mihi semper cadendum erit? Mirum subiecit ille, quin ab eo qui in sceptra mihi successurus est, tu absoluenda, sicarij supplicio afficiendi sint! Nunc autem nihil agis. Multum famæ ac honori tuo consulueris, scilicet, succlamauit iterum ægre singultus digerens annosa vidua, si iustitiam neglexeris, alieri commendaueris. Alte hoc telum Traiani cunctantis pectori adactum est. Quocirca relicto tantisper exercitu, reos ad se trahi iussit. Capiuntur sine mora, rapiuntur ad nouum ac subitum tribunal: in eos capitis sententia fertur à Cæsare. Intercesserunt tamen ciuitatis principes, ne ducerentur, cum quod ad primam nobilitatem pertinerent, tum quod orba mater, quam vltima premebat egestas, iuuanda potius aliquo lucello videretur, quam aspergenda noxio sanguine. Hæsit defixus Traianus viduam intuens: postremo ærarij præfecto negotium dedit, vt ipsam non tantum leuaret paupertate, sed insuper locupletaret quoque. Illita auro fœmina, iam vltra reos absoluit; in malum etiam omen trahens, si Imperator ad bellum gerendum profecturus, ante ciuium sanguine manus imbueret. Bello feliciter confecto, cum alui profluuio vitam posuisset, triumphum mortuo & molem sepulchralem CXC. pedes altam decreuit senatus, in qua egregium hoc facinus præter alia, cælaretur.

Interpellanti viduæ ius in itinere dixit.

Forte per hoc forum Traiani itabat Diuus Gregorius, publica cum supplicatione ad templum sancti Petri tendens, moleque conspecta miserabatur hominis fortem, quod nimirum ignibus æternis deflagrare deberet, qui iustitiæ & misericordiæ tam memorabile exemplum in orbem edidisset: ab anu in itinere interceptus, ac appellatus, temeritatem boni fecisset: pannosam non fastidiuisset: ius imploranti, ex equo descendens ius dixisset, mundi monarcha. Inter hæc promouit gradum, oculosque subiere lachrymæ, nec oon verborum Isaiæ in mentem venit: *Facite iustitiam orphano: defendite viduam: & venite & arguite me, dicit Dominus.* Re diuina ad D. Petri defunctus, instaurauit luctum, supplex Numini factus, animam Traiani eximeret tartari incendijs. Per quietem vero insequentis noctis ab angelo didicit, voti se compotem factum: atqui caueret deinceps pro gentili preces fundere. Cæterum tot postea morbis obrutum fuisse bonum Pontificem, ne quis imitari auderet exemplum. Hæc historici ferunt.

D. Gregorius eius animam supplicio æterno exemisse fertur.

Isai. c. 1.

CAPVT III.

Historia Traiani ad Lydium lapidem examinatur.

Litem insolens hic casus historicis mouit atque Theologis, illis quærentibus an factum sit? his, an omnino ficri potuerit, vt anima Styge semel demersa, postliminio reuerteret, atque Cœlitibus adderetur. Non indulgere solemus contentiosæ arenæ, aliquando tamen inuitis quoque eo descendendum est. Hic certe vitare non debuimus ne Gregorium magnum deserere cum Traiano videremur. Theologi, promptis diuinis libris, *Qui crediderit,* inquiunt, *& baptizatus fuerit, saluus erit. Sine fide, impossibile est placere Deo. In inferno nulla est redemptio.* Item, quemlibet mortalium, dum vitam exuit, definitiuam excipere sententiam: nec copiam esse, ad alium iudicem appellandi. Subijciunt tamen suis ipsi argumentis auctore Theologorum Rege D. Thoma, secundum potentiam ordinariam haud quemquam in flebiles illos carceres deiectum, ad Superos à Diuina Maiestate reuocati: posse tamen si ea velit, hocque secundum potentiam, quam vocant absolutam. Quis enim

Anima Traiani historicis atq; Theologis litē mouit.

Marc. vlt.

Ad Heb. 1.

S. Thom. 1. sent. dist. 43. q. 2. ar. 2. Et 4. d. 45. q. 2. ar. 2.

enim Deo obicem ponat? quis vectem obijciat?

Etsi deinde quicquid vult, & quando, & quomodo vult, libere possit exequi Deus, solicitandum nihilominus precibus haud esse, aiunt, vt ex inferni barathro eruat semel addictos. Id enim eum nolle, quod è diuinis litteris scire liceat, focum illum *ignem æternum* appellantibus. Sacros Canones quoque huiusmodi oratione interdicere, vt adeo absque mortifero piaculo vota pro anima Stygio carcere condita, suscipere, nemini fas sit. Fatigatus his & similibus momentis Iohannes Diaconus, negat D. Gregorium piacularibus precibus Traianum in æternum exilium quingentos ante annos actum, beate, cœloque inferre voluisse, sed miserrimæ eius sorti indolentem optasse, vt inopi ac damnato opem ferre posset. Tum clementissimum Deum, etiam in nuda humilitatis vota & desideria pronum, astris proscriptum Imperatorem, ex inferno sponte reuocasse. Atqui aliud vociferantur historici: videlicet D. Gregorium damnati causam apud Deum orauisse.

13. q. 2. c. pro obeuntibus. Et 2. 3. q. 5. c. Placuit.

Ioan. diac. l. 2. c. 44.

Aliam tibiam inflat Abulensis. Traianum in profunda tartara lapsum, immo à iudice abiectum, Gregorij Magni precibus ad Superos euasisse confitetur quidem, atqui causidicum graui se crimine idcirco obstrinxisse, ac intempestiuæ commiserationis præmium tulisse perpetuos, & quasi consertos morbos, vt sic lucretur admissum peccatum. Miramur Abulensem, cætera Theologum perspicacem, velle hic dentem vellere Ecclesiæ Doctori, viro sanctissimo, quasi lethali crimini affinem se facere potuerit, aut voluerit etiam, quod neque mediocris religionis homo in se admitteret, si mundum infami hoc precio comparare totum liceret. Facit etiam Tostatus vt tempora scalpamus, quod non viderit quæ cæcus natus vidit, cum Iudæis in os dixit: ***Scimus, quia peccatores Deus non exaudit.*** Etsi peccatorem veniam poscentem exaudiat, non tamen peccantem, seu (quod in scholis dicunt) *vt peccatorem:* alias male agenti opem ferret. Hic autem res ita se habitura fuisset, si sanctus Gregorius reuera peccasset, peccatoque suo præmium flagitasset, Traiani liberationem. Si culpam igitur in se admisit grauem orando, quo pacto à Numine petitionis compos est factus? Si cœlum pro ethnico pulsando inimicitias Numine cum supremo suscepit, qua tandem spe fretus, non aërem se verberaturum, sed gratiam extra ordinem obtenturum putauit? Ad postremum, si tunica propior est pallio, cur gloriam, cur beatitatem sibi ipsi adimere, atque pagano cedere voluisset Gregorius, contra charitatis rationem? Cum ergo Iohannes Diaconus & Abulensis hac via aberrauerint à vero, alia nobis incedendum est, trita pridem à Theologis. Piaculares preces pro anima damnata concipiendas haud esse, quamuis ore vno affirment, hanc tamen regulam generalem aiunt non esse absque exceptione. Deum enimuero tanquam liberum Dominum, posse cum aliquibus dispensare, vt se rogent: nec peccati periculum esse, si is aliquem sanctum virum occulte incitet, impellat, denique inducat, vt preces pro tali fundat. In hanc proinde sententiam Theologi descendunt, D. Gregorium prius, quam Numen pro Traiano interpellare statuisset, ab eodem excitatum, ad orandum inuitatum permotumque fuisse, adeoque nulli se culpæ affinem fecisse (neque enim heroicæ ipsius virtutes ac eruditio singularis hoc credi patiuntur) quando licentia à Numine occulte concessa vsus, à regula communi deflexit.

Abulens. in lib. 4. Reg. c. 37.

Abulensis lethale peccatum D. Gregorio imposuit.

Iohan. 9.

At errore Abulensis cæcus vidit.

Nulla regula sine exceptione.

D. Gregorius causa Traiani suscepit Numinis impulsu.

Plena exemplis huiusmodi sunt volumina sacra. Patri non fas esse filium suum innocentem occidere, nemo nescit. Atqui Patriarcha Abraham librauit fulgentem machæram, gnati caput demessurus. Manus nequis sibi violentas afferret, aut quouis modo mortem consciscerct, nonne communi quoque naturæ lege cautum est? Atqui Samson columnis fani Dagon concussis, ruina se cum Philistæis oppressit: neque factum viri vel sancti vel docti improbant. Certe vitæ nec suæ, nec alienæ dominus erat, at Deus, in cuius manu omnes siti sumus, & cui licet quod libet, hanc illi mentem iniecit. *Mihi vindicta, & ego retribuam.* inquit summus orbis Imperator, Non vlcisci inimicos, non mortem illis imprecari, secundum regulam communem fas est. Nihilominus Elias ignem voracem cœlo precibus deduxit, qui milites quinquaginta vna cum suo duce absumpsit. Præterea hoc genus alia innumera. Ita D. Gregorium stimulatum cœlitus, Deo instare ausum affirmamus, vt æternis incendijs euolueret Traianum: neque ideo pœna (nimirum morbis) sed præmio fuisse afficiendum.

Gen. 22.

Iud. 16.

Reg. 1.

Hunc igitur in modum à Theologis absoluti & dimissi sumus: multa per legem communem non licere, at licere per exceptionem. Nec opus est verbis, vbi facti libri loquuntur. At at historici, qui fonte ex alio bibunt, non tam claro, non tam pellucido,

Quid animo Traiani factũ, historici certant.

aliter

aliter atque aliter rem narrant. Quidam reuera Traianum ex inferno ad cœlum precibus sancti Gregorij euolasse, ferunt. Alij non hucusque progrediuntur, sed pede represso, pœnis tantum tartareis exemptum esse, aiunt, non autem cœlis illatum, quippe fide & charitate in vita destitutum. Parum hoc esse rati alij, animam Traiani vt cœlo extorrem, ita nec inferni ciuem fuisse contendunt, sed à sancto Gregorio in compositos pridem cineres reuocatam, quod alijs quoque animabus subinde obtigisset: Postmodum vitam vitali aura potitum, à sancto Pontifice fide Christiana imbutum, vndaque sacra lustratum, admissas culpas pœnitentia expiasse, sicque sibi viam ad Superos muniuisse. Nonnulli pro fabula Milesia habent. Neque enim Gregorio M. aliquando in mentem venisse, vt causam susciperet hominis ethnici, hostis Ecclesiæ: neque Traianum ad frugem vel omnino ad vitam rediisse. Stomachantur hæc talia in medium afferri. Misera res! Cum certi nihil sit, suam tamen quisque sententiam ita acriter & pertinaciter defendunt, vt eiuius soli radium exemeris, quam cuiuis horum suam mentem. Theologi fide diuina nituntur: isti humana, undamento scilicet parum solido.

Baronius totam historiam pro Æsopica fabula haber.

Sed tantisper missos faciamus veteres: hanc pugnam etiam illustrissimus Cardinalis Baronius cum Alphonso Chacone, viro litteratissimo de S. Dominici disciplina, Pontificis Max. Pœnitentiario, summis viribus pugnat. Etsi vero vnâ vrbem Romam vterque habitet, sententijs tamen, ita me Deus amet, toto cœlo distant: vnus in prora, alter in puppi remos agit: portus diuersos petunt non absque aspergine mutui sarcasmi. Tragulam nobis imponere historicos, asserit Cardinalis: nugas, fumos vendere. Cómotior deinde, *Facessant hæc ludicra*, inquit, *risu potius despicanda, quã disputatione seria confutanda*. Demum alio tei mendens, his sibi verbis victoriam canit: *Purgatus quisquilijs eiectisq; sordibus &c.* Nó potuit Italum hoc acetum sorbere P. Alphonsus Chacon; sed flandũ sibi quoq; existimans, *Absint fabulæ*, scripsit, *valeant detractores, increduli absćedant: fatui si pij, si candidi historiam hanc recipiant, credant, amplectantur.* Hos quinam, te obsecro, componet? Vtriusq; momenta afferam compendio, quãdo libri horum Scriptorum præ manibus sunt.

Baronius 604.

P. Chacõ lib. de anima Traiani.

Baronius sacris litteris se inuoluit, à qua rectissima amussi nunquam, nisi ob causas grauissimas, discedendũ est: nullã vero videri alicuius ponderis à S. Gregorio vel Chacone produci posse. Etenim Traianũ fuisse ethnicũ: Ecclesiam Dei vexasse: Christianos supplicijs affecisse: moribus turpem: nam in Veneris se castra coniecisse. Nó autẽ opinari se, huiusmodi piaculis integerrimæ vitæ Pontificem adduci potuisse, vt meritis flammis ereptum, Cœlitibus assereret. Verba insuper Gregorij M. in medium profundit, quibus in eos inuehitur, qui pro damnatis orant. Quis autem credat, quod illi se culpæ affinem fecerit, quam in alijs detestatus est? Præterea, cum historici, qui ætate S. Gregorij scripsere, nullam rei tam inauditæ faciant mentionem, merito inter aniles fabulas habendam. Hæc magna verborum copia Lectori inculcat Baronius: non tamen cum balbo, sed cum diserto ipsi res est.

Cardinalis argumenta.

Nam P. Alphonsus Chacon pharetrã quoque suam expediens, negat D. Gregorium vel apicem diuinæ Scripturæ violasse, sed eius auctorem Deum, legi nulli subditum, annuisse vt vota pro Traiano nuncuparet. Si quæras, ecquis hoc ipsi in aurem dixerit? innumeros illico Theologos cum historicis tibi sistit, quibus Sanctos quam plurimos miscet, facti conscios, cœlo id suggerente: nec lapidem prætetit quem non in partem aduersam moueat. Quin monumenta è sinu promit, in Bibliotheca Vaticana, vt ait, à se reperta, quibus Petrus & Iohannes Diaconus inito familiari colloquio, angelum narrant D. Gregorio significasse, quandoquidem precibus à Deo contenderit vt animã Traiani cœlo donaret, & insuper quotquot in Monasterio S. Andreæ Romæ sepelientur, supplicijs immunes ad Superos euadere sineret, eundẽ Deum pœnas in ipsum statuisse temporarias, quas daret, quod cęteros æternis eximere voluisset. Hinc illas variorum morbuũ lachrymas fluxisse. Ad vltimum per Iohannem Damascenum (qua autem sanctitate! qua eruditione virum!) inuadit Cardinalem, inque eo spem ac momentum victoriæ vt plurimum ponit. Atqui nos componamus ad audiendum Damascenum. *Gregorio Episcopo Romæ, S. Scriptura peritissimo, quod omnes testantur, Sacrum facienti, angelus apparuit. Alia vice cum sanctus hic vir tenderet per forum Traiani, Deo misericordi supplex fuit, vt peccata Regis illi condonaret. Nec mora, vox cœlo ista delabitur: preces ego tuas exaudiui, veniam tribuens Traiano: sed caue sis deinceps sacrifices pro defunctis. Rẽ ita se habere, neq; miraculũ hoc in dubiũ vocari posse, totus Oriens & Occidens testantur.* Summa auctoritas qua Damascenus pollet, plerosque Theologorum traxit, vt cum D. Thoma affirmarent, Deum non modo sic fauere Sanctis posse, sed reuera Gregorium M. id sensisse expertum.

Cõtra pedem fert Alphonsus Chacon.

Chaconis momẽta.

S. Iohan. Damasc.

D. Thom. 1 sent. dist. 45. q. 2. ar. 2. Et in 4. d. 45. q. 2. ar. 2. quem discipuli eius sequuntur.

Chaco-

Altissiodor.l.4.c. de dãnatis Viterbiẽs. 15.part. Panthei. Vincent. Spec.l.22. c.21. Antonin. tit.12.c.3. Vinc. Fer. Serm.5. de S.Greg. Abulens. 4.L.Reg.c. 4.q.37. Philip. Bergom.l. 10. Iohan. stella vit. S.Greg. Vigerius Instit. Sixt. Senens.l.c. Biblioth. Annotat. 47. Nauar. Enchirid. c.22. Barth. Medin. c. p.q.52. Baronij sententia vero similior.

Chaconius Theologorum & Canonistarum more, auctores quam plurimos Lectori subijcit, qui ipsius in sententiam, duce Iohanne Damasceno, eunt: Traianum scilicet pœnis solutum fuisse: quod tamen varie explicant. Sed nec dum desistit: verum post Theologos & Canonistas, Sanctam Brigittam producit, cui reuelatum cœlitus fuerit, Traianum, ne frustra esset Sanctus Gregorius, in locum meliorem translatum. Item S. Mechtildem, cui hæc retulerit ipse Deus: *Quid vero de anima Traiani liberalitas mea fecerit, volo homines ignorare, quatenus fides Catholica ex hoc magis extollatur. Quia hic licet omnibus polleret virtutibus, christiana tamen fide & baptismo caruit.* Viden' tu & in chartarum campo, & in margine, quantam aciem P. Alphonsus aduersus Baronium moueat, ductoribus S. Iohanne Damasceno, & D. Thoma, vt inclinare victoria non immerito ad ipsum videatur! Nos tamen in neutrius sententiam tanquam è tripode editam, inramus, sed veri similem vtramque esse iudicamus. Ab Alphonsi Chaconis parte plures stant auctores: à Baronij, fortiora momenta rationum: cui proinde nos propius accedere, confitemur. Ne vero repetam superiora, ægre mihi persuadeo, Sanctum Gregorium ita longe à submissione, suaque propria doctrina abiuisse: vel rem tam nouam, tam insolentem aggredi ausum. Fuere hæretici, qui multas animas orco quondam addictas, à liberatore nostro Christo limbum SS. Patrum exhaurientè eductas, eœloque donatas fuisse, blatterarunt.

D.Greg. l. 6.ep.15.

Hos grandis erroris condemnans iste Pontifex, hæc Gregorio Presbytero & Theodoro Diacono scripsit: *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Omnia videlicet electa: nam trahi à Deo post mortem non potuit, qui se à Deo male viuendo separauit.* Etiam Origenes errore turpi lapsus, Seruatorem mundi aliquando finem suppliciis impositurum, & carcere cæco vinctos in æternam lucem vindicaturum effutiit, quem tamen Sanctus Gregorius & hic & alibi confecit, nullum tempus tantæ gratiæ conferendæ oportunius videri posse, insinuando, quam cum triumphator ad tristes inferos descendit. Si sanguine ipsius pro hominum salute fuso adhuc calente, nulla damnatorum ratio habita fuit, an sententiam à Iudice latam post aliquot demum sæcula reuocatum iri putabimus? Præterea sanctos, ait, extremo iudicio haud oraturos Deum, vt parcat peccatoribus, quos præcipiti lapsu ruere videbunt in profundia tartara. Eadem de causa iustos in hoc mundo fundere preces pro infidelibus & flagitiosis, inferni puteo iam haustis, non solere. Quisnam sani capitis eredat, cum venerit summa dies, & ineluctabilis feretur sententia, quemquam vel sanctissimorum hominum irato iudici intercedere ausurum, vt iustissimam sententiam mutet? Audiamus tamen Gregorium. *Sicut finis non est gaudiis Beatorum, ita finis non erit tormento malorum. Nam cum veritas dicat: Ibunt impij in supplicium æternum; iusti autem in vitam æternam: quia verum est quod promisit, falsum procul dubio non erit, quod minatus est Deus.* Cum deinde sanctos affirmarit pro damnatis olim minime interpellaturos iudicem, idemque iustos, qui adhuc vitali vescuntur aura, imitari, verosimilius est profecto, sapientissimum Pontificem iuxtaque demissionis studiosissimum, tantum sibi haud sumpsisse, vt à consuetudine Ecclesiæ & Sanctorum, à suamet insuper doctrina desciscens, causam Traiani damnati ageret apud Deum. Audi nunc quoque D Augustinum: *Si scirem patrem meum esse damnatum, non orarem pro eo plus, quam pro diabolo.*

Id.l.4. Dial.c.45 lib.34. Moral.c. 16.

Argumenta Chaconis examinantur.

Argumenta quæ proponunt auctores, quos P. Alphonsus Chacon longa serie producit, nodi Gordij haud sunt, qui explicari aut solui nequeant. Sanctus Iohannes Damascenus fidem habuit testibus, at non oculatis: nec ipse suis oculis vsurpauit, cum centum ac amplius annis Gregorio Magno fuerit minor. Quæ proinde ab aliis accepit, retulit. Orientis & Occidentis famæ adhæsit: famæ, inquam, cuius auctores plerumque incerti sunt. Quocirca magnam vim Baronio haud facit, quando auritis solum testibus vsus, in vulgi opinionem se conieeit. Cæteri vero qui Damascenum sequuti sunt, etsi plurimi in medium trahantur, multo tamen minus possunt, quod non eadem narrent. Quidam Traianum apud inferos relinquunt, sed supplicio liberant. Alij inter sacrum & saxum constituunt, nec secus, quam ideam Platonicam, suspendunt. Nonnulli in vitam restituunt. Sunt etiam qui fenilu eum exuant. Quocirca densam horum auctorum turbam, nomina potius esse credam, quam argumenta. Si tecum recte putas, sententiæ quæ sola auctorum multitudine nituntur, decumanorum fluctuum ludibria sunt. Hi enim ingenti mole ac sonitu sese tollẽtes, certissimum nauibus exitium minantur. Sed dum trepidas adoriuntur,

ſpe opprimendi, altius eam quidem euehunt, ipſi vero poſita vana ira ſubito dilabuntur. Exemplo ſit teſtium Chaconis acies, quæ cum oppidum iam iam captura videretur, hiſtoriæ miſcuit fabulas, demum in fugam ac vias diuerſas ſparſa eſt. Argumenta reuelationibus fulta tum equidem pondus habitura forent, ſi præſtare nos certos poſſent, à Numine profectas. At cum ſuſpicionibus ſint plenæ: cumque qui eas ſibi obtigiſſe narrant, impoſturis pateant, vt plurimum parum roboris aut fidei apud Theologos obtinent. Auctoritatem S. Mechtildis Ordinis noſtri Monialis maximi, vt par eſt, facimus: at illa ſolum retulit, nolle Deum vt conſtet mundo, quid de anima Traiani ſit actum: quo dicto neutram ſententiam vulnerauit, vel probauit.

Quamuis autem in Baronij ſententiam eamus, non tamẽ ijs momentis adducimur, quibus ille plurimum tribuit. Multis verbis arietem ſuum admouet: ac Traianum inuadens, eumque ab infidelitate, à vita non honeſta, à tyrannide proſcindens, negat dignum fuiſſe pro quo vel D. Gregorius vota ſuſciperet, vel quem exoratus Deus beatis cœlitibus admiſceret. Immo vbique hoc facit, vt Imperatoris iſtius acta culpet: in malam partem vertat: denique damnet. Verum demus hoc, quod geſſerit quædam, atro carbone ſignanda, ſunt tamen inſuper quam plurima, quæ ſcriptores innumeri percelebrant: albo lapillo notant, aſſeruntque, ſi Gregorium Magnum cuiuſpiam damnati miſertum eſſet, eum non alium quam Traianum futurum fuiſſe, ob animi ac morum præſtantiam, & recte patratorum copiam, quibus Imperatores alios anteceſſerit. At at, Eccleſiam Dei vexauit? Cum Sancto Paulo reſpondet: *Ignorans feci in incredulitate mea* Scilicet, gratiam à Diis ſe ſuis inire putauit. Deinde non propter ipſius, ſed Sancti Gregorij merita cœlo donatum, atque in hoc miraculi cardinem verti, aiunt. Nam bonum ac iuſtum Deus affecerit præmio: vbi vero miſer claudicauit, in Ethnicorum omnium tam Græcorum quam Romanorum veſtigia iuit, quos antiquitas ſummis laudibus tulit. Reliquum luti, quod Baronius vtraque manu in Traianum noſtrum iacit, nullo negotio abſtergitur. Neque enim certa affert: neque propter Dionem, qui errores eiuſmodi ſeu crimina Cardinali ſuggeſſit, Auguſto ſua fama conſtare non debet. Quid? ſi Baronius fidem Iohanni Damaſceno, viro grauiſſimo, litteratiſſimo, ſancto denique, abrogat, eo quod referat quæ ſuis oculis ipſemet non vidit, ſed ab aliis duntaxat accepit, quo pacto, tuam fidem obſecro! quo pacto is nobis inſtat & vrget, vt Dioni, quique poſt ipſum in manus calamum ſumpſere, credamus, vanos rumores, fabulas è triuio petitas, vulgique nugas, otioſe narrantibus?

Traianus Baronio purgatur.

1. Tim. 1.

Vitia quæ Traiano imponuntur, dubia ſunt; niſi quod Chriſtianos, cæca ignorantia impulſus, fuerit perſequutus. Virtutes eiuſdem bonaque facta in dubium vocari non poſſunt, cum fidem faciant Sext. Aurelius, Plinius Secundus, Victor, Eutropius, Spartianus, Sext. Rufus, Amianus Marcellinus, quid vis? Dion ipſe. Vno hi ore Traianum ad ſidera euehunt, veluti pace belloque magnum. Poſtremus autem pictores imitatus, elegantibus coloribus eum ſcitiſſime expreſſit; mutato dein penicillo in vmbras incubuit, quaſdam illi maculas aſpergendo, quas tamen propria ſpongia iterum abſterſit, dum egregia facinora huius Imp. per obſcuros næuos maiorem in lucem producere contendit. Neque illos ex hiſtoricis fidei plenis, ſed è vulgi circulis hauſit. Has igitur vmbras Baronius captans, & Traiano inducens, ſic hominem inuoluit, vt niſi aliunde cognoſceres, in fæcem mortalium vltimam abijceres.

Nolumus orbitam noſtram quidẽ tranſgredi; alias negotio non magno hunc Baronij coruum verteremus in olorem, non fabulis ſed veris teſtimoniis oſtenſuri, Traianum maximos optimos Orbis principes virtutibus æquaſſe, nec nobis verendum eſſet, vt Cardinalis publicam mundi totius vocem, ſuo vnius ſono obrueret. Quos adduximus auctores decus eum imperij fuiſſe aſſerunt: pace belloque admirandum: condendis legibus ſapientiſſimum: comem, affabilem, non tantum Senatui, ſed etiam plebi. Primus imperium adeptus eſt, non Italus. Enimuero ſtirpe Hiſpanus erat, non procul Hiſpali natus, quod Eutropius & Euſebius memorant. Nerua, magnitudine hominis captus, eum adoptauit: neque ſpe fruſtratus eſt. Etenim Traiani opera Romanum Imperium in ſummum potentiæ & magnitudinis faſtigium euaſit. Nam longe in Orientem & Septentrionem penetrans, Daciam, Armeniam, Meſopotamiam, Perſiam, ſubegit. Inde in Hircaniam ac Indiam vſque progreſſus, Orbem Eoum terrore compleuit, bonamque partem Imperio Romano adiecit. Pacis artes nec calluit minus, nec minus exercuit. Vnde S. P. Q. R. quoties nouum Imperatorem de more

Traianus à paucis culpatus, à multis laudatus fuit.

ſaluta-

ſalutabant, vota ſuis Dijs hæc nuncupabant, *vt felicitate Augusto Cæſari: bonitate Traiano ſimilem præſtarent*, quem principem *optimum* Roma adhuc ſuperſtitem appellare conſueuerat. Vnde miramur Baronium non intelligere, ſe turpem cæteris quoque Imperatoribus notam imponere, famam Traiani rodendo. Si enim *optimus* per ipſum male olet, an Arabiam ſodes, expectabimus à reliquis? Nemo Iulianum Apoſtatam nobis obtrudat, qui ſtigma illi turpiſſimum inuſturus, locum, dixit, magnam ianuæ curam adhibuiſſe, ſcilicet nequa Traianus illaberetur, quod timeret arſurum Ganymedem, ſuas delicias. Sed res nondum eo rediit, vt homini credamus qui fidem perdidit: nec vnquam amplius inuenit. Cui volupe eſt, à Plinio ſecundo veram Traiani effigiem petat; à Lipſio vero Scholia, poſt Baronij cenſuram addita. Cum igitur eius mores & res geſtæ toti orbi mouerint admirationem, in vulgus neſcio quis edidit, ſupplicaſſe Numini D. Gregorium, vt virum dignaretur cœlo, quando tam bene imperaſſet terræ: Atqui cœlo à nobis exutus, non etiam videtur fama, egregiis factis parta, ſimiliter ſpoliandus, qui ipſi ſtat in vtramque partem. Diuis enim reuera additus ſiue, quantum eius gloriæ creuerit, cernis. Quod ſi regionibus illis beatis æternum proſcriptus eſt, ſaltem Gregorium Magnum & Traianum Imp. homines omnino ſingulares fuiſſe oportuit, quod vnus idemque ethnicus, cui nigrum Theta iam pridem ſupremus Iudex inſcripſerat, in Album Cœlicolarum relatus eſſe creditus ſit. Alter autem pro tanto Dei amico habitus ſit, cui nihil ſumma Maieſtas negare potuerit, quamuis, à communibus legibus ab ipſa latis fuerit abeundum.

Petrus Crinit. de honeſt. diſcipl. l. 5. c. 6.

Plin. ſecund. Panegyr.

CAPVT IV.

Gregorius Magnus moritur, & effertur.

A S. Gregorio cum dira podagra conflictante, digreſſi ſumus non ſponte noſtra, ſed tiroſam in arenam ab aliis tracti, qui temere profuderunt nodoſi illius morbi vix tolerabile ſupplicium, fuiſſe pœnam peccati, quo ſe obſtrinxerit hic Pontifex, dum Traianum æterni incendii reum, Cœlitibus inſerere ſtuduerit. At ſatis oſtendimus nihil horum ipſum mouiſſe, neque alia de cauſa ſæpe in lecto fuiſſe, & ex pedibus inimica podagra captis grauiſſime laboraſſe, quam vt maiora ad præmia promoueret gradum.

D. Gregorius ſæpe a morbis in lectum depoſitus.

Ita namque penſum ab iis exigere ſolet Deus, quibus quam plurima dona commiſit. Etſi animum aduertis, plerumque laboribus, morbis, ærumnis illos innumeris onuſtat quos multis prius gratiis ornauit, vt homines ſe eſſe intelligant, atque præ aliis mortalium intenti flagelli ictibus expoſitos. Sic gentium Doctorem S. Paulum in tertium vſque cœlum raptum, Satanas diu multumque fatigauit, Numine permittente, vt ne ſupra cæteros homines ſe tolleret. Nemini proinde in mentem venire debet, commeruiſſe podagræ carnificinam Gregorium: frequentibus morbis expiandas ipſi culpas fuiſſe, quando antiquum ſuum obtinet Deus, vt filios & amicos cruce ſignet; reliquis fere ſemper flante Fauonio.

2. Cor. 2.

Fractus igitur morbis & excoctus Sanctiſſimus Pontifex: Sacroſanctis item Sacramentis defunctus, vitam mortalem hoc anno ad IV. Idus Martij poſuit, orbe toto communem patrem lugente, pauperibus præſertim, quos cordi imprimis ſemper habuit. Magnam quoque lachrymarum vim Monachi ordinis Sancti Benedicti profuderunt, quibus ſingulis mors è pectore cor eripuiſſe, ipſa viſcera euulſiſſe viſa eſt. Funus in Eccleſiam Sancti Petri ductum, ante vetus ſacrarium cōditum fuit. Annis inde ducentis viginti tribus elapſis, Gregorius IV. Pontifex Max. D Benedicti ante id alumnus, nouo ipſum ſacrario intulit, poſito ibidem altari, eiusque honori dedicato; vbi quotannis memoria ac feſtum tanti Eccleſiæ Doctoris ſacrificio inſtaurari conſueuerat, aduolantibus denſo numero afflictis, flagitatum opem. Tum quoque ſpectatum promebantur crux; quam à collo pendulam olim ferebat: veſtes quibus corpus amiciebat potius, quam ornabat: cingulum de corio ſectum. Corpore fuit ad maieſtatem vaſto magis, quam gracili: oris habitu decoro: nigris vegetisque oculis, non in cauernis conditis, ſed proſilientibus & excubantibus: barba colorem ruffum nonnihil imitanti. Capitis area, non perfuſa comis, ſed nuda ſtabat: niſi quod oppido paucos capillos ſumma frons expoſuiſſet. Quos autem occiput ac tempora ſparſerant, leuiter inflexi ac ſubnigri erant. Faciem habuit eximie ſerenam, nec non liberalem, late porrectam: naſum in medio eminentiorem, inde in acumen deductum, vt aquilam cognoſceres. Color erat inter æneum candidumque. Iuueni quidem ardebant genæ: purpurea turgebant labra: nitebant longi digiti: at crebra ieiunia: corporis vexationes ſponte ſuſceptæ:

Morbis vitaque hoc anno abſolutus, ad Cœlites abiit.

Oſſa in Eccleſia S. Petri condita.

Iohan. Diac. l. 4. c. 24.

Corporis habitu fuit decoro.

labores, podagra, morbique cæteri, omnem venustatem afflixere, tantoque fulgore deleto, mortis faciem pulcherrimæ formæ induxerunt.

Animus tamen corpori præstitit.

Animus viri, si ad corpus comparasses, multo præstantior fuit: quippe rerum maximarum capax, sagax, eorum quæ semel imbibit, tenax. A prima adolescentia artibus ingenuis operam dedit: postmodum ad litteras sacras promoto pede, legendo & meditando tantum profecit, vt omne tulerit punctum. Variis à Deo instructus donis, vt virtutis exercendæ haberet campum, per insignes honorum tam profanorum quam sacrorum gradus deductus est, donec summa dignitas, atque adeo summus Pontificatus ei obtigit. Laudes viri, quas tot ante me calami ac ora effuderunt, non repeto, cum sciam à me exhauriri non posse.

Magni nomen egregiis factis meruit.

Quicquid dixit, tractauit, docuit, scripsit, fecit, rerum agendarum successoribus exemplum fuit. Magni nomen, impositum Antonio fuit, ob sanctitatem singularem: Carolo Imp. ob rerum gestarum magnitudinem: Alberto propter eximiam eruditionem: atqui Gregorius omnibus istis nominibus Magnus fuit. Nil attinet Pompei M. Alexandri M. Caroli M. imperia euoluere: victorias enumerare t si sapis & sentis, Gregorius Christiani orbis totius caput, prudentissime res administrauit: Ecclesiam multis partibus auxit; infinitos hæreticos triumphauit: idola castris exuit: Paganos innumeros sub suaue iugum Christi misit: vt non de nihilo Magni nomen ei impositum fuisse putes. Tiaræ Pontificiæ tres coronæ insident, quod nullum ei par caput sit, nisi sanctitate, eruditione, prudentia plenum. Hæc cum ita D. Gregorium ter Magnum, vel si mauis, ter Maximum salutare licebit. Quin adeo fatis viri docti, sancti, prudentisque officio fecit, vt sint qui palam affirment, optimum omnium à S. Petro Pontificem fuisse. Igitur non inuius seruitium dicam, an beneficium? Ecclesiæ Dei præstare Ordo S. Benedicti potuit, quam filium suum pro communi pastore atque patre illi donando.

* *
*

CAPVT V.

S. Augustinus grauiter rem agit in Anglia, denique animam agit.

NVllum malum, solum. Ordinem luctu oppresserat mors D. Gregorij: nunc eundum quoque destituit decus alterum S. Augustinus, à quo miraculis edendis ac infidelibus conuertendis intento, ex Anglia discessimus. At prius grauem casum, quo ictus fuit, exponere libet, quam supremam eius diem describamus.

Angliam, si meministi, Britones habitarunt, veteres scilicet incolæ: tum etiam Angli, qui sedem in insula subacta sibi constituerant. Illi Christiani, isti gentiles erant, paulatim vero ad fidem à Sancto Augustino deducebantur, cui etiam socij egregiam operam nauarunt pariter desudando. Sed cum numero obruerentur, Britones (quippe Christianos) etiam atque etiam rogarunt, vt immensum agrum colentibus sibi opem ferrent. Eos tamen adducere haud potuerunt, cum quod fatali odio ab Anglis, à quibus natali solo fere pulsi erant, dissiderent: tum quod cum ipso quoque Augustino controuersias haberent, eiusque imperium detrectarent. Nam vt cum Ecclesia Romana celebrarent Pascha, aut ritus colerent communes, adigere haud quiuit pertinaces. Pergrauiter tulit Augustinus, quod nec latum vnguem à cæremoniis maiorum discedere vellent, ac tantum apud ipsos valeret inimicitia ante id suscepta, vt eius exercendæ causa cum hospitibus Anglis, non honorem Dei, non salutem pereuntium animarum quicquam pensi haberent. Britones S. Augustinum fastidire cœperunt.

Quid multa? Postquam diu verba perdidit, agite, dixit: hominem morbo captum in medium collocate, quem si vestri mystæ afflicta valetudine liberauerint, in vestros ego ritus concedam. Quod si per me conualuerit, in meas partes, adeoque Romanæ Ecclesiæ vos transibitis. Vltro citroque aliquandiu habitus sermo est, quod Britonum sacerdotes aleæ tam periculosæ famam suã committere non immerito cunctarentur: tandem vero mediam in coronam adducebant Anglum, lumine vtroque cassum. Intecutis iam omnibus, ac ora tenentibus, Britonum mystæ precibus quidem prolixe pulsarunt astra, sed frustra. Vanis ictibus auras verberarunt. Ergo humi se prouoluit S. Augustinus: adempta cæco lumina à Deo reposcit impettat. S. Præsul cæcum luce donat.

Perculsi miraculo Britones, sancto viro

se dedidere, ita vero vt ritibus antiquis nuntium mittere, religioni sibi esse dicerent, nisi Concilium in Britannia cogendum id scisceret: Ergo dies statuitur, quo conuenirent Patres: Sanctus Augustinus sociis comitantibus adest: Episcopi ex insula septem, multique viri docti ex Monasterio Bancor aduolant, quod septem in præposituras digestum, singulasque trecentos Monachos habitasse, supra memorauimus. Cæterum Britones quibus ad Synodum proficiscendum erat, ne incante aleam iacerent, cum Eremita quodam, fama sanctitatis celebri, consilium ceperunt, num è re facturos censeret, si ritus suos ac consuetudines cæremoniis Ecclesiæ Romanæ posthaberent, huicque se penitus se submitterent: Sancto Augustino eius Legato ad vnguem obtemperarent. Moras nectite, respondit Eremita, donec Augustinus cum suis ad Synodum se iam tulerit. Si vos deinde aduentantes comiter acceperit: si sua de sede vobis assurrexerit, pro viro illum Dei habetote: vos, cæremoniasque vestras eidem permittite. Quod si fastum tibi sumens humilitatis has notas non ediderit, quantumuis numero vos superiores sitis, par pari referte, hospitibusque longum valere iussis, vestris deinde legibus moribusque viuite. Dictum, factum. Ingressis namque in Concilium Sanctus Augustinus neque cathedram suam cessit, neque ad capessendum inuitauit, vt dignitatem Archiepiscopi, Primatis, Legati Apostolici, tueretur. Hinc Episcopi ardere ira: nihil æqui nihil boni consulere quicquid in medium attulisset Augustinus: demum negare se cum Ecclesia Romana Domini Resurrectionem celebraturos: vel ipsum pro Archiepiscopo culturos, aut omnino in conuertendis Anglis adiuturos. Obluctantibus ac preces imperiaque obstinate detrectantibus, Sanctus Augustinus Numinis vindictam grauissime denunciauit. Certe Adelfridus, insulæ illius regulus, susceptis diuersis prœliis eos fregit, strage præsertim magna in Monachos Bancorenses edita, qui castra sequi solebant, vt ducibus & militibus Dominum exercituum propitiarent.

Spe sic incisa, Augustinus Mellitum, Iustum, Laurentium, D. Gregorij quondam discipulos, ad mitram Episcopalem auctorauit: suam singulis iurisdictionem ac prouinciam descripsit: auxilia adiunxit, quibuscum gentiles ad frugem ac fidē perducerent. S. Mellito Londinum credidit, insulæ caput. Roffensis vrbs in Cantia sita Sancto Iusto obtigit. Cum denique sentiret, non procul à summa se die abesse, Laurentium Monachum & Presbyterum Ecclesiæ Cantuariensis Archiepiscopum creauit. Quamuis autem id temporis quoque per Concilia minime licuerit vni Ecclesiæ duo capita imponere, aliquid tamen à D. Gregorio indulgendum fuit, rebus adhuc vacillantibus. Itaque S. Augustinus vitæ satur: laboribus ac annis incuruus: idolis prostratis ac triumphatis: fide Christiana magna incrementa capiente, beatam animam in cœlum efflauit. Quamuis autem Cathedrali Ecclesiæ deberetur, in vestibulo tamen templi Monasterij SS. Petri & Pauli conditus fuit, quem multi deinceps Archiepiscopi sequuti sunt. Circumagentibus se annis in sacello, quod Mausoleum S. Augustini continebat, ara Gregorio Magno erecta fuit, quem Angli publica voce Apostolum suum deprædicant. Inscripta Mausoleo hæc sunt:

Hic quiescit S. Augustinus, primus Archiepiscopus Doroberuensis. A Sancto Gregorio Papa missus, & à Deo adiutus, donum multa miracula faciendi habuit. Regem Edilbertum eiusque subditos conuertit, atque ad fidem IESV Christi perduxit, cum prius essent gentiles Regnante adhuc eodem Rege, afficium ac dies suos absoluit in pace, moriens XXVI. Maij. Eius celebritati hæc dies etiam ab Ecclesia designata est, quam festiuo cultu tota olim Anglia præ aliis nationibus obire consueuerat.

Concilium cogit in Britannia.

Beda l. 2. c. 2. hist. Angli.

Moritur, & in Monasterio SS. Petri & Pauli sepelitur.

ANNVS CHRISTI 605. ANNVS S. BENEDICTI. 125.

CAPVT I.

SS. Laurentius, Mellitus, Iustus, agrum Anglicanum gnauiter excolunt.

Postquam Sanctus Augustinus Cantuariensis Archiepiscopus concessit, nihil antiquius Sanctus Laurentius habuit, quam vt exemplum subditis ad omnem pietatem præiret: idololatras religione vera imbueret: alios firmaret: nusquam otia agens, vel sibi indulgens. Admodum adolescens Monachis se in S. Andreæ Cœnobio Romano adiunxerat, vbi futuræ magnitudinis specimina florentibus etiamnum annis dederat, quibus Gregorio Magno eam spem fecit, vt olim Apostolum Angliæ designaret. Hoc autem munere imposito, omne consilium, studiū, laborem, curamque, ad pietatem ac fidem

SS Mellito, Iusto, Laurētio mitras imponit.

Beda l. 2. c. 4. 5. 6. 7.

S. Laurētius post S. Augustinum, Pontificatum Cantuariensem gerit.

propagandum contulit. Quædam etiam lucubrauit, vt ipſo abſente ſaltem libelli in promptu eſſent, qui verba ad lectores facerent. Re Catholica ex voto fluente, à S. Auguſtino Romam miſſus fuerat, vt de lætis ſucceſſibus Gregorium Magnum edoceret, qui eundem nouis Monachorum ſupplementis auctum, nec non litteris ad S. Auguſtinum ferendis inſtructum, in Angliam remiſit, vt herbeſcentem ſegetem excolerent ad maturitatem. Certe vir hic oculos, manus, pes, ſcipio, feſſi Auguſtini erat, quem proinde parem oneri grauiſſimo ſibi adſciuit, vt vno ſuccollaret. Neque in Angliam ſolum, verum etiam Scotiam Hiberniamque omni cogitatione operaque incubuit, grauiſſimis litteris Epiſcopos reprehendendo, ſuis ritibus adeo deditis, vt neque Paſcha cum Eccleſia Romana celebrare, neque alias eius cæremonias admittere vellent. Litteris ſubſcripſere Iuſtus & Mellitus præter Laurentium, quod venerabilis Beda narrat. Vetus controuerſia S. Auguſtino cum Scotiæ & Hiberniæ Epiſcopis interceſſerat, quos ad lineam reducere nequiuit, etſi omnem vim eloquentiæ, doctrinæ, animi, adhibuerit, vt mirum non ſit, S. Laurentio quoque cum SS. Mellito & Iuſto laborem periiſſe. Fatum hoc eorum hominum eſt qui publicos honores gerunt, errores admiſſos defendere pertinaciter potius, quam agnoſcere. *Si ſal euanuerit, in quo ſalietur*, obſecro te?

Scotiæ & Hiberniæ Epiſcopis Paſcha & ritus Eccleſiæ Romanæ fruſtra inculcat.

Matth. 13.

Mellitus ac Iuſtus poſtquã clauum ſuorum Epiſcopatuum in manus ſumpſere, ſummis viribus idola præcipitare: vaniſſimos Deos in exilium agere: praua recta facere conniſi ſunt. Diſcipuli hi quidem D. Gregorij fuerant: Monaſterij S. Andreæ Monachi: non tamen primæ expeditionis ſocij, ſed à S. Laurentio in Angliam reuertente adducti. Vterque vero labentibus annis Archiepiſcopali infula Cantuarienſi redimitus eſt non ſecusquam S. Laurentius, atque adeo omnes tres, quos S. Auguſtinus crearat Epiſcopos, virtus ad Archiepiſcopatum erexit. Hiſtoria eorum plane connexa eſt, adeo vt malim eam ſimul pertexere, quam habita ſubinde arguta annorum ratione, per diuerſa tempora ſpargere. Pleraque vero afferemus accepta à Venerabili Beda. Igitur Londini ſede poſita Mellitus, arces ſibi contra idola exemplo S. Auguſtini putauit ſtatuendas. Merebantur profecto nomen hoc Monaſteria, in quibus tyrones militiæ Euangelicæ nomina dabant, exercebantur, adulti ac durati in idololatras emittebantur: veteranis ſuppetias ferebant. Monaſterium Cathedrale in ciuitate Cantuarienſi S. Auguſtinus condiderat, dicauitque S. Saluatori. Alterum in ſuburbio poſuit, Diuisque Petro & Paulo ſacrum eſſe voluit. Idem Mellitus Londini fecit. Nam intra mœnia Baſilicam S. Paulo Apoſtolo ſacram conſtituit, vbi miniſtri regulariter viuentes, munia Eccleſiaſtica obibant ad normam Cantuarienſium. Extra condidit alterum, & S. Petro dicauit, quod quia Occidentem ſpectat, Weſtmonaſterium dictum fuit. Iudicibus Anglis ſanctitate, diſciplinæ vigore, opibus, priuilegiis, nihil nobili Cœnobio S. Germani in Gallia conceſſit.

Beda l. 2. c. 3.

S. Mellitus Londini Monaſteria duo ædificat.

Quandoquidem ex eodem fonte Mellitus pietatem in Deum, ex quo S. Auguſtinus, hauſerat, in eam cogitationem & curam vehementer, vt Auguſtinus, incubuit, quo pacto Monachis, Clericis, gentibusque ſalutem ferret: Dei gloriam augeret. Nam nouus iſte ager ante id ſtudio tam ſingulari proſciſſus nunquam fuerat. Mirabile viſu fuit quanta ſe multitudo luſtrandam obtulerit, quod Bonum Numen Melliti verbis pondus daret, ne ſementem faceret in arena. Rex ipſe Sabaretus, Edilberto Regis Canciæ ſanguine iunctus, ad ſacrum fontem ſuis ſubditis dux fuit. Rebus ſic domi compoſitis, profectus Romam eſt, vt cum Bonifacio Pontifice Max. quaſdam difficultates explicaret, ac quædam ad Monachos pertinentes conſtitueret, quod id temporis Concilium ageretur, cui ipſe non modo interfuit, verum etiam vna cum cæteris Epiſcopis ſubſcripſit.

Sabaretũ Regem ſalutari fonte luſtrat.

Interea Edilbertus, Regũ Canciæ Chriſtianorum primus, vitam cauit, cuius liberalitas Ordinem apud noſtrum æternum durabit. Exceſſit autem XXIV Februarij, anno poſtquam in leges Chriſtianas iurauerat viceſimo primo. Habetur pro cœlite. Ne autem cum vita amorem quoque in Ordinem noſtrum exuiſſe videretur, Cantuariam efferri, atque in SS. Petri & Pauli Monaſterio condi voluit, vbi Bertha, lectiſſima coniunx, maritum in tumulo expectabat. Edilberto in ſolium ſucceſſit Eadebaldus filius, ſed heu quam diſſimilis patri! Poſt tot virtutum ſpecimina, à genitore edita, amplecti nihilominus vitia, prenſare libidines: fidem Catholicam non modo non colere, ſed inſuper abominari: nouercam quoque ducere: ſimulachrum aliquod ſeu vera effigies ſcelerum eſſe: regnũ ſecum in exitium trahere. Plerique enim ſubditorum veſtigiis nondum ſat confirmatis in ardua ad Superos via, priorem ad libertatem ac turpitudinem relapſi ſunt. Huic morum peſti, malum acceſſit alterum, quod hanc nouam Angliæ Eccleſiam

Beda l. 2. c. 5. hiſt. Anglic.

Edilbertus Rex Canciæ in Monaſterio SS Petri & Pauli Cantuariæ conditur.

Eadebaldus bonos mores ac patriam euertit.

versum iuit. Etenim ei nondum adultæ subducta sua columna est, qua vsice post S. Mellitum nitebatur. Scilicet Sabercetus Londini & Anglosaxonum Rex ad Supecos abiuerat, cuius fauore, ope, ære, tot Ecclesias Monasteriaque extruxerat Episcopus: mores item nuper baptizatorum formabat. Tres filij hæredes regni, dum patri vita manebat Religionem Catholicam simularunt; quo ex oculis sublato, laruam ac personam quam callide gessere, protinus remota, sua ora ostenderunt, idololatriam publice professi sunt. Incumbente hac procella, res Catholica fluctuare cœpit, quæ hactenus ventis ferebatur secundis. Plus negotij facessiuere fedulis cultorib' hi transfugæ, quam illi qui cœlesti fonte nunquam tincti fuere. Incredibile dictu est, quantum operæ sancti Præsules sibi sumpserint, vt auersos à matre Ecclesiæ Reges concinnarent: erroribus liberatos in locum veterem restituerent: efficere tamen non potuerût, quin illam eane & angue peius odissent. Igitur Mellitus florêtes æuo Reges soluêdos sibi designauit, iá vitiis quâ perfidia captos: sed frustra cacabos lauit. Laurentius & Iustus Cancia Regem nouum Eadebaldum adorti, à præcipitio reuocabant, quem obluctantem crebris ictibus ad lineam reuocauit iratum Numen: ad extremum cacodæmoni quoque diuexandum obiecit. Tandem piscator ictus sapuit, ac frugi esse cœpit.

Filii Saba-reti Regis à fide de-sciscunt.

Iam auté vnus Mellitus tres Reges iuuenes, ipsa licentia corruptos, ad cectâ magno nisu rapiebat, nec multum proficiebat. Forte fuit vt sanctus Antistes diuinum ferculum præberet accumbenti turbæ. Adsunt inupinato reguli: stipatores populum diuellentes viam aperiunt, ac ordine longo procedentibus spatia definiunt. Illi ad sacerdotes progressi, agite, inquiunt, nobis quoque candidum vestrum panem porrigite, cuius copiam turbæ facitis, ac olim patri nostro fecistis. Atqui vero, subiecit Mellitus, gentiles core sacro prius abluendi sunt: Christianis expianda ante, criminum confessione, conscientia est. Dabimus quod vultis, si puri accesseritis. Tollitur in primis obscurum murmur: deinde clamor in non latum se vnguem discessuros, nisi cœnatos. Ergone frustillum panis, vociferantur, poscentibus nobis negatis? Quid deinde adeo vestra refert, si nos item Deos colamus nostros, à vestro diuersos? Preces ac minas S. Mellitus perinde habuit, cuius constantiam eum labefactare frustra tentassent, furore barbaro succensi virum sanctum toto regno vna cum ministris ipsius proscripsere, vt vitiis deinceps absque aspero monitore habenas effundere liceret.

A mensa Dominica reijci-untur.

Mellitum regno proscri-bunt.

Igitur solum cum suis vertens Antistes, Cantuariam se contulit, tracturus moram donec posuissent fluctus. Hic in S. Iustum incidit, simili prorsus tempestate eiectum. Nempe nauim Petri fregerat Eadebaldus, stygiamque tædam subditis ad idola iterum præluecbat.

Itum in amplexus, tum etiam in vota, vt labanti rei Catholicæ Deus Opt. opem ferat, qui paulo post à tribus impuris iuuenibus, à quibus S. Mellitus Londino ac omni regno exactus fuit, pœnas sumpsit. Nimirum bellum eum quodam populo susceperant (Beda Genisseos appellat) quod dum suo ductu gerunt, acie vincuntur: caduut. Quamuis autem vnus conflictus omnes tres abstulerit, noluerunt tamen incolæ dicto amplius audientes esse, velut viam antesignano Mellito cedireted tramite transuersio in orcum contendebant: tanta vi vetus scabies barbaros vrgebat.

Vno prælio omnes tres cadût

Vbi sancti Pontifices littus se arare viderunt, ne porro tempus inani labore consererent, Mellitus ac Iustus, cebus Numini commissis, in Galliam traiecerunt, quos S. Laurentius eadem causa excitatus, sequi constituit Consilium enim erat, ex hoc littore spectare turbulentam tempestatem, ac finem Superos poscere. At Laurentius antequam in viam se coniiceret, in templum se Monasterii Diuorum Petri ac Pauli tulit, vt eam noctem duceret insomnem. Suas (heu quondam!) oues fidei Supremi pasto ris committendo. Postquam diu diuque incubuit in preces, labitur in somnum: artus qua potest, reponit: dormit, bene madidus lachrymis. Sopore sic sepulto S. Petrus se obiecit, cum eo expostulans, quod animas deserere decreuisset, quæ filio Dei multo sanguine stetissent. O te præclarum custodem carum ouium, dixit, quas tibi commisi? Siccine stabulo obducis pessulum? sieciue vigilas, ne qua penetrent infesti lupi? Nô tibi veniunt in mentem grauissimi labores, ærumnæ vltimæ, carceres, vincula, quibus sum defunctus: denique crux, quam ego versis sursum vestigiis subire malui, quam meæ fidei commendatum à Christo gregem destituere? Neque verbis tantum, sed verberibus pariter in Laurentium animaduertit, vt somno excussus, alte senserit inflicta à principe Apostolorum verbera. Immo liuidi quoque vibices docuere, nullum ipsum ludibrium, sed veram ac fœcam castigationem per quietem esse passum.

Beda, l. 2. c. 5.

Beda l. 2. c. 6.

D. Petrus verberâ infligit S. Laurêtio, oues deserere cogitanti

Ergo mutato consilio Laurentius Eadebaldum Regem, huius mali fontem,

Eadebaldus Rex sacris Christianis initiatur.

magno animo adit; quod exemplum deserti stationis in se Piscator hominum Petrus edidisset, liuidis artubus expositis ostendit. Rapitur in admirationem barbarus: cœlo quoque tangitur: nouercam abdicat: vni ac vero Deo initiatur: ad eundem etiam subditos exemplo trahit. Iam annus fluxerat, quod Iustus ac Mellitus sedem posuissent in Gallia: vnde exciti absque mora aduolarunt. Iustus quidem à ciue Roffensi beneuole acceptus est, atqui Mellitum sacrificuli maledictis apud populum proscindentes, Londino prohibuere. Stomacho hoc quidem Eadebaldo fuit, at cum tantis viribus, quantis olim pater Edilbertus, non polleret, quibus improbos in ordinem redigeret, tempori seruiuit. Regnū vero Cantiæ tanto feruore, impia sacrificulorum disciplina reiecta, Christianam religionem imbibit, vt S. Augustini ætatem restitutam putares. Adeo multitudo ire solet, qua suo à Principe ducitur. Quod igitur regnum Cantiæ è gurgite vasto idololatriæ denuo fuerit euolutum, precibus ardentissimis, lachrymis, verberibus quoque à S. Petro inconsis, merito in acceptis ferendum est.

Regem sequitur subditi.

Hac graui tempestate Laurentius defunctus, Archiepiscopatum aliquot annis quiete gessit, donec IV. Non. Februarij cœlo receptus est, quem diem cum Regia cœli iure suo occupet, ac festiuum faciat, ille sequenti colitur ab Ecclesia. In Monasterio SS. Petri & Pauli Cantuariæ iuxta S. Augustinum conditus est. Onus post eum S. Mellitus excepit, qui S. Laurentio & S. Augustino, Anglicanæ Ecclesiæ duabus columnis sic collapsis, vna cum S. Iusto Episcopo Roffensi humeros opposuit, abactas à sacrificulis oues in caulam reuocando. Quamuis autem crebris morbis teneretur S. Mellitus, nec non dinexaretur podagra, cura tamen & cogitatione omnem insulam obiuit, vt eius diligentia nullibi sit desiderata. Litteræ Pontificum, præsertim S. Bonifacij, hunc Archiepiscopum eorum in numero ponunt, qui pro Ecclesia Catholica multa fecerunt, tuleruntque. Quod si etiam ab astris testimonium sanctitatis petis, habes per Venerabilem Bedam.

S. Laurentius cœlo recipitur.

Oneri suc cedit Mellitus.

Magni sæpe mali incuria auctor fuit. Certe hac origine ortum Cantuariæ incendium est, quod tanta vi corripuit vrbem, vt arceri nullis manibus, nullis vndis restingui posset, velocibus iam etiam ventis obsequiosas scintillas circumferentibus, quæ nouos semper atque nouos caminos excitarunt. Inconditos eiulatus, sonantes flammas, ruinam trahentia tecta audiit Mellitus, aduolaturus absque mora, nisi inclementius podagra tenuisset. Tandem, quousque in omnem partem me frustra verso! inquit: agite, heus, baiuli: sellæ me impositum eo deportate, vbi fatalis ignis maxime furit. Dictum, factum. Res mira! Aquam in cribro hauserant, id est, operam perdiderāt miseri ciues: hic Sanctus Archiepiscopus vix admonit manus chiragra captas, & hem, indomito Vulcano frænum imposuit? Animo videlicet oculisque in cœlum sublatis, vota nuncupauit: venti subito conuersi, non iam à tergo, sed à fronte incumbentes, haud concesserunt vagis ignibus, vt vltra grassarentur. Vbi flamma longe lateque sparsa, ita subito subsedit, quæ omnem vrbem consumptura erat. facile intellexerunt ciues, quanto in pretio suum Antistitem habere deberent, qui tantum valeret apud Deum. Rege Eadebaldo cum subditis Numini iterum conciliatis confirmatisque, vita excessit ad VIII. Cal. Maij. officibus Monasterio SS. Petri & Pauli relictis Sacros fasces post ipsum capessiuit S. Iustus Episcopus Roffensis, cuius res gestas in proprios annos differimus. Quædam vero hicante tempus occupare oportuit, tum vt status Angliæ Lectori in limine constaret: tum ne quid de actis Gregorij Magni prætermitteremus.

Beda l. 2. c. 7. Incendiū Cātuariæ ortum restinguit.

Animam cœlo, corpus Monasterio SS. Petri & Pauli diuidit.

CAPVT II.

VVestmonasterium conditur.

INter opera magnifica quæ S. Mellitus in fastigium miraculi eduxit, non iniuria Westmonasterium numeramus, cui dignitatem singularem ipso in ortu benignus Deus conciliauit. Ita enim fauere solet, cū nouæ arces aduersus Stygem excitantur in regnis atque prouinciis, vt recens satæ plātæ quæ altas radices nondum egerunt, nouitate rerum perculsæ, incumbentibus ventis obluctentur, veroque Deo pertinacius adhærescant. Itaque postquam vir sanctus summam templo manum imposuit, stupendum mox beneficium cœlitus in id delapsum est, vnde facile intelligeres Ascerium illud Numini curæ futurum, bonoque publico à Mellito erectum. Id Sarabertus Rex magnis opibus auxit: atque collligo meum pallium, & miram dedicationem verbis Altedi Riouellensis Abbatis Ordinis S. Benedicti, Congregationis Cisterciensis, expedio.

Westmonasteriū S. Mellici opus.

Tempore quo Rex Ethelbertus, qui regnauit in Cantia, prædicante beato Augustino, fidei Sacramenta susceperat, nepos eius Sebertus, qui Orientalibus Anglis præfuit, fidem eodem Episcopo prædicante suscepit. Hic Londonia, quæ regni sui caput

Sur. 5. Ian. Templū Westmonasteriū S. Petrus consecrauit.

caput habebatur, intra muros Ecclesiam beati Pauli fabricauit, & Episcopali honore Mellitum Episcopum instituens honorauit. Extra muros vero in Occidentali parte, in honore beati Petri Monasterium insigne fundauit, & multis possessionibus ditauit. Nocte autem dedicationem eiusdem Ecclesiæ præcedente, piscatori cuidam Thamensis fluuij, qui idem Monasterium præterfluit, vlteriore ripa in habitu peregrino beatus Petrus apparens, promissa mercede transponi se ab eodem & petiit, & promeruit. Egressus autem de nauicula, Ecclesiam piscatore cernente ingreditur; & ecce! subita lux cœlestis emicuit, miroque splendore illustrans omnia, noctem conuertit in diem. Adfuit cum Apostolo multitudo ciuium supernorum ingredientium, melodiaque cœlestis insonuit, indicibilis odoris fragrantia nares perfundebat. Peractis autem omnibus quæ ad Ecclesiæ dedicationem spectant solennius, redit ad piscatorem piscium piscator egregius hominũ, quem dum diuini luminis fulgore perterritum, & alienatum pene sensibus reperisset, blanda cõsolatione reddidit hominem sibi, animum rationi. Ingredientes simul cymbam vterque piscator, ait Petrus: numquid pulmentarium non habes? Et ille, inconsueta inquit, lucis perfusione stupidus, & expectatione tui detentus, nihil cepi: sed promissam a te mercedem securus expectaui. Ad hæc Apostolus ait: Laxa nunc retia in capturam. Paruit imperanti piscator, & mox impleuit rete piscium maxima multitudo. Omnes erant eiusdem generis pisces, præter vnum miræ enormitatis esocium. Quibus ad ripam extractis, dixit Apostolus: hunc qui præ cæteris pretio & magnitudine præcellit, Mellito ex mea parte defer piscem Episcopo: pro nautica vero mercede cætera tolle tibi. Huius generis copia abundabis in vita tua, & longo tempore post te progenies tua: tantum ne vltra piscari audeatis in die Dominica. Ego sum Petrus qui loquor tecum, qui eam meis conciuibus constructam in meo nomine Basilicam dedicaui, Episcopalemque benedictionem mea sanctificationis auctoritate [illegible]uens. Dic ergo Pontifici quæ audisti, & vidisti, tuoque sermoni signa parietibus impressa testimonium perhibebunt. Supersedeat igitur dedicatione, suppleat quod omisimus, Dominici corporis sacro mysterio populumque sermone erudiens. Notificet omnibus hunc locum me crebro visitaturum: hic me fidelium votis & precibus affuturum: sobrie vero, iuste & pie in hoc sæculo viuentibus, cœli ianuam reseraturum. His dictis confestim ab oculis eius disparuit. Mane autem facto, Episcopo Mellito ad dedicandam Ecclesiam procedenti, cum pisce piscator occurrit, & omnia quæ sibi mandata fuerant, pandit. Stupet Antistes, reseratisque Ecclesiæ valuis, videt pauimentum vtriusque alphabeti inscriptione signatũ: parietem bis senis in locis sanctificationis oleo linitũ totidẽ cereorũ reliquias duodenis crucibus inhærere, & quasi recenti respersione adhuc cuncta madescere. Quod videns Episcopus vna cum populo, Deum benedicebat, & ipsi gratias referebat. Dat fidem miraculo piscatoris illius tota successio, quæ sicut à patre acceperat, totius emolumenti, quod ars illa deinceps ei conferret, beato Petro eique deseruientibus decimas afferebat. Vnus tamen semel fraudem ausus inferre, mox tamdiu artis caruit beneficio, donec confessus reatum, & ablatum restitueret, & promitteret correctionem.

Alredus vero sub annum millesimum centesimum sexagesimum quartum in humanis fuit. Baronius tam huius auctoris, quam dedicationis mẽtionem faciens, subactum ait Mellitum piscatoris relatione, vt Romam iter susciperet, Pontificis voluntatem exploratum, noua Basilica num iterũ cõsecranda videretur. Causam reddit quoque aliam, cur Mellito petita Roma sit. *Recens namque, ait, erat erectum Monasterium extra mœnia Londinus siue Londonij ciuitatis, pro cuius regulari obseruantia Mellitus solicitus Romam se contulerat, vtpote quod illud ipsum fore sciret, si bene custodiretur, amplum seminarium, ex quo omnes Ecclesiæ quæ erant in Anglia, sibi asciscerent Antistites.* Baron. an. 610.

Sed maximum pondus apud omnes habere debet Nicolai II. Bulla quæ tota manu miraculosam dedicationem indicat, ad Regem Eduardum, qui Monasterium collapsum instaurauit, hæc scribens: *Præterea illi loco, quem sub nomine sanctæ pænitentiæ construendum & meliorandum suscepisti, quoniam (vt fertur) primam antiquitus consecrationem à Beato Petro accepit &c.* Integram Bullam reposuimus in Appendicem. Bulla Nicol. 2. app. script. 33. Variam sortem hoc Monasterium quadringentis annis (tot enim ac amplius à prima origine ad Regis Eduerdi instaurationem effluxere) subiisse, nullus dubito. Nam insulani modo dicto erant audientes: suos Patres amabant, amplexabantur: modo antiquæ licentiæ memoria acti, contra eosdem turbas ciebant.

Item, sanctitatis illic & eruditionis singularia fuisse exempla, nemo in dubium adduxerit, quibus tamen apud posteros nõ contigit; nisi quod famæ & membranæ nobis dederint, Sebi Londini & Orientalium Saxonum Regem, posito sceptro cucullum ibi sumpsisse, at citius ad Superos euocatũ, quam vota solennia nuncupasset. Vixisse tamen ac mortuum & conditum esse cum cucullo. E diuerso Siphardum filium ibidem Deo Opt. & S. Benedicto fuisse initiatum, at retulisse postea pedem ad regni gubernaculum. Hos Arnoldus Wion Monachos Londinenses Monasterij SS. Petri & Pauli appellat: sed Beda tantum Monachos Londinenses vocat. Potuerunt autem Mo-

Sebi & Siphardus Reges cucullum hic sumpsere.

VVion. l. 4. c. 6. & 11.

nachos egisse ad S.Pauli; nam id temporis & Monasterium & Ecclesia Cathedralis erat, hodie vero templum summum est. Accedit, Regem Sebi, Beda teste, hic loci terræ mandatum. Quod si monastice ad SS. Petri & Pauli coluere, quod Arnoldus Wion memorat, ad Westmonasterium pertinuisse, palam est. Etenim S. Mellitus cum Londinensem conderet Ecclesiam, exemplar sui magistri S. Augustini ad vnguem imitatus est. Hic autem Cantuariæ Monasterium construxit, ac S.Petro dedicauit, quod tamen vulgo S.Petri & S. Pauli dictum fuit, quod horum Apostolorum alter absque altero, nec in mentem nec in buccam nobis venire soleat. Idem credide rim accidisse Westmonasterio. Adde, Breuiarium nostrum haud vnquam festiuo cultu prosequi vnum, quin alterum pariter celebret: multo præterea Cœnobio à solo S.Petro hodie dicti, quæ olim S. Pauli quoque nomen gesserunt. Cæterum pauca de hoc Monasterio ante instaurationem assequi potuimus, vel quod plura litteris mandata non fuerint, vel quod ad nos haud peruenerint.

Monasterium SS Petri & Pauli Lōdini, videtur idem fuisse cū Westmonaster.

Insulam multis crebro calamitatibus fatigatam, ad extremum Dani inuaserunt, bellicosa gens in Septentrionem longe semota, qui nec sacra nec profana quicquam pensi habuere: arces, vrbes, Monasteria vsserũt. Westmonasterium igitur extra mœnia situm solo æquarunt, deleta etiam aliquot per annos sacerrimi loci memoria: curæ tamen id D.Petro fuit. Nam opera S. Eduardi, post Ethelredum fato defunctũ: post Edmundum cum sobole à Danis exsum, Alfredum vero à ciuibus proditum ad regni clauum admoti vsus, Cœnobium restituit. Sed rem ab ouo nobis repetat Alredus Riouallensis, qui sanctissimi Regis Historiam condidit.

Dani inuaserunt insulam, ac Westmonasterium humi deposuerunt.

Alred. apud Sur. 5. Ian.

Succedentibus prosperis, Rex voti sui nequnquam oblitus (Romam se aditurum vouerat, si incumbentia vndique discrimina euasisset, sceptro patrio potitus:) *recogitans quanta sibi fecerat Dominus, qui ditauit egenum: sublimauit humilem: ingloriam coronauit: parat reddere votu suu, parat sumptus, parat donaria. Vocatis autem regni proceribus, habuit cum eis de statu regni, vel de sua peregrinatione sermonem, dicens: Non excidit nobis, quomodo irruentibus in hæreditatem nostram barbaris, facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio & illusio his, qui in circuitu nostro sunt. Aliis namque interfectis aliis fugatis, aliis iugo ignominiosa seruitutis oppressis, nihil fere honoris nihil gloriæ nostro generi reliquerunt. Tandem defuncto patre meo, peremptis fratribus, actus in exilium nepotibus: & cum hostibus nostris in omnibus fortuna faueret, mihi profecto nihil spei superesse videbatur. Ego vero contra spem in spem credens, & Domini mei misericordiæ me totum dedens, peregrinationem ad SS. Apostolorum limina voui, & diuinæ me deinceps protectioni dispositioque commisi. Ille autem respexit in orationem meam, & non spreuit preces meas sed abstulit opprobrium meum, & restituit me in regnum patris mei: insuper cumulatum diuitiis auxit gloria: donis cælestibus illustrauit. Ipse sine sanguine rebelles subegit, hostes subuertit, & omnia nostra amabili quadam pace composuit. Absit vt tot ac tantis eius beneficiis simus ingrati, quin potius de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in iustitia & veritate, faciamusque quod ait Propheta, vouete & reddite Domino Deo vestro. Decernite ergo mecum, quomodo me peregrinante, regnum subsistat Anglorum: qua lege, qua pace, qua iustitia, quo iudicio omnia disponantur: quis castra, vrbes, priuata, publica negotia procuret. Erit autem vnus omnium custos Deus: & pacem quam dedit ipse seruabit, nobiscum proficiscens & remanens, qui & vos custodiat, & me reducat. Tunc omnes in commune vociferantes ad Regem, se non deserendos: se non exponendos gladiis: patriam hostibus non prodendam: nec pro vno, vt putabant, bono tot admittenda pericula, allegabant. Tunc Rex eorum vocibus & precibus se vrgeri sentiens, diu in animo fluctuabat, quin & voto supersedere, periculum: & tantorum precibus fletibusque non cedere, inhumanum arbitrabatur. Tandem peregrinationem differens, exspectabat donec Apostolico fultus consilio, an votum redimeret, aut impleret?*

S. Eduardus votũ petendi Romam suscipit.

Tenetur procerum regni precibus.

Igitur legati à Rege Edredus & Hermãnus Episcopi: Wulfricus & Elfinus Abbates à proceribus designati. Pontificatum id tẽporis Leo IX. D. Benedicto olim initiatus, gerens, momentis ab vtraque parte aliatis diligenter examinatis, hac epistola Regi respondit.

Legatos Romam mittit, consultũ Pontificẽ

Leo Episcopus, seruus seruorum Dei, dilecto filio suo Eduardo Anglorum Regi, salutem & Apostolicam benedictionem. Quoniam voluntatem tuam laudabilem & Deo gratam cognouimus, gratias agimus ei, per quem Reges regnant, & Principes iusta decernunt. Sed quia prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate, & Sancti Apostoli cum suo capite coniuncti vnus spiritus sunt, & pias preces æqualiter audiunt, & quia constat periclitari religionem Anglicam ex tua discessione, qui freno iustitiæ seditiosos eius motus cohibes, ex auctoritate Dei, & Sanctorum Apostolorum, & sanctæ Synodi, absoluimus te à peccato illius voti, pro quo Dei offensam times: & ab omnibus negligentiis & iniquitatibus tuis, ea potestate vsi, quam Dominus in D. Petro concessit nobis dicens: quæcunque solueritis super terram, soluta erunt & in cælo.

P.Clem. Reiner. Apostolat Angliæ.

A Gregorio IX. Pontifice (ante id S. Benedicti Monachos) solui tur voto.

Deinde

Deinde præcipimus tibi sub nomine sanctæ obedientiæ & pænitentiæ, vt expensas, quas ad iter istud paraueras, pauperibus eroges, & Cœnobium Monachorum in honorem Sancti Petri Apostolorum principis aut nouum construas, aut vetustum emendes, augeas, & sufficientiam victualium fratribus de tuis reditibus constituas, quatenus dum illi aßidue inibi Deum laudauerint, & sanctis augeatur gloria, & tibi indulgentia. Cui loco quicquid contulerus, vel collatum est, vel conferetur, vt ratum sit, Apostolica auctoritate præcipimus, & vt semper habitatio Monachorum sit, & nulli laicæ personæ, nisi Regi, subdatur: & quæcunque priuilegia ibi constituere volueris, ad honorem Dei pertinentia, concedimus, & robustißima auctoritate confirmamus, & infractores eorum æterna maledictione damnamus.

Rebus hunc in modum Romæ compositis, Eduardus toto animi impetu in Westmonasterium è rudeeibus erigendum ornandumque incubuit. Sed iuuat narranti de se regi aures dare. *Interea reuelauit B. Petrus cuidam probabilis vitæ Monacho incluso, nomine VVulsino, voluntatem suam esse vt restruerem locum, qui dicitur VVestmonasterium, quod à tempore Sancti Augustini, primi Anglorum Episcopi institutum, multaque veterum Regum munificentia honoratum, propter vetustates & frequentes bellorum tumultus pene videbatur destructum. Cumque is mihi hanc visionem, & ego meis retulissem, & Apostolicæ litteræ venissent, contuli voluntatem meam voluntati Dei, & cum totius regni electione dedi me ad restructionem eiusdem loci. Itaque decimari præcepi omnem substantiam meam tam in auro & argento, quam in pecudibus, & omni genere possessionum: & destruens veterem, nouam à fundamentis Basilicam construxi, & constructam dedicari feci V. Cal. Ian. in qua collocaui ipsa die Reliquias, quas Martinus Papa & Leo (qui eum coronauit) dederunt Alfredo Regi; & quas ipse à Carolomanno Rege Francorum dari sibi impetrauit, cuius filiam pater eius Athelvvolphus Rex, post mortem primæ coniugis, duxerat vxorem, quæque ab ipso ad successorem eius Athelstanum, deinde ad Edgarum, ad vltimum ad nos peruenerunt: scilicet duas partes Crucis Domini: & partem vnius claui, partemque tunicæ eius inconsutilis. Et de vestimentis S. Mariæ: & reliquias Apostolorum Petri & Pauli, Andreæ, & Bartholomæi, Barnabæ & aliorum plurimorum Sanctorum: & quinque capsas, aliorum Sanctorum reliquiis plenas. Et statui vt quicunque reus Maiestatis Regiæ, vel cuiuslibet alterius offensæ, ad locum in quo pausant istæ reliquiæ confugerit, eius rei, & membrorum ac vitæ immunitatem consequatur.*

D. Henrici Spelmā M.S. *Item Alredus apud Sur. 5. Ian.*

Westmonasteriū instaurat.

Porro Rex audito quam sanctos mores colerent Westmonasterienses, captus loci religione, vt ibi post fata conderetur, mandauit, quod exemplum imitati cæteri deinceps Reges Angliæ, quisque sepeliri ibidem voluerunt. Cum igitur olim Sanctus Petrus Ecclesiam dedicando magnam huic Cœnobio addiderit dignitatem, Sanctus Eduardus verò, commune Regum Mausoleum id designando, vehementer auxerit, magna Monachorum copia opus esse intelligens, tam de numero quam de fortunis & priuilegiis eidem diligentissime prospexit. Immo ne cura sua, qua studebat huic Monasterio, desiderari posset, quædam ornamenta etiam Roma accersiuit. At subiiciemus regium diploma, & datam ad Nicolaum II. epistolam.

Commune Regū Angliæ. Mausoleū VVestmonasterium est.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Propter eos, qui iustitiam Dei contemnunt, & suam volunt constituere, quoniam iustitiæ Dei non sunt subiecti, procurandum est his qui Ecclesiarum Dei priuilegia constituunt, vt multiplices chartas & multitudinem testium atque maledictionum congerant, quibus etsi non semper, tamen aliquoties pessimorum hominum impia proteruia & perniciosa præsumptio tutius propellatur, retundatur, ac reuerberetur, nec non fortißimo defensionis robore funditus eradicetur. Quapropter ego Eduardus Dei gratia Anglorum Rex notum facio omnibus futuris post me sæculis & generationibus, quoniam præcepto Leonis Papæ pro pænitentia & remißione peccatorum meorum renouaui & melioraui Basilicam Sancti Petri, quæ sita est prope mœnia principalis Anglorum vrbis Londoniarum & ab Occidentali ora eiusdem fuerat sub Mellito Londoniarum primo Episcopo, socio & contemporaneo primi Cantuariæ Archiepiscopi, & per ipsum B. Petrum Angelico famulante seruitio, sanctæ crucis impreßione, & sacri chrismatis perunctione dedicata: sed per frequentes incursiones barbarorum, & maxime Danorum (qui patre meo Ethelredo viuente irruptionem in Angliam fecerant, & eo mortuo cum fratre meo Edmundo dimidium regni sub amicitiarum pactione tenuerunt; fratremque alium Alfredum miserabiliter interemptum, enecauerunt) neglecta penitus & destructa videbatur. Cum ergo renouassem ea, & multa priuilegia regiæ potestatis & Apostolicæ auctoritatis per beatum Leonem Papam constituissem, defuncto ipso Leone, & confirmato in eius loco Nicolao, placuit mihi renouare, & meliorare, & confirmare consuetudines & donationes pecuniarum, quas antecessores mei Reges, Sancto Petro instituerunt, propter deuotionem summam, quam habuit semper Anglorum gens erga eum, & eius Vicarios. Itaque

MS. D. Henrici Spelmā in Apostol. Angliæ. P. Clem. Reineri. fol. 68.

propter hoc negotium & alia quam plura, legatos misi Romam, Episcopum vnum Alfredum, & duos electos ad ordinandum Episcopos, Glisonem scilicet & VValtherum, vt à Domino Papa sacrarentur. Venientes autem Romam ab Apostolico Nicolao honore quo decebat suscepti inuenerunt ibi ad Synodum congregatam multitudinem magnam Episcoporum, Abbatum, Monachorum, & Clericorum, caeterorumque fidelium, cumque audiente Synodo sua legationis causam perorarent, huiuscemodi epistolam Domino Papa obtulerunt.

Epistola S. Eduardi ad Nicol. Pontificem.

Summo vniuersalis Ecclesiae Patri Nicolao, Eduardus gratia Dei Anglorum Rex debitam subiectionem & obedientiam. Glorificemus Deum quia curam habet sua electa Ecclesia, quoniam in loco boni praedecessoris vos optimum successorem constituit. Quapropter iustum iudicamus apud vos, velut ad solidam petram accedere, & probare omnes bonas actiones nostras, & vestram notitiam & societatem in bono habere, quatenus eas donationes & priuilegia quae obtinuimus apud praedecessorem vestrum, renouetis & augeatis nobis, videlicet vt quod ille iniunxerat nobis sub nomine obedientiae & poenitentiae propter votum, quo voueram ire Romam: & in remissionem omnium peccatorum meorum construere Coenobium Monachorum in honorem Apostoli Petri, ratum faciatis, & priuilegia possessionum & dignitatum eiusdem loci confirmetis, renouetis & decernatis. Ego quoque pro modulo meo augeo & confirmo donationes & consuetudines pecuniarum quas habet S. Petrus in Anglia, & ipsas pecunias collectas cum regalibus donis mitto vobis, vt oretis pro me, & pace regni mei, & continuam & solennem memoriam instituatis totius gentis Angliae coram corporibus Apostolorum Sanctorum.

His igitur litteris (pergit Rex) à Summo Pontifice susceptis, cum feliciter ad votum suum omnibus peractis à Roma redirent, consulente sancta Synodo transmissam à Domino Papa mihi tulerunt epistolam.

Epistola Nicolai Pontif. ad Eduardū.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei, gloriosissimo ac piissimo omnique honore dignissimo, speciali quoque filio nostro Eduardo Anglorum Regi, visitationem omnimodam, salutem mellifluam & benedictionem Apostolicam. Omnipotenti Deo referimus grates, qui vestram prudentissimam excellentiam in omnibus ornauit & decorauit, erga D. Petrum Apostolorum principem nobiscum habere dilectionem, & in omnibus Apostolicis consentire censuris. Litteras igitur vestrae nobilitati transmittimus, & per eas SS. Apostolorum societatem & nostram damus, orantes misericordiam illius qui est Dominus omnium, & Rex super omnia solus, vt ipse vos participem faciat ex omnibus (si quae sunt coram Deo) bonis operibus nostris, & fratres nostros ac socios in sua dilectione constituat in omni tempore: amplius & non minorem partem obsequij nostri vobis in suo regno reconsignet, quam nobismetipsis prouenire optamus. Erimus etiam deinceps pro vobis sine dubio orantes assidue, vt ipse Deus subijciat hostes & inimicos, qui contra vos voluerint insurgere, & confirmet vos in paterno solio, & propria haereditate, ac B. Petrus sit vobis custos, & adiutor in omni tribulatione. Claret enim Anglorum Reges, pro reuerentia & deuotione quam exhibuerunt B. Petro, gloria & honore floruisse, ac ipsius patrocinio famosos triumphos obtinuisse: cuius B. Apostoli meritis vestro desiderio & voluntati Omnipotens Deus praestet effectum, & confirmet vobis paterni regni imperium, & tribuat pacis incrementum, & post praesentis vitae decursum, perducat ad aeternum permanentis gloriae imperium. Renouamus ergo & confirmamus & augemus vobis priuilegia vestra, scilicet vt absolutus sitis ab illo voto quod timebatis, & ab omnibus alijs peccatis & iniquitatibus vestris authoritate illius, qui me, licet indignum, sua sanctae praeesse voluit Ecclesiae. Praeterea illi loco, quem sub nomine sanctae poenitentiae construendum & meliorandum suscepisti, quoniam (vt fertur) primam antiquitus consecrationem à B. Petro accepit, cuius licet indigni Vicarij sumus, & quia regia antiquitus sedes est, ex auctoritate Dei & SS. Apostolorum, atque huius Romanae Sedis & nostra concedimus, permittimus, & solidissime confirmamus, vt amplius in perpetuum regiae constitutionis & consecrationis locus sit, atque repositorium regalium insignium, & habitatio perpetua Monachorum, qui nulli omnino personae, nisi Regi, subdantur, habeantque potestatem secundum Regulam Sancti Benedicti per successiones eligere ex se idoneos Abbates, neque introducatur per violentiam extranea persona, nisi quam concors Congregatio praelegerit. Absoluimus etiam eum locum ab omni seruitio & dominatione Episcopali, vt nullus Episcopus illuc introeat ordinaturus aut praecepturus aliquid, nisi ex petitione & consensu Abbatis, & Monachorum: & habeat idem locus liberum, id est, ambitum vel coemiterium mortuorum circa se, absque Episcopali vel cuiuslibet respectu vel exactione & omnia quae ad libertatem & exaltationem illius loci, ad honorem Dei pertinentia, per auctoritatem nostram accedere possent, hilari & promptissima voluntate concedimus.

Westmonasteriū regiæ cōsecrationi assignatur

Possessiones autem, quas antiqui Reges, seu quicunque alij homines, vos quoque & veri Barones, ad eundem locum contulistis, & chartas quae ex eis factae sunt, diuina & nostra auctoritate roboramus, & ratas & stabiles esse decernimus & infractores earum vel inuasores aut diminutores, aut dispersores, venditores etiam, aeterna maledictione cum Iuda traditore damnamus, vt in beata non habeant partem

resurrectione, sed à Beato Petro Apostolo se iudicandos sciant, quando sedebit cum suis Coapostolis, iudicans duodecim tribus Israel. Vobis vero & posteris vestris Regibus committimus aduocationem & tuitionem eiusdem loci & omnium totius Angliæ Ecclesiarum, ut vice nostra cum consilio Episcoporum & Abbatum constituatis vbique quæ iusta sunt, scientes pro hoc vos recepturos dignam mercedem ab eo, cuius regnum & imperium non desinet, neque minuetur in sæculum. Valete.

Hanc igitur epistolam Apostolici priuilegij (iterum sanctum Eduardum audis) placuit inserere huic nostræ confirmationi, ut secundum quod S. Leoni primo placuerat, mihique præceperat, concordante ad hoc successore eius Nicolao, & eadem aut maiora mihi præcipiente, Sciant omnes futuræ generationes, me pro voti prædicti absolutione peccatorumque meorum omnium remissione, & æternæ vitæ remuneratione, & pro animabus Regum tam successorum, quam prædecessorum meorum, & omnium parentum meorum, & pro pace & stabilitate regni mei, & prosperitate totius Anglorum populi, loco illi omnimodam libertatem, quantum ad potestatem terrenam, concessisse: & quod ille de Ecclesiastica hoc ego regia libertate statuo. Eius igitur amoris stimulo, ac fide plenissima & deuotissima suffultus, cuius largiflua miseratione in cathedra regali promotus sum, cum consilio & decreto Archiepiscoporum, Episcoporum, Comitum, aliorumque omnium optimatum prospiciens, hoc ipsi Ecclesiæ & habitantibus in ea, siue pertinentibus ad eam, utile fore non solum in præsenti, sed in futuro elegi sanciendum, atque perpeti stabilimento ab omnibus firmandum, ut pro Christi amore & honore, & pro reuerentia summi Apostolorum Principis Petri, cuius patrocinio me ipsum commisi: & pro deuotione & veneratione sanctarum Reliquiarum, quas eidem loco contuli, Beatorum videlicet Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum, ut Omnipotens Deus per istorum suffragia Sanctorum depulsis cunctis aduersitatibus, cum pacis & honoris sui stabilitate, ac perpetuæ tranquillitatis sublimatione, locum custodiat, disponat, protegat. Et pro magnifica dignitate siue regali excellentia ipsius Ecclesiæ, & pro quiete Monachorum ibidem Deo famulantium, tantus honor eidem Ecclesiæ habeatur in perpetuum, & obseruetur, vt neque nos, neque successores nostri, neque quilibet Episcopus, nec quicunque de iudiciaria potestate in ipsam sanctam Basilicam vel in manentes in ipsa, vel in homines qui cum suis terris vel quibuscunque substantijs ad ipsam tradere, vel deuouere se voluerint, nisi per voluntatem Abbatis & suorum Monachorum, ullam vnquã habeant potestatem. Sed sit hæc S. mater Ecclesia peculiaris patroni nostri Domini & magni Apostoli B. Petri libera & absoluta ab omni inuasione vel inquietudine omnium hominum cuiuscunque ordinis vel potestatis esse videantur. Præterea aliud constituo atque in perpetuum confirmo, vt quisquis fugitiuorũ de quocunque loco, pro quacunque causa, cuiuscunque conditionis sit, ipsum sanctum locum, vel procinctum eius fugiens intrauerit, immunis omnino hanc plenam libertatem cõsequatur &c. Hanc igitur chartam meæ donationis & libertatis in die dedicationis prædictæ Ecclesiæ recitari iussi coram Episcopis, Abbatibus, Comitibus, & omnibus Optimatibus Angliæ, omnique populo audiente & vidente, & secundum Apostolici Leonis eiusq; successoris Nicolai consilium, excommunicari feci eos, qui decretum nostrum infringerent, vel infringi permitterent, quantum in ipsis esset. Quisquis autem successorum meorum hanc donationis libertatem firmiter atque inuiolabiliter custodierit, æterna coronetur claritate, cælestisque regni plena perfruatur felicitate. Si quis vero, quod absit, destruere voluerit, vel huius nostri decreti contradictor, conuulsor & temerator extiterit, cum Iuda traditore æterno anathemati subiaceat, nisi Deo & Beato suo Apostolo Petro digna pœnitentia satisfecerit. Vt ergo hæc auctoritas nostris & futuris temporibus circa ipsum sanctum locum perenniter firma & inuiolata permaneat, vel per omnia tempora illæsa custodiatur atque conseruetur, & ab omnibus Optimatibus nostris & iudicibus publicis & priuatis melius & certius credatur, manus nostræ subscriptione subter eam decreuimus roborare, & idoneos testes annotare, atque sigillo nostro iussimus sigillare.

Templũ Westmonast. reorum asylum.

† Ego Eduardus Dei gratia Anglorum Rex hoc priuilegium iussi componere, & compositum cũ signo Dominicæ crucis confirmando impressi.

† Ego Edgitha Regina omni alacritate mentis hoc corroboraui.

† Ego Stigandus sanctæ Metropolis Ecclesiæ Cantuariæ Episcopus confirmaui.

† Ego Eldredus Archiepiscopus Eboracensis Ecclesiæ consignaui.

† Ego Wilhelmus Episcopus Londoniensis Ecclesiæ ad omnia subscripta consentiens subscripsi.

† Ege Hermannus Episcoput consensi & subscripsi.

† Ego Vulsinus Episcopus consensi & subscripsi.

† Ego Walterus Episc. cõsensi & subscripsi.

† *Ego Leofricus Episcopus consensi & subscripsi.*
† *Ego Guiro Episcopus consensi & subscr.*
† *Ego Wulstanus Episcopus consensi & subscripsi.*
† *Ego Sivvardus Episcopus cōsensi & subscripsi.*
† *Ego Goduvicius Episcopus consensi & subscripsi.*
† *Ego Agelsius Episc. cōsensi & subscripsi.*
† *Ego Edvvinus Abbas consensi & subscripsi.*
† *Ego Agelvvius Abbas consensi & subscripsi.*
† *Ego Leofricus Abbas consensi & subscr.*
† *Ego Baldevvinus Abbas consensi & subscripsi.*
† *Ego Wulvvoldus Abbas consensi & subscripsi.*
† *Ego Edmundus Abbas cōsensi & subscr.*
† *Ego Rembaldus Regis Cancellarius relegi & sigillaui.*
† *Ego Osbernus Regis Capellanus.*
† *Ego Petrus Regis Capellanus.*
† *Ego Ropertus Regis Capellanus.*
† *Ego Haraldus Dux.*
† *Ego Edvvinus Comes.*
† *Ego Gud Comes.*
† *Ego Leofvvinus Comes.*
† *Ego Markerus Comes.*
† *Ego Esgarus minister.*
† *Ego Bondius minister.*
† *Ego Radulphus minister.*
† *Ego Rodbertus minister.*
† *Ego Aghnodus minister.*
† *Ego Wigodus minister.*
† *Ego Adnoulphus minister.*
† *Ego Wulfricus miles.*
† *Ego Sivvardus miles.*
† *Ego Colo miles.*
† *Ego Wulfvvardus miles.* † *omnes consentientes subscripsimus. Stabilita apud Westmonasterium v. Kal. Ianuarij, die SS. Innocentum, Anno Dominicæ Incarnationis millesimo sexagesimo sexto indictione tertia. Anno regni Eduardi nobilissimi & clementissimi Regis vigesimo quinto. Ego Alfgeatus Notarius ad vicem Rembaldi regiæ dignitatis Cancellarij, hoc priuilegium scripsi, & subscripsi in Dei nomine feliciter Amen.*

Westmonasteriū S.Eduardi delicium. Longum diploma, sed à nobis prætereundum non fuit, vt è vetustis monumentis erutum, à tenebris, vel potius (quod Clemens Reinerus in Apostolatu Angliæ ait) ab interitu vindicaretur. Porro incredibile dictu est, quantis hoc Monasterium beneficijs S. Eduard⁹ viginti quatuor vel quinque annorum spatio cumulauerit: quanta sedulitate rem diuinam ibidem frequentauerit: quanta suauitate sermones crebro longissimos de mundi vanitate ac solidis cœli gaudijs cum Abbate Bruseo (alij Bulseum nominant) instituerit. Tandem vita sanctissime defunctum, in Westmonasterio sepeliuere. Mausoleo iam ante id posito Cœlitibus postmodum insertus, non modo regijs ossibus sed etiam sacris, magnum decus Monasterio addidit. Nam vita à Rege innocentissime traducta, nec non miracula ab eodem edita, pertraxerunt Alexandrum Pontificem, vt beatis Superis virum adscriberet: à quo deinde Henricus II. vt gratiam iniret, regia pompa adornata, nobilibus, equitibus, Episcopis, Abbatibus, verbo, quotquot in regno eminebant confluentibus, ruente quoque populo spectandi auido, in locum regio cultu instructum per S. Thomam, Episcopum Cantuariensem, transferri curauit. Corpus adeo nihil formæ prioris perdiderat, vt tum primum fuisse conditum videretur. Ac Mausoleum. S. Eduardus ab Henrico II. in locū splēdidiorem trāsfertur.

Abbas annulum digito exemit, & pignoris & magni thesauri loco eum habiturus. Neque id ægre S. Eduardus tulisse censendus est, quando hoc annulo multa miracula patrata fuere, quæ Polydorus Virgilius narrat. Maxime autem morbo caduco, & animi deliquio soluere, ait, si laborantium digitis inseratur. Inde Reges Angliæ bene annulis dicere, ac distribuere suæ manu consueuerunt, prætentia aduersus eadem mala remedia, quod experientia longa constitit. Addit Polydorus S. Eduardum etiam strumas contactu auertuncasse: idemque præstare Reges Angliæ posteros, cui Franciscus Rosiers accedit. Ego tamen de strumis certi nihil affirmauero. Regibus Galliæ hanc gratiam meritis S. Marculphi Monachi nostri fuisse impetratam, communis & comperta vox est: fama velit nolit refert. At cum Reges Angliæ Galliam quoque sibi iure deberi olim contenderent, illius regni historici, huius etiam regni gloriam S. Eduardi successoribus adscribere sunt ausi, quam in messem nostram nos falcem non mittimus. Pro certo autem habemus, Westmonasterium inter Angliæ Cænobia excelluisse: sed post illatum regium corpus, bono interuallo cætera antecessisse. Nam plerique Regum post sanctum Eduardum cum coniugibus & liberis ibidem humari voluerunt. Iam dudum à Gregorio Lilio syllabus porrigitur sepultorum Westmonasterij Regum, quo tamen nos supersedemus, cum nonnunquam hiatum ducere videatur. Dixisses etiam in tumulis exempla monere, adeo multi Reges sanctum Eduardum sequuti sunt, qui magnis ante donis

Miraculosus Regis annulus. Polyd. l. 8. Hist. Ang. Franc. Rosiers tom. 6. cap. 41. hist. Lothar. Magna Westmonasterij decora. Georgio Lil. epitō. hist. Angl.

donis Ascerterium auxerunt, quam fatalem glebam acciperent. Regium quoque palatium intra ipsum Monasterium extruxerunt, in quo magnam anni partem Reges cum coniugibus & liberis ducere solebant. Cancellaria etiam regni Westmonasterio & regiæ adhæsit. Apertum hic insuper asylum fuit, vnde abducere confugientes vel auellere nefas erat. Neque vulgus tantum, sed Principes etiam periculo hic se eripiebant. Item grauissima regni negotia non Londini, sed Westmonasterij expediebantur. Huc confluunt Angliæ Procuratores, regnique ordines: hic aguntur Comitia: hic Reges inaugurantur: audiuntur exterorum Principum legati: tota insula hunc ad cardinem vertitur, tantam loco dignitatem sanctus Petrus, sanctus Eduardus, alijque Reges conciliarunt. Inuitat præterea amplissimorum ædificiorum moles: atriorum spatia, quibus ingens multitudo capitur: vt si amplitudinem fabricæ spectes, tota Hispania non repetias, quam ad Westmonasteriensem compares. Singularis machina Escurialis est: arte, luce, opibus, splendore, superior: at si vastissimi spacij Westmonasterij rationem habeas, Escuriale Monasterium gallum supra turrim putes. Iudices oculatos appello. Nam supersunt etiamnum hodie, qui locum vtrumque pedibus & oculis triuerunt. Iusto vero Dei iudicio tam superba moles in rudera subsedit, vt præter fundum & vindictæ diuinæ vestigia nihil restet, postquam Henricus VIII. cum Ecclesia Catholica inimicitijs susceptis, Monachos eiecit.

Polydor. passim.

CAPVT III.

Monachi sancti Benedicti summis viribus Ecclesiam Romanam in Anglia nutantem fulciunt: ideoque ad grauissima supplicia aguntur.

Heroica Monachorum Westmonasteriensium pectora Henrico VIII. deinde Elisabetha Angliæ sceptrum ceu ferrum stringentibus, apparuere. Feckenamus, vir sanctus, Westmonasterium vltimus moderabatur, regni, dum res Catholica vel stabat, vel vacillabat, ac vita durabat, columna. Non, inquam, numerus, sed fidei Romanæ munimentum erat: aduersus nouum schisma aries, Regem Regisque malam fidem fortissime oppugnando: nec vlla vi adduci potuit, vt tam insignem contumeliam in se acciperet, infandis erroribus & decretis subscribendo. Facere tamen non potuit obluctando, quin Regis & ministrorum furor, sacra profanis misceret: religionem tota insula proscriberet. Sua tamen virtute, constantia, fidei confessione, multis salutem attulit, vt animis sumptis in exemplum irent. Nobilior ipse quoque ærumnis, à tyranno & libidinis socijs illatis, euasit; qui eo demum insaniæ peruenerunt, vt insultibus diuersis mille Monasteria Ordinum variorum prostrauerint, è quibus nostra cum ditissimis Europæ tectissime composuisses. Religione igitur hanc ruinam trahente, loco & fortunis suis Westmonasterienses exciderunt. Atqui Henricus ne sacrilegas manus Regum sepulchris attulisse videretur, sæcularium Presbyterorum cœtum, veluti Capitulum Ecclesiæ Collegialis, sanctissimæ Monachorum Congregationi subrogauit. Itaque patendum Regi ab egregijs Canonicis fuit, seu sacra seu profana præciperet, vt faterentur à quo capite penderent.

Feckenamus pro nā in eā sum Ecclesiam Anglicanā fulcit.

Nicol. Sanderus lib. 1. & 3. schism. Angl.

Henricus VIII. pulsis Monachis Clericos substituit Westmonasterij.

Subinde Philippus II. Caroli V. Cæsaris filius, & Maria, Henrici ex Catharina Austriaca legitima coniuge filia, imperium adepti, Angliam hæresibus expiare: ad auitam religionem reuocare: res restituere. At at cum omnia reperere haud liceret, ne Angli, qui Rege Philippo, pientissima Regina Maria, & Reginaldo Polo Card. præcipuis Ducibus ad lineam Romanam redibant, præter tempus offensi referrent pedem, id agitatum est, vt ex antiquissimis illis Monasterijs aliqua saltem primis possessoribus redderentur, atque ante omnia VVestmonasterium, vetus sancti Benedicti Sedes: Regum Angliæ commune conditorium. Clerici Henriciani tam altas iam egerant radices, vt ne rogatu quidem Reginæ locum cedere voluerint. Tandem abacti sunt, ossa illis alia alibi obiecta, & Monachi postliminio reducti: creatus Abbas Feckenamus, Monachus quondam Eueshamensis. *His itaque rebus*, inquit Sanderus, *fundorum Ecclesiasticorum occupatores territi, videbantur aliquid turbarum excitaturi, nisi mature res tota prospectum fuisset. Eo ergo ventum est, Ordinibus id postulantibus, ac vrgentibus, vt publico instrumento Pontificis nomine & auctoritate edito, omnes de huiusmodi bonis & possessionibus in schismate acquisitis, quoad pœnas & censuras Canonicas in perpetuum securos & absolutos Legatus declara-*

Clerici migrare iubentur, intruducti vetéribus coloni.

Sander. l. 2

ret. In quo tamen omnes huiusmodi occupantes grauissime admonet, vi eorum, qui in Scripturis Sacris de hoc genere sacrilegij notantur, metuant exitus, ac Dei Omnipotentis in tales seuerissima iudicia non obliuiscantur, licet Ecclesia iut suum secundum Canones non persequatur. Westmonasterium igitur à nostris anno nati Seruatoris millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto receptum est, Maria annum quartum, Philippo tertium sceptra tenentibus. Fas est diploma restitutionis apponere.

P. Clem. Rein.sect. 3. Apost. Angl.

Regis & Reginæ diploma, quo Monachis suum Monast. restitutú est.

Rex & Regina omnibus ad quos &c. Salutem. Cum Monasterium sancti Petri Westmonasterij situm, Ordinis sancti Benedicti, quod ab antiquissimo tempore per prædecessores nostros Reges fundatum & dotatum fuit, su nuper præteritorum temporum calamitate penitus dissolutum & extinctum, inibique postmodum Collegium Canonicorum sæcularium institutum & erectum fuerit, Nos summis desiderijs expetentes, vt huiusmodi Ecclesia sancti Petri; sancti olim Monasterij, in quo insignia Regalia asseruari & Reges inungi & consecrari solent, & corpora multorum Regum prædecessorum nostrorum præfatorum tumulata existunt, remotis ab ea Decano & Canonicis, alijsque Clericis sæcularibus inibi seruientibus, Abbateque & Monachis Ordinis eiusdem sancti Benedicti introductis, de statu, in quo nunc reperitur, sæculari, transeat in eum, in quo antea erat, Regularem, inibique Monasterium Monachorum, qui secundum Regulam eiusdem Sancti, aliaque eiusdem Ordinis statuta & consuetudines viuant, & altissimo inseruiant, & restituatur, restauretur, seu de nouo erigatur, cuiuscunque cessioni & resignationi de & super Ecclesia sancti Petri præfati cum annexis, iuribusque & pertinentijs suis vniuersis, & omni iuri Collegij in ea introducto per Decanum & Canonicos Capitulum inibi seruientes, in manibus Reuerendissimi in Christo Patris, Domini Reginaldi Poli, Archiepiscopi Cantuariensis, Sanctissimi Domini nostri Papæ, & Sedis Apostolicæ ad nos, & regna nostra Angliæ & Hiberniæ, & quæcunque loca eisdem subiecta, & ad partes adiacentes de latere Legati, consanguinei nostri charissimi, & eiusdem Collegij Ecclesiæ sancti Petri præfati extinctioni, suppressioni & dissolutioni, ac Monasterij & Ordinis Regularis sancti Benedicti in eadem Ecclesia restitutioni, introductioni, restaurationi, seu de nouo erectioni, per eundem Reuerendissimum Dominum Legatum, seu quoslibet alios ad id sufficienti facultate munitos, faciendum & celebrandum, pro eo iure, quod in Ecclesia & Collegio prædictis, ad nostram regiam coronam spectat, & pertinet, motu proprio, & ex certa nostra scientia, pro nobis & successoribus nostris Regibus ad Omnipotentis Dei *gloriam, & Gloriosæ Virginis* Mariæ, *& Beati Petri, totiusque curiæ cœlestis laudem & gloriam, ac diuini cultus augmentum, consentimus, nostrumque consensum præstamus, omniaque si quæ sunt impedimenta, quo minus præmissa fieri, & executioni demandari, suumque debitum finem & effectum sortiri possint, per quascunque regni nostri leges, statuta, & ordinationes, cuiuscunque tenoris illa existant, quæ hic haberi volumus pro præmissis, ac si de verbo ad verbum præsentibus inserta forent introducta, eisdem motu & scientia penitus & omnino tollimus, & abolemus. In cuius rei &c. Testibus Rege & Regina apud Croydon* vii. *die Septembris, Annis regnorum Philippi & Mariæ tertio & quarto.*

Fausto igitur pede Westmonasterium reuerterunt Monachi, per iniuriam pulsi, culpa vacui. *Nam omnes Religiosi*, Nicolao Sandero, viro grauissimo teste, *communiter viuebant: diligentissime choro vacabant: nec nisi rarissime Claustrorum septa egrediebantur.* Adducendus tamen fere ante alios hac historia Iohannes Feckenamus est, obscurus natalibus, nobilis moribus. P. Clem. Rein sect. 3
nimirum in agro Wigorniensi prope Forestam siue saltum Feckenhamiæ natus, vnde cognomen duxit, quod tabulis pensionum, quas Henricus Monachis Monasterio motis imperauit, inditum est. Litteris Oxonij imbutus. Monasterio Euishamiensi cum cæteris Monachis, fratribus suis, anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo sexto ab Henrico VIII. exutus, Iohanni Bello, Episcopo Wigorniensi, opera addicta Sacellanum egit, quo satis intercepto, inde se euoluens, Edmundo Bonnero, Episcopo Londinensi, ad annum vsque millesimum quingentesimum quadragesimum nonum adhæsit. Tum enim Episcopo gradu deiecto, Feckenhamus noster spe salutis longe difflata, fideli turri creditus est Londini. Causam loco ipsius Stapletonius dixit, dum virum quadragesimale ieiunium propagasse, ac defendisse, & in sola fide salutis nostræ cardinem verti negasse, scripsit. Septima vice in publicam arenam cum hæreticis è turri descendit fortissimus bellator, quem vltimo signa pro fide Catbolica mouentem Cathedralis Ecclesia Wigorniensis spectauit. Victor in turrim iterum Londinensem & vincula ambulare iussus est. Eum Ma-

Feckenamus suo Cœnobio exuitur.

Immittitur in carcerem.

Septima vice cum hæreticis disputat.

riæ

riæ Reginæ pietas anno primo parti sceptri in lucem ac libertatem eductum, Decanatu Ecclesiæ Cathedralis sancti Pauli Londini ornauit. Cum igitur in aula plurimum valeret, non tantum proceres, sed etiam Elisabetham, id temporis priuatam, sed à Maria Regina alienam, conciliare adnisus est, ac vince hoc egit, vt in mutuam gratiam redirent. Quocirca Elisabetha officij non immemor, homini antequam coronaretur, gratias habuit. Verba eius refert Stapletonius: *Vtinam post septem annos carceris tantum inueniat Feckenamus humanitatis & fauoris, quantum cum rebus secundis floreret, ipse alijs exhibuerat.*

Broughtonus Apol. innocent. Cathol.

Maria ad Superos euocata, Comitia acta sunt, quibus ipse grauissimis verbis sententiam dicens, ab Ecclesia Catholica defectionem vi summa verborum rerumque pondere dissuasit. Elisabetha solio imponenda, paulo ante accersiuit nobilem athletam. Minister forte occupauit sedulum virum serendis vlmis intentum (sobolem adhuc in Westmonasteriensis Collegij horto cernas:), nec à nuncio expugnari potuit, vt arborum culturam Reginæ imperio posthaberet. Quid adeo colloquio illo dictum sit, etsi non sciam, diuinare tamen ausim. Nimirum, vt in eadem naui cum alijs, qui magnam ventorum secundorum rationem haberent, nauigare vellet, sibi cuique suæ consulere. Nam Archiepiscopatus Cantuariensis ei aliquando delatus fuit, si sese dederet. At lusam à Regina vbique operam Sanderus narret. *Egit cum gloriosissimo Confessore & Abbate Westmonasterij, vt Monachos suos in hac rerum mutatione abire non permitteret; sed eos de sua in Conuentum benignitate redderet certos, & securos, seque cupere vt maneant, orentque pro ipsa, & sacra faciant secundum legum, ab ipsa latarum, præscriptum. Sed boni viri non putabant æquum esse, vt Regulam S. Benedicti relinquerent propter regulam Caluini.* Bonum factum! æternæ laudi ac gloriæ vertendum Antistiti & subditis, quod rebus omnibus spoliari: exilijs agi: quam latum vnguem à Pontifice Max. discedere maluerint. Anno igitur secundo, quam sceptro potita Elisabetha est, turris Feckenamo repetenda fuit. Hic tela contra suprematum, vt vocabant, regium, lege pœnisque sancitum, procudit. Hornus mentiendi impiger fucatum libellum contra edidit, quem seu Stapletonus, seu huius nomine Harpsfeldius, vt quidam ferunt, ita belle deartuauit, vt hæreticos pudor insignis subiuerit, quod hominem infinitis officijs de se bene meritum, ita acerbe eousque vexassent. Quocirca è turri Londinensi in custodiam Mareschalli traduxerunt. Paulo post in suburbio sub lare priuato degere permissus, aquæ ductum memorandum posuit. Inde in castrum Wisbicense traiectus, crucem ibi, quæ hodie visitur, erexit. Tandē viginti amplius annis in carceris sordibus cum alijs Christi Confessoribus exactis, felicem animam corporis & carceris vinculis solutam, in cœlum emisit. Cæterum nec longior iusto, nec breuior fuit. Vultu non in longum acumen deducto, sed rotundo: fronte in hilaritatem constanter explicata: pectore lato ac firmo. Camdeno quoque dignus visus, cui in Elisabethæ suæ Annalibus hunc locum linqueret: *Feckenamus vir doctus & bonus, qui longo tempore vixit, & publice bene de pauperibus merendo, animos aduersariorum ad beneuolentiam allexit.*

Nullo lucello ob Elisabetha induci potest, vt nigra in candida vertat.

Ergo vincula & carceris squallorē denuo ferre iubetur.

Libertate à Numine ac cœlo donatur.

Camden. an. 1559.

Neque bonum tempus male me perditurum credo, si hic etiam affeiam quæ Pitsius de hoc Præsule refert. *Iohannes Feckenamus*, inquit, *Ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, & tandem Abbas Westmonasteriensis, creatus eo tempore quo in Anglia regnarunt Philippus & Maria Reges Catholici. Vir cui Deus largas benedictiones, naturæ egregias contulerat dotes. Erat in eo pietas in Deum insignis: in proximos mira charitas: in maiores singularis obseruantia: in æquales, atque etiam inferiores, mitis quædam affabilitas: in omnes dulcis humanitas. Multiplex doctrina: redundans in concionibus facundia: incredibilis Religionis Catholicæ zelus. Cum iam non obscuris indicijs cerneret omnia vergere ad ruinam, & fidem auitam omnino periclitari, hostibus Ecclesiæ strenue se opposuit, & habitis frequentibus concionibus, nonnunquam habitis etiam publicis disputationibus, libris denique scriptis Ecclesiam Dei & fidem Catholicam, quantum potuit, propugnauit. Cum denique regnante Elisabetha in Comitijs (Parlamentum vulgo vocant) ageretur de fide Catholica extirpanda, & hæresi plantanda, intrepidus publice prodijt, & apud solennem illum principum & populi cœtum Anglica lingua eloquentissimam & valde neruosam habuit orationem de veteri Patrum religione retinenda: de noua non excogitanda, nec introducenda. Cum autem res iam plane collapsa esset, & præualuisset iniquitas, ille confestim carceribus mancipatus est, primum Londini in carcere Equitis Martij: deinde in castro Wisbicensi: in vniuersum continuis plus minus viginti sex annis. Quo toto tempore à Catholicis dogmatibus propugnandis, &*

Laudatur à Pitsio.

Lingua calamoque rem Catholicam strenue egit.

Ad 26. annos in custodia, id est, miseria contriuit.

dis, & alijs charitatis operibus exercendis, quoad fieri potuit, nunquam ceſſauit. Inter cætera quæ præſtitit charitatis officia, Iohanni Storao legum Doctori propter fidem Catholicam capitis condemnato, per totam noctem adfuit, & ad mortem in craſtinum pro Chriſto fortiter perferendam animauit. Sed ad ea, quæ ſunt eruditionis veniamus. Multas quidem eaſque eruditas exarauit lucubrationes, quæ pleraque propter temporum iniquitatẽ, & auctoris incarcerationem, etiam vſque ad mortem, vna cum eo interciderunt. Exceperunt tamen boni viri quædam eius opuſcula, vel operum reliquias: inprimis Sermonem quendam, cuius thema quaſi ſpiritu prophetico ſumptum fuit ex Eccleſiaſtici c. 4. Laudaui magis mortuos quam viuentes. *Et titulum fecerat:* Sermo ſunebris in exequijs Reginæ Mariæ. Item *Orationem habitam in Comitijs, Anglice. Contra iuramentum ſupremæ auctoritatis regiæ in Eccleſiaſticis lib. 1. Contra quod opus ſcripſit Hornus Pſeudo-epiſcopus Wintanienſis, eumq; refutauit Thomas Stapletonus. De Euchariſtia contra Hoperum. Scripſit etiam Cõmentarios in Pſalmos Dauidis, quod opus Londini in manibus auctoris ſe vidiſſe, mihi ſancte affirmauit Richardus Stamburſtius.* Sed & illud perijt & eiuſmodi alia. In vinculis Confeſſor obijt anno Chriſti 1585. ſub duro in Anglia Eliſabethæ regno.

Quidam eius libri ab exitio intercepti

Longum, Superi! Martyrium. Eduardum Bochingum, Iohannem Diringom, alios, inhumana ſupplicia perpeſſos, tũ producemus, cum Henrici VIII. triſte ſchiſma à prora ad puppim vſque, quod aiunt, deſcribemus, qui neque à ſacris D. Thomæ Cantuarienſis oſſibus, tot iam ſæculis quieſcentibus, & à toto regno cultis, inſanã rabiem abſtinuit. Neq; mireris hunc vitũ vna cũ cęteris Monachis impio Regi ſtomacho præ cæteris mortalium fuiſſe, quandoquidem noſtri ſacra expeditione à Summis Pontificibus olim impoſita ſuſceptaque, Anglos fide Catholica imbuerunt: vt Eccleſiæ Romanæ ſe ſubmitterent, effecerunt: pontificiam auctoritatem acerrime defenderunt: quodque ædificarunt maiores, ſartũ tectum ſeruare ſtuduerunt ſeri nepotes, vt ne SS. Auguſtino, Thomę Cantuarienſi, Anſelmo, cæteriſque qui operam nauarunt, ſuos periret labor. Immo poſt tantum annorum tractum inſulani, qui ad Caluinum non deſecerunt, grata memoria ſuos patres repetũt: quantũ D. Benedicto debeant, agnoſcunt: S. Gregorium Eccleſiæ Doctorem, SS. Auguſtinum, Mellitum, ac ſocios: SS. Paulinum, Theodorum, Bedam, Alcuinũ, Claudium, Iohannem Scotum, Boniſacium Germaniæ Apoſtolum, Dunſtanum, Oſwaldũ, Cuthbertum, Lanfrancum, Anſelmum, aliosq; in ore habent: laudibus ferunt: quod præcipui ſui Apoſtoli ac tutelares de familia S. Benedicti fuerint, ſciunt: quod exacta barbarie ingenuis moribus ac litteris inſulam excoluerint: memorant: demũ etiam hodie Ordini noſtro veteri amicitia ſunt iuncti, quantumuis Monaſterijs euerſis, in luce Monachis noſtris verſari haud liceat. Vnde committere nõ poſſum, quin tecum epiſtolę fragmentum communicem, à Patre Alphonſo de Corral, viro longe doctiſſimo, & Congregationis Generali mihi miſſæ, quæ refert: quidnam à D. Cuthberto, ſacerdote Anglo ad S. Iacobum tendente, acceperit.

Odium Henrici in noſtros acuit memoria primorum Monachorum, qui Angliam ad Eccleſiã Rom. adduxerunt.

Epiſtola P. Alphõſi de Corral.

Narrauit mihi D. Cuthbertus, Catholicos in regno Angliæ Ordini noſtro vehementer deuotos & addictos eſſe; memores nimirum quod olim à noſtris Monachis ad ſanctam fidem cõuerſi fuiſſent. His addidit, publica voce circumferri, tum vero ſpem certam concipiendam, regnum ad Eccleſiam Romanam rediturum, cum Monachi S. Benedicti in hoc negotium denuo incumberent. Perſuaſum enim Anglis, hunc caſum eſſe reſeruatum glorioſo P. N. Benedicto: cuius nomen incolis tam amabile tam ſuaue ſit, vt poſt Iesv *Chriſti, eiuſque Matris Mariæ, ad primũ habeant. Adeoque cum duobus ab hinc annis P. Marcum Lambertum, habitu Benedictino indutum, ſupplicio hæretici affeciſſent, effuſos vndique mortales aduolaſſe, ingenti ſonitu ac murmure, bonis verbis miſto, aures verberaſſe: Angliæ ſolum inſontis ſanguine filij S. Benedicti rigatum, breui vera ac Catholicæ Religionis ferax futurum. Neque vanam ſpem ſibi affirmarunt: multi enim turpi Caluino abdicato, iterum Vicario Chriſti Pontifici Max. ſe ſubmiſerunt: quod ipſi quatuor Dominæ, quas ſecũ Vlyſſiponem in Monaſterium Sion ducebat, ſuggeſſere; ac inſuper hoc quoque: noſtrum P. Lambertum, cum ad ſupplicium raptaretur, diuinas laudes cãtaſſe. Hæc P. Alphonſus. Habitum monaſticum Marcus iſte Lambertus à Congregatione noſtra Hiſpanica petijt, quod miraculoſe ipſi aliquid à S. Benedicto ſucceſſiſſet: verũ pro habitu repulſam tulit ob cauſas quæ in Monaſterijs noſtris tunc pondus habere videbantur.* Sed plane id egit Bonum Numen, vt in Angliam reuerteretur, ſicque virtus eius ac fides palam fieret. Votis ardentiſſimis reuera Monachus, & S. Benedicti filius erat, cuius coronam & habitum in carcere prius, quam ducendus erat, ſibi impoſuit: nec mutauit. Sed alibi hæc prolixius narrabimus, quæ digitis ſaltem ſummis hic tangenda erant,

Angli Catholici monachos S. Benedicti præ alijs amant.

Marcus Lambertꝰ cũ fruſtra habitum S. Benedicti petijſſet in Hiſpania, eũ ſibi ipſe in carcere impoſuit in Anglia

quod

quod ad laudes Gregorij Magni, qui insulam illam tam curæ tamque cordi habuit, pertinere crederentur: neque Erebo emissi Catholicæ fidei hostes hæretici semen à discipulis S. Gregorij iactum, etsi summis viribus contenderent, hactenus extinguere: aut Ordinis S. P. N. Benedicti præclara gesta, beneficia, primorum Apostolorum suorum memoriam nominaue ex animis incolarum abolere potuerunt. His tantis momentis adducta Congregatio nostra Hispanica, admittendos posthac Anglos in Capitulo Generali statuit, qui magno passim numero supplices recipi flagitarunt. Hinc reperias hodie huius gentis Monachos ad S. Benedicti Vallisoleti, ad S. Benedicti de Sahagun, S. Saluatoris de Onna, S. Mariæ de Najera, Beatæ Virginis de Montesertato, ac alibi.

An. 1604.

Congregatio Hispanica aliquot Collegia excitauit, promissionibus Anglicis.

Item eadem sancta Congregatio nostra Vallisoletana vt amoti singulari, quo Angli in Ordinem S. Benedicti feruntur, luculentas gratias referret, præter Collegia antiqua duo noua excitauit, vbi soli Angli acciperentur. Designati etiam Professores, qui in vno artibus liberalibus, in altero S. Theologia, præsertim controuersijs, quæ Catholicis cum hæreticis de fide intercedunt, bonos discipulos instituerent, facinore æti incidendo, à quo magnos fructus Ecclesia Anglicana cepit. Non pauci enim ad cruentam Caluinistarum arenam ineundam firmati, Clemente VIII. Pont. Max. probante generosos spiritus, spreto periculo tentarunt vadū. Anglia vero potiti sparsos Catholicos adierunt: corroborarunt: metu mortis discusso eosdem Ecclesiæ Catholicæ penitus agglutinarunt: transfugas alios in viam reuocarunt: catenæ sanctiq Petri iterum innexuerunt, vt iam R. D. Cuthberti sacerdotis relatione nil amplius opus foret, experientia multo maiora docente.

Neq; Casinensis Congregatio operā suam Anglos desiderare passa est.

In tanta spe lucri Congregatio Casinensis sibi haud oscitandum rata, cordatos Monachos submisit, qui grassantem hæresin premerent: retia principis Apostolorum Petri, piscatoris hominum, solicita fronte explicarent: vagos pisces in vasa Christi colligerent, cum tanto sudore olim ac sanguine Ordini nostro constitissent. Eandem igitur metam Hispani ac Itali petimus, salutem laborantium animarum: currentibus autem alas addunt Pontificia priuilegia. Adde quod pios conatus imprimis feliciet Bonus Deus, id quod patres nostri & agnoscunt, & scribunt. Exemplum cupis, scio: en, habe.

P. Wilhelmus Budeus in carcerem abstrudi-tur an. 1604.

Post tot annorum grauissimam tempestatem, quæ insulæ toti incubuit, P. Wilhelmus Budeus, Monachus Westmonasteriensis, vir prudens & in rerum luce versatus, sed exoriente schismate in cæcum carcerem arcis Wisuicbe demersus. Remeauit in lucem tam canis quā squallore obsitus, quando Elisabetha post omnem tyrannidem exhaustam, Iacobo VI. Scotiæ Regi locum dedit.

A Iacobo VI. Scotiæ Rege cum alijs captiuis in lucem promitur.

Hic enim vt fausto pede Angliæ regnum adiret, captos vniuersos libertate donauit. Ergo noster P. Wilhelmus custodia solutus, qua propter fidei confessionē toto schismatis tempore erat conditus, nihil antiquius habuit, quā oculos circumferre: quid de Catholica Religione fieret, explorare: arbitrari. Vbi tam validas suppetias laboranti rei Catholicæ ab Hispanica Congregatione & Italica submitti animaduertit, tollens in cœlum manus, grandæuo Simeoni præ gaudio accinuit: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbū tuum in pace:* tumulum subire cupiens, quod his propugnatoribus fides in Anglia expugnari non posset.

Conatib⁹ Hispanorum ac Italorū applaudit.

Westmonasterium viros summa prudentia, doctrina, virtute præditos in campum olim eduxisse, qui opera, studio, consilio, concionibus, hanc insulam in extremo ferme orbe iacentem, ad cœlum erexerunt, neminem fugit. P. Wilhelmum Budeum ex illis luculentis facibus scintillam superesse puta. Faxit Bonus Deus (facturū autem spero) vt nouum incendium Anglorum in animis excitet, Hispanis nostris Monachis ac Italis flammas non modo souentibus, verum etiam late circumferentibus. Atque viden' vt nō falsus sum animi! Dum hæc vota nuncupam, quamque hactenus tractaui Angliam ad typographum dimisi, noua mihi è Belgio afferuntur, quæ madens pio gaudio non possum non tecum quoque communicare. Accepi ego à P. Iohanne Vatnesio Anglo, qui Salmantica à me discedens, iter cum alijs collegis suis Monachis in patriam moliebatur, opem populatibus periculo sui capitis laturus. Hi boni patres cū cæteris eidē missioni à Congregatione destinatis, Collegium Duaci ædificarunt, vbi Monachi ex Hispania in Angliam profecturi, tanquam in anchora aliquantisper hærerent: quo deinde etiam Angli veræ fidei tenaces, per tyrannidem aut huius metum in fugam acti, sese reciperent: & si vellent, D. Benedicto nomina darent.

P. Georgius Geruasius [illegible] quia patriæ salutem ferat.

Igitur Georgius Geruasius, cum aliquandiu patriæ calamitates tulisset, eiectus à tumidis fluctibus in hoc littus est: Duaci habitum monasticum sumpsit: bello aduersus hæreses suscipiendo se gnauiter parauit. Moræ longæ impatiens, breui se Anglis restituit: capitur: dumque iniqua imperia detrectat, crudelem in modum occiditur, quod epistola Hispanica his fere verbis narrat.

P. Iohan. Varnefius P. Antonio Yepes S.P.D. ac epistolam mittit.

Ade sibi ac meos Fratres obsequiis Paternitas vestra singularibus ita deuinxit, vt merito ipsam ante alios colamus, & obseruemus. Ac praeter rē me quoq; occasio inuitat, vt Paternitati vestrae crudelitatis vltimum exemplum describam, quod haeretici in quendam fratrem nostrum Londini ediderunt. Etenim per iniquum solum raptatum ad furcā, imprimis sublimē suspenderunt: & ne anima cōtinuo elaberetur diriora supplicia meditantibus, post breue interuallū incidere laqueum: tum autem solo afflictum occupantes, latus adhuc spirantis & sentientis aperuerunt, nec solum cor constantissimo Martyri eruerunt, sed insuper viscera certatim per lateris hiatum euoluerunt. Nondum satis inhumanitati litatum videbatur, nisi improba rota ipsi quoque artificiose crura fregissent. Tormenta haec grauissima subeunda erant, quod in verba Regis iurare nollet, qua de fide Catholica suspectu offerri hodie solent: nimirum à Papa nec regno exui, nec posse Regem è fidelium numero moueri. Qui enim hac non asserit, illico pro haeretico est. Fortissimus Martyr magnum constantiae exemplum praeuit, bis haereticis audientibus professus, Monachū se D. Benedicti esse, atque illo ex Ordine prodiisse, qui olim Euangelio imbuisset Angliam: quam liberam vocem semel ante latam fatalem sententiam emisit: deinde ad furcam repetiuit. Noster P. Gregorius Grange Martyrem adusque carnificinam prosequutus est, eum qua licuit animando. Ille conte-ctu oculorum indicauit, gratū sibi obsequium illud accidere. Quid post haec haeretici? Librum impresserunt & vulgarunt, sic inscriptum: Georgius Geruasius Sacerdos, & Monachus Benedictinus, proditor. *Ita Demum Duacs excitatam, Martyris sanguine rigare coepimus. Bene valeat.*

P. Georg. Geruasi suspenditur: corde ac visceribus exuitur: rota frangitur.

His litteris mihi redditis, incredibile dictu est quanta laetitia fuerim affectus. Quid multis? *Dilatatum est cor meum, & exultauit lingua mea.* Cum igitur gaudium hoc comprimere non possem, lingua & calamo in alios id effudi: neque hoc solum, sed insuper mille gratias Opt. Max. Deo memini, quod haeretici filios gloriosi Patriarchae ob praeclara facinora angue peius oderint: in nomenclaturam proditorum coniiciant. Neque mirum faciunt, discipulos conuitiis proscindendo, si magistri famā lacerarunt. Omne Monachorum numen ab haereticis nostra aetate traduci, Alanus Copus Anglus, vir clarissimus, affirmat; altius tamen dentes in S. Benedicto figere, quod hic vir in Europa is fuerit, qui in Ægypto & Palaestina S. Antonius, S. Hilarion, ac alii: vel certe quod non modo ad istos Monachorum Patres, sed insuper ad Mosen, Eliam, Elisaeum, Paulum comparari, indignentur. Hinc illa ludibria & murmura. Sed dum toto calumniarum agmine in familiam sancti Benedicti inuehuntur, non pro iniuria sed gloria, vt par est, accipimus.

Alā. Cop. cont. Mag. d. burg. c. 29.

Venena Caluinistę Anglię in S. Benedictum vomunt ore pleniore.

Atqui Monachorum est, inquiunt, solitudine condi: contemplari: à publico abstinere: non obire domos saecularium: palatiis principum haudquaquam inferre pedem: multo minus rem aularum agere. At non ideo fugam facimus, mi homo, sed haereticos hinc agnoscimus, quod Ecclesię Catholicae consuetudinem ignorent. Enimuero si Euangelii principia callerent, facile intelligerent horas in recessu ductas, atque sacrarum rerum meditatione detritas, Euangelii propagationem & errantium mortalium ad frugem reuocationem non impedire, sed vehementer promouere, dum nulli melius quoscunque hominum instruunt quam illi, qui à Deo per meditationem abinere doctiores. Atque hoc mihi responde sis, an non Moses legem daturus, tum etiam ius dicturus, ac crebro verba facturus Iudaico populo, prius relictis turbis in montem solus se subduxerit? quadraginta dies ieiunando extraxerit? Deo ac coelo tantum adhaeserit? Elias antequam haberet conciones, idem fecit: cuius longe vtilissimi studii sanctus Benedictus nos haeredes scripsit, qui dies quadraginta, non minus, altissima contemplatione consumpsit, antequam Casinum montem conderet. Postea vero in idola ruit: ad Christiana facta eorum cultores traduxit. *Vir Dei,* inquit Magnus Gregorius, *illuc perueniens, contriuit idolum: subuertit aram: succendit lucos: & commorantem circumquaque multitudinem praedicatione continua ad fidem vocabat.* In vestigia pii Patris dociles iuere filii, dimissa per Orbem indefessa opera paganismum, idololatriam, schismata, haereses, scelera passim nata, extinguendo, vt nimis stulte philosophentur (ne quid grauius dicam) haeretici, qui vitae contemplatiuae addictos atq; deditos à fidei propagandae vel conseruandae negotio arcendos putant, cum illi ad hoc ministerium aptissimi, caeterisq; antesetendi sint; qui Deo per meditationem coniunctissimi, à rebus autem terrenis alienissimi sunt. Veterum tibi exemplorum atque speciminum veniat in mentem. Haereticis & gentilibus conuertendis remissius vacare coeperunt Monachi S. Benedicti, vt nouis quoque Religiosis, oppido multis, aliquem locum cederent. Remisisse Monachos annis praeteritis ab hoc studio, vel ideo vetti vitio illis non debet, quod locum etiam

E solitudine aptissimi piscatores hominū, ac moderatores animarum prodeunt

Exod. 24.

3. Reg. 19.

D. Gregor. 2. Dial. c. 8.

etiam aliquem nouis verbi diuini præconibus beneuole cedendum, recte putauerint: ipsi vero interea cum Israëlitici populi ductore in arcanum montem secesserint: genua posuerint: sublatis in astra brachijs Omnipotentem Deum in vota vocauerint, vt noui Ecclesiæ Catholicæ milites hæreticos, Ethnicos, improbos Christianos, vincerent ac triumpharent. Nunc vero dum copiæ hostiles immensum creuerunt, par esse arbitramur, vt omnes arma capiamus: omnes in atenam procurramus: omnes pugnemus: insolentissimam inimicorum rabiem simul retundamus. Romanis olim in aciem descendentibus non semper ijdem milites conserebant manum, sed mutabantur ordines, quod seruiendum occasioni sit. Itaque modo hi, modo illi collato pede dimicabant, modo pariter omnes rem gerebant, si sic necessitas tulisset. Vnde exercitum in primospilos, principes ac triarios digerere solebant. *Vbi his Ordinibus*, inquit Liuius, *exercitus instructus esset, hastati omnium primi pugnam inibant. Si hastati profligare hostem non possent, pede presso eos retrocedentes in interualla ordinum principes recipiebant: tum principum pugna erat: hastati sequebantur: triarij sub vexillis considebant, sinistro crure porrecto, scuta innixa humeris, hastas sub erecta cuspide in terra fixas, tenentes. Si apud principes quoque haud satis prospere esset pugnatum, à prima acie ad triarios sensim referebantur. Inde rem ad triarios redijsse, cum laboratur, prouerbio increbuit.*

Liu. Dec. 1. l. 8.

Non flos hi iuuenum pubescentium ad militiam, sed veterani erant: robur aciei: spes victoriæ: positis poplitibus ducis nutum expectantes, vt si vim ac necessitatem pugnandi hostis fecisset, extemplo consurgentes compressis Ordinibus in illum ruerent, ipso quoque aspectu formidolosi.

Ordines Monachorum à sua origine egregiam operam Ecclesiæ nauarunt.

Monachorum Ordines animarum magnam curam habuisse, concionando, exhortando, ad fidem idololatras, ad frugem peccatores reuocando, Ecclesiæ insignem operam nauasse vt primum fuere instituti, certum est. De S. P. N. Benedicto affirmauit hoc aperte D. Gregorius. De ipsius discipulis ac posteris dixere alij, nobisque in promptu esset hic dicere, nisi tam ante festum, quam post festum venire, ridiculum esset. Successerunt deinde multæ mendicantium & non mendicantium Monachorum familiæ, quæ tot in hæreticos & Ecclesiæ hostes tela coniecerunt, vt manus dare visi sint: nec nouis copijs opus esse credidisses sed palmis tantum supinis: genibus defixis: hastis ad imperium paratis. Atqui sæculum hoc hæreticos fudit innumerabiles, qui maiorem & meliorem Europæ partem impleuerunt. Quamuis autem Clerici & Monachi expediuerint arma: in hostes fortiter strinxerint: belle pugnauerint: nihilominus illi rem Catholicam in Anglia, in Gallia, in Germania fregerunt, quam tempestatem cum tempus explicare hactenus non potuerit, nulla militum culpa, sed hostium multitudine, fas est Monachos omnes arma corripere: matrem Ecclesiæ defendere: hostes successibus inflatos viribus sociatis profligare. Fas est, inquam, familias Religiosorum vniuersas, quæ genibus nixæ hactenus propitiarunt cœlum, atque brachia Superis intendentes victoriam poposcerunt, euentum inimici belli calide expectantes, nunc ceu signo dato simul prorumpere (nam res Catholica ad triarios redijt:) maiorum suorum facinora audere: crescentibus hæreticis vndique auxilia colligere: hæreses ad præterita exempla triumphare.

Par est hodie quoque Monachos è cellis prodire, ac matrem Ecclesiæ defédere.

Quam acer miles, quam generosus belli dux Iudas Machabæus fuerit, ore etiam diuino percelebratus, quem tandem in orbe Christiano fugit? Quis pugnacissimas eius copias non prædicat! Numero tamen multo inferiores, hosti succubuerunt. Quid ibi vis! *Neque Hercules contra duos.* Quamuis igitur hucusque multi Religiosi hæreticis in Anglia bellum mouerint: grassantem Caluinum premere ac coërcere desudauerint; verumenimuero si ipsos ad profanos præcones, & corruptam veneno fæcem componas, perpaucos numerauetis, vt multitudine obruti (quid enim hæretici virtute possint?) debitam palmam referre non queant. Ita nimirum cœlo visum, vt omnes pariter Ordines hosti manus afferrent.

Cæterum, hoc opus, hic labor in Anglia ante alios ad Monachos sancti Benedicti pertinet, qui Euangelium insulæ intulerunt: idque propagando vitam cum sanguine fuderunt: Monasteria præclarissima per regnum condiderunt. Solent belli duces, priusquam classicum canant, militum animos oratione erigere: præclare gesta: patriam, parentes, vxores, liberos, honorem, larem, salutem oculis obijcere. Tale quid sanctus Benedictus è cœlo molitur. Gregorium Magnum, SS. Augustinum, Mellitum, Iustum, aliosque Angliæ Apostolos in mentem nobis reuocat: ante ora statuit: omnes suas Congregationes in sacrum hoc bellum ciet: ne patiantur fidem Catholicam, cuius iugulum tanto conatu

Ordo S. Benedicti ante alios suam operá Angliæ debet.

petunt

peruot Caluinistæ, extingui, & tumulo ad Ordinis dedecus componi, quæ non absque sudore nata est, nec absque sanguine adoleuit in Anglia.

Timidos, vel etiam ignauos, proximum virtutis generosæ exemplum à Gregorio Geruasio editum accendat, quem hæretici non modo traha ceu canem mortuum ad supplicium raptarunt: in furcam sustulerunt: inciso laqueo delapsum ferro (ô ferreos Caluinistas!) denuo inuaserunt: ducto per latus immani sulco viscera cum corde etiamnum viuenti eripuerunt: sed insuper pedibus quoque priuarunt, tyrannide aucta: an vt Monachis Hispanis sic intentarent minas, si venissent in Angliam, non redituros domum? Atqui elephas, quo nullum animal prudentius, conspecto sanguine non exanimatur, sed nouis spiritibus in aduersam aciem animatur: se intendit: barrit: tam late stragem quam ferrum circumfert. Ita Antiochus liquorem vuæ & mori his belluis ostendit, vt eas acueret ad prælium. Frustra profecto Caluinistæ Patrem Geruasium, sic fœde lacerum, Monachis nostris Anglis, missioni & macello insulæ destinatis, ob oculos obiecerunt. Vulneta, viscera, sanguinem postquam viderunt, studio pugnandi contra hæreses accensi, huic Martyri sanctæ inuiderunt: Ciuitibus imminuto occinuerunt: *Quam speciosi sunt pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona!* Aspice amabo: nam Pontifices & Imperatores capitibus suis huiusmodi pedes religiose imponunt. Mihi profecto magna spes in diuina misericordia sita est, vestigia pedum P. N. Geruasij deosculaturos eos ipsos, qui tam duris supplicijs innocentem è medio sustulerunt.

Machab. 6 *Rom. 10. Naum 1. Isai. 52.*

Annvs Christi 606. Annvs S. Benedicti 126.

Sanctus Faustus è Gallia in Italiam se restituit.

Post Gregorium Magnum etsi nobis Italia facessat negotium, non tamen tam magnum. Illi Sabinianus successit, sed anno nondum integre circumacto, Pontificatum vna cum vita posuit, quem Bonifacius III. excepit. Sanctus Faustus autem hoc ipso tempore è Gallia in Italiam reuertit, vetus S. P. N. Benedicti discipulus, quippe cui septennis nomen dederat. Incredibile dictu est, quam alte hominem gloriosi Patriarchæ nostri institutio, & sancti Mauri quadraginta vnius annorum societas, extulerit. Comes enim expeditionis fuit, in Gallias susceptæ: Monasteria condentem iuuit: S. Regulam Gallorum animis impressit: Ordinis fines protulit. Labente anno sexcentesimo sexto in Montem Casinum profectus, vbi squallere locum vidit, Romam è vestigio contendit grandæuus senex. Abbatem Lateranensem sanctus Theodorus agebat. Nam Bonito, qui Longobardis incumbentibus fuga cum suis euaserat, ac Romæ sedem fixerat, Valentinianus suffectus fuit, æque S.P.N. Benedicti discipulus, à quo D. Gregorius multa eius facinora calamo vulganda didicit. Tertium locum bonique Abbatis nomen tos sanctus Theodorus impleuit, à sancto quoque Benedicto eductus, cuius charitatem & abstinentiam alij æternæ memoriæ inciderunt. Hoc igitur viro ad clauum sedente, sanctus Faustus venit: res à S. Mauro gestas ab ouo vsque ad mala repetinit, quas auribus erectissimis Lateranenses Monachi imbiberunt, vtque omnem S. Mauri vitam componeret, etiam atque etiam orarunt. Petitioni satis fecit, Bonifacio III. Summo Pontifice lucubrationem approbante. Ipse vero annis, viribus, ad Dei gloriam, ad sacri Ordinis incrementum consumptis, beatam animam Romæ edidit, quem Ecclesia ad xv. Februarij colit. Neque deinceps in discipulos à D. Benedicto formatos, incidemus: plurimos tamen horum posteros per mundum sparsos excipiemus.

S. Faustus è Gallia in Italiam reuersus. *Leo Ostiens. l. 1. c. 2. Hist. Cas.* *Abbates Lateranenses.*

Annvs Christi 607. Annvs S. Benedicti 127.

Bonifacius IV. Ordinis sancti Benedicti Monachus.

Iam aliqua Romæ Monasteria Ordini nostro posita erant: plura hoc tempore attollebantur. Bonifacius IV. ad S. Sebastiani Monachum induerat: Bonifacio III. qui ante annum in Pontificatu integre exactum, effudit vitam, ad annum sexcentesimum septimum succedens, Ordini non tantum insignem gloriam peperit, sed insuper beneficia singularia contulit: Valeriæ apud Marsos ciuis fuit: Iobanne patre medico natus. Clauum D. Petri sex annos & octo dies tenuit, præclaris speciminibus tam sanctitatis quam prudentiæ crebro editis, Gregorij Magni æmulus: quocirca omnium ora meruit. In paterno solo Monasterium ædificauit, vbi diuinas laudes Monachi nostri dies noctesque obirent.

Bonifacius IV. D. Benedicti Monachus.

Multa

Multa in Ecclesia DEI, laude dignissima instituit, è quibus maxime celebratur omnium Sanctorum solenne festum, cui agendo is primus ansam præbuit. Scilicet stabat Romæ Pantheon, seu templum insigne, toti Deorum turbæ ab Ethnicis quondam dedicatum: etsi Plinius Ioui vindici sacratum asserat. Marcus Agrippa Octauiani Augusti Cæsaris gener, viginti quinque annos ante Christum natum exstruxerat. Sed cum longo temporis tractu passim fecisset vitium, L. Septimius Seuerus & Marcus Aurelius Antonius delabenti operi manus admouerunt, quod inscripti parietes indicant. Ab hoc tamē templo Christiani manus abstinuere, quamuis cætera Deorum inanium delubra deiecissent, ne tantam artem ruderibus sepelirent. Accedit Honorium Imperatorem, qui cultum idolorum aboleuit, sanxisse, ne opera publica, quæ ciuitatibus ornamento essent, solo æquarentur. Sed hoc parum est: ipsi quoque barbari Roma toties subacta huic ædi dedita opera pepercerunt: vnde pretium eius ac artem æstimare licet. Summi Architectorum æternitate dignam iudicant. Stetit igitur suis cum idolis ad Bonifacij Pontificatum vsque. Nam ante sanctum Gregorium nemo hæc dæmonum delubra diuino cultui dedicare ausus est, quasi post illa inferni monstra Deum Opt. Max. non caperent. Nec ipsi huic Ecclesiæ Doctori bonum factu visum, quod epistola ad Edilbertum Angliæ regem data docet. Verum mutata postmodum sententia sancto Augustino Cantuariensi Archiepiscopo potestatem fecit, huiusmodi templa sacrificijs turpissimis prius expiata, dedicandi, quod per totum orbem in consuetudinem abiuit.

Plin. l. 36. hist. natural.

L. 25. de pagā. Cod. Theod.

Lib. 9 ep. 60. & 71.

Cæterum Pantheon Bonifacius à Phoca, id temporis imperium tenente, poposcit, quod exactis vanissimis Dijs sanctæ Mariæ, sanctisque Martyribus id consecrare cuperet. Petitionis factus compos Pontifex, ad III. Idus Maij lustratum, sanctæ Mariæ dicauit, vnaque nomen ad Martyres imposuit. Sed pompa hæc quotannis sola Roma continebatur. Fluentibus annis Gregorius IV. in Calendas Nouemb. festum indixit, quo ab Ecclesia vniuersa sancta Maria, omnesque sancti Martyres colerentur. De Confessoribus autem altum vbique silentium: quod ijs tantum festiui dies institui solerent, qui mortem pro Christo oppetijssent. Postquam vero Ecclesia hos quoque publico honore prosequi cœpit, prima Nouembris dies omnes ad vnum Cœlites complexa est. Templo posteri nomen sanctæ Mariæ Rotundæ, quod in orbem sit constructum, indiderunt.

Bonifaci⁹ Pantheon D. Virgini & SS. Martyribus consecrauit.

Pantheon S. Mariæ Rotundæ nomen induit.

ANNVS CHRISTI 610. ANNVS S. BENEDICTI 130.

Concilium à S. Bonifacio celebratur.

MVltas lites hoc anno cōposuit Bonifacius IV. Habito Romæ Concilio (in quo etiam S. Mellitus, ex Anglia redux, sententiam dixit) quieti Monachorum à Clericis acerbe vexatorū etiam atque etiam studuit. *Et cum idem Papa Reuerendissimus,* inquit Venerabilis Beda, *cogeret Synodum Episcoporum Italiæ, de vita Monachorum, & quiete ordinaturus, & ipse Mellitus inter eos assedit.* Religione Christiana Anglos imbuerant Monachi: fines Ecclesiæ protulerant: vt partas Deo animas tuerentur, Sacramenta ijsdem impertiebant: hinc nata calumniarum seges apud Clericos, tum in Anglia, tum alibi quoque locorum: Monachos extra orbitā sese mouere: reprimendos & in cellas recondendos esse. Iam ante quidem in Synodo Gregorius M. sanxerat, ne Episcopi Monachorum rationes conturbarent: postquam vero his euangelium per regna circumferendum imposuit, repleri Monasteria sacerdotibus: obiri à Monachis Apostolorum munia cœperunt. Hinc illæ Clericorum & Canonicorū Cathedralium lachrymæ: hinc S. Melliti Romam suscepta profectio: hinc Concilij coactio. Bonifacius IV. Monachis insigni Canone consultum iuit, cuius partem Gratianus in Decretum retulit. Iuo Carnotensis hunc illi titulum imposuit: *Quod liceat Monachis cum sacerdotali officio vbique ministrare.* Apertius S. Petrus Damianus: *Decretum Bonifacij Papæ, quod Monachi Presbyteri honore decorati, potestatē habeant ligandi & soluendi.* Sed Canonē videamus.

Beda l. 2. c. 4.

Clerici querelas in Monachos iaciunt.

Grat. cau. 16. q. 1. c. sunt nonnulli. Iuo p. 7. c. 22. S. Pet. Dā. l. 6. ep. 19.

Sunt nonnulli, nullo dogmate fulti audacissime quidem, zelo magis amaritudinis quam dilectionis inflammati, asserentes Monachos, quia mundo mortui sunt & Deo viuunt, sacerdotalis officij potentia indignos: neq; pœnitentiam neq; Christianitatem largiri, neq; absoluere posse per sacerdotalis officij diuinitus sibi iniunctam potestatem. Sed omnino labuntur. Neque enim sanctus Benedictus Monachorum sanctissimus Pater, huiusmodi res fuit aliquo modo interdictor: sed eius secularium negotiorum edixit expertes fore tantummodo. Quod quidem Apostolicis documentis, & omnium SS. Patrum institutis, nō solum Monachis, verum etiam Canonicis

Bonifaci⁹ Clericos coercet.

S. Benedictus Monachis sacramentorū administratione non interdixit.

maxi-

a ad Tit. 2

maximopere imperatur. Nemo enim militans Deo, implicat se negotijs sacularibus. Nos vero tantorum Patrum institutis exemplis quibus periculosissimum est refragari, credimus à Sacerdotibus Monachis ligandi solvendique officium Deo operante, digne administrari, si eos digne contigerit hoc ministerio sublimari. Decertantes igitur Monachica professionis Presbyteros sacerdotalis potentia arcere officio, omnimode pracipimus, vt ab huiusmodi nefandis ausibus reprimantur in posterum. Quia quanto quisque est celsior, tanto in his est potentior. Hoc Canonis fragmentum Gratianus è Concilio sub Bonifacio IV. celebrato attulit.

Cum annum quingentesimum tricesimum secundum evolveremus, Monachos nascentis Ecclesiæ sacris initiati non consueuisse: Sancto Benedicto tamen Ordinem condente, aliquot in Monasterijs, etsi paucos, ad Sacerdotium inauguratos fuisse, docuimus; nimirum vt sacrificarent: confitentibus aures præberent: qui numerus auctore sancto Gregorio Magno multum creuit. Dum enim Monachis negotium dedit, idola vt in pedes ac fugam conijcerent, nec vllibi hærere sinerent: miseros mortales errore cæco actos ad Deum verum adducerent: custodibus opus esse visum, ne ad vomitum redirent: deinde Sacerdotibus qui Sacramenta ijsdem administrarent. Hinc Monachorum cœtus, qui ante id fere ex laicis, vt sic dicamus, constare solebant, quibus duo vel quatuor Sacerdotes satisfaciebant, à S. Gregorij & Bonifacij IV. Pontificatu sacris hominibus vehementer aucti fuere, præsertim vbi Monasteria paganorum multitudine obruta erant. Tum enim Sacerdotio plerique initiabantur, vt provincijs vel regnis pares essent, cæteris fratribus rem domi curantibus. Ita factum in Anglia, quæ id temporis paucissimos habebat Sacerdotes sæculares.

A Gregorij Magni & Bonifacij IV. Pōtificatu plures in Monasterijs initiari sacris solebant.

His Monachorum sudoribus & successibus cum animaduertissent liuidi omnem Europam induere novam faciem: Monachos non tantum in Cœnobijs fungi Sacerdotum muneribus, sed in publicum à Pontificibus educi: Parochorum officia exequi (non repeto à Concilio Toletano ipsis imposita fuisse:) altius quam æquum fuerat murmurarunt, bono ex facto conflata mala inuidia. Non omnes Clericos intempestiui murmuris reos facit Bonifacius, *sed sunt nonnulli*, inquit. Prudentes equidem non modo in bonam partem accipiebant, sed multis laudibus ferebant, prodire illos è secretis cellulis: publica Ecclesiæ onera subire: Christianis iuxta ac Ethnicis vtilissimam operam nauare. Sermonem tamen nostros maxime in Anglia dedisse crediderim, vbi cum Parochijs Cathedras Episcopales & Cantuariensem Archiepiscopatum possidebant. Tantum igitur auersi Clericorum animi apud sanctum Mellitum potuere, vt controuersiæ explicandæ causa iter intenderit Romam. Canonis exemplum in Angliam secum tulit. Pontifex eadem super re litteras ad Edilbertum & sanctum Laurentium Archiepiscopum dedit. Si nucleum quæris, non alibi certius quam in Decreti. quæst. 1. caus. 16. reperies, ac mirabetis Monachos à principio inde repulsam passos, quo annis progredientibus ab Ecclesia fuere impulsi. Capite 25. caus. 1. multo luculentius Pontificis & Concilij sententia exponitur. Ad postremum, causa Monachorum & Clericorum vltro citroque iactata, in hoc conuentum fuit: *Quicquid non prohibuit sanctus Benedictus, hoc Monachis licet.* Sententia in futura sæcula extendenda. Mortem obijt Bonifacius ad annum sexcentesimum decimum quartum, Superis additus, Ecclesiæ VIII. Calend. Iunij celebris.

S. Bonifacius Cœlitibus additus.

Vt vero mens huius Pontificis liquido constet, varias decreti lectiones producere iuvat, allatas à Gallonio libro non magno, sub annum millesimum sexcentesimū quartum in lucem emisso, vnde id quoque conficias, sanctum Gregorium Magnum de familia fuisse sancti Benedicti. Constantinum Bellottum codicem in Bibliotheca Columnensi inuenisse refert, aliquot Canones complectentem, & hæc Bonifacij IV. verba: *Sunt nonnulli, nullo dogmate fulti, stulto magis zelo amaritudinis quam dilectionis inflammati, asserentes Monachos, quia mundo mortui sunt, & Deo viuunt, Sacerdotali officio indignos, neque pœnitentiam, neque Christianitatem seu absolutionem largiri posse per sacerdotalis officij iniunctam gratiam: sed omnino falluntur. Nam si ex hac causa veteres æmuli vera prædicarent, amplissima sedis compar Beatus Gregorius, monastico cultu pollens, ad summum apicem nullatenus conscenderet, cui soluendi & ligandi potestas concessa est. Augustinus quoque eiusdem sanctissimi Gregorij discipulus, Anglorum prædicator egregius, alijque quamplurimi sanctissimi viri, preciosorum Monachorum habitu fulgentes nequaquam à quoquam Pontificali officio subarrarentur. Neque enim Benedictus Monachorum Pater & præceptor almificus, huius rei aliquo modo fuit interdictor.*

Nouum argumētum, Gregorium Magnum fuisse S. Benedicti alumnum

Nam Bonifacius monachis Benedictinis esse licere Sacerdotib⁹ probaturus, exemplum a S. Gregorio petit.

Sen-

Sentisne vim argumenti? Si Monachi, inquit Bunifaeius, à sacerdotio arcendi forent, nec illis per Regulam hunc gradum adire liceret, certe Gregorius Magnus nunquam summum Pontificatus fastigium conscensurus fuisset, vbi ligandi soluendique suprema potestas residet. Neque Sanctum Augustinum aliosque quamplurimos sanctos Monachos aliqua tenus sequuturos. Fecisse autem eo, quod per Regulam fas esset. Hic Constantinus Bellottus Gallonio obuiam veniens, manibus teneri, ait, quod S. Gregorius Magnus, & Sanctus Augustinus Angliæ Apostolus, Ordinem D. Benedicti fuerint professi. Si enim Pontifex sententiam ferens, Monachis Sacerdotibus esse licere, id ab exemplis SS. Gregorij & Augustini confirmat, quod hi Pontificios honores adituri haud fuissent, si leges Sancti Patris obicem Monachis posuissent. Si deinde Regula mox nostra è sinu producta, S. Benedictum Monachorum Patrem & Præceptorem id nequaquam prohibuisse, dicit, hocque gladio nodum Gordium se soluisse putat: profecto vel mentis egentes intelligunt, SS. Gregorium & Augustinum nomina olim glorioso Monachorum Patriarchæ Benedicto dedisse. Nec dabit aliquam pugnam denuo Gallonius. Ita belle Constantinus Bellottus.

Gallonius bonum succum ex mala herba exprimere conatur. *Ivo part. 7. c. 22.*

Accepto secundum aurem hoc vulnere Gallonius, vim verbis Pontificiis facere parauit, textum, dictitans, codicis Bibliothecæ Columnensis fuisse corruptum: scilicet? Adest vir cum Iuone Carnotensi, qui Canonem sic recitat. *Nam si ex has causa veteres amuli vera prædicarent, Apostolica Sedis compar beatus Gregorius, Monastico cultu pollens, ad summum nullatenus apicem conscenderet, cui quidem ligandi soluendique officio potestas summa conceditur. Augustinus quoque eiusdem sanctissimi Gregorij discipulus, Anglorum prædicator egregius & Pannoniensis beatus Martinus, aliique quamplurimi viri sanctissimi, pretiosorum Monachorum habitu fulgentes, nequaquam annulo Pontificali subarrarentur: neque enim Benedictus, Monachorum Præceptor, huiusmodi rei aliquo modo fuit interdictor: sed eos sæcularium negotiorum edixit expertes fore solummodo.* Post hunc Anselmus (quem hactenus à Bibliotheca Vaticana seruatum ait) ex angulo in lucem erutus, hæc verba facit. *Augustinus eiusdem sanctissimi Gregorij discipulus, Anglorum prædicator egregius, ac Pannoniensis Martinus beatissimus, cuiusque sanctitatis famam longe lateque diffusam, totus personat mundus, aliique quam plurimi sanctissimi pretiosissimo Monachorum habitu fulgentes, nequaquam annulo Pontificali subarrarentur: sed quia Monachi fuere, prædictis vti prohiberentur: neque Benedictus Monachorum Præceptor almificus, huiusmodi rei fuit aliquo modo interdictor, &c.* Sed nunc viam præit Gallonius, nosque in ipsam Bibliothecam Vaticanam introducens, Polycarpum offert, qui nonnullos Canones iunxit: eum vero quo de nos agimus, sic exposuit, si Gallonio credis. *Augustinus etiam eiusdem sanctissimi Gregorij discipulus, prædicator egregius, ac Pannoniensis Martinus beatissimus, cuius sanctitatem longe lateque diffusam totus personat mundus, aliique quamplurimi.*

Textum putat corruptum, eo quod Pannoniensem Martinũ adducat, qui Benedictum longo interuallo anteiuit. *Ansel. l. 5. c. 25.*

Polycarp. l. 4. c. 34.

Hic pæana canit Gallonius, textum Bonifacij à Constantino Bellotto in medium productum; manifesto fuisse vitiatum: quippe Sanctum Martinum Pannoniensem, cuius post Gregorium & Augustinum fieret mentio, centum amplius annis D. Benedicto maiorem fuisse. Eadem opera, Martinum cucullo nigro seu Benedictino, qua illos, inuoluendum, etsi velit, etsi nolit, Benedicto nondum nato. Tace obsecro Galloni: te vero Lector, animum aduertere velim, argumenti nostri molem, cui ferendæ Gallonius est impar, idque sentit, duobus basibus incumbere: videlicet Concilio Romæ celebrato: & textui à Bellotto, quem is mutuum à Gratiano sumpserat, allato. Enimuero Bonifacius Pontifex & Patres id vnice studebant, vt controuersiam, quæ Clericis cum Monachis intercesserat, & quam Sanctus Mellitus in Concilio deposuerat, sopirent. Nec enim illi passuri videbantur, vt hi Sacerdotum & pastorum munus fungerentur. Iam vero mihi argumenti pondus arbitrare, quod maleuoli Bonifacius ac patres in os obiecerunt, licere, dictitantes, Monachis sacerdotibus esse & Sacramenta administrare, quod Sanctus Benedictus hæc ipsis non prohibuisset: alias enim neque Sanctum Gregorium, neque Sanctum Augustinum, Angliæ Apostolum, Pontificias mitras, quibus ligandi soluendique potestas coniuncta sit, admissuros fuisse. Tanta iste Monachorum Patriarcha pollebat auctoritate in Concilio, vt lite pendente ac feruente, ad eam dirimendam duo verba sufficerent: *Magister dixit.* Ita quondam Pythagoræ discipuli disputando congressi obmutescebant vt primum insonuit, *Αὐτὸς ἔφη*. Intelligis credo, quorum Canonis verba attulerim. Nũc alterũ fundamentũ expediamus, quod in textu Bellotti posuimus. Iis

Duobus firmis pedibus nostrum ambulat argumentũ: videlicet, Concilio Romano, & textu Gratiani.

enim verbis Canonem à Bonifacio fuiſſe ſancitum, multisque libris deſcriptum, veriſimillimum eſt. Suas in partes Iuonem, Anſelmum, Polycarpum, traxit Gallonius: at Cannucm quilibet aliter atque aliter recitauit, vt merito tibi aliud in mentem veniat, quam vult Gallonius. Si varius ipſius textus non plus fidei mereri, quam vnicum Bellotti, aſſeramus, ſoluimus argumentum. Quo enim ſe vertet? Quid? ne nihil viro demus, faciamus verba Bonifacij Papæ eſſe, quæ is profudit: litterulam nullam, ab ipſo additam, loco moueamus: ſtabit tamen ſine vulnere Achilles noſter. Nam vt omittamus cætera, palmarium argumentum ſibi eſſe putat, Martinum, quem adduxit, D. Benedicto fuiſſe ſuperiorem. Atat, is non Turonenſis, ſed Dumienſis Monachus noſter eſt, quem veteres Pannonienſem appellabant. Sibi proinde ipſe impoſuit Gallonius, dum vnum in Orbe Sanctum Martinum extitiſſe, à fama decantatum, putauit. Sed ipſum hunc Martinum, in Canone productum, de ſe teſtimonium dicentem verſibus duobus, quos Iohannes Perez, Epiſcopus Segouienſis, ſcholiis in S. Iſidorum compoſitis refert, audiamus:

S. Martinum Monachum Dumienſem, veteres Pannonienſem appellarũt.

Pannaniis genitus, tranſcendens æquora vaſta,
Galecia in gremium diuinis nutibus actus.

Fidei huius viri non credas? quem nos Hiſpaniæ Apoſtolum vocamus, quod ex Pannonia traiecerit in Galliciam: quod Sueuos cum ipſorum Regibus Catholica religione inſtituerit? Accedit Aimonius. *Ea tempeſtate*, inquiens, *beatus Martinus Galliciensis migrauit ad Dominum. Hic Pannonia oriundus, loca ſancta in Oriente circumiens, abunde ſe illic litteris imbuit.*

Canon igitur Martinũ noſtrum Dumienſem, non Turonẽſem exempli gratia producit: *Haymon. l. 3. c. 39.*

Venantius Fortunatus, Martini huius æqualis, in eundem adhuc vitali aura fruentem hos verſus pepigit:

Martino ſeruata nouo Gallicia plaude:
Sortis Apoſtolicæ vir tuus iſte fuit.
Qui virtute Petrum præbet tibi, dogmate Paulũ;
Hinc Iacobi addens: inde Iohannis apem.
Pannonia, vt perhibẽt, veniens à parte Quiritũm:
Eſt magis effectus Gallica vera ſalus.

His tribus teſtibus ſe tertium S. Gregorius Turonenſis addit, qui ſæculo eodem vixit. Sed verba cape: *Hac eodem tempore Childeberti II. Regis, Martinus Galliciensis Epiſcopus obijt, magnum populo illi faciente planctum. Nam hic Pannaniis ortus fuit: & exinde ad viſitanda loca ſancta in Orientem properans, in tantum ſe litteris imbuit, vt nulli ſecundus ſuis temporibus haberetur: & exinde in Galliciam venit &c.* Poſſem pro mantiſſa addere multas litteras mihi in Gallicia, præſertim ad S. Saluatoris de Lorenzana, repertas, hiſce oculis viſas, quibus nobiles, proceres, & dynaſtæ regni Sancto Martino de Ioyna, Monaſterio perantiquo, ad portum Ferolenſem ſito, prædia & poſſeſſiones aſſignarunt. Enimuero S. Martino Pannonienſi ea ſe conſerre, aiunt. Hæſimus, fatemur. Nam huiuſmodi monumenta cothurni mihi viſi ſunt, vtrique pedum apti. Quem enim fallit, etiam Sanctum Martinum Turonenſem domo Pannonienſem fuiſſe? Cum tamen has litteras diligentius examinaremus, & S. Martinum, Galliciæ Apoſtolum fuiſſe ſciremus, ſtatuere aliud nequiuimus, quam S. Martinum Pannnnienſem pro eo habendum, quem Dumienſem vel Gallicienſem vulgo dicimus.

S. Greg. Turon. l. 5. c. 37. Fidem S. Gregorio Turonẽſi habe.

Immo vel hinc de Gallonio actum eſſe intelligas, ſi ordinem narrationis ab illo allatæ obſerues, videlicet: *Beatum Gregorium, Auguſtinum quoque eiuſdem diſcipulum, & Pannanienſem Beatum Martinum Epiſcopos extitiſſe: Neque enim Benedictum huiuſmodi rei aliquando fuiſſe interdictorem.* Præterquam enim quod S. Martinum Turonis ſepultum, Turonenſem appellare conſueuimus, vti alterum Pannonienſem, Concilium profecto haud tertio loco ipſum collocaſſet, haud Sancto Auguſtino poſtpoſuiſſet, quem tempore & miraculis multũ anteceſſit. Item, amabo te, quorſum ſpectaſſet, S. Martinum Epiſcopatum adire potuiſſe, quod S. Benedictus id non prohibuiſſet! Nam ſi de Martino Turonenſi accipias, nimis homo ridiculus es, qui S. Benedictum nondum natum Regulam ſcripſiſſe pugnes, ad quam S. Martinus centum amplius annis maior, ſe componeret. Ergo iſta omnia in S. Martinum Ordinis S. Benedicti Monachum, Dumienſem Epiſcopum, conferenda ſunt, *cuius famam longe lateque diffuſam totus perſonuit mundus*, quippe cui, S. Gregorio Turonenſi illius ætatis hiſtorico teſte, nemo palmam id temporis præripuerit. Cum inſuper Apoſtolus Galliciæ, virq; multo doctiſſimus fuerit, famam nominis auxit, maxime apud Canoniſtas, qui viros tam raros vt digitos ſuos norunt, præſertim tales, qui Concilia & decreta Pontificum in Compendium redegerunt. Quid igitur mirum ſit, ſi Orbe toto celebrem dixere?

Alias S. Martinus præpoſtere SS. Gregorio & Auguſtino poſtpoſitus fuiſſet, quos anteceſſit.

Hinc robur & ſanguinem argumẽti noſtri Conſtantini Bellotti, quo D. Gregorium Magnum Ordini S. Benedicti aſſeruit, vides. Si namque Concilium, & S. Bonifacius Pontif. Max. illius nomine ex ſummo tribunali Monachis ad ſacerdotium adſpirare licere, pronunciauit; & ab exemplis

argumentum ducens, S Gregorium Magnum, S. Augustinum Angliæ Apostolum, S. Martinum Pannoniensem, sacros Antistites fuisse affirmauit, eo quod ipsis per Regulam S. Benedicti prohibitum haud esset, nonne Gallonium recte constringimus & adigimus, vt S. Augustinum, S. Martinum Pannoniensem, Ecclesiæ Doctorem S. Gregorium, Monachis S. P. N Benedicti adnumeret? Quid enimuero leges alienæ ad hos pertinuissent? An non, obsecro te, tantundem confecisset Pontifex, si pro S. Benedicto, S. Basilium, S. Pachomium vel Cassianum posuisset? At dum in hæc verba honoris & reuerentiæ plena sententiam concepit: *Neque enim Benedictus Monachorum Pater & Præceptor almificus*, sat superque expressit, SS. Gregorium, Augustinum, Martinum, D. Benedicti filios & discipulos fuisse: ab eiusdem ore ac Regula pependisse: & glossa subijcit: *Quicquid ergo non prohibuit S. Benedictus, hoc Monachis licet.*

Ergo ineptus Gallonij sacrosus non tenet militum.



APPENDIX.

MONVMENTA EX ARCHIVIS summa fide prompta,

Quorum Tomus I passim meminit ad ea confirmandum, quæ in medium affert, ne vocentur in suspicionem: Verborum barbariem ipsa tibi secula excusabunt, quibus Musæ à Barbaris (præsertim in Hispania) frequenter sedibus suis pulsæ sunt.

SCRIPTVRA I.

Qua Gregorius M. Regulam S.P.N. Benedicti approbat.

EGo Gregorius S. Romanæ Ecclesiæ Præsul, scripsi vitam Beati Benedicti, & legi Regulam quam ipse, sanctus manu sua propria scripsit. Laudaui, & confirmaui in Generali Synodo, & per diuersas partes Italiæ, vt illic, & vbicunque Latinæ litteræ legerentur, præcepi vt diligenter obseruarent, quicunque ad conuersionis gratiam accessuri essent, vsque ad finem mundi. Et confirmo duodecim Monasteria, quæ ipse Sanctus construxit, & in vnoquoque duodenos Monachos posuit.

Scriptum per manus Benedicti Scriniarij S.R.E mense Iulio, Indict. XIII Pontificatus Domini Gregorij in sanctissima sede Beati Petri anno VI.

Hæc Regula S. Benedicti approbatio Sublacensi Monasterio in manibus est, Honorato, eius loci Abbati, à Gregorio M missa. Libet etiam eã pendentem longa Bulla subijcere, qua Zacharias PP. eandem Regulam approbat, cui postea Bullam integram subiungemus, ex Appendice Leonis Ostiensis descriptam. Itaque tenta est, vt apparet, prolixi priuilegij quod sequitur, scitque cum Confirmatione S. Regulæ, à Gregorio M. profecta, vt plurimum produci.

SCRIPTVRA II.

ZAcharias Episcopus Seruus Seruorum Dei, omnibus Christi Sanguine redemptis salutem, & Apostolicam benedictionem. Omnipotenti Deo, cuius melior est misericordia super vitas, gratias agimus, qui gloriosus in Sanctis suis atque mirabilis est, ac virtutes & dona inæffabili largitate dispersit. Ipse quippe Beatissimum Benedictum, Patrem omnium instituit Monachorum. Ipse illius meritis Casinense Monasterium, in solo Tertulli patritij fundatum, omnibus per totum orbẽ Cœnobiis, clementi benignitate præfecit, vbi ipse Sanctus Monachorum Regulam scripsit. quam sanctæ memoriæ Gregorius, prædecessor noster, in libro Dialogorum satis approbat, & laudat, & nos approbamus, & laudamus, & sanctam instituimus, & ordinamus in dedicatione eiusdem Ecclesiæ, dum ibidem cum Archiepiscopis tredecim, & Episcopis sexaginta octo, adessemus.

Bulla integra Zachariæ PP. ex appendice Leonis Ostiensis.

ZAcharias Papa Seruus Seruorũ Dei, omnibus Ecclesiæ Catholicæ salutem, & Apostolicam benedictionẽ. Omnipotenti Deo, cuius melior est misericordia super vitas, gratias agimus, qui gloriosus in Sanctis suis, atque mirabilis est, & virtutes suas vbicunque vult, ineffabili bonitate ostendit: ipse quippe dignationis suæ potentia Beatissimum Benedictum, Patrem omnium constituit Monachorum; ipse eũ monasticæ legislatorem & operatorem esse disposuit: ipse illius meritis Casinense Monasterium in quo & sanctissime vixit, & gloriosissime obiit, omnibus per totum orbem Monasteriis, clemẽti bonitate præfecit. Qui Pater sanctissimus, dum vitam eremiticam duceret, diuina reuelatione monitus, ad eundem locum peruenit, duobus se angelis comitantibus, cum beatissimo Mauro, & Placido, Tertulli patritij filio, aliisq; nonnullis, vbi templa idolorum destruens, Monasteriumque construens, Apostolicis illud decorauit virtutibus. Inter quæ dum ei reuelatum fuisset, quod supra dictus locus esset destruendus, & ob id inconsolabiliter fleret, Omnipotentis Dei ad se vocem audiuit dicentem: noli probatissime ac dilectissime Benedicte pro his, quæ huic ventura didicisti loco, mœstum gerere animum, quoniam quod semel à *Ad ann. 539.*

Deo præfixum eſt, immutabile, atque irreuocabile eſt, ſolis tibi tuo merito concesſis habitationum in loco animabus. Sed aderit Omnipotentis conſolatio Dei, quæ locum iſtum in ampliorem & multo meliorem quam nunc eſt, reſtituet gradum & huius Ordinis doctrina de hoc iterum per totum orbem radiabit loco. Quod poſt eiuſdem Patris obitum conſummatum eſt: nam à Longobardis perualum & igne crematum eſt, fratres autem ad Apoſtolicam ſedem venientes ex cōceſſione Sancti prædeceſſoris noſtri Pelagij, iuxta Lateranum palatium Monaſterium conſtruxerunt, atque per prolixum tempus habitauerũt. Sed cum iam Omnipotens Deus conſuiſſet Caſinenſe Monaſterium reſtaurare, ac Cœnobialem inſtitutionem, quę inde principium ſumpſerat, ex eodem loco propagare, à Reuerendiſſimo Gregorio III. Prædeceſſore noſtro, Petronax dilectus filius noſter, eſt ad reſtaurandam directus: qui dum ad eundem locum veniſſet, communis noſter Pater Gregorius ex hoc mundo migrauit. Sed poſt eius exceſſum in Sede Apoſtolica cum paruitas noſtra ſucceſſiſſet, opus ab illo cœptum in reſtauratione eiuſdem Cœnobij adiuuante Domino, ad finem vſque perduximus. Hæc autem eo die, quo Sanctiſſimi Patris Eccleſiam dedicauimus, paruitas noſtra obtulit libros, ſcilicet ſanctæ Scripturæ, & librum Regulæ, quám piiſſimus Pater manu propria ſcripſerat: pondus etiam libræ panis, & menſuram vini: nec non diuerſa ad Eccleſiaſticum miniſterium ornamenta, & poſſeſſiones, Apoſtolica liberalitate conceſſimus. Qualiter autem eiuſdem Patris pignora, Sororisque eius ſint poſita, perſpicientes, ac intemerata inuenientes, pro reuerentia tanti Patris tangere minime auſi ſumus. In dedicatione vero eiuſdem, dum illic eum XIII. Archiepiſcopis, & 68. Epiſcopis adeſſem, idem dilectiſſimus filius noſter poſtulare cœpit, quatenus poſſeſſiones, quæ eidem Monaſterio oblatæ ſunt à quibusque fidelibus, per noſtrum priuilegium roboraremus. Illorum deſiderijs, vtpote amabilium, annuentes, hæc per præſens priuilegium, quæ à nobis, alijsque fidelibus conceſſa ſunt in eodem loco, in perpetuũ corroboramus. Eccleſias, quas Sanctus Pater Benedictus conſtruxerat, vna cum omnibus pertinentijs ſuis; caſtrum Caſinum cum pertinentijs ſuis: Monaſterium S. Ioannis in Venere cum pertinentijs ſuis: Eccleſiam Sancti Caſini, & Sanctæ Mariæ in Cingla, cum omnibus Eccleſijs, & pertinentiis ſuis: Monaſterium Sanctæ Mariæ in Plumbarola, cum pertinentijs ſuis: de ciuitate Liſina, vna cum Eccleſia Sancti Focati, alijsque Eccleſijs, ibi vobis pertinentibus; villam quæ dicitur Euchalia, cum pertinentijs ſuis: Monaſterium Sublacenſe cum omnibus pertinentijs ſuis; nec non 18. curtes, quas Tertullus Patritius, vna cum Placido filio ſuo, Beato Benedicto obtulit, cum Seruis VII. M. & Panormitano, & Meſſano, Eccleſiam Sanctæ Crucis, & Sanctæ Mariæ in Tremeti, cum pertinentijs ſuis. Concedimus etiam vobis, atque in perpetuum confirmamus, & corroboramus cuncta in Circuitu, tam campeſtria, quam montana, quæ dilectiſſimus filius noſter Guiſulphus, Beneuentanorum dux, in perpetuum eidem Monaſterio conceſſit, per has videlicet terminationes, & fines, quemadmodum incipit ab Ipſo fluuio, qui dicitur Caroelus, & aſcendit per aquam quæ vocatur Bantra vſque in riuum Siccum: & ſicut aſcendit per riuum vſque in furcam Sancti Martini, & inde aſcendit per Serras, & vadit in montem, qui dicitur Ciſinus, & ſic inde pergit in Peſclum Coruarum & qualiter vadit per ipſas ſerras ad furcam, quæ dicitur Poplum, & inde pergit ad locum qui vocatur Vitecoſus, & inde vadit ad aquam fundatam & aſcendit in montem de Sile, & vadit exinde in caput aquæ de rapido; inde aſcendit in montem, qui dicitur Caballus, & pergit in montem qui vocatur Rendenariam minorem, qualiter inde directe vadit per pedes montium qui vocantur Freſelona, & pergit in aquam de Melano, & deſcendit per eandem aquam cum vtriſque ripis, & vadit in parietes de valocaria, & inde vadit per locum, qui dicitur Aglone. *Hic Pontifex multas poſſeſſiones enumerat, quas tadij vitandi cauſa prætereo, eaſque Petronio Abbati ſe confirmare ait, ſubiungitque.*

Vna cum omnibus Caſtellis, vicis, domibus, Eccleſijs, molendinis, & aquis, cæteriſque omnibus, quæ intra prædictos fines habentur: Præterea corroboramus, atque in perpetuum confirmamus, eidem dilecto filio, eiuſque Succeſſoribus, in omni conuentu Epiſcoporum & Principum, Superiorem vniuerſis Abbatibus ſedem, & in conſilijs & iudicijs priorem ſui Ordinis omnibus ſententiam proferre, pro reuerentia tanti loci, qui primum & ſummum Monaſticæ legislatorem viuum & mortuum, in perpetuum retinere promeruit, cuique ipſius legislationem in eodem Caſinenſi Cœnobio ſcribens, verbo & exemplo Cœnobitale pro-

 poſitum

positum appetentibus, in toto mundo sole clarius euibrauit: pro quo Casinense Cœnobium exaltantes decernimus, ac in perpetuum confirmamus, vt supra dictus locus dignitate, vigore, ac honorificentia, præcellat omnia Monasteria, quæ constructa, vel construenda sunt in toto orbe terrarum: Abbasque eiusdem loci celsior, ac celebrior existat omnibus Abbatibus eandem Regulam tenentibus, illicque lex monastici Ordinis caput teneat, ac principatum, vbi eiusdem legis descriptor Benedictus, Pater Sanctissimus, eandem describens promulgauit Regulam: illique Abbates, & Monachi honorem, & reuerentiam deferant, & ibi, vsque ad diem iudicij quærant doctorem, vbi Monachorum vniuersalis Magister, & Doctor Benedictus, Pater almificus, corporaliter vna cum sorore sua quiescens, gloriosæ resurrectionis diem spectat. Defuncto autem Abbate, de se ipsa Congregatio secundum sanius consilium, Sapientium & Seniorum fratrum sibi Abbatem eligat, & Apostolicæ Sedis Pontifici firmandum, & consecrandum exhibeat: non aliter ibi Abbas constituatur, aut aliunde illuc intromittatur, nisi forte ex se aliquem tanto regimini idoneum, non habuerint, & ob id saniori consilio extraneum, sibi elegerint. Insuper autem præsenti priuilegio supradictum locum, vna cum omnibus sibi pertinentibus Ecclesiis & possessionibus, per totum orbem roboramus, atque nullius alterius, nisi Romani Pontificis ditionibus summittatur. Authoritate Apostolica interdicimus, vt nisi ab Abbate, vel à Præposito fuerit inuitatus, Missarum solemnitatem nullus Episcopus celebrare præsumat in eisdem possessionibus; quod à præsenti prima indictione irreuocabiliter in perpetuum stabilimus, retinemus, & cum Dei timore seruandum. Statuentes insuper Apostolica censura, sub diuini iudicij obseruatione, & validis, atque atrocioribus anathematis interdictionibus, vt nullus vnquam qualibet dignitate, aut potestate præditus, præsumat eidem Monasterio, vel omnibus eius possessionibus, vim inferre, vel aliquid de his aliquo modo auferre, vel alienare. Sed & nec pacis, nec barbarico tempore, ibidem aliquam iacturam, vel molestiam inferre, dum perenniter illud firma stabilitate decernimus sub ditione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ permanendum, promulgantes quidem & hoc authoritate Beati Petri Apostolorum Principis coram Deo, & terribile examine per hoc nostrum Apostolorum priuilegium constitui sancimus, atque decernimus, quæ in omnibus prouincijs per totum orbem commutata, atque oblata, aut in posterum eidem Cœnobio à qualibet persona fuerint concessa, firma stabilitate, sub iure ipsius Monasterij existenda, atque in perpetuum permanenda. Statuimus ne licentia sit (vt dictum est) cuilibet magnæ paruæque personæ, aliquid ex his auferre, sed inconcusse, & irreuocabiliter ibidem, & in perpetuum permanere. Concessimus etiam hoc Apostolico Priuilegio, vt pro oblatione, vel ordinatione Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, & altarium consecratione, Chrysmatisque acceptione, in quibuslibet eiusdem Monasterij possessionibus, quemcunque voluerint Episcopum inuitandum: hymnum quoque angelicum in Dominicis, & Festis diebus, concedimus in Missarum solemnijs decantandum: in horis vero diurnis ac nocturnalibus signum in Ecclesia pulsandum. Simili modo licentiam damus, & corroboramus in præfato Monasterio & in omnibus eius Ecclesijs, per totum orbem terrarum constructis, fontes benedici, & sacrum Baptisma celebrari, & non solum ibi, sed in his quoque, quæ ammodo in possessionibus prædicti Cœnobij præsentibus vel futuris temporibus, Ecclesiæ ædificandæ sunt remota, sine cuiusque Episcopi interdictione: addimus etiam, vt nullus Episcopus prohibeat Christianum populum ingredi ad easdem Ecclesias, vel in eisdem de suis rebus aliquid offerre, vt solet fieri religione pia. Obseruari quoque hanc nostram iussionem volumus: vt nullus Episcopus in iam dicto Casinensi Cœnobio, & in omnibus eius Cellis, per totum orbem terrarum constructis, decimas tollat, Sacerdotem excommunicet, vel ad Synodum prouocet. Simili etiam modo licentiam damus eidem dilecto filio, eiusque posteris Abbatibus, Monachorum Synodum Congregandi, & quemcunque Clericum voluerint cum suis substantijs suscipere, ad habitandum in omnibus Casinensis Monasterij possessionibus, siue Presbyter sit, aut Diaconus, vel cuiuslibet Ecclesiastici Ordinis, & nullius Episcopi timere contradictionem. Et liceat eidem religioso Petronaci, eiusque posteris, & eorum Præpositis, in perpetuum iudicare prædictas Ecclesias, curtes, & possessiones per totum orbem terrarum, & omnem in eisdem Ecclesijs, & possessionibus degentem Clericum ad offi-

cium promoueri, absque personæ sæcularis potestate & cuiuslibet Episcopi prohibitione. Si quis autem (quod absit) ea quæ ad laudem Dei pro stabilitate, ac Casinensis Cœnobij conseruandi dignitate, & possessionum eius tutela, à nobis statuta sunt, nefario ausu corrumpere, violare, aut refragare præsumpserit, nisi resipuerit, sciat se anathematis vinculo innodatum, & à regno Dei alienatum, & cum Diabolo, & eiusdem pompis, & Iuda Iesu Christi Domini nostri traditore, æterno supplicio, æternæque maledictioni deputandum. At vero qui pio Intuitu huius nostri Apostolici instituti obseruator existit, benedictionis gratiam à misericordissimo Domino Deo nostro, per intercessionem Beatissimi Patris nostri Benedicti, consequatur, & vitæ æternæ præmia adipisci mereatur. Scriptum per manum Leonis Notarij, & Regionarij, atque Scriniarij Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Ianuario, per indictionem supradictam primam. Datum duodecimo Kalendas Martij, Aquini, per manum Benedicti Episcopi Sanctæ Syluæ candidæ, Bibliothecarij Sedis Apostolicæ, Anno Domini nostri Zachariæ Summi Pontificis, & vniuersalis Papæ 7. in mense Martio, indictione suprascripta prima.

SCRIPTVRA III.

Priuilegium Iulij Papæ II. de vnione sacri Cœnobij Casinensis Congregationi Sanctæ Iustinæ, quam ob honorem predicti Cœnobij, Congregationem Casinensem iussit nuncupari. Petitum ex Append. Leonis Ostiens.

Ad an. 319. IVlius Episcopus Seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Super Cathedram pastoralis præeminentiæ, dispositione diuina, meritis licet insufficientibus, consedentes, pio ac sancto desiderio cupimus efficere, vt Monasteria, & loca religiosa quæcunque, per nostræ operationis diligentiam, gratia cooperante diuina salubriter dirigantur, & in eis regularis disciplinæ norma seruetur, cultus diuinus augeatur, charitas vigeat, humilitas perseueret, & omnis bene viuendi modus teneatur, æternæ vitæ præmio valeat stabiliri fæliciter. Sane Monasterio Casinensi, nullo medio ad Romanam Ecclesiam pertinente, Ordinis Sancti Benedicti, nullius Diœcesis: quod dilectus filius noster Ioannes, Sanctæ Mariæ in Dominica, Diaconus Cardinalis, ex concessione, & dispositione Apostolica, in commendam nuper detinebat, ille hodie in manibus nostris sponte, & libere cessit: nosque cessionem ipsam duximus admittendam. Nos vero vltimum supradicti Monasterij vacationis modum, etiamsi ex eo quæuis grandis reseruatur etiam in Corpore iuris clausa resultet, præsentibus pro expresso habentes ad prouisionem super ipsius Monasterij regimine celerem, & fælicem, ne Monasterium ipsum longæ vacationis exponatur incommodis, paternis studiis intendentes: post deliberationem quam desuper cum fratribus nostris habuimus diligenter: demum ad dilectos filios Monachos Congregationis Sanctæ Iustinæ de Padua, supradicti Ordinis sub regulari obseruantia viuentes, direximus oculos mentis nostræ, sperantes, quod sicut Congregatio ipsa per vniuersam Italiam, per incrementa temporum, suos palmites dilatauerit: sicque vbique virtutum radiis iugiter crescat, si Monasterium ipsum eidem Congregationi perpetuo vniretur, annecteretur, incorporaretur, vigeretque in eo regularis obseruantia supradicti Ordinis, Monasterium ipsum regulari obseruantia hactenus destitutum (cum tamen caput omnium Monasteriorum supradicti Ordinis existat, & in eo corpus Sanctissimi Benedicti, nulla cum veneratione conseruetur) exinde votiuæ reformationis susciperet incrementum; & eorundem Monachorum exemplari vita, nobis tunc in minoribus constitutis eorum protectore existentibus nota, & accepta in temporalibus, & spiritualibus sperata prosperitatis successibus gratularet, succederetque in ea diuini cultus augmentum cum incolarum, & habitatorum, ac omnium animarum salute. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, Monasterium prædictum (sic vt præfertur) vacans cum illo annexis, ac omnibus iuribus, & pertinentiis suis, eidem Congregationi per Abbatem temporalem, iuxta eiusdem Congregationis laudabiles ritus, & mores, ac regularia instituta, eiusdem Ordinis, & eidem Congregationi per Sedem Apostolicam concessa priuilegia, & indulta, perpetuis futuris temporibus duratura, ad instar aliorum Monasteriorum dicti Ordinis, eiusdem Congregationis vnitorum, annexorum, & incorporatorum, per Præsidentem

Congregationis huiusmodi, & Diffinitores pro tempore existentes, deputandum, tenendum, regendum, & gubernandum, de eorum fratrum nostrorum consilio, Apostolica autoritate, tenore præsentium, perpetuo vnimus, annectimus, & incorporamus, ac volumus, statuimus, & ordinamus illud de cætero dictæ congregationis esse, ac iuxta mores, & ritus & instituta prædicta perpetuo regi, & gubernari debere, licereque Præsidenti, & Diffinitoribus ac Congregationi præfatæ, per se, vel alium, seu alios, regiminis, & administrationis, ac bonorum omnium mobilium, & immobilium dicti Monasterii possessionem, vel quasi propria autoritate libere apprehendere, ac perpetuo retinere, ac illum (vt præfertur) regere, & gubernare, cuiusuis licentia super hoc minime requisita. Atque illos ex Monachis dicti Monasterij, qui sub dicta obseruantia viuere nollent, inde amouere, ac ipsis, ad alia Monasteria dicti Ordinis, vbi beneuolos inuenerint receptores, sese transferendi licentiam habeant. Tamen qui beneficia Ecclesiastica, vel alia vnde inhærere possint, non habuerint quoad vixerint, aut donec dictos beneuolos inuenerint receptores, Monachalem portionem ex fructibus dicti Monasterij accipiant: nec non Congregationem ipsam propter nomen, & dignitatem Monasterij huius, quod aliorum Monasteriorum dicti Ordinis caput est (vt præfertur) de cætero Casinensem Congregationem, alias Sanctæ Iustinæ, nuncupari debere, omnibus tamen & singulis priuilegiis, & immunitatibus, & exemptionibus, concessionibus, & indultis, hactenus Congregationis Sanctæ Iustinæ concessis, in suo robore & firmitate persistentibus in omnibus & per omnia proinde ac si huiusmodi tituli mutatio seu variatio facta non esset. Et huiusmodi priuilegiis à principio sub nomine Congregationis Casinensis, alias S. Iustinæ, huiusmodi specialiter & expresse concessa fuissent, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non Monasterij, ac Congregationis Ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate, alias roboratis, statutis, & Constitutionibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, si secus super his à quocunque, quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ vnionis, annexionis, incorporationis, voluntatis, statuti, ordinationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, atque Beati Benedicti se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Domini millesimo quinquagesimo quarto, decimo Kalend. Decembris: Pontificatus nostri anno primo.

SCRIPTVRA IV. Quæ habetur Tomo 3. Conciliorum cum hoc titulo:

Decretum Lateranensis Concilij, de quiete, & libertate, atque exemptione nigrorum Monachorum, in quo Beatus Gregorius Papa præsidet.

Gregorius Papa exorsus est.

QVam sit necessarium, Monasteriorum quieti prospicere, & de eorum perpetua securitate tractare, anteactum nos officium, quod in regimine Cœnobij exhibuimus, informat. Et quia in plerisque Monasterijs, multa à Præsulibus præiudicia & grauamina Monachos pertulisse cognoscimus, oportet vt vestræ fraternitatis prouisio de futura eorū quiete, salubri disponat ordinatione, quatenus conuersantes in illis, in Dei seruitio, gratia ipsius suffragante, mente libera perseuerent. Sed ne ex ea, quæ magis emendanda est consuetudine, quisquam Monachis quicquam molestiæ præsumat inferre, necesse est, vt hæc, quæ inferius enumerare curauimus, ita studio fraternitatis Episcoporum debeant custodire, vt ex eis non possit vlterius inquietudinis occasio reperiri. Intercedimus igitur in nomine Domini nostri Iesu Christi, & ex authoritate Beati Petri Apostolorum principis, cuius vice huic Romanæ Ecclesiæ præsidemus, prohibemus, vt nullus Episcoporum, aut sæcularium vltra præsumat de reditibus, rebus, vel chartis Monasteriorum, vel de Cellis, vel Villis, quæ ad ea pertinent, quocunque modo, vel qualibet occasione minuere, vel dolos, vel immissiones aliquas facere. Siqua causa forte inter terram venientem ad partem suarum Ecclesiarum & Monasteriorum euenerit, & pacifice non potuit ordinari, apud electos Abbates, & alios Patres timentes Dominum, siue voluntaria delatione, medijs sacrosanctis Euangelijs finiatur. Defuncto autem Abbate cuiusque Congregationis, non extraneus eligatur, nisi de eadem Congregatione

quem sibi propria voluntate concors fratrum societas elegerit: & qui electus fuerit, sine dolo, vel venalitate aliqua ordinetur. Quod si ipsi inter se personam inuenire nequeant, solerter sibi eunt de aliis Monasteriis similiter ordinandum. Neque constituto Abbate, quæcunque persona qualibet occasione præponatur, nisi forte extantibus (quod absit) criminibus, quæ sacri Canones punire monstrantur. Pariter autem custodiendum est, vt inuito Abbate ad ordinanda alia Monasteria, aut ad Ordines sacros, vel clericatus officium, tolli exinde Monachi non debeant. Descriptiones quoque rerum, & chartarum Monasterij ab Episcopo Ecclesiasticas fieri omnino vetamus: sed si quando res exigit, Abbas loci cum aliis fratribus causas rerum inuentarum faciat, & eorum consilio & iudicio finiantur. Obeunte quoque Abbate, Episcopus in describendis prouidendisque rebus Monasterij acquisitis, vel datis perquirendis nullatenus se permisceat; Missas quoque publicas ab eo in Cœnobio fieri omnino prohibemus, ne in seruorum Dei recessibus, & eorum receptaculis, vlla popularis præbeatur occasio conuentus, vel mulierum fiat nouus introitus, quod omnino nec expedit animabus eorum: neque audeat ibi Cathedram collocare, vel quantamlibet potestatem habere imperandi, nec aliquam ordinationem, quamuis leuissimam, faciendi, nisi ab Abbate loci fuerit rogatus: quatenus Monachi semper maneant in Abbatum suorum potestate, nullumque Monachum sine testimonio, vel concessione Abbatis in aliqua Ecclesia teneat, vel ad aliquem promoueat honorem.

Hanc ergo scriptorum nostrorum paginam omni futuro tempore ab omnibus Episcopis firmam statuimus illibatamque seruari, vt & suæ Ecclesiæ iuuante Domino tantummodo iure contenti, & Monasteria ecclesiasticis conditionibus, seu angariis, vel quibuslibet obsequiis sæcularibus, nullo modo subiaceant. nullis Canonicis iuribus deseruiant, sed remotis vexationibus in cunctis grauaminibus diuinum opuscum summa animi deuotione perficiant. *Hactenus Gregorij constitutum.*

Vniuersi Episcopi responderent: libertati Monachorum congaudemus, & quæ nunc de his statuit Beatitudo vestra, firmamus.

Gregorius Episcopus Catholicæ Ecclesiæ huic constituto à nobis promulgato subscripsi.

Agnellus Episcopus sanctæ Ecclesiæ Ferentinensis, huic constituto à vobis promulgato, subscripsi.

Et sic alij omnes Episcopi numero viginti, quatuordecim Presbyteri, & Diaconi quatuor, nonis Aprilis, Indictione quarta.

SCRIPTVRA V.

Qua S. Gregorius Magnus certa bona Monasterio S. Pauli addicit. Habetur l. 12. Registri.

Gregorius Fælici Subdiacono, Rectori patrimonij Appiæ.

Licet omnia quæ hic Apostolica habet Ecclesia Beatorum Petri, & Pauli, quorum honore & beneficiis acquisita sunt, Deo sint auctore communia esse tamen debet in administratione actionum diuersitas personarum, vt assignatis cuique rebus, cura adhiberi possit impensior. Cum ergo pro Ecclesia Beati Pauli Apostoli sollicitudo debita nos commoneret, ne minus illic habere luminaria idem præco fidei cerneretur, qui totum mundum lumine suæ prædicationis impleuit, & valde incongruū esse, ac durissimum videretur, vt illa ei specialiter possessio non seruiret, in qua palmam sumens martyrij capite est truncatus, vt viueret, vtile iudicamus eandem Massam quæ Aquas Saluias nuncupatur, cū omnibus fundis suis, id est, cella vinaria, Antoniana villa: Pectusa in foro Primiano, Catiano Silonis, Cornelij Thessellata, atque Cornelisno, cum omni iure, instructu, in strumentoque suo, & omnibus generaliter ad eam pertinentibus, cum eius Christi gratia, luminaribus deputare, adiicientes etiam eidem cessioni hortos duos inter Tiberim, & porticum ipsius Ecclesiæ, euntibus à porta ciuitatis parte dextera, quos diuidit fluuius Almon, inter affines horti Monasterij Sancti Stephani, quod est ancillarum Dei, positum ad Sanctum Paulum, & ad finem possessionis Pissiniani, simul & terrulas, quę vocantur Fossa latroni positas, id est, iuxta eandem porticum euntibus: similiter parte sinistra ad portam, vbi nunc vineæ factæ sunt, quæ terrulæ cohærent ab vno latere possessioni Lugentis quondam scholastici, & ab alia parte possessionibus Monasterij Sancti Hedisti, quæ omnia Deo adiuuante per ante dictæ Ecclesiæ Præpositos, qui per tempora fuerint subsequentia à præsenti septimanæ dictione volumus ordinari. Et quicquid exinde accesserit, luminaribus eius impendi, atque ipsos exinde ponere rationes. Idcirco experientiæ tuæ præscripsimus, vt suprascriptam Massam Aquas Saluias, cum prænominatis omnibus fundis suis, nec non hortis, atque terrulas quæ superius continentur, de breuibus suis deleri

Ad an. 591

facias,

ſacias,ac auferri, & cuncta ad nomen prædictæ Eccleſiæ Beati Pauli Apoſtoli tradere: quatenus ſcribentes ibi Præpoſiti omni poſt hac carentes excuſatione de luminaribus eius, ita ſine noſtra ſtudeat ſolicitudine cogitare, vt nullus vnquam illic neglectus poſſit exiſtere. Facta vero ſupra ſcriptarum omnium rerum traditione volumus, vt hoc præceptum in ſcrinio Eccleſiæ noſtræ experientia tua reſtituat.

SCRIPTVRA VI.

Continet inſigne priuilegium, Monaſterio S. Pauli Romæ ab Honorio III. conceſſum.

DOmino ſancto meritoque beato, prædicatori præcipuo, egregio Doctori Paulo Apoſtolo, Honorius indignus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, reuerētiæ votum cum deuotione, perenni. Cum aliqua tibi Beatiſſime Paule, vas electionis, & gratiæ prædicatori, per priuilegij paginā conferre videmur, non noſtra concedimus, ſed tua potius confirmamus, quia bona omnia quæ habemus, tuis interuenientibus meritis à patre luminum, à quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum, nos accepiſſe fatemur, ideoque magis tua reputamus eſſe, quam noſtra, & vtinam ita noſtra ſint tua, vt tua quoque ſint noſtra, quatenus qui tuum officium exequendum ſuſcepimus, ad tuum etiam ſuſcipiamur conſortium obtinendum. Sacratiſſimum itaque Monaſterium, in quo tuum venerabile corpus celebri memoria requieſcit, ad ius, & proprietatem Apoſtolicæ ſedis, iure pertinens ſpeciali, ad exemplar fælic. record. Innocentij Papæ III. ſub Beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti priuilegio communimus: in primis ſiquidem ſtatuentes, vt ordo monaſticus, qui ſecundum Deum, & Beati Benedicti Regulam, in eodem loco conſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obſeruetur. Præterea quaſcunque poſſeſſiones, quæcūque bona idem Monaſterium in præſentiarum rationabiliter poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione regum, vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis iuſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma ſemper, & illibata eidem Monaſterio perſeuerent: in quibus hæc propriis duximus vocabulis exprimenda: locum ipſum, in quo prædictum Monaſterium ſitum eſt, & Burgum eiuſdem cum mola, & aliis poſſeſſionibus adiacentibus; oblationes tam maioris altaris, quam confeſſionis ipſius, & aliorum altarium. Sanctum Menatem, cum terris & vineis, ab vtraque parte viæ Scilianæ vſque ad pontem Piſſimisnum: Centum montis cum vineis, & pratis, iuxta Cœnobium memoratum Floranum cum ſuis pertinentiis. Triſuſam cum ſuis pertinentiis. Turrem Ioannis de Petro cum ſuis pertinentiis quæ antiquo nomine appellatur Draconi. Mandram cum Eccleſia, & aliis ſuis pertinentiis. Eccleſiam Sancti Procoli cum Gacaldo Lapigio, & Scinazelo cum aliis ſuis pertinentiis. Ardeam cum rocca ſua, & turri maiore, & Eccleſiis ſuis, & aliis pertinentiis. Patricam cum Eccleſiis, & pertinentiis: in Hoſtienſi Ciuitate Eccleſiam ſanctæ Dei Genitricis Mariæ Salinarum: paria ſeptem in vrbe vetere, & decem paria poſita in Abinea, & paria duo poſita in eodem territorio cum caſa Maſaritia ſuiſque mancipiis: Caſtrum decimi cum Eccleſiis ſuis, & villa Salinarū in Campo maiori, & apud Hoſtiam. Item Monaſterium Sancti Clementis cum villa ſua: Caſtrum Fuſugnanum cum ſuis pertinentiis: poſſeſſiones in ciuitate Velletri cum Eccleſia S. Mariæ ac Cellulis ſuis. Turrem poſitam in Terenzenello Lucembiacenſi cum ſuis pertinentiis. Poſſeſſiones in Aritia cum vineis, hortis, & tenimentis, & molis in Albano: cellam Sancti Nicolai, & cellam Sanctæ Mariæ minoris, & totum palatium cum ſuis Eccleſiis, & pertinentiis: Caſtellionem cum ſuis pertinentiis: tertiam partem Laci, Caprulsci villearum & caſam nonam cum ſuis pertinentiis. Caſtrum Oſeæ, Caſtrum Comitiæ, Sanctum Iulianum, Sanctum Victorinum: Corcurulum medietatem laci, Boraoni Paſſanum, & montem Proculum cū omnibus ad prædicta caſtra pertinentibus: Eccleſiam Sancti Laurentij ſub columna, & Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Oliueto, cum omnibus Eccleſiis ſupraſcriptorum Caſtrorum intus & extra caſam in Ananis, cum omnibus poſſeſſionibus prædicto Monaſterio ibidem collatis, ſextam partem in Caſtellari de Fuſtiguanſi. In ciuitate Tiburtinenſi Eccleſiam Sanctæ Agathæ, & molas duas in Cornute, & vnam in Vecta, & vnam in ſorma ad obſcuram, & vineas, olineta, & alias poſſeſſiones, montem & Albanum cum omnibus tenimentis ipſius: Podium Sancti Sixti, Caſtrum Numentanum, Sanctum Primum, & alias Eccleſias, & Cryptam Moroſam cum omnibus ad ſupraſcripta Caſtra, vel loca pertinentibus. Item Marcellinum, & podium Carlbenum, mōtem Faualem, & Caſtrum Sancti Poli, cum omnibus ad ſupraſcripta Caſtra pertinentibus. Monaſterium Sanctæ Mariæ montis Dominici cum Eccleſiis, & pertinentiis. In

Marſia

Marsia eremum Sanctæ Mariæ montis Armensis, cum cellulis suis, tenimentis, & omnibus pertinentiis. Ecclesiam S. Gregorij de Subloodos, cum pertinentiis suis: Sanctam Mariam in Casis cum agizata, id est, piscaria in Fucino: Sanctum Leonardum, supra in Chartura cum cellulis, villis, & molis, & aliis pertinentibus in Ano Hospitale de Caphas io solo Sabinen. Quartam partem Castri Pozi io ciuitate Iteramnien. Ecclesiam Sancti Petri Reccani, & Ecclesiam Sancti Laurentij ad Pedem: Cesæ hospitale Apostulorum Iacobi & Bartholomæi in Ciuitate Fridentinensi. Monasterium Sanctæ Margaritæ cum suis pertinentiis, apud Troconem: Ecclesiam Sancti Antimi, cũ omnibus possessionibus, quæ fuerunt Guidonis de Sancto Autimio. In Comitatu Narniensi medietatem castri S Vrbani: apud Ameliam hospitale Sancti Iacobi de Redde: Ecclesiam Sancti Magni in ponte: Ecclesiam Sancti Cathaldi prope Castrum Torani cum eorum pertinentiis: in Ciuitate Castellanensi Domos & possessiones, quæ fuerunt Bainaldi Guideruldi cum suis Ecclesiis, Sancti Eutychij iutus, & Sancti Ioannis extra: Ecclesiam Sancti Stephani cum Castello, & Burgo suo iuxta Ciuitatem Sotriuam cum omnibus pertinentiis, & vtilitatibus suis. Castrum Sanctæ Seueræ cum Ecclesia, & pertinentiis suis, & Monasterium Sancti Benedicti Nepesinẽs positum in Peutona, & Massam, quæ vocatur Vlmentum, & Massam, quæ vocatur Magiana, positas in territorio Nepesino, & quicquid habet à ponte Nepesino vsque ad montem Rosutum, & lacum qui vocatur Ianula: Castrũ Vaccaritiæ cum Ecclesiæ S. Chrispinæ, & aliis Ecclesiis & pertinẽtiis suis: Castrum Lepriniani cum suis Ecclesiis & pertinentiis: Flaranum cum suis pertinentiis: Ciuitatem Colorum cum suis Ecclesiis & pertinentiis: Ciuitatem Sterimanam cum Ecclesia Sancti Ioannis, & Lacu, cum suis pertinentiis: in Episcopatu Narniensi. Ecclesiam Sancti Nicolai de monte Masclario: Castrum Ragiani cum suis pertinentiis, & Castellum nouum, & Castrum Formelli. Ecclesiam Sancti Benigni, cum pertinentiis suis. Hospitale de Raio cum pertinentiis: Ecclesiam S. Angeli de Scolea cum pertinentiis suis: medietatem totius fundi Valeriani cum medietate Turris & Castellatij, & omnibus pertinentiis: Ecclesiam S. Leonis de Lepriniani cum suis pertinentiis: Castrum quod vocatur Morlupum, cum suis pertinentiis: Ecclesiam Sancti Laurentij, extra Castrum Ciuitelli. cum suis pertinentiis. Romæ Ecclesiam Sancti Nicolai de Forma: Ecclesiam S. Sergij in Suburra: piscarias iu flumine, in loco qui dicitur Marinoreta: Anditum Dominicam, & Postam, & alias in eodem flumine subtus Romam, pensiones, & hortos, & omnia quæ iutra vrbem, & extra idem Monasterium noscitur obtinere. Ad hæc libertates, & immunitates eidem Monasterio à prædecessoribus nostris indultas, rationabiles quoque consuetudines hactenus conseruatas, authoritate Apostolica cõfirmamus. Statuimus insuper, vt prædictum Monasterium nulli prorsus in aliquo, nisi Romano tantum Pontifici, sit subiectum. Nec ibi aliquis, præter eum, quamlibet iurisdictionem exerceat, aut aliquam vindicet potestatem. Abbati vero ipsius venerabilis loci, præsentis priuilegij authoritate, concedimus, vt ad honorem, & laudem altissimi, cum mitra, & annulo, sandaliis, tunica Dalmatica, Missarum solemnia pro suæ celebret reuerentia Sanctitatis, & astante Clero, ac populo, benedicat, ita quidem, vt si per manus Romani Pontificis in sacerdotem fuerit ordinatus, super mains altare licentiam habeat celebrandi. Consecrationes altarium, & ordinationes Monachorum, qui ad sacros Ordines fuerint promouendi, à quocunque maluerit Abbas, & Monachi eiusdem Cœnobij, Catholico, duntaxat Episcopo Apostolica freti authoritate, suscipiant, quos sine difficultate, ac prauitate, præcipimus exhiberi. Minores autem Ordines Monachis suis idem, Abbas (dummodo sit presbyter) de nostra poterit indulgentia, cum necesse fuerit, exhibere, cui benedicendi etiam indumenta, quæ ad vsum altaris in eodem Monasterio fuerint necessaria, concedimus potestatem. Interdicimus quoque præsenti decreto, vt nullus omnino sine speciali mandato Romani Pontificis in Abbatem & Monachos eiusdem Cœnobij, & in eo commorantes, suspensionis, vel excommunicationis sententiam promulgare, vel eos ad Synodum vocare præsumat, sed nec Clericos, præsertim oblatos, in illis Ecclesiis permanentes, in quibus non ad Episcopos, sed ad ipsum Abbatem institutio & destitutio, ac correctio dignoscitur pertinere. Quodque si quisquam in eos huiusmodi sẽtẽtias promulgauerit, illas decernimus irritas, & inanes. Obeunte vero eiusdem loci Abbate, nullus ibi qualibet astutia siue violẽtia proponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars maior cõsilij sanioris, secundum Dei timorem, & Beati Benedicti Regulam, de ipsa Congregatione, si tamen in ea per examinationem Summi Pontificis reperiatur idoneus, duxerit eligendom. Si vero (quod absit) in eodem

Mona-

Monasterio non poterit idoneus quispiam reperiri, tunc Romanus Pontifex de alia Congregatione prædicto Monasterio personam idoneam præficiet in Abbatem. Præterea fel. rec. Gregorij Papæ V. Prædecessoris nostri, vestigiis inhærentes, remittimus monalterio memorato debitum vini terris & vaccæ, quod antiquis temporibus prædecessoribus nostris consueuerat exhiberi. Saluis gratuitis obsequiis, & consuetis xeniis, quæ in festo Natiuitatis & Resurrectionis Dominicæ, Apostolicæ sedi debent annuatim impendi. Liceat quoque Abbati, & Conuentui Monasterij memorati, fratrum suorum testimoniis in propriis causis vti, siue ciuilem, siue criminalem contineant quæstionem, ne pro defectu testium ius eorum valeat deperire: Clericos etiam, siue laicos, liberos & absolutos è sæculo fugientes, licite ad conuersionem recipiant, & eos absque aliqua contradictione retinere ut. Cum autem generale fuerit interdictum, licitum sit eisdem vbicunque manentibus, exclusis excommunicatis, & interdictis, suppressa voce, non pulsatis campanis, diuina officia celebrare. Cæterum cum idem Monasterium speciale mēbrum Apostolicæ Sedis, & propria Romani Pontificis sedes existat. statuimus, & sancimus, vt sicut contra Romanam Ecclesiam, non nisi centenaria currit præscriptio secundum constitutiones Canonicas, & legitimas sanctiones, ita prædicto Monasterio minoris temporis præscriptio non obsistat. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, vt eorum denotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberauit, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat, salua tamen iustitia illarum Ecclesiarum, à quibus assumpta fuerint corpora mortuorum. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat prædictum Monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel Abbates retinere, minuere, siue quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integre conseruentur eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura, salua Sedis Apostolicæ authoritate, ac Parochialibus Ecclesiis Diœcesanorum Episcoporum iustitiæ consueta, illis exceptis in quibus plenum ius idem Monasterium hactenus dignoscitur habuisse. Si qua hactenus in futurum Ecclesiastica, secularisve persona, hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentauerit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum cōgrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se iudicio diuino existere, de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore, ac sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant, Amē. Amen. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum per manum Raineri, S.R.E. Vicecancellarij, Idibus Maij, Indictione Octaua. Incarnationis Dominicæ, anno M. CC. XVIII Pontificatus vero Domini Honorij Papæ III. Anno II.

SCRIPTVRA VII.

Priuilegium Monasterio S. Petri de Cardeña à Comite Garzifernandez, ac Comitissa Doña Aua, datum. In linguam latinam non raro peccat nos tamen lapsus n. u correximus. cum quod huiusmodi instrumenta vim habeant, si originali vt vocant, plane respondeant: tum vt temporum illorum calamitatem videas, quibus ne Regum quidem Notarij, Mauris omnia miscentibus, Grammaticam calluere. Suspicamur etiam typothetam menda auxisse.

SVb Christi Nomine, & Indiuiduæ Trinitatis, Patris quoque, & Filij, videlicet, ac Spiritus sancti, qui omnia cunctaque creauit visibilia, & inuisibilia, ex nihilo suppleuit, vnus & admirabilis extans, inseparabilis Trinitati, cuiusque regnum & imperium, sine permanet fine in sæculum, Amen. Dominis sanctis atque gloriosis, & post Dominum nobis fortissimis patronis, venerandis Martyribus, quorum reliquiæ conditæ requiescunt, Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, In cuius honore Basilica fundata est, in suburbio quem dicunt Burgos, in locum quod vocitant, CARA MAXIMEQVE DIGNA, vbi & ipso Monasterio fundatus esse dignoscitur.

Ego Garcia Ferdinandez, & vxor mea Aua, si beneficiis diuinis nostra compensetur oblatio, parui penditur quod concedimus, quodque sumus, quodque regno præditi. & rerum Domini summus cælesti largitate locupletari. Ideo timentes pœnas inferni, vbique nulla habere misericordia, nihilque consolatio, sed fletus, & stridor dentium. Et Psalmista, qui ait: *Non mortui Dominum laudabunt, neque omnes qui ad infernum descendunt:* & Propheta ait: *Tua sunt Domine omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi:* sed quia omnis oblatio pro fidei quan-

tate,& finceritate penfatur. Denique non eft nobis dubium,fed multis manet notiffimum,& cognitum,& quod de noftro datū habuiftis conceffum,atque firmatū tibi Patri noftro Sebaftiano Abbate, vel omni Collegio Monachorum de S.Petri, videlicet per mifericordiam Domini,& per huius noftri regalis gloriæ titulum, & pro remedium animabus noftris damus atque rōredimus exitum vel terminum ad honorificētiam Ecclefiæ S.Petri Monafterij, vel ibidē Deo feruientiū,id eft,de Caftrello,de Munnio Romaniz,de ipfa via qui exiit ad motua de la Cuefta de aquas, & de valle de aquas ad fummo ad illa via,quæ exiit de Vario de Sanctæ Eugenia,& pergit per medium valle de Pecuggo, & vadit ad alium vallem de Penicellā ad directo, ad ipfam villa motua, ad Ecclefiæ S.Martini, & de ipfa Ecclefiæ Sancti Martini ad valle de Aquas, ad fummo ad illa via quæ exiit ad motua de la Cuefta, & de ipfa villa motua, via quæ pergit in directo ad quintana. Et de illa via quæ exijt à Cardenia de atilio ad directo per illa via, quod difcurrit ad Cardenia de Sanctæ Meno pifcatore. Et de illa via, quæ exijt de Cardenia de Sanctæ Meno, ad fummo Arlanzone: & per omnes pelagos in Pruno vfque ad Ciuitas Burgēfi pifcandi per foro omnibus diebus, & illo ganato de Caradigna pafcendi, & in flumine Arlanzonæ aqua bibendi. Et quæ exit de Cardenia de Sanctæ Meno, & pergit ad fummo geneftar,& imprunat,ad ipfa villa de Caftrillo, ad Varrio de Sancti Ioannis, per omnes fuos terminos, & in illos terminos de ipfas villas quæ in circuitu eius funt, illo ganato Ecclefiæ Sancti Petri talem foro habeat fic illis de illas villas ad pafcendum per omnes terminos in montes,& in fontes in padulibus, defenfas etiam, & in molinaris fluminibus aquarum in exitus, & regreffus ab omni integritate, & per omnes terminos plantare, & arrumpere licentiam habeant fratres de Ecclefiæ Sancti Petri, vbi voluerint ligna talare: aut herba regare, aut vipnis per Cofinus, aut carro per qualecunque ambulare, fi non habuerit Carreta directa, licentiam damus pergat per defefsa, per terras laboratas, per vineas,& limites frangere, per via difcurrente ad Carro, vel ad equus, & mulus rargatus ambulare: & item alio terminum determinamus de illa via, quæ difcurrit ad directu, ad illa Ecclefiæ, quem dicunt Sancti Mametis, & de ipfa via, quæ venit iufta de Sancti Mamea, & exiit in directo ad illas vineas de Carreto, & de ipfa via, quæ eft latus villa, iam defuperdicta, & pergit ad aliam viam, quæ exiit de Quintana: & de ipfa via quæ exiit de villa iam fuperdicta Quintana ad directo, & pergit ad aliam viam, quam nuncupant Cardenia Sanctæ Meno,& de alia via, quæ exiit de villa iam fupernominata, ad directo, & vadit ad illam villam, iam defuper nominata Carceto, & de Capo de illa Serna in directo, vfque ad illo vadiello, de illo arrogio, quæ exit de valde Pecruggo, & de alia para de illo arrogio de illo fenax, per directo, vfque ad caput de illa Serna de Domina officia; & de ipfa Serna de Domina officia in directo, ad illa via quæ difcurrit de Caftrillo ad Sancti Petri, iftos exitos, vel terminos. Ego Garcia Ferdinandez, & vxor mea Aua, ad integro concedimus, vt nullus homo fit aufus inrumpere, vel vi eas plantare, vel pignorare, nifi folummodo Monafterio proprio, in fuo termino nobis iam dicto. Si opus fuerit arandi, aut plantandi,maneat in illorum arbitrio, nifi forte fi impedimento non fuerit Monafterio cum noftra licentia veniant beruas pafcendi, vfque ad ipfum locum, quod Abbas de Sancti Petri determinauerit in fuo exito integro. Garcia Ferdinandez, & vxor mea Aua, fic præcipimus, vt veniant ex villis in veftro termino à nobis iam determinato heruas pafcendi. Ita & præcipimus per noftri honoris titulum, vt & vos eatis erbas pafcendi in fuis terminis, vfque inueneritis illas abfque vllo pauore, & abfque vllo metu, & iftos terminos ad integros concedimus cum fuo foro, iam defuper dicto, pro animabus noftris tam in vita quam poft obitum noftrum, vt de odie die & tempore habeatis, teneatis, vindicetis, atque defendatis, vt nullus homo vos inquietare præfumat vltra, fed faciatis exinde,quodquod volueritis ab hodie, & deinceps. Omnia igitur, quæ iam diximus, fit conceffum Ecclefiæ veftræ, & cultoribus ibidem deferuientibus perpetuo in tempore veftro vindicent iure. Videlicet ea ratione feruata, vt exinde nobis habeamus fubfidium poft obitum noftrum, & quod diximus fit vobis conceffum, & perenniter habiturum. Si vero aliquis homo inquietare voluerit in hunc factum noftrum, aut aliquis homo venerit ad irrumpendum in veftro termino,& blafphemauerit hoc noftrum datum, in primis fit maledictus à Deo & fanctis Angelis eiufdem, atque ab omni cætu Sanctorum fegregatum,& perenniter anathemazitum, & cum Iuda Domini proditore pœnas lugeat in æterna dānatione. Et dimittunt ad Monafterio terram, quam arauit, aut vines quam plantauit, & à parte Regia reddat triginta

libras

libras ex puriſſimo auro in cautis, & ſcripta firmis permaneat in ſæcula. Facta carta donationis, vel confirmationis, die notum V. idus Iulios, Era M. X. Regnante Rex Ramiro in Legione. Ego Garſea Ferdinandiz Comes hoc teſtamentum à me factum, manu mea ſignum (†). Et teſtibus tradidi ad roborandum. Aua Comitiſſa confirmans in hac re, teſtamentum à me factum, & confirmatum, ſignum (†) impreſſi. Sanctio prolis illorum Confir. Gundiſaluo ſimiliter Confir. Domina Frouilde Confir. Martinus Epiſcopus Confir. Hieronymus Cepis. Confir. Gudeſteus Abbas. hc. Sanctius Abbas, hc. Sebaſtianus Abbas, hc. Stephanus Abbas hc. Albertus Abbas, hc. Gundiſaluo Muñoz teſti. Vermudo Muños teſt. Aluaro Kelaz teſt. Aluaro Abduz teſt. Gudeſteu Nunniz teſt. Ruderiro Trlliz teſti. Ruderico Telliz teſti. Munio Gudeſtrus teſt. Abduz Nuni teſt.

SCRIPTVRA VIII.

Contineat donationem, quæ Don Garciſernandez & Doña Aua, Comites, Cænobium Sancti Michaelis Abbatiæ Sancti Petri de Cardeña adiunxerunt.

Stylus priori non diſſimilis eſt.

SVb Chriſti nomine & indiuiduæ Trinitatis, Patris quoque, & Filij, videlicet, ac Spiritus Sancti, qui omnia cunctaque creauit viſibilia & inuiſibilia, ex nihilo ſuppleuit, vnus & admirabilis extans, inſeparabilis Trinitatis, eiusque regnum & imperium ſine permanet ſine ſine in ſæculum, Amen.

Dominis Sanctis atque glorioſis, & poſt Dominum nobis fortiſſimis Patronis, venerandis Martyribus, quorum reliquiæ conditæ requieſcunt, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, in cuius honore Baſilira fundata eſt, in ſuburbio quem dicunt Burgos, In locum quod vocitant CARA MAXIMEQVE DIGNA, vbi & ipſo Monaſterio fundatus eſſe dignoſcitur. Ego Garcia Ferdinandez, & vxor mea Aua, ſi beneficiis diuinis noſtra Comprnſetur oblatio, parui penditur quod concedimus, quodque ſumus quodque regno præditi, & rerum Domini ſummus cæleſti largitate locupletati. Ideo timentes pœnas inferni, vbique nulla habere miſericordia, nihilque conſolatio, ſed fletus & ſtridor dentium, & Pſalmiſta qui ait, Non mortui Dominum laudabunt, neque omnes qui ad infernum deſcenduut; & Propheta ait: Tua ſunt, Domine, omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi: ſed quia omnis oblatio pro fidei quantitate & ſinceritate penſatur, non putamus eſſe minima quæ magna fidea Deo conſecrat. Denique non eſt nobis dubium, ſed multis manet notiſſimum, & cognitum, & quod de noſtro datum habuiſtis concrſſum, & confirmatum; tibi enim Patri noſtro Sebaſtiano Abbate, vel omni Collegio Monachorum Sancti Petri Cardeniæ. Ideo per miſericordiam Domini, & per huius noſtri Comitatum gloriæ titulum, & pro remedium noſtrorum facinorum, ſeu animarum noſtrorum parentum, offerimus Deo, & ſancto altari noſtro, pro ſubſidio fratrum noſtrum, proprium Monaſterium, quod eſt ſitum ſubtus Caſtrozerit territorio, per nomine Sancti Michaelis, locum ſuper Piſoriga riuulum, & iuxta bona matre deſcſarum lignium, cum ſuo firmiſſimo Diuino, & circa villa valle bona ad integrum nos damus omnia, ex parte Orientali trans ripia de Auantos, per via quæ venit de Arcopilla, & vadit ad Palentiam, & girat ad Meridiano, per via quæ vadit de Sancto Cipriano, pro ipſo plano, & pro media illa Serna de Sancti Michaeli, & incidat inter ripia Fernando, & ripa de Salano & radit inde ad valle maiore, & inde reuertatur ad Occidente, & tingit in aqua pro dirrcte, & tranſmeat aqua per via quæ vadit ad Alcocero, ipſoque abtero, & reuertitur ad aquilone per via laro Populatione, & per dirrcta via vſque villa Vaſcones, quod eſt ad ipſa, & tranſmeat aqua per piſcaria de Ceſtelles, vbi eſt vno molino de Sancto Mirhaeli integro, & alios duos medios, & tingit per directo in ipſoque de Sancti Cypriani Riuulo, & intra ipſos ſupra taxatos terminos. Nullusque ſit auſus aliqua terra laborare, neque domum ibidem quiquam facere, neque paſrua aliqua ibi defendere, neque vinea plantare, vel aliqua ligna abſcindere, neque domum ibidem quiquam facere, neque in iplo riuulo ſu per taxatos terminos recia ad piſcandum

mittere,

mittere, neque molendinis laborare, vel etiam inquirere, nisi cuius fuerit data ab Abba potestate. Et si quispiam homicidios venerit fugiens homicidas suos, intra ipsos terminos, nullus eum sequatur, & sequenti, vt prior occidatur. Et ad populandum damus ibidem licentiam, vt qui ibi habitauerit nullam super se habeat Regalia, aut Comitalia imperia, neque respondeat aliquid ad eius debita, non pro furtum, neque pro homicidium, non pro manneria, neque pro ferna, neque pro fossare, neque pro anubda, neque pro Castellia, neque pro fauienda facienda vlla, sed ab omni integritate sint Ingenui, & liberi à Comitali, seu Regali debiti, & seruiant Deo. & Sancti Petri secundum iudicauit Cardenia Abbati. Et foris ipsos terminos populandi, & laborandi integrum damus eis licentiam in nomine Domini. Omnia igitur quæ supra iam taxatum est, ab omni integritate sit concessum Ecclesiæ Sancti Petri, & Sebastiani Abbati & Cultoribus ibidem seruientibus tempore perpetuo absque vllo inquietudinis ordo habeatis, teneatis, vindicetis, atque defendatis ea ratione fernata, vt exinde nobis habeamus subsidium post obitum nostrum. Et quod donamus sit vobis concessum, & perenniter habiturum. Si vero aliquis homo ex progenie nostra, aut aliquem ex qualicunque persona fuerit venire contrarius super donationis, & conscriptionis nostræ, & contenderit vel vineis, seu lignarum, arbusculis, aut etiam molinis cum suis producitilibus aquis, vel etiam mittere voluerit alijs foris quam supra taxatis, in primis sit ille maledictus à Deo. & ab omnibus sanctis Angelis, atque segregatus à cetu Sanctorum, & anathematum, pro nunquam finiendi sæcula sæculorum, Amē. Et pœnas lugeat in æterna damnatione cum Iuda Domini traditore, Amen. Et quod contendit à parte reddat duplicato, & ad regiam partem conferat triginta libras ex purissimo auro, & scriptio ista firmis maneat per sæculum. Facta cartula donationis, notum die V. idus Iulij, Era M. X. VIII. regnante Rex Ramiro in Legione. Ego Garcia Ferdinandez Comes, hoc testamentum à me factum, vel confirmatum, manu mea roborabi, & ad roborandum tradidi. Ego Aua Comitissa signum impressi. Sanctius prolis Comitis roborauit. Gundisaluus namque similiter roborauit. Doña Fronilda roborauit. Martinus Episcopus, Confir. Hieronymus Episc. Confir. Gudestens Abbas, Confir. Sanctius Abbas, Confir. Sebastianus Abbas, Confir. Stephanus Abbas Confir. Abus Abbas Confit. Gundisaluo Moñiz testis. Aluaro Abduz testi. Aluaro Beyas test. Rodico Tellix roborauit. Momo Gudeltios roborauit. Abduz Nuñiz roborauit. Fernando Nuñiz roborabit. Didaco Moñiz roborauit: Nunno Diaz roborabit: Eronimus notauit.

SCRIPTVRA IX.

Qua Don Ferdinandus I. Rex aliquot Monasteria S. Petro de Cardeña cedit, pro Monasterio vno S. Laurentij, Burgis sito.

SVb Christi nomine, & Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quæ omnia cunctaque creauit visibilia, & inuisibilia, ex nihilo suppleuit, Dominus & admirabilis extans in separabilis Trinitati, cuius regnum, & in perpetuum permanet in sæculum. Amen. Ego denique Ferdinandus Gratia Dei Rex, & vxor mea Sanctia Regina, facimus cambium secundum quod nobis, & vobis placuit, Abbati Gomesano, Collegio fratrum Sancti Petri Ecclesiæ Caradinensis, damus vobis Monasterium proprium fundatum in honore S. Vincentij, quod est in valle Oruaneliæ, in suburbio Burgos, concedimus vobis illud cum omnibus bonis suis: videlicet terris, vineis, ortis, molinis, pratis, pascuis, & regressibus, montibus, & fontibus, & ab omni integritate, cum omnibus quæ ibidem, vel alibi ad idem pertinentia possitis inuenire. Et insuper damus vobis illud cum suis Decaniis, scilicet Monasteriū fundatum in honore Sancti Mametis, quod est inter villa Alara, & Enecia de Campo, in Alfoz, de Arlanzon: insuper damus vobis Monasterium quod fundatum est in honore S. Eugeniæ, in suburbio Burgos, in villa quæ vocatur Castellum cum omnibus bonis suis, quæ nunc ad ipsum spectant, vel spectare possunt. Et in Burgos in vico S. Saturnini domos, cum suo horto, & in riuo de Cauia, Monasterium quod fundatū est in honore Sancti Martini, in loco, quod dicitur villa Iriezo, cum omnibus addictum Monasterium spectantibus. Dicta Monasteria, & possessiones de consensu, & voluntate, & rogatu Iuliani Episcopi Burgensis, & omnium Canonicorum suorum, tibi Abbati Gomessano, & fratribus tuis, tecum Deo deseruientibus damus, & omnia, quę ad dicta Monasteria, & possessiones pertinent, videlicet decimas, & oblationes prædictorum Monasteriorum, terras, vineas,

montes, fontes, & cætera, quæ ad prædicta Monasteria spectant, vel spectare debent. Insuper damus tibi & Collegio tuo Ecclesiam Sancti Stephani de villa frigida & Ecclesiam Sancti Emiliani de Oruanelia de picos, cum decimis, & oblationibus, & cæteris, quæ ad dictis Ecclesias spectant. vel in futurum spectare debent. Prædicta omnia tanquam pleno iure ad nos pertinentia ex Regia liberalitate, & ex consensu & voluntate Iuliani Episcopi Burgensis, & Canonicorum suorum, tibi damus & concedimus pro remedio animarum nostrarum. & pro Monasterio quod fundatum est in honore Sancti Laurentij, in ciuitate Burgos, quæ in nobis, das in Cambio per dictis Monasteriis & Ecclesiis cum omnibus ad id Monasterium pertinentibus, videlicet, cum vno furno, terris, vineis, pratis, pascuis, montibus & exitibus, & regressibus, & nos inspirante Dei clementia, pro remedio animarum nostrarū dedimus Ecclesiæ Burgensi dictum Monasterium cum toto vico, ac integritate, & cæteris supradictis, intendentes statim Ecclesiæ Burgensis ad maius ducere incrementum, ita vt ex hodie die & tempore supra dicta omnia à nostro iure abrasia, & si aliquis homo, quæ minime credimus fieri, post nostrum obitum, nostrum cambium, vel firmam donationem, ausu temerario dirumpere, aut in aliquo attentare præsumpserit, iram Dei Omnipotentis incurrat, & vinens vtraque lucerna careat, & cum Dathan, & Abiron, quos viuos terra absorbuit, pænas lugeat infernales Et in cauto Regiæ potestati solnat milliarias auri, & omnia alia desuper scripta duplicata, vel triplicata in simili loro, vel meliori. Facta huius libelli conscriptio sub die Sabbato XIII. Kalend. Martij, Era 1078. regnante Rege Ferdinando cum vxore sua Sanctia Regina in Legione, & Castella, & in Gallecia. Ego itaque Ferdinandus, gratia Dei Rex, qui hoc cambium fieri iussi, manu mea signum inpressi, & manu propria roboraui. Ego Sanctia, gratia Dei Regina, quæ hoc scriptum fieri iussi, legendo audiui, manu propria roboraui. Iulianus Episcopus Burgensis confirmauit; Gomesanus Episcopus Camorensis, Confir. Mirus Palentinus Episcopus Confir. Albertus Episcopus Legionensis Confir. Pelagius Ferdinandi armiger Regis Confir. Gomidus Didaci, Confir. Munio Illefonsi Confir. Lepzanus Assuri, Confir. Guterrius Illefonsi, Confir. Flauinus Ferdinandi, Confir. Flauita Petri, Confir. Rudericus Aluari, Cōfir. Gundisaluus Munionis, Confir. Gustodius Guterri, Confir. Iunius Gundisalui, Confir. Sarazi Faniz, Confir. Iunius Ferdinandi, Confir. Fortunius Ouezi, Confir. Felis Maiorinus de Burgos, Confir. Blasius Ferdinandi, Confir. Didacus Presbyter, Cōfir. Iuliani Episcopi, Confir Tellus Presbyter, Confir. Garsias Presbyter Gomessani Episcopi, Confir. Munio Presbyter. Cōfir. Bernardus Presbyter Miri Episcopi, Cōfir. Raymundus Presbyter, Confir. Illefonsus Presbyter Albitij Episcopi. Pelagius Presbyter Confir. Tossana Presbyter, & Notarius Regis, qui hunc libellum conscripsit, propria manu signum impressit.

SCRIPTVRA X.

Testamentum quod fecit Rex Dominus Ordonius de S. Claud a, Lupercio & Victoricio, ad Ecclesiam B. Mariæ Virginis; ex Archiuo Legionensis Ecclesiæ maioris depromptum.

DOminis inuictissimis, ac triumphatoribus gloriosis, & patronis nostris Sanctæ Mariæ semper Virginis, & Sancti Cipriani, cuius Basilicæ esse dignoscitur intra ciuitatem Legionensem. Ego exiguus & pusillus Ordonius Princeps, vna cum Coniuge Vrracha, ambiguum esse non potest, sed totius prouinciæ nostræ cognitus & patefactus manet, eo quod fuit de stirpe apræhensa post parte parentum & auorum nostrorum Ecclesia Sancti Claudij, Lupertij, & Victoricij in Arrebalde supradictæ Ciuitatis Legione, in quo supradictis Sanctis Martyribus requiescunt beatissima corpora, cumque ab antiquitus fuisset crema, deuenit ad ruinam Basilicam, ipsa tantum Camera Christi ibi remāsit inlæsa, vbi Sanctorum corpora esse cognoscuntur recondita. Post vero transactis tēporibus successus fuit in regno genitor noster diuæ memoriæ Dominissimus Ranimirus Princeps, præuidit ipsum esse sanctissimum locum, compunctus à Domino Ecclesiam ipsam construxit: atque in melius transformauit, non cum imperialis oppressione, sed cum sui muneris & pretij impleuit deuotionem. Post discessum vero illius, nos supra dicto Domino propiciante successimus in solio & culmine illius. Dominum vidimus supra memoratam basilicam manentem sine regimine, & absq; ibi aliqua fuisse doctrina, timentes, ne ad pristinā veniret destructionem, annuit, & conuenit spontaneæ voluntatis nostræ, vt faceremus exinde testamentum, & concessionem Ecclesiæ S. Mariæ iam superius dictæ, seu ad

vobis Pontificem Domno Gundisaluo Episcopo ibi in sancta, & castissima vita degentem, & ideo deuotioni meæ extitit, vt concederem ibi suam cortem constructam cum cunctis ædificiis suis, terris, vineis, hortis, vel omnia quantum ad ipsam Ecclesiam pertinet, vobis offero, atque concedo secundum ipsam Ecclesiam obtinuit. Abinazar presbyter, & postea alij plures post eum. Concedo autem, vt dixi, pro victu, atque vestimento Mouschorum, ad ipsam Ecclesiam vestram Deo deseruientium, siue pro luminaribus altariorum vestrorum, vel Eleemosynis pauperum, ac hospitum peregrinorum, vt sit exinde remedium animæ auorum vel parentum nostrorum, & nobis, propter id ante Deum pro vestris sacris obtutibus merces veniat copiosa, & vt hic eruantur ab inimicorum insidiis, & illic liberemur à nostris delictis. Si quis vero adueniens habitare & degere in vita sancta, vel sub Monastica volens voluerit vita sub ditione & regimine vestro, vel Pontifice, qui post discessum vestrum in Pontificiali ordo surrexerit, habitet, & pro nobis ad Dominum preces fundat, quo adiuratione protestamur, qui contra hunc factum vel testamentum nostrum venire conaucrit ad irrumpendum, vel ad infringendum (quod absit) vel in modicum, sit Domini super eum anathema marenata, suisque ambobus à fronte luminibus, & cum Iuda Christi traditore habeat præcipitium in æterna damnatione, & cum Dominica in die illa increpuerit tuba non cum iustis resurgat in gloria, sed cum impiis condemnatus in pœna perpetua, Amē. Facta series testamenti VI. Idus Martij: Era D CCCC.LXXXXIII.

Ordonius Serenissimus Princeps, Confir.
Vrracha Regina.
Veremundus Nunniz Confir.
Pileti Confessor, Confir.
Olimundus test.
Veremundus Magnitriz, Confir.
Fartiz iustiz.
Nunnis Sartaceni.
Rudericus Velasquiz.
Nunki Pinioli
Fortunia Grafeani.
Abaind ibemeuute.
Sarraceni iusti.
Velasco Fortunniz.
Maceroni Odariz.
Geremias Mendiz test.
Fortunio Aluariz. test.
Abaind iunior, test.
Zuleiman filius Tenderici, test.
Halite filius Stephani, test.
Fortunio Antaniz, test.
Palatinus Palatinoz.
Zetin Didaz.
Vlate Vlatez.
Aluarez Gamez.
Gundesabus Presbyter.
Zanti Presbytero.
Tafila Archidiaconus.
Acub Diaconus.
Ensila Diaconus.
Fraila Diaconus.
Qui notuit.

Sanctius Rex, Confirmat.

In quibusdam exemplaribus descriptū eram vides D. CCCC. LXII. Sed patet error, quando Ecclesia Legionensis hac era nullum Episcopum habuit, cui Gundisalua nomen, sed era D. CCCC. LXXXXIX.

SCRIPTVRA XI.

Priuilegium exponit ab Adeodato III. Summo Pontif. Monasterio Turonensi seu Sancti Martini concessum. Papirus Masonus ex eius loci archiua eruit.

Dilectissimis fratribus, vniuersis Episcopis in Galliæ partibus commorantibus, Adeodatus, &c. Æquitatis nos admonet norma, quam apprime custodire præcipimus, vt canonica sanctorum Patrum consulta, præsertim à beatissimis Apostolicæ Sedis Præsulibus, Prædecessoribus scilicet nostris, qui authoritatem successionis, ac vicem sacratissimi Apostolorum Principis Petri per diligentem solertiam nacti sunt, quemadmodum statuta reperimus, intemerata atque illibata custodia conseruemus. Sed vt sunt, quæque à fratribus nostris Ecclesiarum Episcopis pedissequa duntaxat imitatione cōsulta, & salubriter fuerunt ordinata, vtpote functi Apostolorum principis, licet impares, ministerio, conseruanda simili ratione decernimus. Qua ex re dum Ægericus Religiosus Presbyter, & Abbas Monasterij Sancti Martini, in quo venerabile Corpus eius est situm, ad visendas ex desiderio veniens Apostolicas Confessiones & arria, nostris se repræsentaret obtutibus, commendationemque fratris nostri Cutperti, Turonicæ Ecclesiæ Præsulis, obtulisset, supplici voce precatus est, vt priuilegium Apostolica authoritate subnixum, ob munitionem venerabilis Monasterij, quod Beatæ recordationis Confessor Christi Martinus Turonensis Ecclesiæ, in Gallicanis partibus, ad conuersorum salutem, sui sacratissimi Corporis Cōsecratione decora- *Adeoda. 152.*

decorauit, cui nunc præesse se perhibens, scriptis ostenderat, ei concedere deberemus, parumper autem ambigimus: idcirco, quod mos atque traditio sanctæ nostræ Ecclesiæ plus non suppetat à regimine Episcopalis prouidentiæ religiosa loca secernere: verum vbi & prædicti fratris nostri Cuperti Turonensis Ecclesiæ Præsulis Monasticam libertatem, hoc est, liberam dispensandi licentiam scripto concessam, religiositatem eius exemplaris proferente comperimus, in cuius volumine & aliorum per Gallicanam videlicet prouinciam, constitutorum Antistitum, ad id consensum præbentium, subscriptiones subter annexas inspeximus, nullatenus iam exortem rationis, ac Canonicæ regulæ, tantorum Episcoporum consonantiem sententiam fore perpendimus. Propterea & nos erga quos iidem fratres nostri reuerendissimi præsentes conferre prouiderunt, simili censura, ex authoritate profectò Apostolorum Principis, cui claues ligandi atque soluendi conditor atque Redemptor omnium tribuit idemtidem firmare concessimus: vt Apostolica fulti authoritate, per priuilegij seriem grauedines à quolibet Episcoporum sub prætextu discussionis, Religiosus Abbas, vel Monachi ibi degentes sustineant: neque rursus, sibi disputandi apud eos licentiam vendicantes dispendia his, atque insolentias angariarum imponant: nec per occasionem regularis disciplinæ rimandæ, atque seruandæ, quaslibet eis importent iniurias, sed liberam licentiam habere statuimus, salua profectò monachicarum Regularum custodia, Religioso Abbati, quicunque pro tempore præerit prælato venerabili monasterio id procurante, vt erga quos pristinæ traditionis eius articulos continet, & ipse conseruare nitatur, & quicunque sub eius regunt ur dispensatione solerte custodire commoneat, districtéque compellat. Reuerendissimus vero Episcopus, in cuius parochiam memoratum venerabile Monasterium, vel res eius ac possessiones consistuntur, faciendæ tantum ordinationis ac promotionis Sacerdotum atque Leuitarū, vel conficiendi Chrismatis, sit tantum concessa licentia: dispositionem autem venerabilis loci gerere, ac conuersationem Monachicam exquirere, Religioso Abbati, eiusque Præposito, vel qui probatissimi fuerint in eodem Monasterio, quod etiam præfati præsules consona sententia definierūt, decernimus. Quisquis igitur quolibet tempore (quod nullatenus credimus) huius decretum priuilegij, quod authoritate Apostolica subnixi consentiendo firmauimus, in totum vel in partem temerare tétauerit, suæque præsumptionis audacia digna emédatione minus correxerit, in perpetuum percellendum, vel anathematizandum se nouerit, non solum tantorum sententia sacerdotum, sed etiam æquissimo Apostolicæ condemnationis aculeo, quoniam violare pertinaciter nixus est, quod salubriter seruare decebat. Et ita quoque huius priuilegij sanctio firma, & rata, indiminutaque persistat, atque permaneat, erga quod & præcellentissimi totius Galliæ Reges, vt scripto comperimus, ad reprimendas laicorum infestationes edicto præmunire, idem venerabile Monasterium Regali pietate dignati sunt: Bene valete dilectissimi fratres.

SCRIPTVRA XII.

Priuilegium à Clodoueo I. Monasterio S. Petri Senonensi datum. Affertur à Renato Chopino l. 1. tit. 3. num. 19. Monast.

IN Christi nomine, Clodoueus Francorum &c. venit ante præsentiam meam filia mea charissima Theodechildis, quæ se deuouit virginem in Christo, postulans à me multis precibus, vt ei quantulamcunque portionem condonarem de hæreditate mea, sed de hæreditate suæ matris: postulans insuper, vt in ipsa hæreditate ei liceat ædificare Monasterium Monachorum in honorem Principis Apostolorum. Audiens igitur ego tam iustam postulationem, & tam beneuolam deuotionem, tradidi illam partem de hæreditate mea, quæ venit in sortem meam, ex parte vxoris meæ Chrodildis: quæ hæreditas fuit patris eiusdem vxoris meæ, Chilperici Regis Burgundionum filiæ. In primis igitur trado ei Ecclesias meas duas: vnam in honorem BB. Martyrum Saniniani, & Potentiani: alteram in honorem B. Serotini Martyris, cū omni decimatione, & quidquid ad ipsas Ecclesias pertinere videtur, &c. Feriam autem annalem similiter concedo illi in festiu. Apost. Petri & Pauli, ita vt nullus ex ministris nostris, neque Comes neque Vicecomes, neque iudex publicus in mercato, neque in ipsa feria annali vllam consuetudinem accipiat, nisi ipsi Monachi, qui ibidem Deo deseruierunt, neque rotaticos, neque portaticos, neque pedaticos homines distinguendo: sed teneant secure absque vllius contradictione, sicut antecessores mei Reges Burgundionum tenuerunt, &c. Præcipimus igitur, & statuimus, idem Monasterium, quod filia mea charissima fundare cœpit, cum omnibus ad se pertinentibus, sub nostra defensione, atque manuburdio, & huius nostræ authoritatis *Ad ann. 552.*

ritatis

ritatis Confirmatione ab omni ſtrepitu, & Iudiciariæ poteſtatis impulſione adeo liberum, & ſecurum eſſe, vt nullus iudex publicus in Eccleſias, aut loca, vel agros, ſeu poſſeſſiones, quas in quibuslibet territoriis in ditione regiminis noſtri iuſte, & legaliter præfatum Monaſterium poſſidere videtur, vel in ea quæ deinceps ipſius Monaſterij dominio deuenerint, ad cauſas audiendas, vel freda, aut tributa exigenda, aut manſiones, vel paratas faciendas, aut fideiuſſores, aut homines commorantes ſua temeritate diſtringendos: nec vllos redhibitiones aut illicitas exactiones requirendas: nec pedaricos, nec theloneos, nec rotaticos, ſiue portaticos, aut ripaticos tollēdos, noſtris, nec futuris temporibus ingredi, nec auferre præſumat aliquis. Et hæc ea teneant Monachi, ſicut anteceſſores mei Reges Burgundionum tenuerunt ſecure, & quiete. Trado etiam illi Baſolum Ducem amodo ſuperbum, & tumidum, modo vero humiliatum: quem catenatum teneo cum hæreditate ſua, cum caſtellis, vicis, terris, & Eccleſiis, & reliquas poſſeſſiones ſuas, eo tenore, quod ab hodierno die, & deinceps totum, & ad integrum rem inexquiſitam ad Monaſterium prædictum Sancti Petri, Senonenſem, omnibus temporibus pertinere decernimus: & vt in alimoniam ſeruorum Dei, qui ibidem per tempora ſeruierint, & aſſiduam pauperum receptionem, & luminaria continuanda, & ſacrificium offerendum, vel ipſam Domum Dei dirigendam ipſæ res in futurum permaneant, &c. Data menſe Octobris, indictione prima, Pariſiis, vrbe Regia.

SCRIPTVRA XIII.

Monaſterium S. Carilephi Sedi Apoſtolicæ immediate ſubijcitur.

Nicolaus Romanæ Sedis Epiſcopus, Galliarum Epiſcopis vniuerſis, & Pontificibus ſempiternam in Domino Deo Patre, & Domino noſtro IESV Chriſto ſalutem.

Adan. 333. REgum corda diuinitus inſpirata, quando pro Religioſis locis ſolicitudinem gerunt, diuinitati gratiæ ſunt agendæ, & in omnibus quæ pie religioſeque procurant, eorum voluntati cum omni deuotionis alacritate eſt parendum. Orandi denique eſſent, vt de ſanctorum locis pietatis affectum, & ſolicitudinis curam ſuſciperent.

Nunc autem vltro ſe ad hæc peragenda præbentes, & illis eſt congratulandum, & quæ iuſſerint ſine retractatione perficiendum. Glorioſus itaque Rex Francorū Carolus cœlitus animum inſpiratus, inter cætera ſuæ deuotionis ſtudia, quæ circa Dei Eccleſiam prompta ſemper impendit deuotione, curam quoque dignatus eſt aſſumere de Monaſterio Sancti Carilephi Confeſſoris, quod eſt in pago Cenomanico cōſtructum, ſuper fluuium Aniſola, in quo à prima ſuæ conditionis die, ex quo beatus Cōfeſſor Chriſti Carilephus fuit in corpore, religioſum Monachorum habitauit examen, habuitque libertatis priuilegium, & in rerum ſuarum diſpoſitione, & in Abbatis de ſemetipſis electione. Verum quia impugnare Eccleſiam Chriſti nunquam hoſtis humani generis omittit, ſecuritatem libertatis, quam ex multis iam annis poſſederat, etſi non penitus abſcidit, conturbauit tamen, & conuellere conatus eſt, & paucis quidem ante iam annis, & præſentibus quoque, id eſt, ipſius Caroli Regis temporibus. Quia vero diuina clementia deſerit nunquam in ſe confidentes, Principis animum ad hoc mouit, vt non ſolum inimici perſuaſio non præualeret; ſed etiam procurare voluit, vt ſequentibus temporibus libertatis priuilegium, olim Monaſterio illi conceſſum, à nullo deinceps nec euerti poſſet, nec violari. Vnde dignatus eſt ad nos prædictus Princeps miſſum dirigere ſuum, id eſt, venerabilem Odonem Belluacenſem Epiſcopum, & literas ſuæ dignationis deſtinare, quibus poſtulauit, vt libertatem illi Monaſterio, & ab Epiſcopis, & à Regibus Francorum conceſſam, noſtra firmaremus authoritate, & futuris manſuram temporibus roboraremus: Conſiderantes itaque piam eſſe poſtulationem, & ſeruorum Dei quieti perneceſſariam; & quæ à paſtoribus Eccleſiarum poſtulanda eſſet, atque procuranda, ſi minus eam mundi Principes procurarent: decernimus Apoſtolatus noſtri authoritate, vt Monaſterium Sancti Carilephi Confeſſoris, intra Gallias ſitū in pago Cenomanico ſuper fluuium Aniſola, vt rerum ſuarum habeat liberam in omnibus, ſecundum Eccleſiæ ipſius vtilitatem, & ſeruorum Dei compendia, diſpenſationem, vt Epiſcopus Cenomanicæ vrbis, ſiue Robertus, qui nunc illi Sedi præeſt, ſiue ſucceſſores eius, nullam in eo Monaſterio obtineāt poſſeſſionis dominationem, neque prædictum Monaſterium ad ſuæ vrbis inclinare conentur ſubiectionem. Sed Abbas ille qui nunc ibi eſt, Engillarius, & fratres eiuſdem Monaſterij, deuotionis ſuæ ſeruent, dum Eccleſiaſtica ſtatuta, & præſentibus, & futuris obtineant ſemper temporibus, vide-

licet, vt quidquid oblatum eſt, vel fuerit deinceps illi Cœnobio vel in auro, vel in argento, vel in agris, & famulis, vel in quacunque rerum ſubſtantia, nec Epiſcopus Cenomanicus, ſicut Robertus qui nunc illi vrbi præeſt, ſiue qui poſt eum Cenomanicam Eccleſiam rexerint, nec vlla alia perſona, ſiue ſæcularis, ſiue Eccleſiaſtica, vllam obtineant, vel ſibi vindicent portionem, ſed maneant omnia in ipſius Abbatis, & fratrum ibidem Deo militantium diſpenſatione, vt quidquid ſecundum ipſius Monaſterij vtilitatem regulariter, & Canonice voluerint agere, in eorum ſit poteſtate, nec Epiſcopus ad prædictum Monaſterium, quaſi propriæ poteſtatis abutens iure, niſi vocatus ab Abbate & fratribus, accedat, ne ſui aduentus præſentia fratrum quietem perturbet, neque dolos aut machinationes vllas vel Abbati, vel fratribus ſiue per ſe ſiue per ſuos aliquando facere præſumat, cum potius quicquid Dei ſeruis in prædicto Monaſterio commorantibus conferre ad Ordinis ſui conſeruationem vtiliter, & modeſte, & benigne potuerit, id pro Dei amore, & ſempiternæ remunerationis gratia perficiat, nec violenter, aut callide mali quicquam aut perturbationis moliatur in illos, ſicut audiuimus quoſdam facere voluiſſe, quaſi in ſcriptiones quaſdam Monſtrantes, quibus Monaſterium ſuæ Ciuitati poſſeſſionis iure ſubditum fieri conati ſunt, quas conſtat omnino falſas fuiſſe: quandoquidem priuilegia Regum quæ ex antiquorum Regum Francorũ temporibus olim Monaſterio illi conceſſa ſunt, hoc deſtruant, ſicut & ipſa teſtãtur quæ in archiuis Monaſterij ob teſtimonium ſibi conceſſæ libertatis hodieque ſeruantur. Quod ſi fortaſſis contigiſſet, vt aliquando Monaſterium illud ſub poteſtate Cenomanici fuiſſet Epiſcopi, quod rebus ipſis probatur, & teſtimoniis Monaſterio collatis, nunquam fuiſſe, tamen ſecundum leges ſæculi poſt tot iam ſæcula, & annorum ſpatia repeti nullatenus iure potuiſſet, & quam ſemel acceperat libertatem, iam ſub conditione nequaquam mancipari denuo potuiſſet. In legibus enim habemus, vt omnes quæſtiones infra triginta annos terminum accipiant: de Eccleſiaſticis autem cauſis poſt quadrageſimum annum, nulla querela moueri poteſt, ſi non inter hoc ſpatium annorum fuerit mota. Et ecce hoc Monaſterium à primo Rege Francorum Chriſtiano, id eſt, Clodoueo, filioque eius Childeberto, cum habuerit libertatem, & deinceps ab omnibus Regibus ſemper manſit liberum, & in rerum ſuarum diſpoſitionibus, & in Abbatis electione, nunc reperitur quaſi in proprij iuris dominationem, cum ſi terrena poſſeſſio fuiſſet, & per tot annos poſſeſſoris ſui dominatione caruiſſet, nullo modo ſecundum leges, ſiue mundi, ſiue Eccleſiaſticas, antiquus poſſeſſor eam ſibi vendicare potuiſſet. At vero quod eſt dictu nefas, Chriſti poſſeſſionem, & ſeruorum Dei contubernium, quod terrena poteſtas liberum eſſe conceſſit, Epiſcopalis ambitio in ſeruitutis ius vindicare conatur. Apparet itaque quiſquis hæc peruerſe molitur, non lucrum requirere, quod velit animarum, ſed magis dominationis faſtum, & lucra cupiditatis inhiare. Vnde omnibus modis hanc pernitioſam reprimentes ambitionem, præcipimus vt Robertus Epiſcopus Cenomanicus, & quicunque ſucceſſor eius fuerit, nullam in prædicto Monaſterio ſibi vindicet ditionis poteſtatem, ſed maneat ſecundum conceſſam, ſibi iam multis annis abſolutionem ab omni Epiſcopali preſſura & dominatione remotum. Nullus in eo quicquam vindicet ſibi prædictæ Ciuitatis Epiſcopus, neque per ſe, neque per miniſtros ſuos, neque ex Clericis, neque ex Monachis, neque ex Canonicis, neque ex laicis poteſtatis iure, aut Epiſcopali faſtu, ſine voluntate Abbatis ipſius loci, & fratrum ibi degentium, præſumat aliquid, vel ad ordinandum, vel ad diſponendum, & ad dominandum.

Ordinationes vero quas petierit Abbas, vel ipſi fratres, vel Eccleſiarum Conſecrationes, vel altaris benedictionem, Chriſmatis quoque, olcique ſanctificationem, prout petierint Abbas, & loci illius habitatores, non moretur præſtare: quia munus officij ſui Epiſcopus non pro lucri gratia, ſed pro creditæ ſibi diſpenſationis miniſterio debet impendere: & prouidentiæ paſtoralis exiſtit, vt creditis ſibi ouibus ex amore potius, quàm ex poteſtate conſulere quærat, licet in ſubiectos vtraque ſecundum tempus ſint neceſſaria, ſed amor debet generare ſolertiam, poteſtas vero temperanda eſt amore, vt potius Chriſti charitas ferueat, quam poteſtatis rigor inſoleſcat. Abbatem vero de ſe eligendi fratres Cœnobij Sancti Carilephi ſemper habeant poteſtatem, neque in eius electione Epiſcopi Cenomanici recipiant conſtitutionem, aut diſpoſitionem, ſed quemcunque dignum vita, moribus, atque doctrina proſpexerint paſtorali officio, & ſibi vtilem & aptum diſpenſationi eſſe, ipſum eligant, Regiſque in notitiam deferant, vt eius & conceſſione, & conſenſu, poteſtatem regiminis accipiat, neque pro eius vel

ordina-

ordinatione, vel conſtitutione munus aliquod accipiatur, vel detur, quoniam Spiritus ſancti donum non debet pretio, ſed gratia promereri: & quoniam multi per prauorum inſidias hominum ſernia ſæpe Dei fabricantur doli, decernimus, vt ordinatus deponi non poſſit, niſi criminalis eum cauſa monſtrauerit reum: Quod ſi fuerit infamiæ calumniis denotatus, ex regali prouidentia Epiſcoporum habeatur non minus quam ſex conuentus, quorum de numero Cenomanicus conſtituatur Epiſcopus, & eorum iudicio ſecundum Canones illius cauſa diſcuſſa, non aliter deponi poſſit, niſi reus manifeſtis certisque patuerit indiciis. Non eſt enim æquum vt electus, & ordinatus Eccleſiæ paſtor, fortuitu, & ſine iudicio, abſque illius manifeſta criminis denotatione pellatur. Nullus enim apud leges ſæculi damnatur, niſi in criminali cauſa depræhenſus veritatis teſtimonio patuerit, & nullus Eccleſiæ qui fuerit ordinibus conſecratus merito deponendus erit, ſi non certis criminibus apparuerit cõuictus. Vnde ſub hac authoritate præcipimus, vt Abbas Cœnobij Sancti Carilephi, poſt quam electus regulariter atque Canonice fuerit, & ordinatus annulo, nec Epiſcoporum, nec Regũ, nec alia qualibet perſona deponi poſſit, ſi non criminalis interceſſerit cauſa, pro qua merito ſecũdum Regulam S. Benedicti, & Canonum inſtituta deponi debeat. Hæc autem conſtituta volumus omnibus omnino modis inuiolabilia præſentibus & futuris tẽporibus permanere, & à nemine vel Regum, vel Epiſcoporũ, vel alicuius ordinis, violari. Quod ſi quis conſtitutionis noſtræ parui ducens decretum, Cœnobio Sancti Carilephi, vel Abbati, vel fratribus, violentiam fecerit, vel in ipſis vel in famulis eorum, vel in omnibus ipſius Monaſterij poſſeſſione inuaſor apparuerit, reum ſe in diuino iudicio non dubitet apparere, & diuinæ cenſuræ puniendum damnatione. Vnde conſtituimus, vt primum quisquis hoc molitus fuerit, ſui honoris dignitate priuetur, ſiue ſit ſæcularis, ſiue Eccleſiaſtica perſona, deinde ab Eccleſiaſticæ communionis ſocietate fiat alienus; corporis quoque ſanguinisque Chriſti participatione nõ communicet, donec vel quod inique geſſit corrigat, vel digna pœnitentia ſatisfactionem emendet: fratres vero ipſius Monaſterij, ſi quid horũ quæ conſtituimus violatum eſſe cognouerint, id eſt, ſi Abbatis electionem quis eis prohibere molitus fuerit, vel ipſius Monaſterij poſſeſſiones, aut quæ ibi oblata fuerint, ſuo iuri mancipare decreuerit, vel ipſum Monaſterium Epiſcopus Cenomanicus ad ciuitatis ſubditionem ſubiugare tentauerit, licentiã habeant Metropolitanum Epiſcopum Turonenſem conuenire, & preſſuram innoteſcere ſuam: & Metropolitanus cauſa cognita, perſonam per quam vexantur, cõueniat, & cui periculo tradita ſit, ex præſenti auctoritate relecta edicat, vt quem emendare velit, quæ praue geſſit, moneat. Quod ſi nõ libenter audire, & reatum corrigere ſuum noluerit, ſecundum præſentis conſtitutionis decretum, eũ à communione Chriſtianorũ, & corporis ſanguinisq; Chriſti participatione efficiat alienũ, quæcunq; fuerit perſona, & cuiuscunque dignitatis. Quod ſi Metropolitanus Epiſcopus eorum precibus, & acclamationibus adiutorium præſtare detractauerit, licentiam habeant Sancti Carilephi Monaſterij fratres Apoſtolicam, id eſt, Romanam ſedẽ, adire, & neceſſitudinis ſuæ cauſam ante Epiſcopum, qui tunc fuerit vrbis Romæ, deponere, & præſentis edicti conſtitutionem manifeſtare, vt Romanus Pontifex cognita cauſa iuſtam anathematis condemnationem in reũ exercere non moretur, vt Monaſterium prædictum poſſit ſuæ libertatis munitionem habere: & Pontificale decretum, Regumque immunitates, Romanique Pontificis conſtitutum, inuiolabilem perpetuis obtineant temporibus firmitatem.

SCRIPTVRA XIV.

Qua Childebertus Rex Monaſterium S. Vincentij Pariſijs, (hodie S Germani de Prato) multis fauoribus proſequitur. Vide Aimonium l.2.c.20. hiſt. Franc. & Iacob. Breu. in ſcholijs.

CHildebertus Rex Francorum vir illuſter. Recolendum nobis eſt, & perpenſandum vtilius, quod ij qui tẽpla Domini Ieſu Chriſti reædificauerint & pro requie animarum ibidem tribuerint, vel in alimoniam pauperum aliquid dederint, & voluntatem Dei adimpleuerint, in æterna requie, ſine dubio, apud Dominum mercedem recipere meruerint. Ego Childebertus Rex vna cum conſenſu, & voluntate Francorum, & Neuſtraſiorum, & exhortatione ſanctiſſimi Germani Pariſiorum vrbis Pontificis, vel conſenſu Epiſcoporum, cœpi ædificare templum in vrbe Pariſiaca prope muros Ciuitatis in terra, quæ aſpicit ad fiſcum Iſciacenſem, in loco qui appellatur Locotitiæ, in honore Sancti Vincentij Martyris, cuius reliquias in Spanis apportauimus, ſeu, & Sanctæ Crucis, vel Sancti Stephani, & Sancti Ferreoli, & Sancti Iuliani, & Beatiſſimi *Ad an. 550.*

Sancti

Sancti Georgij, & Sancti Geruasij, & Protasij, Nazarij & Celsi pueri, quorum reliquiæ ibi sunt consecratæ. Propterea in honorem dominorum Sanctorum, cedimus nos fiscum largitatis nostræ, qui vocatur Isciacus, qui est in pagis Parisiorum prope alueum Sequanæ, vna cum omnibus quæ ibi sunt aspectis, cum mansis commanentibus agris, territoriis, vineis, syluis, pratis, seruis, inquilinis, libertis, ministerialibus (præter illos quos nos ingenuos esse præcipimus) cum omnibus appendiriis suis quæ ibi aspiciunt, cum omnibus adiacentiis, quæ ibi adagunt, cum omnibus quæ nos deseruiunt tam in aquis, vel insulis, cum molendis inter portam ciuitatis & turrim positis, cum insulis quæ ad ipsum fiscum adiacent, piscatoria quæ appellatur cum Vanna, cum piscatoriis omnibus quæ sunt in ipso alueo Sequanæ, sumuntque initium à porta Ciuitatis, & sortiuntur finem, vbi alueolus veniens Sauers præcipitat se in flumen. Has omnes piscationes quæ sunt & fieri possunt in vtraque parte fluminis, sicut nos tenemus, & nostra forestis est, tradimus ad ipsum locum, vt habeant ibidem Deo seruientes victum quotidianum per succedentia tempora. Damus autem hanc potestatem, vt cuiuscunque potestatis littora fuerint, vtriusque partis fluminis, teneant vnam perticam terræ legalem, sicut mos est, ad ducendas naues, & reducendas, ad mittenda retis, & retrahenda absque vlla refragatione. De argumentis vero per quæ naues possunt capi super aquam, præcipimus, vt nulla potens persona inquietare audeat famulos Dei, sed omnia secure teneant, possideant, per infinitas temporum successiones: & cum areis, & calis in Parisiis ciuitate cum terra, & vinea, & oratorio, in honorem Sancti Audeoli Martyris, quæ de Elario & Ceraunio dato pretio comparauimus: & omnia ex omnibus, quicquid ea nos deseruierint, in postmodum pro requie animæ meæ, quando Deus de hac clarissima luce dederit discessum, ipse fiscus qui vocatur Isciacus, cum omnibus quæ ibi sunt opus, tam ad lumen quam in Dei nomine ad stipendia seruis Dei, quos ibi instituimus, seu ad ipsos rectores, qui ipsos regere habent omnia, & ex omnibus ibi transsoluant: eiusque cōtradictione, vel refragatione, aut iudiciaria cōtentione, inspecta ipsa præceptio, omnique tempore proficiat in augmētum. Et vt hæc præceptio cessionis nostræ futuris temporibus, Deo auxiliante, firmior habeatur, vel per tempora inuiolabiliter cōseruetur, manibus propriis, vel nostris signaculis subter infra decreuim' roborare. Datū quod fecit mensis Decembris, die sexto, anno XLVIII. postquam Childebertus Rex regnare cæpit. Ego Valentinianus Notarius, & amanuensis, recognoui.

SCRIPTVRA XV.

Priuilegium est, à S. Germano Episcopo Parisiensi Monasterio S. Vincentij concessum. Vide si Aimon. l. 3. c. 2. & additiones Iacobi Breul.

Dominis viris Apostolicis sanctis, & in Christo fratribus, omnibus Episcopis Parisiacæ vrbis, cum gratia Dei saluti, & cælesti visitatione ditatis, Germanus peccator. Omnibus non habetur incognitum, qualis ac quantus circa Monasteria, & Ecclesias, aut erga Deum timentium virorum fuerit inclytæ memoriæ gloriosissimus Childebertus Rex. Cuius summa beneuolentia multis largita est copiosa beneficia, & immunitati nostræ stabilitatem perpetuam: scilicet cogitans quia qui ista temporalis reseruaret me tenda, sibi multa maiora à Deo illi attribuerentur, si ob eius amorem Ecclesias & templa fundaret, & egentium inopiam sustentaret, & pro magnis parua offerret, atque pro terrenis cælestia adipisceretur. Vnde & nobis ob sepulturæ suæ meritum, aliqua à se considerare mandauit, & considerata cessit. Itaque inclytus iste Princeps Parisiis Basilicam in honorem Sanctæ Crucis, & Domini Vincentij, vel reliquorum Sanctorum, in vnum mēbrum construxit, & sibi sepulturam inibi collocauit ac largitaris suæ copiam per testamenti sui paginam nobis habere decreuit: & habendi meritum loco tanti ordinis constituit. Sed dum pagina testamenti sui & cordis fides sub humana fragilitate temporaliter vigeret, agente id quorundam calliditate, ne æterna illi tribueretur beatitudo, ac scriptum non sortiretur effectum, simulque Abbas & Congregatio deputata non perciperent, ac sterilitate victus & vestitus deperirent, monuit me illius recordatio, & ob amorem illius terruit me tanta securitas, simulque pietatis, & charitatis affectus. Ille etenim post Deum dum superesset fuit nostra immunitas, & securitas, pax, & reparatio, ac sequestratio omnis à ciuili negotio: nos vero in hac re pietati illius consulentes, & cæterorum Regum velle stabiliri connres, charitatem fraternæ dilectionis vestræ nobiscum volumus concordari, quatenus illius Sancti loci honor celeberrimus, & memoria dicti

Princi-

Principis gloriosi eniteat eodem in loco, omnibus huius æui temporibus, habeatque Abbatem ex propria Congregatione ipsa Ecclesia, qui sub gubernatione Regum, per successiones eundem locum prouideat, sitque alienus Pontifex omnis Parisiorum ab eodem loco, vt non deinceps aliquam potestatem in omnibus ad ipsum locum pertinentibus habeat. Simulque sancimus, vt nullus Metropolitanus, aut aliquis Suffraganeus eius, causa alicuius ordinationis, illuc ingredi præsumat, nisi solummodo ab Abbate eiusdem loci vocatus venerit ad sanctitatis mysterium celebrandum, aut ad Ecclesias consecrandas, aut ad benedictiones Clericorum, vel Monachorum instituendas, quod debitum reuerenter nullatenus debet. Cæterum quidquid à die præsente tam à tempore meo, quam & successorum meorum omnium in sede Parisiorum residentium Episcoporum, vel à Deum timentibus Principibus eiusdem plebis, in fiscis, villis, agris, in auro, vel argento fuerit delegatum, siue donatum, vtad integrum habeat volo, rogo, coniuro. Decreui etiam per hanc cartulam immunitatis, & cessionis, meam Basilicam superius nuncupatam, siue gestorum obligatione manere. Et quia id antea consuetudo non fuit, & modo à Principibus & Regibus mihi concessum, voluntatem pietatis vestræ in hoc scripto prætermittere nolui, sed in omnibus per vos roborari, & confirmari exposco: vt deinceps ratum permaneat, & si aliquis vnquam fuerit, qui contra hanc deliberationem meam (quam ego pro firmitatis studio cum Metropolitanis, & reliquorum Episcoporum consilio ac suasione decreui conscribere) quoquo tempore venire tentauerit, aut fortassis locum refragandi quæsierit, inprimis à liminibus sanctarum Ecclesiarum ab omnibus Episcopis, & Sacerdotibus Dei, tam præsentis temporis quam & futuri, sit excommunicatus, & alienus à pace, & in futuro iudicio cum Sanctis, & amicis Dei (in quorum honore hæc conscriptio facta est, meum ac Dominorum meorum Metropolitanorum, seu Coepiscoporum præsentium, super se adesse sentiat iudicium, ac sit anathema maranatha. Etinsuper, vt hæc chartula firmiorem possit adipisci plenitudinem, Comprouincialium Dominorum Episcoporum & fratrum meorum Presbyterorum, seu Diaconorum conscriptionibus ipsam volui corroborare. Actum Parisiis Ciuitate, sub die duodecima Kalend. Septembris, anno quinto Domini Chariberti Regis. Germanus peccator hanc chartulam cessionis & immunitatis à me factam legi, & subscripsi, sub die quo supra. Nicetius Lugdunensis Episcopus, in Christi nomine, petente Apostolico Domino & fratre meo Germano Episcopo, & Domina Vltrogotha Regina, atque Domina Chrodesinta ac Chroberga, constitutionem hanc scilicet à præsenti tempore à Successoribus Domini Germani Episcopi perpetuo custodiendam celegi, & manus meæ subscriptione corroboraui notato die. Prætextatus Cabilonensis Episcopus deliberationem superius compræhensam, cogante & præsente Domno Germano Episcopo gaudenter suscepi relegendam, & subscripsi, notato die. Felix Aurelianensis Episcopus, iuxta consensum & deliberationem Domni Germani Episcopi, consensi, & subscripsi, notato die. Eufronius Niuernens. Episc. rogante Domno Apostolico Germano Episcopo hanc deliberationem relegi & subscripsi, notato die. Domitianus Carnotens. Ep. iuxta consensum & deliberationem fratris mei Germani Episc. consensi & subscripsi. Domnolus Cenomanens. Episc. consensi & subscripsi. Caletricus peccator iuxta consensum & deliberationem Domni Germani Ep. consensi & subscripsi. Victurius peccator, iuxta deliberationem hác Germano præsente fratre meo, & rogante consensi, & subscripsi notato die. Leodebandus peccator consensi, & subscripsi, notato die.

SCRIPTVRA XVI.

Priuilegium est, Monasterio S. Germani Parisiensi à Ludouico Pio datum. Aimon. l.5.c.10.

IN nomine Domini Dei, & Saluatoris nostri IESV CHRISTI. Ludouicus & Lotharius diuina ordinante prouidentia Imperatores Augusti. Si ea quæ fideles Imperij nostri pro statu & vtilitate Ecclesiarum & seruorum Dei fideliter ac deuote ob Dei amorem in locis sibi commissis statuerunt, nostris confirmamus edictis, hoc nobis proculdubio ad æternam beatitudinem, & totius regni, à Deo nobis commissi, tutelam, mansurum esse credimus, & retributorem Dominum in futuro habere confidimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, ac nostris, præsentibus scilicet, & futuris, quia vir venerabilis Hilduinus Monasterij Sancti Vincentij, ac Sancti Germani Abbas, nec non

& ſacri palatij noſtri Archicapellanus, noſtræ ſuggeſſit ſerenitati, quod pro Dei Omnipotentis amore, & futuro eiuſdem Congregationis cauendo periculo, ne aliqua ſucceſſorum negligentia ac parcitate, ordo in ea futuris temporibus perturbaretur, ſtipendia eorum quæ annatim in cibo & potu accipere debebant, nec non & quaſdam villas ſpecialiter neceſſitatibus illorum deſeruiendas conſtituiſſet, ac deputaſſet, atque per literarum ſeriem, & largitionis ſuæ chartam, ſua aliorumque bonorum hominum manibus roboratam, eis conceſſiſſet, ac delegaſſet, quatenus nulla occaſione, nec reipublicis ſeruitio quiſquam ex ſucceſſoribus ſuis impedimentum in futuro inferre poſſit: pro quo à via rectitudinis, & obſeruatione regulari obſeruare neceſſe eſſet: ſed deputatis ſibi rebus, & ſtipendiis contenti, abſque neceſſitate, & inopia regularem normam tenere, & ſine præuaricatione (quantum humana ſinit fragilitas) obſeruare quiniſſent. Vnde humiliter petijt ac poſtulauit celſitudinem noſtram, vt pro rei firmitate ſuper eandem conſtitutionem, authoritatis præceptum noſtræ, pro diuino intuitu, ac ipſorum Sanctorum reuerentia, fieri iuberemus: per quod deinceps ſtabilis, & inuiolata permaneret. Nos vero petitioni illius (quia neceſſaria, & rationabilis erat, aurem accommodantes, & qua voluntate ac ratione talia clementiæ noſtræ ſuggereret, perſpicue intelligentes, veluti poſtulauerat fieri adiudicauimus. Quapropter ſtatuimus atque iubemus (ſecundum quod in illius ordinatione continetur) vt dentur eis annis ſingulis de tritico puro modij mille quadringenti, & quadraginta: & in ſuſceptionem hoſpitum, modij centum octoginta: quod ſunt ſimul modij mille ſexcenti viginti. De vino, modiorum duo millia. De legumine, modiorum centum octoginta: de caſeo, penſas centum ſexaginta de pinguedine, aut modij viginti, aut porci quinquaginta, quales meliores inueniri poſſunt; de butyro, modij quatuor: de melle, Carrada vna ex modiis octo: vel ſicut ex cenſu de villa Lucarias perſoluitur: & menſalem de duodecim villis melle, & cera, id eſt, vnoquoque menſe ſextaria quatuor mellis, & Ceræ libras duas: de Sale, modij centum. Volatilia cum ouis de duobus feſtis, id eſt, Paſcha, & Natalis Domini. Ad veſtimenta etiam, vel omnes eorum neceſſitates, ſecundum Regularem inſtitutionem procurandas, conſtituimus illis eaſdem villas, quas ipſe per ſuam conceſſionem viſus eſt condonaſſe, id eſt, Antoniacum, cum ipſa Capella, vel quicquid ad ſuum opus præſentialiter habuit, vel quicquid inde homines per precarias tenent, vel quicquid per beneficium illius aliqui adhuc habent, & illic pertinere videtur. Alteram, cui vocabulum eſt Cela quæ dicitur Villaris, cum omnibus appenditiis ſuis, quantum ipſe præſenti tempore ad ſuum opus illic habuit, vel quicquid homines per precarias tenent, vel quicquid per beneficia illius tenent, & illic pertinere videtur. Tertiam, quæ vocatur Matriolas, cum omni integritate ſua. Quartam, quæ vocantur Caticantus. Quintam, cuius vocabulum eſt, Nouigentua, cum omni integritate. Sextam, cuius vocabulum eſt, Spinogilum cũ ipſa Capella, vel quicquid inde ad ſuum opus habuit. Septima, Locellum, quæ vocatur Valedronis. Octauam, quæ dicitur Agmantus, vna cum ipſa ſylua, quæ vocatur Vſta. Has ergo villas cum appenditiis, & redditibus ſuis (vt diximus) ad omnes eiuſdem Congregationis, tam infirmorũ quam ſenum neceſſitates faciendas, & ſuſtẽtacula mortalis vitæ miniſtranda, Imperiali authoritate, & indulgentia, per hoc præceptũ confirmationis noſtræ (ſicut prædictus venerabilis Abbas in ſua confirmauit conſtitutione) ſtabili iure eis concedimus, & confirmamus, præcipientes, vt nullus Abbas per ſucceſſiones, quod ſalubri egit Conſilio, ſubtrahere, aut minuere audeat, aut ad ſuos vſus retorqueat, aut alicui in beneficio tribuat; ſed neq; ſeruitia ex eis exactet, neque paruaredos aut expenſas ad hoſpitũ ſuſceptiones recipiat: neque vllas in aliqua re exactiones inde exigat, abſque ineuitabili neceſſitate, præter menſuras in principali Eccleſia Beati Germani, & in ponte Pariſius longo à tempore diſpoſitas. Et ſi augeri adiudicauerit, & numerum Monachorũ in maius augeri, amplificari pecunia maiori, licentiã habeat. Hæc enim (vt putamus) ad vſus centum viginti Monachorũ ſufficiunt: diſtrahendi autem, aut minuendi eas res, quas pro Dei ſtatuimus amore, nequaquam præſumat. Sed ſi facere præſumpſerit, & poſt diſceſſum noſtrum hanc noſtrã confirmationem quam ſupradicti venerabilis viri Hilduini conſtitutionem fecimus, violare voluerit, querela ad ſucceſſores noſtros, qui tunc temporis nobis ſuperſtites fuerint, deuenerint, ipſique agnita authoritate noſtra, ſtatuta noſtra defendant, & ſuæ authoritatis præcepto confirment, qualiter futuris temporibus, fratres in Cœnobio ſupradicto Regulam Beati Benedicti ſeruantes, abſque perturbatione, libere Deo ſeruire queant, nobiſque merces exinde in perpetua recompenſetur

æterni-

æternitate. Et hæc auctoritas, quam ob amorem Dei, & animę nostræ remedium statuimus, firmiorem obtineant vigorem, & deinceps inconvulsa valeat perdurare, manus nostræ subscriptione eam subter firmauimus, & annulo nostro sigillari iussimus. Dat. Id. Ianuar. anno Christo propitio XVI. Imperij Domini Ludouici Serenissimi Augusti, indictione 7. Actum Aquisgrani palatio Regio in Dei nomine feliciter.

SCRIPTVRA XVII.

Bulla est Iohannis Papæ III. Monasterio S. Medardi an. 562. data, id est, nonendecim annis à morte S.P.N. Benedicti. affertur à Choppino l. 1. tit 2. num. 19. monast.

Diuina inspirante gratia, & præcellentissimi regis Clotharij suadente clementia, Monasterio S. Mariæ, & S. Petri, quod est extra Suessorum ciuitatem situm, vbi Dominus Medardus requiescit, & Daniel Abbas præesse videtur, hoc priuilegium indulgemus; vt terras quas filius noster Clotharius ob salutem animæ suæ dedit, Croniacū scilicet, &c. libere possideat. Hoc quoque auctoritate SS. Trinitatis, & inseparabilis vnitatis, Vice B. Petri Apostoli coram Rege Clothario, & omnibus plebibus Francorum, scilicet Archiepiscoporū, Episcoporum, Iudicum & omni populo Christianorū Romanorum Principum decernimus, vt nullus Regum, Antistitum, Iudicum, terras S. Mariæ, & Domini Medardi, siue Ecclesias, altaria, teluneа, decimas nouas, banna & freda exigat, &c. Statuimus etiam, vt velut hæc Sedes B. Petri libera constat ab omni seruitio Regum, & Potentatum, ita remota omni consuetudine pessima, Monachi Deo vacent liberi, & per omnia Regulæ S. Benedicti obediant sine vlla inquietudine. Præsenti quoque priuilegio, hanc illis concedimus licentiam, vt defuncto Abbate quemcunque voluerint Archiepiscopum, vel Episcopum causa ordinandi Abbatem, vocent, &c. ac ne tantæ sublimitatis locus vilescat, eum caput constituimus Monasteriorum totius Galliæ, nulliusque ditioni patimur esse subiectum, sed semper sub Regali custodia positus, huius S. R. E. Antistitum auctoritate aduocationem B. Petri habeat, &c. An. 562. Indict. 10. *Typographus Parisiensis dum forsan nimium properanit, Choppino pro 6. imposuit 9. adeoque an. 592. pro an. 562. quo Iohan. III. Ecclesiam gubernauit.*

SCRIPTVRA XVIII.

Priuilegium è lib. 12. Registri Gregorij M. deprompium (est epistola vltima:) Monasterio S. Medardi, in suburbio Suessionensi sito, concessum: cuius mentionem fecimus an. 564.

Gregorius omnibus Episcopis.

Preciosissimis lapidibus in diademate Christi merito renitentibus, omnibusque sanctæ Dei Ecclesiæ membris, quorum vniuersale caput est Christus, Gregorius, licet sanctæ Romanæ Sedis Pontificio sublimetur, humillimus tamen seruorum Dei seruus. Quandiu Catholicorum Regum corda, ea ad quæ Pontificalibus sunt monitis prouocanda, ita ardenti desiderio diuina præueniente gratia succenduntur, vt ab eis vltro poscantur, tanto alacri & læto sunt animo concedenda, quanto & ea ipsa quæ cupiunt, si nollent facere, peti debuerant: proinde iuxta filiorum nostrorum præcellentissimorum scripta Regum Brunichildis ac nepotis eius Theodorici, Monasterio sanctæ Dei Genitricis Mariæ, ac beatorum Petri Apostolorum principis, nec non protomartyris Christi Stephani, quod est in Suessorum ciuitate situm, vbi sanctus Medardus requiescere, & vir venerabilis Cairaldus Abbas præesse videtur, huiusmodi priuilegia, quæ à bonæ memoriæ Domino Papa Ioanne, comitante illustrium Regum clementia, Clotarij scilicet, & Sigiberti, huius nostræ filiæ iugalis, ipsi loco sub anathematis vinculo sunt concessa, vel indulta, concedimus atque firmamus, statuentes, nullum Regum, Antistitum, vel Iudicum, nullum quacunque præditum dignitate, ea quæ à præcellentissimis Regibus, vel quibuslibet alijs Deum timentibus, loco concessa sunt, vel conferentur, sub cuiuslibet occasionis specie minuere, vel auferre, vel suis vsibus applicare, sed cūcta quæ Deo seruientibus Monachis oblata sunt, vel offerri contigerit, perenni tempore illibata, & sine aliqua inquietudine volumus possideri eorum vsibus, pro quorū sustentatione concessa sunt, modis omnibus profutura. Concedimus etiam, vt obeunte Abbate, non alius ibi quicunq; obreptionis astutia ordinetur, nisi quē communis cunctorum consensus Monachorū elegerit, aut præuiderit ordinandū. Caueant autē præfati Monachi Simoniacam hæresim, ne potentia Regum vel Antistitum conuicti, loco pastoris suscipiant tyrannū: quod omnino fieri prohibemus, & eundē Abbatem causa ordinationis

ſuę aliquid dare præſumere vetamus, ne hac occaſione, quæ à fidelibus pijs locis offeruntur, vel oblata ſunt, conſumantur. Et quia ſama religionis Deo ſeruientium Monachorum noſtras peruenit ad aures, quibus vir vitæ venerabilis Gairaldus præeſſe, dignoſcitur, iuſtis petitionibus præcellentiſſimorũ Regum Brunichildis atq; Theoderici fauentes ob amorem Domini Medardi, tantam Diuini honoris dignitatem & ſecuritatem concedimus, perenni tempore manſuram. Auctoritate igitur Diuina vice B. Petri Apoſtolorum principis, conſenſu omnium Romanorum Pontificum, & voluntate totius Senatus Romani, ſuadente nobis viro Apoſtolico Anſrico Sueſſorũ vrbis Pontifice, & omnium Galliæ Epiſcoporum fauente iudicio, decernimus, vt nullus Archiepiſcoporum vel Archidiaconorum, fratres pręfatæ Baſilicę de ordinatione ſui Abbatis, vel Eccleſiaſticorum graduum aſſumptione inquietet, ſed ſecundum prærogatiuam ipſius loci vobis modo recitatã Beatiſſimi prædeceſſoris noſtri Domini Ioannis Papæ tempore decretam, & Apoſtolica autoritate firmatam, ordinationem ſui Abbatis ipſi fratres peragant, & Eccleſiaſticorum graduum dignitatem ſuſcipiant; Conſecrationes quoque fontium, & ſcrutinij myſteria in ipſo Monaſterio celebrent: Chriſmatis quoque & olei, altaris, calicis, corporalis, à quocunque voluerint Pontifice benedictionem expetant, ne tantus honor à quocunque rectore vllius occaſionis cauſa, vel neceſſitatis intermittatur, ne vileſcat tantæ ſublimitatis locus ſanctæ Mariæ, & B. Petri, nec non & protomartyris, & Domini Medardi meritis ſacratus, quem caput Monaſteriorum totius Galliæ conſtituimus, nulliusque ditioni patimur ſubeſſe: ſed velut hæc Sedes Romana ſpeculationem ſuam toti orbi indicit, & nouas conſuetudines omnibus mittit, & omnium perſonarum ſeruitio caret, ita præfatus locus remota omni cõſuetudine peſſima Regum, Antiſtitum, iudicum, exemplum diuinæ religionis, & honeſtatis, cæteris exhibeat Monaſterijs, & ſuper ea plena gaudeat libertate. Cuius rectores & filij præſentes, & ſucceſſuri, tantum ſub Regum cuſtodia poſiti, admonitionem S. Petri, & ſucceſſorum ſuorum, huius S. Romanæ Sedis Pontificũ autoritatẽ proclament, & ſi incumbit neceſſitas, ad eam huius rei gratia fratribus dirigẽdis in via tanti itineris, filia noſtra Brunichildis regina 20. manſos ingenuos, & totidem ſeruiles cuncta integritate æternaliter facta præceptione iuxta finẽ alium contulit, & multos alios redditus terrarum ob hanc cauſam delegauit, ſitos in eiuſdẽ itineris ſpatio. Tuſiacum vero, & Motinetum fiſcos Regios, cõmuniter ad ſtipendia fratrum dedit, & ita omnes villas Deo, & S. Medardo traditas, vel tradendas, ſua præceptione concluſit, vt quicunque ſuper terras Domini Medardi habitare voluerit, vel ſteterit, ſiue ſeruus, ſiue liber cuiuſcunq; ſit, alterius dominio priuetur, & ſanctæ Genitricis ſeruitio aptetur, nec vltra redeundi licentiam habeat. Quod ſi fugerit, reputetur vt ſeruus, nunciusque ſanctæ Dei Eccleſiæ. De altaribus quoque, iuxta inſtitutionẽ Domini Ioannis Papæ, Apoſtolica autoritate confirmamus, vt qui fuerit Rector præfati Monaſterij, fiat præterea altarum Præſul, & omnium Eccleſiarum ſibi pertinentium, & inde præfatorũ Sanctorum præcipuo altari luminaria exhibeantur, & hoſpitalitas peregrinorum cum reuerentia agatur. Subiungimus & aliud edictũ, ſi cauſa capitalis criminis Abbas eſt deponendus, non prius deponatur donec depoſitores Apoſtolicã autoritatẽ requirant, & ita ſint tres Metropolitani cũ ſuffraganeis ſuis, & Abbates quamplurimi: in ipſo autem Concilio accuſatores vnuſquiſque cum 12. teſtibus præſentes aſſiſtant, & ita veri iudicij examine probent ſe vidiſſe, vt audiente Concilio obteſtentur. Ad vltimum vero ipſe Abbas rationes ſuæ excuſationis reddat. Et iuriſiurandi pacto ſupra ſacroru myſteria quatuor Euangeliorum ſatisfaciat. Si conuictus fuerit, correctione deponatur; ſin autem, ſuo honori reddatur, & Eccleſię dignitatis myſteria recipiat, vt inter ſacra Miſſarum ſolemnia Benedictionem, & prædicationem, iuxta inſtituta Domini Papæ Ioannis peragat, & ſuæ conuerſationis vitam melioribus exemplis deducat. Monachis quoque hanc proponimus ſententiam, vt nullus eorum inuidia aut odio Abbatis (quod abſit) cõprimatur, vel extranearum perſonarum cenſura plectatur. Quod ſi culpa principalis vitij deliquerit, priuatim intra clauſtrum eiuſdẽ Monaſterij, ab ipſo Abbate, & ſpiritalibus fratribus arguatur, & à corpore S. Congregationis ſegregetur. Quod ſi perſeuerante contumacia abſciſſus fuerit, præcipimus illi, vt precatorias accipiens literas, quodcumque voluerit ingrediatur Monaſterium, aut cauſa pœnitentiæ huius Sedis Apoſtolicæ licentiam petat, & ſuſceptis à Domino Papa literis, liber ſuum Monaſterium repetat. Hæc igitur omnia quæ huius Apoſtolicæ autoritatis, & noſtræ pręceptionis Priuilegio continentur, præfati Monaſterij rectoribus, & filijs præſentibus, & futuris, & omnibus Monaſterijs ipſi loco ſubiectis, vel ſociatis ſub

ana-

anathemate feruanda constituimus. Si quis autem Regum, Antistitum, iudicum, vel quorumcunq; sæcularium personarum, huius Apostolicæ autoritatis, & nostræ præceptionis decreta violauerit,aut contradixerit, aut negligenter duxerit, vel fratres inquietauerit, vel conturbauerit,vel aliter ordinauerit,cuiuscunq; dignitatis,vel sublimitatis sit, honore suo priuetur, & vt Catholicæ fidei deprauator, vel Sanctæ Dei Ecclesiæ destructor à consortio Christianitatis, & corpore ac sanguine Domini nostri IESV Christi sequestretur,& omnium maledictionum anathemate, quibus infideles & hæretici ab initio sæculi vsque in præsens damnati sunt, cum Iuda traditore Domini in inferno inferiori damnetur, nisi digna pœnitentia præfatorum Sanctorum sibi propitiauerit clementia, & fratrem communem reconciliauerit concordiam. Ego Gregorius sanctæ Romanæ Sedis Antistes huic priuilegio subscripsi. Euter. Atelat. Archiepisc. subscripsi. Gregorius Portuen. Episcopus subscripsi. Andreas Alban. Ep. subscripsi. Augustin. Cantuariorum Episc. subscripsi. Anastasius Tyburtinæ Episcopus subscripsi. Sergius Prænestinæ Episcopus subscripsi. Petrus Ananiæ Episcopus subscripsi. Agnilius Sutrinæ Episcopus subscr. Milletus Lundoniæ Episcopus subscripsi. Ioann. Velliteranens. Episcopus subscripsi. Tyberi. Siluiæ candidæ Episcopus subscr. Marinia, Rauennatim Eccles. subscripsi. Vitulin. Sipontinen. Episc. subscripsi. Ioan. Syracusanorum Episcopus subscripsi. Sabinan. Tudertinor. Episcopus subscripsi. Eulogius Alexandrinæ Episcopus subscripsi. Dominicus Cartaginens. Episcopus subscr. Fortunatus Neapolitanorum Episc. subscr. Ioan. Sutentin. Episcopus subscripsi. Primenus Nuntiensium Episcopus subscripsi. Fœlix Portuen. Episcopus subscripsi. Gloriosus Host. Episcopus subscripsi. Constan. Narniens. Episcopus subscripsi. Constan. Mediol. Episc. subscripsi. Sutellius Burdegal. Episcopus subscripsi. Vitalis Vesacen. Episc. subscripsi. Bonifacius Plas. Episcopus subscripsi. Siagrius Augustod. Episcopus subscripsi. Flauius Remo Archiepisc. subscripsi. Theodoricus Rex subscr. Brunechilda Regina subscripsi. Ego Petrus S. R. Sedis subscripsi & sigillaui. Dat. septimo Kal. Iunij. anno Incarnat. Domini 593. Indict. 11.

* *
*

SCRIPTVRA XIX.

Priuilegium, quod appellant Votorum, *à Comite Ferdinando Gonsalez Monasterio S. Æmiliani concessum: ex archiuo eiusdem Monasterij cum sequentibus petitum.*

Ad an. 874.

SVb nomine Patris, nec nõ & eius Prolis, pariterq; S. Flaminis in vnius potentia Deitatis, incipit Charta deuotionis, quam ego Comes Ferdinando Gundisaluiz vniuersæ Castellæ principatum tenens, vnanimiter cum Principibus primarijs omnis meæ dominationis, nobilibus, & ignobilibus, ad memoriam nostræ posteritatis tradere curaui, ac perpetua stabilitione cũ eisdem mihi subiectis subscr p ũ agens priuilegium cõfirmaui. Nam in istis fere temporibus talia in terra apparuerunt signa, quod furor Domini venturus credebatur esse in ea. In Era nongentesima septuagesima secũda xiiii. Kal. Aug. solis die vi. feria amittens lucendi virtutem obscuratũ constitit ab hora secũda in tertiam. iiii. fer. Idus Octob. colorem eiusdem solis multi cognouerunt effectum pallidum, signa magna facta est in cœlo, vento africo: porta flãmea aperta est in cœlo, & ibant stellæ, & commouebant se huc, atque illuc maxime, plus discurrebant contra vento Africo, & miratæ sunt gentes de his signis noctis mediæ, vsq; mane, & fumicus vapor magnã terræ partem cõbussit. qui, cũ talia perterriti cerneremus, ad Dominũ misericordiam petendã, cum tali deuotione properauimus. Cum fauente Deo nostra sublimitas toti⁹ Castellæ, vel aliquorum in eius circuitu finium obtineret cõsulatum, forte nostræ Christianitatis obsistentibus culpis, contingit bellicam virtutẽ paulatim imminui nostrarum, atq; vigorem audacitatis parumq; viribus augeri Barbarum. Vnde factum est, vt tempore Abderrahamã Regis Saracenorum barbarorũ, gens innumera congregans exercitum in suorum cõfidens numerositate militum, vel peditum, Christianorum fines cunctis paratis ai morũ machinis, incessisset ad depopulãdũ, huius primũ deuastationis impetum, ad Legionense nouimus pertingere regnũ: quo cognito, principe Ranimiro, qui tunc temporis illius regni sceptrũ tenebat, quamuis robustum in hostẽ animum habere consueuerat, formidans tamen tantæ multitudinis copiã, auxilium nostrũ, & Alauensium virorũ aduersum Gentiles hostes in prçliũ cõuocauit, atque vt benignus Dominus suis fidelibus in tanto periculo positis, ob patrocinia Sanctorum ad conterendum hostem Chri-

sti credulitati aduersantem, cœlitus iuuantem inferret, regiones & prouincias totius sui regni secundum qualitatem & abundantiam rerum, & fertilitatem possessionum ex eis studiose disposuit, atque deuotionem census venerandæ Basilicæ B. Iacobi Apostoli, quem caput totius Hispaniæ nouerat, vt patriam à Domino Christo sibi commissam, tunc & semper sua protectione tueretur, spopondit. Eodem modo, cum tam dignum deuotũ diuulgata relatio nostris auribus innotesceret, visum fuit nobis, & vniuersitati nostrorum militum, & rusticorum fore Cœnobium sancti Æmiliani simili oblatione venerati debere, cuius reuerendissimum corpus, apud confinium nostrum, nostro ..... diuina dispositione tumulatum nouetamus esse: cuiusque meritis & suffragijs apud Deum hostium propulsionem, ciuium tuitionem, frugum vbertatem, patriæ defensionem, noxarum propitiationem, proculdubio nobis non diffidebamus adesse. Quapropter quantitatem vniuersæ nostræ dominationis, sicut supposita fecerint diuisio, assensum præbente. Legionense Rege, incipientes à flumio Catrionense secundum modum facultatis vniuscuiusque territorij curiose ordinauimus, ac deuotionis donationem ab ea Cœnobio præfati patroni, sub priuilegij notatione, perenniter soluere censuimus, pluresque vndique ad fines quamuis non hostium formidine sicuti nos terrerentur, tamen ore professionem sui, & suorum operum, vt hoc idem sua sponte facerent, tanta exempli diuulgatione monuimus. Igitur taliter facta Deo & Sanctis eius deuotione, ipse pius Legionensis Princeps cum suis hostes aggressus est in certatione, ante quorum conspectum cœlestes duos equites candidis sedentes equis diuina dispositione armatis, visi sunt priores bellum committentes: quos fidelibus Domini bellatoribus, audacter sequentibus, plurima de innumeris pars angelico gladio, pluraque humano prælio corruit: reliqua vero Domini potentiæ resistere non valens, in velocitate equorum fugam contra fines suos arripuit, qui residui, qui in primo bello nõ adfuimus, in ipsis extremis, iá nostras fines egredienti, occurrimus: pluribusque de illis aduersis gladijs cęsis librum fuę perditionis, ac Pontificũ caput sui erroris cum omnibus teritorijs suis cepimus: sicque de ingenti hoste Diuino auxilio triumphantes, ac cum victoria quique ad sua reuertentes deuotionem dudum pollicitam, sic subsequens denotat ordo. Perpetualiter ordinauimus fromesta, auia, Ferrera istæ prædictæ, cum omnibus suis villis ad suas alfoces pertinentibus carneros, domus octo se faciunt ad vnum. Maia Oppia cum suis villis ad suas alfoces pertinentibus, Saiales per omnes domus singulos cubitos. Valle de Viceso cum omnibus suis villis, ex vtraque parte aquæ, per omnes domos singulos cubitos de lienzos. Ouitnia, Riuu de vlhere, villa Didaco, cum tota Trinmio, Castro, istæ prædictæ, cum omnibus suis villis, ad suas alfozes pertinentibus, carneros domus octo faciunt se ad vnum. Ambobus Fitneros, Fœno iossa, villa Godieto, villa de Iaco, istæ prędictæ Saiales per omnes domos singulos cubitos Melgare, Stutiello, cum suis villis ad suas alfozes pertinentibus per omnes domus singulos pocales de vino. Sancta Maria de Pelago Saiales per omnes domus singulos cubitos. Valle de Salce, cum valle de Olmiellos, & suis villis. Rinoso cũ suis villis, & villa Flain, Bistia, Quintana. Tortiemada, cum suis villis. Quintaniella de Margate de illa Freita de Tariego ad sursum. Palantia, Montson, Baltanas cum suis villis: istæ perdictæ cum omnibus suis villis ad suos alfozes pertinentibus, per omnes domus singulos arienzos cera. Balbuena, palencia de Comite, Senteros de riuo de Arlanza. Agolin, Mõnio, istæ perdictæ cum omnibus suis villis ad suas alfozes pertinentibus, carneros, domus octu faciunt se ad vnum. Burgis cum suis villis, ad suam alfozem pertinentibus per omnes domus singulos arienzos. Beneuiuere, riuo de Vlbete cum suis villis, ad suas alfozes pertinentibus carneros domus octo faciunt se ad vnum. Castrouerde de Castriello de Ouecodiez cum toto riuo de Aguseua vsque villa Teresa, omnes villas ex vtraque parte aquæ per omnes domus singulos arienzos cera. Lerma S. Petri, Para, Tabladiello, in duodecim cetulos, Clunia, Castriello de Atãnda, Gomiel de Mercato, Roda cũ suis villis, & Rubiales, istæ perdictę cum omnibus suis villis ad suas alfozes pertinẽtibus per omnes domos singulos arienzos. Maza iuga boum, Langa, Sacramenia, Auila, Sacobia, Buitrago, Petreza, Sepiempublica, Agellon, S. Stephani, Gormaze, Oxima, Vzero, Fuente, Almalcicum, Bocigas; istæ prædictæ cum omnibus suis villis ad suas alfozes pertinentibus per omnes domos singulos arienzos. Meziella, Argamea, Fuenteoria, Quintananate, Biuestre, Canecosa, Cobalieta, Dutolo, Villagudomeri, Neila, Otta cum suis villis, & villæ quæ syluestria in illo videntur confinio positæ, canales, ventosa, cum suis villis ad suas alfozes pertinentibus per omnes do-

nes domus singulos caseos, monte Rubeo, Villa noua, Barbatiello, Riuocobato, Aslanzone cum suis villis, ad suum alfozē pertinentibus, istæ prædictæ per omnes domus domui Oue vna rexa de ferro. Salas, Fezinas, Cabezon, Montecalbiello, Vea, Atapuerca: istæ prædictæ cum omnibus suis villis ad alfozes pertinentibus per omnes domus singulos arionzos. Valle de Fojos Monasterio, Oca, Biruiesca, Poza, Valle de patrones, Beiueua: istæ perdictæ cum omnibus suis villis, ad suas alfozes pertinētibus, Carneros domus octo, faciunt se ad vnum. Ponticuruo cum suis villis, ad suas alfozes pertinentibus, per omnes domus singulos arienzos. Cerezo cū suis villis ad suas alfozes pertinētibus per omnes domus singulos arienzos Valle de s. Vincenti, cū Perrolo, Granione cū suis villis. Valle de Ogga, Castro, de Verijce montis vsque ad Iberum flumē, omnes villæ ex vtraq; parte aquæ per omnes dom⁹ tn singulos arionzos cera. Spinosa, Castro, Sequenza, Bocos Maganicos, Tetega, Valle de Rama, Petralata, Caddegas, Valle de Samances, Setano, Sieto, Riuo de Vallecone, Repa: istæ prædictæ, cū omnibus suis villis, ad suas alfozes pertinentibus, per omnes domus singulos arienzos. Bricia cum suis villis, ad suam alfozē pertinentibus, per omnes domus domni duæ vna rexa de ferro. Tota campo, tota ripa, Iber, paredes Rubeas, Orcejon, sancta Agatea, istæ prædictæ, cū omnibus villis ad suas alfozes pertinētibus, per omnes domus singulos arienzos. Soua, Assó, Ruesga Mienzo: istæ prædictæ per oēs domus singulas libras de cera. Colindes, Lareto, singulos vtres olei. Aras cum suis villis, ad suam alfozem pertinentibus per omnes domus singulas libras de cera. Pelagos per omnes domus singulos pisces. Lumbricas, id est, Carranzo, omnes villas, per omnes domus singulas libras de plumbo. Villa de Gunua, valle de Velria, valle de Toranzo cū suis villis ad suas alfozes pertinētibus per omnes domus singulas libras de cera. Ogorienzo, Samano, Campigo, cū suis villis ad suas alfoces pertinentibus, per omnes domus singulos pisces. Salcero, Sopuerta, Carranza, Bardeles, Tabiso, Ayala, cū suis villis ad suas alfozes pertinētibus, per omnes domus singulas libras de cera. Ordunia omnes villas. Mena cum suis villis ad suas alfozes pertinentibus per omnes domus singulos arienzos, aut singulos cubitos de lienzos. Et quoniam non æqualiter cunctis manet facultas pecuniæ, iubemus habentes iugum boum vnum argenteum: habentem autē nullum quantum in hac deuotione teddere, ne ditiores parum videantur agere in offertione, ne pauperes causentur opprimi in spontanea donatione, sed cuncti mediocriter exigantur in sui possessionum qualitate. Loea, omnes villas per omnes domus singulas beminas de tritico, & singulas de hordeo: sin autem singulas agnas. Riuo de flumen ziellos de vertice aquæ, vsque Iberum, omnes villæ ex vtraque parte aquæ. S. Saturnini cum suis villis, & illis villis quæ sunt apud Iberum ad alfoze pertinētibus, carneros domus octo faciunt se ad vnum. Lantarou omnes villas per omnes domus singulas medidas de vino in oblatione, & singulos panes in offerta Termino Cellorico, Villuio, Burdé, istæ prædictæ cum suis villis, ad suas alfozes pertinentibus carneros domos octo faciunt se ad vnū. Cabuerneca tota, Sublerra tota, Betrocia, Maragon, Punicastro cum sporanceta, S. Stephani de Deo, attoniz, Migarin, Barbarin, Riuo de Moreta, valle de Vilone & Portella, istæ prædictæ cum omnibus suis villis, ad suas alfozes pertinētibus per omnes domus singulas medidas de vino in oblatione, & singulos panes in offerta. Omnes villas de Riuo de Alesaco, & Riuo de Cardinis, de vertice aquæ vsq; Najatā, & de Riuo de iubia, & Najara cū suis villis, & omnes villę de Riuo de Ruegga, Meitano, Bequera, Clauijo, riuo de Leza, & riuo de Iubera, per horum riuorum omnes villas ex vtraq; parte aquæ de vertice vsq; ad Iberum, & etiam de Baradó, Castro, vsq; sarta acuta, omnes villæ ex vtraque parte aquæ per omnes domus singulas medidas de vino, & singulos panes in offerta. Et in Lucrunio per omnes dom⁹ singulos denarios. Omnes villæ de Ambobus Cameris per omnes domus singulos caseos. Orticosa per omnes domus singulas gallinas, & singulos panes. Enciso, Arnaticlos, Okone, cum suis villis, Penaacha, Herceprelano, Arneto, Kele, Abtole, Bea Calaborra, Andosilla, Catcaras, Lerin, Zaharca, & Monasterio, & Funes cum suis villis ad suam alfocem pertinentibus, & aliæ quæ sunt sitæ per littora Arguæ fluminis: istæ prædictæ per omnes domus singulas medidas de vino in oblatione, & singulos panes in offerta. Et Resa per omnes domus singulas arencatas de Angilas, Cornago, Ceiuera, Titigon, Agreta, Finistriola, Centronica, Borga, Tatazona, Cascanto, Tutella: istæ prædictæ per omnes domus de ferro, azero singulas libras, medium ferro, medium pimienta. Laua cum suis villis ad suas alfozes pertinentibus, id est, de Losa, & de Buradon vsque Eznate, ferrum, per omnes villas inter domus decem vna reja. De riuo de Galbarraga vsque in flumen de

Deua,id est,tota Vizaia,& de ipsa Deua vsq; ad S.Sebastianū de Hernani,id est,tota Ipuzcoa à finib⁹ Alaua,vsq; ad ora maris,quidqnid infra est de vnaquoque alfoze singulos boues. Sed quia magna numerositas regionum,locorum,& villarum,vnumquodq; sigillatim nō finit nos nominare quæ nō sunt scriptæ, tanquam scriptas,huic dignæ deuotioni præcipimus interesse,& secundum potentiam & qualitatem sui venerabili Cœnobio almi Æmiliani censum cum alijs iubemus reddere. Ordinatis igitur ac dispositis præfatis regionibus, tale statutum omnibus illis decernimus, vt omnia anno à Pascha quadragesimæ vsq; qninquagesima à Saione vniuscuiusq; villæ, vel territorij, eiusdem deuotionis fiat inquisitio, & ab omnibus primatibus & maioribus cuiusque loci illius census sit Congregatio, & vt per manum eorundem, missis ad Cœnobium S. Æmiliani fiat deditio, & super eius altare deuota fiat offertio,quod qui neglexerit sub consulari imperio terribilis de eo fiat contritio: insuper incauto LX. solidos ad Comitis partem reddat,& quod retinuit tantum per tres annos triplicatum monasterio soluat. Sed quia longinquis temporibus nostrorū successorum volnntates, ab hac permissione declinare formidamus, & deuiare,decreuimus,& consensu omnium Sanctorum, violatores huius priuilegij tali anathemate percutere, vt si quis nostri gradus superioris, vel inferioris, Regum, Consulum, Principum, Episcoporum, Abbatum, militum, vel rusticorum, violator, immutator, inuasor, rebellis, aut mutator extiterit, à communione Christianitatis sit alienatus, & à corporis cruorisque Christi participatione semotus, vt hoc sæculari tempore miseriæ & abominatione deditus, postquā perpetua Domini vltione percussus, inextinguibiles pœnas æterni incendij, cum Iuda Domini traditore corruat luiturus, Amen. Factum priuilegij primordium & perpetuum eius firmamentū, in Era æterna centena septiesque dena binaque superadaucta, Domino nostro IESV Christo cæli terræq; obtinente regnum, sub eius ditione Ferdinando Gondisaluiz, Comite totius Castellæ consulatum: Garsea Sancionis vero Pampilonense, & Ranimiro Legionense regentibus regnum. Ego autem Ferdinando Comes, cum vniuersitate meæ Dominationis,peracta stabilimentis huius deuotionis, manu propria sic depinxi signum ✠ credulitate personis totius nobilitatis Inclita Sancia Comitissa confirmat. Vincentius Episcopus confir. Belascus Episcopus confir. Benedictus Episcopus confir. Munio Abbas confir. senior Gundisalno Ferdinandiz confir. senior Sancio Ferdinand. confir. S. Garsea Ferdinandiz confirm. S. Gundisaluo Ardetize confir. S. Didaco Sarracinez conf. Oriolus Episc. confirm. Mautelius Abbas conf. Ioniti Abbas conf. Biuaa Abbaa confir. S. Aluaro Sarraciniz confirm. S. Didaco Semenez. S. Gotier Gomez armiga Comitis confirm. S. Beila Dolquitiz conf. S. Sarracini Aluarez. Sen. Munio Gustioz. Ego autem Garsea Sancionis,Rex totius Pampilonensis regni, assensum præbui tantæ deuotionis,& partem Regni mei quæ vicinior illi est Monasterio, sicut supra notatum est in illa deuotione, stabiliui, & cum subiectis meis deuoto animo confirmaui.

Tarasia Regina. Sancio Garseanis Regis filius. Ardericus Episcopus. Tudemirus Episcopus. Biuas Episc. S. Fortun. Garseanis. S. Eximino Vigilianis. S. Lupe Garseanis. S. Fortunio Semenonis. Gomesanus Maior domus conf.

Donatur offerta santo Æmiliano de flumine Carrionensi, vsque ad flumen Argam & de serra Araboya vsque mare Vizcaiæ. Iungat electis ego Stephanus scriptor. Deo gratias.

SCRIPTVRA XX.

Priuilegium Don Garcia, Regis Nauarræ XII. Cœnobio S. Æmiliani de la Cogolla collatū. Multarum Abbatiarum meminit,quæ hodie sunt Prioratus & Ecclesiæ parochiales in Rioja. Videas hic etiam Riojam & S. Æmiliani Cœnobium aliquando à Regno Nauarræ pependisse.

SVb nomine sanctæ & indiniduæ Trinitatis. Ego quidem Garsea Rex, cum coniuge mea Eximina, Regina, & matre mea Vrraca Regina, damus & confirmamus Deo & santo Æmiliano, Christi Confessori, & tibi Patri spirituali Ferrucio Abbati, cæterisque fratribus ibidem Deo regulariter seruientibus, vnam villam, quæ dicitur de Herrero, quæ est sita inter villam Iuniz,& villam Dolquit,cum domibus,hominibus,agris,vineis,hortis,molendinis,& terminis, id est,de Guardia de Comite, per semitam ad vallem de pozos, de sursum ad illam arborem vallis de Fabrici & per illum moralem vsque ad portellum medianum, & vsque ad villam Elzinam, cum pascuis, exitibus, & introitibus, & cum suis pertinentijs, cum omni integritate libera & ingenua, absque fonsaro, & homicidio, vel

Saionis ingressu, & seruiat pro animabus nostris in perpetuum s. Æmiliano, quatenus suis cunctis precibus, & omnium Sanctorum, veniam consequi mereamur facinorum nostrorum, in futuro vero ingredi inter turmas iustorum, & possessores esse regni polorum, Amen. Si quis autem filiorum nostrorum, aut nepotum, vel aliquis de genealogia nostra, disrumpere tentauerit donationem nostram, & subtrahere voluerit de Monasterio sancti Æmiliani, sit à Deo maledictus, & à cœtu Christianorum separatus, demumque in inferno inferiori æternas pœnas cum diabolo sustineat: Amen. Insuper ad regalem partem exoluat decem libras auri, & duplum ad regula. Facta charta donationis in Era millesima trigesima quarta, regnante me, regnantibus matre mea Vrraca Regina; & fratre meo Gundisaluo in Aragone. Ego Garsea Rex, qui hanc schedulam fieri iussi, confirmatores, & testes ad roborandum tradidi, & hoc signum feci. †. Eximina Regina coniux mea confirmat. Vrraca Regina mater mea confirmat. Gundisaluus frater meus confirmat. Sanctius filius meus confirmat. Sanctius filius Raminiri regis confirmat. Garsea frater illius confirmat. Sanctius filius Congelini Comitis confirmat. Sisebutus Episcopus confirmat. Belascus Episcopus confirmat. Garsea Episc. confirmat. Gomesanus Abbas Cironensis confirmat. Vincentius Abbas, & iudex confirmat. Blasius Abbas Albaldiensis confirmat. Fortunius Abbas Condensis confirm. Blasius Abbas sanctæ Columbæ confirm. Sanctius Abbas Sigionensis confirm. Eximius Abbas sancti Georgij confirmat. senior Fortunio Semenonis confirmat. Alius Fortunius Semenonis conf. Fortunius Garsiæ conf. Simeon Blasi confir. Sanctius Blasi confir. Fortunionis conf. Garsea Sanctij Maiordomus confir. Blasius Forternij Atchirticlinus confirm. Lupus Eneci, Maior equorum, confirmat. Omnis Curia Palatij Regis Garsiæ confirmatores & testes. Ego autem Sisebutus presbyter per iussionem Regis Garsiæ hanc schedulam exaraui.

SCRIPTVRA XXI.

Continet Priuilegium XIII. Nauarra Regis, cuius nomen fuit Sanctio Maiori. Refert translationem S. Æmiliani.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis per non finienda sæcula regnantis. Sanctius gratia Dei Hispaniarum Rex, cernens de die in diem totam Hispaniam Beati Æmiliani virtutibus illustrari, gratia Spiritus sancti infundente, placuit animo meo, vt sicut dono supernæ pietatis non meo merito obtinueram apicem regiæ dignitatis, sic ea adiuuante amplificari intra fines regni, mihi à Deo concessi, religionem Christianitatis. Coniunctis itaque mihi venerabilibus viris Sanctio Najarensi, Iuliano Auetensi, Munione Alabensi, & Mancio Oscensi, Episcopis cum multis regni viris optimatibus Ecclesiam sanctissimi Æmiliani adij, & peracto ibi triduano ieiunio, venerabile corpus eius de vili adhuc, quo detinebatur, sepulchro, per manus religiosorum Monachorum, ac Clericorum in loculo arcæ, sibi à me præparatæ, diligenter est translatum. Translato itaque Beati viri corpore, & visa multorum miraculorum efficacia, suggerente mihi Clero, ac populo, monasticum ordinem secundum Regulam sancti Benedicti, in eadem Ecclesia diligenti industria constitui, & sanctissimæ religionis virum Ferrutium nomine à Congregatione eiusdem loci regulariter electum, Pontificali consecratione Abbatem ordinari feci, ad necessaria quoque sustentum Dei, ibi Deo seruientium, placuit mihi, & omnibus primatibus mei regni, de hæreditate mea Ecclesijs, parochijs, vel villis, idem Monasterium locupletare, subdens perpetuæ maledictioni omnes violatores meæ spontaneæ donationis: hoc etiam testificans interdicto omnibus successoribus meis autoritate Dei omnipotentis, vt nequaquam alieno Dominio eadem Congregatio subdatur, nec ab aliqua persona sæculari, siue Ecclesiastica, nec secundum sacrorum Canones, ac decreta sanctorum Patrum, iudicetur, aut aliquo seruitio prematur, nec aliquis Episcoporum ab eorum Monasterij Parochijs, vel villis primitiua, vel tertias requirat. Placuit, etiam mihi addere regia & pontificali autoritate, vt quicunque ingenuus, vel seruus vel cuiuscunque conditionis homo aliquam magnam, vel paruam possessionem huic Monasterio contulerit, hæc oblatio sit confirmata regia autoritate, fulta omni ingenuitate, & libera omni seruitute, nec requiratur, vel exigatur ab ea aliquod seruitium ab vllo viuente, aliqua magna, vel parua occasione. Nos ergo Episcopi, qui translationi corporis Beati Æmiliani præsentes fuimus, deuotam oblationem Regis laudamus, Pontificali autoritate corroborauimus, & cum consilio eiusdem Regis, & cum Clericorum nostrorum affirmatione, placuit nobis talem oblationem Deo & Beato Æmiliano facere,

manifeste comperimus prateritis temporibus nullum Episcoporum prædecessorum nostrorum in Ecclesijs, vel parochijs Monasterio sancti Æmiliani collatis, primitiua, vel tertias requisisse, vel accepisse, quod nos cum omnibus Clericis nostris laudamus, & Pontificali autoritate confirmamus, & ne aliquis successorum nostrorum aliqua occasione, vel iniqua præsumptione ab Ecclesijs, vel parochijs, Beato Æmiliano datis, vel dandis, & intra fines Episcopatuum nostrorum primitiua, vel tertias exigat, interdicimus, sed hoc tantum sibi in Monasterio vindicent Sacerdotes, quod præcipiunt Canones, id est, Monachos ad conuersationem sanctam præmonere Abbates diuina officia instituere, atque extra Regulam facta corrigere. quodsi aliquis in Ecclesijs huius Monasterij Canonibus interdictum facere præsumpserint, aut vsurpare quidpiam de Monasterij rebus præsumpserint, non deerit ab illis sententia excommunicationis, qui se noluerunt subtrahere ab illicitis. Facta charta donationis vel confirmationis in Era millesima sexagesima octaua, secundo Id. Maij, regnante Sanctio Rege in Najara & in Castella, & in Legione. Sanctius confirmat. Mumio Ep. confirm. Iulianus Ep. confirmat. Marius Episc. Consul Munio, Gundisalui confirm. Princeps Fortunius Sanctij testis. Acenarius Sanctij testis.

SCRIPTVRA XXII.

Facta à Don Garcia de Najera, Rege Nauarræ XIV. qua confirmatur translatio S. Æmiliani ex Monasterio de Suso, seu superiore & antiquo in Monasterium nouum.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ego Sanctius, licet indignus, Pampilonensis Episcopus, & ego Gomesanus Callaguritanus simul, & Castellæ vetulæ Episcopus, & ego Garsea Alabēses Episcopus, veritate fraternæ charitatis, & amore sinceritatis, ob iussionem Garseæ Regis, filij Sanctij nobilissimi Hispaniarum Regis, conuenimus ad Monasterium sancti Æmiliani presbyteri, vbi de antiquo Cœnobio ad nouum, illi præparatum corpus eius à nobis est translatum. Vnde præuidimus tam nobis quam Regi, ad honorem sacri corporis aliquid addere obsequij. Ego igitur Garsea Rex, & simul mecum Stephania Regina, concedimus terminum illum salti, quod inter Monasterium & antiquum fluuium discurrentem iacere videtur: & à fine inferiori ipsius sernæ, quæ est sub Ecclesia sancti Gregorij, vsque ad locum innctionis duorum fluuiorum, id est, Cardinis, & eum qui ex Pazongis venit, & per illū Pazongensem fluuium vsque ad initium illius riuuli, qui ad domū Villæ nouæ aquam ducit, & per currentia ipsius riuuli, vsque ad defessam antiquam terminum infra totum, cum omni integritate sancto Dei altario, & Beato Æmiliano deseruire, semper præcipimus: & ne ab aliquo successore nostro irritum fiat, ex parte Dei interdicimus: sed Monachi ipsius loci habeant potestatem in ipso termino, quod facere voluerint. Nos vero tres prædicti Pontifices deuotam oblationem Regis videntes, similiter cum ipsius Regis auxilio, & cum omnium Clericorum nostrorum affirmatione, placuit nobis talem oblationem Deo & Beato Æmiliano facere: manifeste comperimus præteritis temporibus nullum Episcoporum prædecessorum nostrorum in Ecclesijs vel parochijs Monasterio Beati Æmiliani collatis, primitiua vel tertias requisiuisse, vel accepisse: quod nos cum omnibus Clericis nostris laudamus, & Pontificali auctoritate confirmamus, & ne aliquis successorum nostrorum aliqua occasione, vel iniqua præsumptione ab Ecclesijs vel parochijs Beato Æmiliano datis vel dandis, & intra fines Episcopatuum nostrorum primitiua vel tertias exigat, interdicimus: sed hoc tantum in Monasterio sibi vindicent sacerdotes, quod præcipiunt Canones, id est, Monachos ad conuersationem sanctam præmonere: Abbates diuina officia instituere, atque extra Regulam facta corrigere. Quod si aliquis in Ecclesijs huius Monasterij Canonibus interdictum facere præsumpserit, aut vsurpare quidpiam de Monasterij rebus, non deerit ab illis sententia excommunicationis, qui se noluerant subtrahere ab illicitis. Hæc scripta ego Garsea Rex cum tribus Episcopis stabilimus, & confirmamus, præsente domino Gundisaluo Abbate, & omni Congregatione, quatenus Beati Æmiliani Confessoris Christi egregij intercessione mereamur in præsenti sæculo feliciter viuere, & in futuro ad sempiterna gaudia peruenire, Amen.

Facta charta donationis & confirmationis sub Era ML, IV. Calend. Iunij, regnante Rege Garsea in Pampilona & in Najara, & in Alaba, & in Castello vetula vsque flumum, qui vocatur Alancone, & germano suo Ferdinando Rege regnante, & in Castella, & in Legione. Senior Fortun Sanchez confirm. Senior Sanctio Fortunionis confirmat. Senior Fortun Lopez confirm. Comite Mumo Munnioz conf. senior

Senior Lope Fortunionis confirmat. Comite Eneco Lopez confirmat. Senior Arzenatij Garrociz confirmat. Senior Ramiri Sanchez. Ilbertus Grammaticus scriba.

Vidi hoc Priuilegiũ alicubi cũ Era MLXI. *non absque grandi lapsu. Neque enim Rex Garcia de Najara, à quo scriptura hac profecta, isto anno regnauit, cuius pater ad Eram vsq; millesimam sexagesimam octauam produxit vitam, ac vltra. Loco igitur Era* MLXI. *ponenda* MLXↃI. *adeoque cruci decussata imponendus semicirculus, vt conficiatur Era millesima nonagesima prima, qua & Don Garcia imperauit, & lipsana sancti Æmiliani in Monasterium inferius translata sunt.*

SCRIPTVRA XXIII.

Ab Alphonso VI. Rege Castellæ Abbati Aluaro Monasterij Valuanera Antistiti data, & ex archiuo eiusdem Asceterij cum tribus sequentibus prompta.

SVb nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, scilicet Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, qui est trinus in personis, & vnus in Deitate, & cuius nutu reguntur vniuersæ creaturæ: & à quo producuntur omnia bona: ipsi laus, & imperium in sæcula. Amen. Ego igitur, & misericordia Dei Adefonsus Rex, facio tibi Abbati Aluaroni Patrique spirituali priuilegium & confirmationem de hæreditate de Villanoua, & illa domus quam vocitant sancta Maria: quæ antequã ego acciperem Najeram, fuit data, & confirmata à Santione Rege, scilicet propinquo meo. Simili modo confirmo ego supradictam hæreditatem sanctæ Mariæ Dei genitricis, & perpetuæ Virginis, quæ sita est in loco, quæ dicitur Vallis Venate, & tibi Patri Aluaroni Abbati, cæterisque sub Regula Beati Benedicti Deo seruientibus, tibi, & successoribus tuis, qui post te futuri sunt, Deo famulantibus. Similiter & adhuc, & absoluo tibi & alijs Abbatibus & Monachis, qui post te fuerint, vt habeant libertatem, & ingenuitatem comparandi hæreditatem vsque in omnibus terminis illius supradictæ Villæ, cum omnibus, sibi pertinentijs, terris, vineis, molendinis, hortis, fontibus, vallibus, montibus, indefessis paludibus, pratis, & in omnibus pascuis, introitibus, & exitu: & vt in commune habeant pascua in omnibus herbis pecora illius Monasterij cum vicinis suis de villa noua, & de Aguidanos, & de Matute in omnibus montibus eorum. Et illa domus sit absoluta, & ingenua ab omni regali fisco, & homicidio, & fornicatione, & vsq; in perpetuum sit confirmatum hoc testamentum tibi, & omnibus Monachis, seruientibus Deo & sanctæ Mariæ. Si quis vero meorum præsentium ac futurorum filiorum, vel nepotum Regum, aut Principum, vel cuiuslibet personæ, hanc meam donationem, & supradictam confirmationem disrumpere, aut violare voluerit, sit maledictus, & à fide Christianorum segregatus, & à Domino IESV Christo maledictus: & perdat in fronte vinas lucernas, & postea cum Iuda traditore in inferno inferiori demersus sit, & crematus, ac incauto exoluat parte Regis quinque libras auri. Facta charta in Era MCXV. regnante Rege Adefonso in Legione, & Castella, & in Najera. Ego igitur Adefonsus Rex, qui hanc chartam iussi fieri, propria manu signum Crucis ✠ inieci, & sub positis testibus, ad confirmandum tradidi, & coram cunctis legentem audiui.

Munio Najerensis, & Episcopus, hic confirmat. Simeon Burgensis Episcopus conf. Blasius Abbas S. Æmiliani, hîc confirmat. Simeon Burgensis Episcopus confirmat. Obidius Abbas sancti Saluatoris Oniensis, hîc confirmat. Ramirus Garsiæ Regis filius, hîc confirm. Geluira soror Regis Adefonsi, hîc confirmat. Munio Comes Asturiæ hîc confirm. Gundisalbus Comes hîc confirmat. Martin Sangez dominante Najera hîc confirmat. Antolino Nunnez dominante Tuecia hîc confirmat. Eneconi scriba, & testis.

SCRIPTVRA XXIV.

Priuilegium aliud ab Alphonso VI. qui Toletum cepit, Asceterio Valuanera concessum.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ego Adefonsus gratia Dei, & non meis meritis Hispaniarum Rex, filius Ferdinandi Sanctij serenissimi Regis, vna cum dilectissima Coniuge mea Constantia Regina, dum donante misericordia Dei omnium bonorum inspiratoris ac donatoris, nobiliter ac fœliciter regerem apicem regni mihi à Deo concessi, placuit mihi, & optimum dignum duxi, vt sicut pietas superni Regis me honorificauerat, ac decorauerat sublimitate regali, ita & ego pro posse, & scire intra omnes fines regni mei amplificarem, & augmentarem cultum ac decus ipsius diuini & multum colendi & amandi seruitij: cui diuinæ causæ dũ assiduo studio, ac fœlici

labore

labore peruigil, cum omnibus primatibus ac nobilibus regni mei insisterem, & auxiliante diuina clementia, multa ad landabilem effectum perducerem, inspirante inspiratione Spiritus sancti venit in memoriam mei cordis, vt sicut cætera Monasteria, Ecclesiasque in omnipotentis Dei seruitio restituebam, ac reformatam, ita etiam Ecclesiam in honorẽ sanctæ Dei Genitricis Mariæ, ab antiquo tempore fundatam, & in monte qui vocatur Disterrij, in valle venaria positam, iam pœne à sua quondam nobilitate deiectam, ac minoratam, ego pro honorificentia omnipotentis Dei, suo pristino & antiquo honori & decori redderẽ: & etiam maiori & ampliori amplitudine decorarem. Mando & concedo, vt huius Monasterij pecora communẽ habeant pastum cum villa Matute, & Tobia, & Villanoua, & Anguidanos, & Matricem, & vallẽ de Oxa castro, & villas dictas quinque, & valle de Canales. Et mando, vt de collato de Campastro vsque ad vallem de Zankos, & de eadem Villa ad sursum, vsque ad piniellas ad iussum, vsque ad collum de Campastro. Et mando vt nullus hominum aliquẽ laborem faciant intra hos terminos: sed sit ad pastum pecorum Monasterij. Qui vero hanc prohibitionẽ nostram infringere præsumpserit, & intra hos terminos aliquẽ laborem facere tentauerit, tres mille sextos reddat regio exactori. Mando etiam, vt sicut in die Congregationis, præfatæ Ecclesiæ constitutum est à Domino Sancio Episcopo, & Domino Garsea Episcopo, & à Domino Gomesano Episcopo, & à Domino Abbate Dominico, vt nulla fœminarum intraret istum terminum, ita nunc constituo, & confirmo, vt nulla ibi introeat; quod si introierit, capiatur, vsquedum reddat sexaginta solidos procuratori Regis. Reddo etiam prædictæ Ecclesiæ vnã Ecclesiam sitam in villa noua in honore S. Mariæ dedicatã, cum suis exitibus, & ingressibus, cum terris, & vineis, & cum omni sua hæreditate: quã vsque ad præsens tempus comparauit: vel pro viuis, ac defunctis adquisiuit: & quod deinceps per aliquam donationem, vel cõparationem acquirere poterit. Habeat etiam potestatẽ amplificare suos labores, in omnibus vicinis montibus. Et habeat cõmunem pastum cum Villa noua, & anguidonos: & habeat potestatẽ piscandi in riuulo de Nagerilla, vbicunque sibi placuerit. Qui ergo hanc meam donationem vel confirmationem frangere præsumpserit, in primis iram Dei incurrat, & cum diabolo partẽ habeat, nisi cum digna satisfactione emendauerit. Hæc autem scriptura in perpetuum firma permaneat. Facta est Charta ista in Era M. C. X X X. die Kalendarum Maiarum, in Monasterio sancti Saluatoris Oniensis. Ego Aldefonsus Rex, hanc chartam fieri iussi, & hoc scriptum confirmaui, & testibus ad roborandum tradidi. Ego Constantia Regina confirmans. Raymundus gener Regis confirmans. Gomesanus, Burgensis Episcopus confir. Petrus Najarensis Episcopus confirmans. Garsea Ordoniz Comes conf. Ioannes Abbas præfati Oniensis Monasterij, cum omni sua Congregatione confirmans. Garsea, & alter Garsea germani filij Sanctij Regis Najarẽsis. Ferdinandus & Reymundus confirmans. Antolino Nuniz confirm. Comes Lupus Alauensis confirm. Aluaro Didaz confir. Gonsaluo Nuniz confirm. Didaco Sangiz confirm. Tello Didaz præpositus Regis confirmans.

SCRIPTVRA XXV.

Priuilegium Alphonsi Aragonum Regis, concessum S. Mariæ de Valuanera. Quidam Alphonsum septimum appellant, cui Vrraca coniunx fuit.

SVb nomine Genitoris, Genitique, igneique ab vtroque procedentis Flaminis. Cum igitur ego Adefonsus totius Iberiæ Monarchiam tenens, non solum ab antecessoribus meis, verum ab antiquissimis Regibus, Comitibusque, ac nobilissimis Ecclesiam fidei Catholicam vsquequaque per quatuor mundi Climata, vsq; ad necem Deo auxiliante, defendentibus, pro remedio suorum peccaminum, ad honorem Dei Sanctorumque reliquorum, alij aurum, argentum, lapidumque preciosorum copia, villas vetustas, Monasteria, plurimaq; municipalia offerta, firmiterque per sæcula seruitura soborata, vna cum coniuge Vrraca dicta nomine, strenuissimo Regi Adefonso suo exigente genitore, mihiq; quodammodo iuncto consanguinitate, à Pirineis montibus, vsque ad refluxus Oceani regali autoritate dominantibus leges populorum affirmantibus, hæc inter cætera supradicta facta priorum inueniremus, vt sublimitate nostra ei regni augeretur, honorque sanctæ Matris Ecclesiæ decoraretur, posterioribusque Regibus exemplum bonæ vitæ relinqueretur, nobisque æterni præmij cum suis clientulis pax Christi condonare dignaretur, simili exemplo priorum inueniremus, vt sublimitate nostra ei regni augeretur, honorq. priscorum ad atrium sanctæ Dei Genitricis Valuaneriæ, positione loci vocitatum, placuit nobis aliquid munusculi dare, vt rogatu ipsius aditũ supernæ ciuitatis valeremus intrare. Nam damus vnam Ecclesiam

siam sanctæ Mariæ vocabulo dedicatam, rusticanoque eloquio de Leuatorre dictam, cum suo prædio, suoque exitu, & est prædij locus exitusque ad Homo, vsque ad Calcatam, & iterum vsque ad semitam Haramilluri, semitaque sit ingenua morantibus in loco causa egressionis & regressionis, & ipsi atrio, aliud atrium sancti Mametis nomine consecratum, & intra montem positum cum introitu simul, & exitu tribuimus, vt simul iuncta seruiant supra dicto Valuanerensi Cœnobio, quatenus istud mnnusculum sit illic habitantibus in atrium, nostrorumque ante Dei oculos aliqnod lenamen peccatorum,& .... vt villa Grannon, scilicet, in montibus, in desesis, in ribulis, in fontibus, in campis, in paludibus, in vallis, in vijs, in domibus, in agris, in vineis, in hortis habeat, excepto censo tributi, quod ipsa tribuit. Talia nobis constituentibus, ex improuiso aliud inuenimus, quod dicere amplius, quam celare maluimus, vt si aliquis ipsius domus, diaboli instigatione socium aliquem percusserit intra terminum superius constitutum, & inde mortuus fuerit, nullus senior, aut iudex, vel aliqua persona, nec duo .... ipsa occasione sit ausus accipere. Quod si aliquis istius causa .... fuerit, nostræque præsentiæ rimatum fuerit, non solum suæ pecuniæ dominator, verum etiam suorum luminum haud erit defensor. Hanc autem offertam vt teneat firmius, signum Crucis ✠ proprijs manibus expressimus, ac roborationi subscriptdrum testium tradere curauimus. Fortun. Lopez, testis. Romanus Ioanni test. Domna Stepbania testis. Munio Gutierez Maior domi, test. Fortunius Galidez test. & tota Congregatio Regis & Reginæ testificantes, ac laudantes facta charta sub Era 1148. regnante Rege Adefonso, vna cum Regina Vrracba, in Aragone, & in Castella & in Legione, & in Toleto. Didacus Lupus dominante in Najera & in Grannone, sub illo Fortunius Galindus Merinus Censor, Domnus Michaël Enecus Scemenus, Calagurrim, vinosque Cameros dominantem. Garcia Lopez, Tobia,& Marañon. Gomesanus Comes, Ponticorbum, & Ceresum. Comes Petrus Laram, & Medinam. Aluar Iannez Toletũ, & penam fidelem. Ferrandus Garsia, sitam. Et si aliquis ex prosapia Regum, Comitum, vel aliqua præpotẽs persona dissipator istius rei visus fuerit, primitus iram Dei Omnipotentis incurrat, alienusque, à cœtu fidelium, corporis & animæ fiat, binorumque luminum etiam in perpetuum perdat, ac cum apostata Angelo iussu Dei omnipotentis partem habeat.

SCRIPTVRA XXVI.

Duo Priuilegia complectitur, scilicet Alphonsi VIII. victoris ad Nauas, & Ferdinandi III. vulgo Sancti, Monasterio Valuanera concessa.

Tam præsentibus quam futuris notum sit ac manifestum, quod ego Ferdinandus Dei gratia Rex Castellæ, & Toleti, Legionis, & Galeciæ, & Cordubæ, confiteor me inuenisse Priuilegium ab auo meo illustrissimo Rege Domino Alfonso conditum in hunc modum.

Præsentibus notum sit, & futuris, quod ego Adefonsus Dei gratia Rex Castellæ & Toleti, vna cum vxore mea Allienor regina, cum filia mea Infantissa Berengaria, dono & concedo Deo, & sanctæ Mariæ Monasterio de Valle Venera, Villã nouam, quæ sita intra Anguidanos, & Matutes, & vobis dono Dominico eiusdẽ Monasterij instanti Abbati, & vestris successoribus, & omni eiusdem fratrum Conuentui præsenti & futuro, pro salute animæ meæ, & pro quingentis aureis, post mihi in pretium persolutis, & obsequium iure hæreditario habenda, & irreuocabiliter possidendam, cum collocijs, & solaribus, cum pratis, pascuis, aquis, nemoribus, & desesis, cum montibus, & fontibus, riuis, molendinis, & eorum locis, cum omnibus directis terminis, & pertinentijs suis. Statuo præterea quod in omnibus locis & pascuis, in quibus hucusq; pascebantur armenta eorum, & pecora prędictæ villæ, pascant modo libere, & quiete. Si quis verò hanc chartam in aliquo rumpere, vel diminuere præsumpserit, iram Omnipotentis Dei plenariam incurrat: & regiæ parti. M. aureos incauto persoluat, & damnum quod vobis intulerit, duplicatum restituat, & cum Iuda Domini proditore pœnas in inferno patiatur æternas. Facta charta apud Burgos Era 1227. septimo Idus Maij, secundo anno postquam Serenissimus Alfonsus Rex Legionis osculatus est manum dicti Alfonsi Regis Castellæ, & Toleti, & consequenter paucis diebus elapsis, ſępedictus Alfonsus Illustris Rex Castellæ, & Toleti, Romani Imperatoris filium Conradum nomine, in nouum militem accinxit, & filiam suam Berengariam tradidit in vxorem.

Et ego Rex Alfonsus regnans in Castella & Toleto, hanc chartã quã fieri iussi, manu propria roboro & confirmo. Gundisaluus Toletanæ Ecclesiæ Archiepiscopus, & Hispaniarum Primas, confirmat. Rodericus Calla-

Callaguritanus Episcopus, confirmat. Martinus Burgen. confirmat. Ardericus Palentinus Episcopus confirmat. Comes Ferrandus confirmat. Comes Garsiæ confirmat. Ordonius Garsiæ confirm. Gutierrez Roderici confirmat. Petrus Roderici confirmat. Egidius Gomez confirmat. Raimirus de Verea confir. Lupus Diaz Merinus Regis in Castella conf. Magister Mica, Regis Notarius conf. Guterrio Roderici existente Cancellario.

Et ego prænominatus Rex Ferdinandus, vna cum filijs meis Alfonso. Frederico, & Ferrando, ex assensu & beneplacito Reginæ Dominæ Berengariæ genitricis meæ, supredictum Priuilegium approbo, roboro, & confirmo, mandans, & firmiter statuens, quod inuiolabiliter omni tempore obseruetur. Si quis vero hanc chartam infringere, seu in aliquo imminuere præsumpserit, iram Dei Omnipotentis plenarie incurrat, & regiæ parti M. aureos incauto persoluat & damnum super hoc illatum restituat duplicatum. Facta charta in Burgos, nono die Ianuarij, eo videlicet anno, quo capta fuit Corduba, Era 1275. Et ego supradictus Rex Ferdinandus regnans in Castella, & Toleto, Legione, & Galicia, & Corduba, & Badellocia & Vaena, hanc chartam quam fieri iussi, roboro & confirmo. Rodericus Toletanæ Sedis Archiepiscopus, Hispaniarum Primas, confirmat. Infans Dominus Alfonsus frater Domini Regis confirm. Bernaldus Compostellanæ Sedis Archiepiscopus confirmat. Maurinus Burgensis Episc. confirm. Aluarus Petri confirm. Iohannes Oxom Episc. confirm. Tellm Palentinus Episc. confirm, Bernardus Seguuiensis Episc. confirm. Lupus Saguntinus Episc. confirm. Dominicus Abulens. Ep. confirmat. Iohannes Calagurri Episc. confirmat. Gonsal. Conchen. Episc. confir. Dominicus Palatien. Episc. confir. Adam Placen. Episc. confirm. Ioannes Obeten. Episc. confirm. Nunius Astori. Episcopus confirm. Matrinus Salman. Episc. confir. Michaël Lucen. Ep. confirm. Lauren. Aurien. Episc. confirmat. Stephanus Tuden. Episc. confirmat. Sancius Laurienf. Episc. conf. Ecclesia Legionensis vacat. Aluarus Petri confirm. Rodericus Gonsalbiz conf. Rodericus Gonez confir. Rodericus Fernandez confirm. Didacus Gonzalbiz conf. Tellius Alphonsi confir. Gonsalbus Gonsalbi confirm. Ægidius Malwicij confirm. Rodericus Roderici confirmat. Didacus Martin confirm. Aluarus Fernandez confirmat. Didacus Gonsalbiz confirm. Rodericus Gomez confirm. Rodericus Ferrandi confirmat. Ramirus Florez confirm. Rodericus Florez confirm. Petrus Ponnj confirmat. Pedaguisaire confirm. Ferrandus Iohannes confirm. Ordonus Aluarez confirm. Donus Moriel Maiorinus in Castellæ confirmat. Sancius Pelagij Maior Merinus in Galicia confirmat. Garsia Roderici Maior Merinus in Legione confir.

SCRIPTVRA XXVII.

Priuilegium ex lib. 11. Reg. cap. 10. D. Gregorij petitum, quo idem Magnus Pontif. Monasterium & Hospitale Augustodunense magno beneficio afficit.

Gregorius Senatori Presbytero, & Abbati, de Xenodochio quod in Augustodunensi ciuitate à Siagrio & Brunichilda constructum est, & Priuilegium eius.

QVando Catholicorum Regum corda, ad ea ad quæ pontificalibus sunt monitis prouocanda, ita ardenti desiderio, diuina præueniente gratia, succeduntur, vt ab eis vltro poscantur: tanto alacri & læto sunt animo concedenda, quanto & ea ipsa quæ cupiunt, si nollent facere, peti debuerant. Proinde iuxta scripta filiorum nostrorum præcellentissimorum Regum Brunechilda, ac nepotis ipsius Theodorici, Xenodochio, quod in ciuitate Augustodunensi à Syagrio reuerendæ memoriæ Episcopo, & prædicta excellentissima filia nostra Regina constructum est, cui tu præesse dignosceris, huiusmodi priuilegia præsentis autoritatis decreto indulgemus, concedimus, atque firmamus: statuentes nullum Regum, nullum Antistitum, nullum quacunque præditum dignitate, vel quemquam alium de his, quæ Xenodochio à suprascriptis præcellentissimis filijs nostris Regibus iam donata sunt, vel in futuro à quibuslibet alijs de proprio fuerint iure collata, sub cuiuslibet causæ, occasionisue specie minuere, vel auferre, siue suis vsibus applicare, *vel alijs quasi pijs causis pro sua auaritia excusatione posse concedere:* sed cuncta quæ ibi oblata sunt vel offerri contigerit, tam à te quam ab eis qui in tuo officio locoque successerint, perenni tempore illibata, & sine inquietudine aliqua volumus possideri. Eorum tamen vsibus, pro quorum gubernatione, sustentationeque concessa sunt, modis omnibus profutura. Item constituimus, vt obeunte

Abbate atque presbytero supradicti Xenodochij atque Monasterij, non aliusibi quacunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem Rex eiusdem Prouinciæ, cum consensu Monachorum, secundum timorem Dei elegerit, ac prouiderit ordinandum. Hoc quoq; capitulo præsenti subiungimus, vt locum auaritiæ excludamus, nullum de Regibus, nullũ de Sacerdotibus, vel quemcunq; alium per se vel suppositã personam de ordinatione eiusdem Abbatis vel quibuscunque causis Xenodochio ipsi pertinentibus audere in auro, siue alia qualibet specie commodi quicquam accipere, neque eundem Abbatem ordinationis suæ causa dare aliquid præsumere: ne hac occasione ea quæ à fidelibus pijs locis offeruntur, aut iam oblata sunt, consumantur: & quoniam multæ occasiones in deceptione religiosarum personarum, à prauis illis, vt dicitur, hominibus exquiruntur, Abbatem ac Presbyterum prædicti Xenodochij nullo modo priuandum deponendumque censemus, nisi causa specialiter criminis exigente. Vnde necesse est, vt si qua cōtra eum huiusmodi querela surrexerit, non solus Episcopus ciuitatis Augustodunensis causam examinet, sed adhibitis 6. alijs episcopis suis, subtili hoc inuestigatione perquirat, quatenus cunctis concorditer iudicantibus Canonicæ districtionis censura aut reum punire, aut innocentem possit absoluere. Simili quoque definitione iuxta desiderium conditorum decernimus, vt nullus eorum qui eidem Xenodochio atque Monasterio Abbas, aut presbyter, in posterum fuerit ordinatus, ad Episcopatus officium quacunque obreptione sit ausus accedere. Nec res Xenodochij, vel Monasterij, iniqua erogatione consumens, grauissimam egestatis necessitatem pauperibus ac peregrinis, vel cæteris exinde viuentibus generet. Episcopum vero tollendi de eodem loco Monachum ad Ecclesiasticum Ordinem promouendum, vel pro aliqua quacunque causa, sine consensu Abbatis atque Presbyteri habere licentiam prohibemus, ne huius rei vsque ad hoc vsurpatio perducatur, vt loca quæ acquisitione hominum construenda sunt, ablatione destruantur. Si quis vero Regum, Sacerdotum, Iudicum, personarumque secularium, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat: reumque se diuino iudicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat. Et nisi vel ea quæ ab illo male ablata sunt, restituerit, vel digna pœnitentia illicite acta defleuerit, à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini nostri Redemptoris IESV Christi, alienus fiat, atque in æterno examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus, sit pax Domini nostri IESV Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis recipiant: & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant.

SCRIPTVRA XXVIII.

Priuilegium à Cómite Ferdinando Gonsalez Cœnobio sancti Petri de Arlanza concessum, ex archiuo eiusdem productum.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Dominis sanctis inuictissimis, ac triumphatoribus Martyribus gloriosis atque venerandis, nobisque post Dominum fortissimis Patronis: Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quorum reliquiæ conditæ requiescunt, & in quorum honore Basilica fundata est, iuxta ciuitatem Lara, super crepidinem fluminis Arlanza: nobisque indignis Fredenando Gundisaluiz, & vxor mea Sancia. Licet primordia bonorum operum quę inspirante Deo in mente gignitur, iustitiæ operibus deputatur, tamen ea quæ maiori cumulo & potiore crescunt, ampliore remuneratione expectantur in præmio digna; igitur iam suæ spei vota in domo cęlica mansionum multarum collocat, qui domum sanctæ Ecclesiæ restaurat, vel in melius construere prouocat. Nos igitur piaculorum nostrorum per grauationem cupientes expiari flagitia, & peccatorum nostrorum molem, orationum vestrarum desiderantes adiutorio subleuare, parua pro magnis offerimus munuscula, nulliusque idem in hoc sæculo hominum vos indigere censemus, quia iam per sanctificationem Dominus noster in suo vos regno proprio ditatos munere cumulauit. Ergo pro luminaria Ecclesiæ vestræ, atque stipendia eorum, aut pauperum, vel qui in altario Beatitudinis vestræ deseruire quotidianis diebus videntur Monachorum omnium ibidem degentium, cunctorumque aduenientium, offerimus sacrosancto altario vestro Villam Contrarias ad integrum, sicuti à nobis dignoscitur nunc vsque fuisse possessa. Deinde ipsum locum, in cuius honore Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & sancti Martini Episcopi, Ecclesia sita est, cum omnibus adiacentibus, vel præstationibus suis, domibus, atrijs, ostijs, molinis, pratis, paludibus, montibus, & *Ad an. 591.*

terminis, cum suis antiquis productilibus aquis, quorum termini hi sunt. De parte Orientis de illa palude, de Congosto, vbi & stat Peratem, iuxta viam. De parte Occidentis, de illas Conarrubias quod sunt vltra valle de Bistio. De parte Meridiana de Cobas contrarias, & de illa serna, quam ibidem coocedimus, vsque ad termioum, qood posuimus in Congosto ad ipsa palode, & ad illo Perate, & de illa alia parte de ipsa serna vsque ad valle Carcere. Et deinde quæ ad Quintana de Bistio, ad terminum quod posuimus de parte Occidentis, & per summo lumbo de Bistin, per Sendero aotiquo vsque ad ouas de Sancio Mercatero, & vsque ad Calcata Mercateta, & de ipsa calcata vsque ad molino antiquo ad illa serna de rio de Pero. Io omnibus quoque montibus tributa concedimus scilicet hinc parte, Serabustare de hac Torubio, & vltra serta Bistin Rezirogales, & infotmazulos, & in serra de Araodo Bastate de Fosnellos, & in pineta illa, & aula cum Monasterio sancti Laurentij & in Castro Vetulo, Campo de illas amarellas, & illa valle, & in Bazalanio cum Podicita, Sanzo, & valle de Coruo, & valle de Fratres, & valle Pezemo, & in Sactamenia sanctæ Marię de Cardeña pro pastura. Hæc omnia determinata, quæ contioeotur à parte, & eius est cuncta ad integro deliminata iure perenni concedimus habenda. Igitur hæc omnia manere concessemus Ecclesiæ vestræ, & omnem nostram quam ibidem tribuimus coocessiooem, ad regulam sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & sancti Martini Episcopi firmiter facimus robram, & donationem Patri nostro Sonnæ Abbati, cum fratribus suis, vel successoribus eius tenere, ac regere imperamus, & vt docet Regula sancti Benedicti monasticam vitam exercere decernimus: nullusque eos inquietare in aliquo iobemus, sed quiete, & secure perenniter manere præcipimus. Et vt vires eis ministrauerint ædificare, plantare, procurare non desinant, & in suis stipendijs, ac vtilitatibus, pro vt opus eis fuerit, expendere, licentiam non denegamus eis habere: tamen monemus, vt tam iste supra nominatus Abbas Soona, seu futurus, qui post eum in loco eius successerit, votum hoc nostrum fuerint de nostris obuentionibus, cunctis omnibus Deo placente studuimus, nihil auferre, nihil emutilare præsumant. Et quod absit, si aliquis homo de generationibus istis fratribus, filijs, neptis, sobrinis, vel quislibet de nostris propioquis, seu de alijs, vsu temerario venerit dissoluere votum nostræ oblationis, repentinis iudicijs incurrat damnabilis, & corpus eius oon recipiat terra, nec in finem vitæ suæ habeat pœnitentiam Dei, cum Iuda Domini proditore lugeat pœoam in æterna damnatione, & consortium patiatur cum Leuiathan possessore inferni, deleaturqoe nomen eius de libro vitæ, desceodatque super eum, sicut descendit super Datan, & Abiton, quos terra viuos absorbuit: fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua, & ejiciantur de habitationibus suis, qui sacrilega mente confringere temptauerint hoc testamentum nostræ oblationis, & insuper damna sæcularia, inferat patriæ sanctæ Ecclesiæ vestræ in duplo, vel triplo, quantum auferre conatus fuerit de hoc Arcisterio. Idem obsecramus tam Abbates quam cæteros fratres, vt pro nobis à sospitate orare non desistatis. Verum & confirmatum priuilegium scripturæ seu Donatione notum die 11. Idus Ianuarij, Era DCCCCL. eunte, regnante Domino nostro IESV Christo iure perenni, Garcia Princeps regnum Legionis regente. Ego prædictus Fredenando Gunsaluiz, cum coniuge Sancia, qui testamentum donationis fieri iussimus, manibus proprijs coram testibus. Ego Munia domna Comitissa, facta filiorum meorum confirm. Ego Ramiro Gunsaluiz, donationem fratrum meorum conf.

Sebastianus Abbas conf.
Alamanus Abbas conf.
Sisebutus Abbas fir.
Sisebutus Abbas fir.
Apli Abbas fir.
Mosalbus Diaz fir.
Fredinando Safa fir.
Assus Gonzaluiz fir.
Nunno Aluarez fir.
Veila Nunez fir.
Roderico Gundistioz fir.
Roderico Didaz fir.
Fastrine Didaz fir.
Aluaro Asol fir.
Falcone Falconez fir.
Veila Oueque fir.
Ferdinando Oneque fir.
Ouero Tellez fir.
Didaco Oquequez fir.

* *
*

SCRIPTVRA XXIX.

Priuilegium à Rege Castiliæ Ferdinando I. sancto Petro de Arlanza datum, S. Garcia clauum Monasterij tenente.

IN nomine Genitoris & Geniti, & Spiritus Flaminis. Ego Ferdinandus Rex simul cum Sanctia coniuge pro animabus nostris offerimus in præsentia Garsiani Abbatis patruusculum munus in domum sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & sancti Martini Episcopi, & sancti Pelagij Martyris, & sancti Michaëlis Archangeli, & Sanctorum Vincentij, Sabinæ, & Christetes, de quorum supplicationibus credimus à pæna erui, & ab æterno igne liberari. Damus in supradictum Monasterium pro subsidio seruorum Dei ibi habitantium Villam sanctæ Genesiæ, ad integrum; damus prædictam villam cum suis terminis, terris, vineis, hortis, molendinis, stagnis, pratis paludibus, defesis, ligneis, vel cum quantum ad ipsam Villam pertinet: & sic prædictam villam quomodo & aliæ, quæ antecessoribus nostris in testamentis nostris sunt scriptæ, & quæ à nobis sunt offertæ, vel quæ ab hoc die de generationibus nostris, seu de alijs, siue nobilium, siue ignobilium acquirere potuerint, vt non patiantur nullius modi aliquid detrimentum nostri Sayonis, nec nullius hominis non pro fossato, non pro homicidio, non pro furto, non pro fornitio, non pro annubda, non pro Castelleria, non pro annassia, non pro nulla calumnia de hoc mundo, sed sint omnino libere & ingenue, ab omni integritate, & in arbitrio & in potestate Abbans, domum Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli regentis. Insuper autem vbicunque fuerint illorum Monasteria, concedimus populandi licentiam ex aduenis, & iuuenibus innuptis sine vlla calumnia, & sine vlla facienda licentia superius de aliæ villæ resonat. Ergo pro luminaria Ecclesiæ concedimus sine vlla ambiguitate illo decimo de sancto Stephano, de tota illa laborancia ad integrum, quæ pertinet ad palatium, cum illas casas, quæ sunt de sancti Petri. Similiter autem damus toto illo decimo, quod pertinet ad palatium de Orea, ad integrum. Sic quoque concedimus illo decimo de Tablatello ad integrum, quod pertinet ad palatio de sua laboranza tota. Hæc suprascripta omnia decima damus cum suos excusatos: cum illo de Baruatello, & sic Motta, quomodo, & in Fablatello, & in sancto Stephano, & in suas alfozes, quæ ad eas pertinent: vt nullus homo non sit ausus aliquid inde fraudare: De modo ergo si, quod absit, aliquis homo de quauis progenie, Rex, aut Comes, vel aliqua potestas, vel aliqua persona hominum voluerit disfacere hunc nostrum testamentum, vel scriptum, aut disturbare inde aliquid, vel in modicum quadrantem, excommunicatus maneat à Catholica fide, & deleatur nomen eius de libro vitæ, & in fine vitæ suæ non habeat locum pœnitentiæ, nec peccatorum suorum remissionem, sed cum Iuda Domini proditore, lugeat pœnam in æterna damnatione, & pro temporali damno in vnum soluat Regi xxx. libras auri in cauto, & quod inde auferre vel subtraherre voluerit, reddat Abbati ipsius loci in duplo, vel triplo, & factum nostrum firmum & stabile maneat vsque in finem. Facta testamenti charta in xii. Kalend. Maij, currente Era millesima centesima. Ego supra dictus Ferdinandus Rex, cum Sancia propria coniuge, qui sedem Legionis cum Castella & Gallæcia regimus in hanc chartulam testamenti, quam facere iussimus, manibus nostris proprijs coram testibus roboramus, & testibus ad roborandum tradimus. Pelagius Legionensis Sedis confirmat. Bernardus Palentinæ Sedis confirm. Santius Ferdinandiz confirmat. Adefonsus Ferdinandi confirmat. Vrraca donationem patentum confirmat. Eluira, eorum filia confirmat. Petro Gundisaluez armiger confirmat. Nuno Aluarez confirmat. Roderico Bermudez confirmat. Didaco Aluariz confirm. Sarracis Haniz confirm. Petro hic confirm. Nunno hic confir. Velassius hic testis. Didaco Gunsalnez confirm. Gunsaluo Saluatoris conf. Nuno Gunsaluus confirm. Ferdinan. Roderiz confirm. Aluaro Roderiz confirm. Gunsaluo Aluariz confirmat. Antonino Nunez confirmat. Aluaro Gunsaluez confirmat. Tellus qui notaui signo roboraui.

* *
*

SCRIPTVRA XXX.

Bulla Honorij III. inuenta in archiuo Monasterij sancti Petri de Arlanza: ad annum 591. referenda.

HOnorius Episcopus Seruus seruorum Dei, dilectis filijs Abbati sancti Petri de Arlanza eiusque fratribus, tam præsentibus quam futuris. Regularem vitam professis, in perpetuum vitam religiosam eligentibus. Apostolicum conuenit adesse præsidium, ne forte cuiuslibet temeritatis recursus aut eos à proposito reuocet, aut robur (quod absit) sacræ religionis infringat. Eapropter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & Monasterium vestrum, in quo diuino estis obsequio mancipati, sub Beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes, vt Ordo monasticus, qui secundum Deum, & Beati Benedicti Regulam, atque institutionem Cluniacensium Fratrum in eodem Monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem Monasterium in præsentiarum iuste & Canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum Monasterium situm est cum omnibus pertinentijs suis. Sanctæ Mariæ de Fratribus, sancti Martini de Castro, S. Vincentij de Pampliega, sancti Iohannis de Cella, S. Mariæ de Retortello, sancti Genesij, sancti Mametis, sanctæ Martæ de Bardaua, sancti Ioannis de Tabladiello, sancti Christophori, sancti Martini de Corrales, Ecclesias cum decimis, collatijs, possessionibus, & alijs pertinentijs earundem de Coualutar, de Bouada, de Tabladiellos, de Alazarios, de Villaspasa, & de riuo de Lepos, Ecclesias cum decimis, collatijs, possessionibus, & alijs pertinentijs earundem, sanctæ Mariæ de Dotio, sanctæ Columbæ de Peñatanda, sanctæ Mariæ de Cella, sancti Stephani de Gormaz, de Quintanis Rubeis, de Quintanis Anaiæ, de Cañizera, Sanctæ Mariæ de Lara, de Madcrolo, de Villademiro, sancti Ioannis de Arcubus, domus cum collatis, possessionibus, & alijs pertinentijs earundem, de Barbadillo, Voteri de Lara, apothecas, cum omnibus pertinentijs suis, de Castrello, & de Rota, domos cum collatijs, possessionibus, & alijs pertinentijs earundem Pedagij hospitalis sancti Michaëlis de Gallazo, Monitigij Domini de Lara, apothecæ sancti Stephani Domini Regis, decimas, Hospitali sanctæ Mariæ de Teiunta, cum possessionibus, & alijs pertinentijs suis. Villam & Ecclesiam S. Leonardi, Villam de Mesiella, Villam de Fontoria, Villam de Costa de Lugo, Villam de Canicosa, Villam de rio de Gomiel, Villã de Quintanar, Villam de Rebenga, Villam Gondomer cũ collatijs, aldeis vnitis, possessionibus, decimis, & omnibus terminis earundem. Apothecas de Tenasdemin cum possessionibus & alijs pertinentijs suis, de Xaramillo, de Fuente, & de Contreris villam. Villam Sarracin cum omnibus pertinentijs suis, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, oliuarijs, pascuis, in baso & plano, in aquis & molendinis, in vijs & semitis, & omnibus alijs libertatibus, & cum immunitatibus suis, siue noualium vestrorũ, quę proprijs manibus aut sumptibus colitis, siue de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoq; vobis Clericos, vel laicos, liberos & absolutos, à sæculo fugientes ad cõuersioné recipere, & eos absq; contradictione aliqua retinere. Prohibeamus insuper, vt nulli fratrum vestrorum post factam in vestro Monasterio professionem, fas sit, sine Abbatis sui licentia, nisi artioris Religionis obtentu, de eodem loco discedere; discedentem vero, absque communium vestrarum litterarum cautione, nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis ianuis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce diuina officia celebrare. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu Basilicarum, ordinationes Clericorum, qui ad Ordines fuerint promouendi, à Diœcesano suscipietis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & communionem sacrosanctæ Romanæ Sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine prauitate qualibet exhibere. Alioquin liceat vobis quemcunque malueritis Catholicum adire Antistitem, gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate, vobis quod postulatur impendat. Prohibemus insuper, vt intra fines parochiæ vestræ nullus sine assensu Diœcesani Episcopi, & vestro, Capellã seu oratorium de no-

de nouo construere audeat, saluis priuilegijs Pontificum Romanorum. Ad hæc, nouas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis, seu Decanis, alijsque omnibus Ecclesiasticis sæcularibusve personis, vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint, nisi forte excommunicati aut interdicti sint, nullus obsistat, salua tamen iustitia illarum Ecclesiarum, à quibus corpora mortuorum sumuntur. Decimas præterea & possessiones ad ius Ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ à laicis detinentur, redemendi, & legitime liberandi de manibus eorum, & ad Ecclesias ad quas pertinent reuocandi libera sit vobis de nostra autoritate facultas. Obeunte vero te, nunc eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum maior pars consilij sanioris, secundum Deum, & beati Benedicti Regulam prouiderint eligendum. Paci quoque & tranquillitati vestræ paterna impostertum sollicitudine prouidere volentes, autoritate Apostolica prohibemus, vt infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere, interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Ordini vestro concessas, nec non libertates & exemptiones sæcularium exactionum à Regibus & Principibus, vel alijs fidelibus rationabiliter vobis indultas, autoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti Priuilegio communimus. Decernimus ergo vt nulli hominum liceat præfatum Monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione aut sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis pro futura salua Sedis Apostolicæ autoritate, & Diœcesani Episcopi Canonica iustitia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica vel sæcularis persona hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentauerit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque diuino iudicio existere de perpetua iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Domini Redemptoris nostri IESV Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subiaceat vltioni, cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus, sit pax Domini nostri IESV Christi, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant, Amen. Amen.

Ego Robertus sancti Stephani, in Cælio Monte presbyter Cardinalis.

Ego Stephanus Basilicæ duodecim Apostolorum presbyter Cardinalis.

Ego Gregorius sanctæ Anastasiæ presbyter Cardinalis.

Ego Honorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Guido Prænestinus Episcopus.

Ego Pelagius Albanen. Episcopus.

Ego Guidus S. Nicolai in carcere Tulliano Diacon. Card.

Ego Octauianus Sanctorum Sergij & Bachi Diacon. Card.

Ego Gregorius sancti Theodori Diaconus Cardinalis.

SCRIPTVRA XXXI.

Bulla Innocentij III. Monachis Monasterij S. Saluatoris Cantuariæ concessa, qua Suffraganei Archiepiscopatus Cantuariensis, electioni Archiepiscoporum se miscere volentes, coërcentur. Eam Matthaus de Parisijs ad an. 1206. producit.

Maiores Ecclesiæ causas ad fidem Apostolicam referendas, & Canonica tradit autoritas, & approbata consuetudo declarat. Cum igitur inter vos & dilectos filios nostros Priorem & Monachos Cantuariensis Ecclesiæ, super iure illius Archiepiscopi eligendi controuersia verteretur, proponentibus vobis, quod tum ex iure communi, tum ex antiqua consuetudine vna cum illis debetis ipsius Archiepiscopi electionem celebrare: illis autē è contrario respondentibus, quod de iure communi, & priuilegio speciali, & de consuetudine approbata & antiqua Cantuariensem Archiepiscopum eligere deberent sine vobis: lite coram nobis per procuratores idoneos super hoc legitime contestata, diligenter audiuimus, quæ partes in præsentia nostra proponere curauerūt. Pars siquidem vestra & decreta pariter & exempla studuit allegare, quosdam testes producens, & testimoniales litteras exhibens, quibus ostendere nitebatur, quod vos tres *Ad an. 597.*

Metropolitanos elegeratis vna cum illis, cum per literas & attestationes sit probatum, vos & alio loco, & alio tempore, & nō sine illis electiones huiusmodi celebrasse. Testes autem producti ex parte Monachorum legitime probauerunt, quod Prior & Conuentus Cantuariensis Ecclesiæ à longis retro temporibus electiones Episcoporum in Capitulo suo, sine vobis vsque ad hæc tempora celebrarunt, & easdem obtinuerunt à Sede Apostolica confirmari. A nobis etiam & à prædecessoribus nostris per priuilegij paginam est statutum, vt decedente Archiepiscopo Cantuariensi nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem communi consilio maior pars Monachorum consilij sanioris, secundum Dominum, & sacrorum Canonum sanctiones, prouiderit eligendum. Nos igitur his & alijs (quæ coram nobis allegata sunt) auditis, & perspicaciter intellectis, quia constat euidenter, quod vos sine illis secundum assertionem vestram eligere non debetis Monachis exclusis, vestra non valet electio: & electio Monachorum sine vobis celebrata, quia à Sede Apostolica meruit confirmari, valebat. Cumque necessarium fuerit alterutrum confirmare, de communi fratrum nostrorum consilio vobis & successoribus vestris super iure Canthuariensem Archiepiscopum eligendi, silentium perpetuum imponimus, & Monachos Canthuarienses ab impetitione ac molestatione vestra, & successorum vestrorum, per sententiam diffinitiuam absoluimus, auctoritate Apostolica decernentes, vt Monachi Canthuariensis Ecclesiæ & successores eorum de cætero Archiepiscopum eligant, sine vobis. Datum Romæ apud sanctum Petrum, duodecimo Kalend. Ianuar.

SCRIPTVRA XXXII.

Bulla altera Innocentij III. Monachis sancti Saluatoris Cantuariæ concessa, cuius tenilus lib. 2. epistolarum hic est:

Canthuariensi Archiepiscopo, vt abusum quendam in processionibus corrigat.

CVm bona sint coram Deo & hominibus secundum Apostolum prouidenda Episcopis, qui successores Apostolorum existunt, & lux mundi, & sal terræ, veritatis testimonio perhibentur, est summopere attendendum, vt via regia incedentes, nec declinantes ad dexteram, vel sinistram, neq; conscientiam propter famā, neque tamen famam pro conscientia derelinquant, sed sic inter ea irreprehensibiliter gradiantur, quod neque impij apud Deum qui videt in corde, neque crudeles apud homines, qui vident in facie, iudicentur. Sane conquerentibus dilectis filijs Monachis Cantuariensibus nostris est auribus intimatum, quod te præsente in processionibus, quæ in Ecclesia ipsa solenniter celebrantur, quandoque præcedunt, quandoque sequuntur inter te ipsosque Monachos, quasi separantes caput à membris, Clerici sæculares; eorundem insuper stalla in choro contra consuetudinem coarctantes. Ex hoc autem dignitati Canthuariensis Ecclesię plurimum detrahitur & honori, & scandalum (sicut dicitur) generatur in cordibus infirmorum, & qui ex Deo famulantium perturbatur, & deuotio deperit popularis, dum in eodem Collegio diuersæ professionis & habitus cernuntur homines sociari, quorum alij vestiuntur vilibus, alij pretiosis: quidam velatis incedunt capitibus, alij denudatis. Cum igitur sit incongruum, vt in vno & eodem officio professio dispar existat, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus circa ea quæ præmisimus corrigenda, solicitudinem adhibeas pastoralem, vt & scandalum tollatur de medio, propter quod multa sunt sæpius omittenda, sicut iam alia vice tibi recolimus intimatum, atque in Canthuariensi Ecclesia, regimini tuo commissa, quæ celebrem locum obtinet inter Ecclesias Anglicanas, nihil reprehensione dignum occurrat, vnde ad alias religionis & honestatis exemplum conuenit deriuari: tunc enim melius (sicut tua fraternitas non ignorat) subditos tuos corrigere poteris, & ad frugem reducere meliorem, cum in capite nihil inuentum fuerit, quod merito debeat reprehendi. Datum Laterani Idib. Septembris.

SCRIPTVRA XXXIII.

Priuilegium à Nicolao PP. Cœnobio Westmonasteriensi concessum, ac opera S. Eduardi Regis impetratum.

NIcolaus Episcopus Seruus seruorum Dei. Gloriosissimo ac pijssimo, omnique honore dignissimo, speciali quoque filio nostro Eduardo Anglorum Regi, visitationem omnimodam, salutem mellifluam, & benedictionem Apostolicam.

cam. Omnipotenti Deo referimus grates, qui vestram prudentissimam excellentiam in omnibus ornauit & decorauit erga Beatum Petrum Apostolorum Principem nobiscum habere dilectionem, & in omnibus Apostolicis consentire censuris. Literas igitur vestræ nobilitati transmittimus, & per eas sanctorum Apostolorum societatem, & nostram vobis damus, orantes misericordiam illius, qui es Dominus omnium, & Rex super omnia solus, vt ipse vos participem faciat ex omnibus (si quæ sunt coram Deo, bonis operibus nostris) & fratres nos ac socios in sua dilectione constituat in omni tempore, amplius, ac non minorem partem obsequij nostri vobis in suo regno reconsignet, quam nobismetipsis prouenire optamus. Etiamus etiam deinceps pro vobis sine dubio orantes assidue, vt ipse Deus subijciat hostes & inimicos, qui contra vos voluerint insurgere, & confirmet vos in paterno solio, & propria hæreditate, ac beatus Petrus sit vobis custos & adiutor in omni tribulatione. Renouamus ergo & confirmamus & augemus vobis priuilegia vestra, scilicet, vt absolutus sitis ab illo voto, quod timebatis, & omnibus alijs peccatis & iniquitatibus vestris autoritate illius, qui me (licet indignum) suæ sanctæ præesse voluit Ecclesiæ. Præterea illi loco, quem sub nomine sanctæ pœnitentiæ construendum & meliorandum suscepisti, quoniam (vt fertur) primam antiquitus consecrationem à Beato Petro accepit, cuius (licet indigni) vicarij sumus, & quia regia antiquitus Sedes est, ex auctoritate Dei, & sanctorum Apostolorum atque huius Romanæ Sedis & nostra concedimus, permittimus, & solidissime confirmamus; vt amplius in perpetuum regiæ constitutionis locus sit, atque repositorium regalium insignium, & habitatio perpetua Monachorum, qui nulli omnino personæ, nisi Regi, subdantur: habeantque potestatem secundum Regulam sancti Benedicti, per successiones eligere ex se idoneos Abbates, neque introducatur per violentiam extranea persona, nisi quam concors congregatio esse prælegerit.

Absoluimus etiam eum locum ab omni seruitio & dominatione Episcopali, vt nullus Episcopus illuc introeat ordinaturos aut præcepturus aliquid, nisi ex petitione, & consensu Abbatis & Monachorum: & habeat idem locus liberum procinctum, id est, ambitum, & cœmeterium mortuorum circa se, absque Episcopali vel cuiuslibet respectu, vel exactione, & omnia, quæ ad libertatem & exaltationem illius loci ad honorem Dei pertinentia per nostram autoritatem accedere possunt, hilari & promptissima voluntate concedimus. Possessiones autem quas antiqui Reges, seu quicunque alij homines, vos quoque & vestri Barones ad eundem locum contulistis, & chartas quæ ex eis factæ sunt, diuina & nostra autoritate roboramus, & ratas, ac stabiles esse decernimus, & infractores earum vel inuasores, aut diminutores, aut dispersores, venditores etiam, æterna maledictione cum Iuda proditore damnamus, vt in beata non habeant partem resurrectione, sed à beato Petro Apostolo se iudicandos sciant, quando sedebit cum suis Coapostolis iudicans duodecim Tribus Israël. Vobis vero, & posteris vestris Regibus committimus aduocationem & tuitionem eiusdem loci, & omnium totius Angliæ Ecclesiarum, vt vice nostra, cum consilio Episcoporum, & Abbatum, constituatis vbique quæ iusta sunt, scientes pro hoc vos recepturos dignam mercedem ab eo, cuius regnum, & imperium non deficet, neque minuetur in sæculum.

SCRIPTVRA XXXIV.

Continet Bullam Innocentij III. è lib. 1. epistolarum ipsius promptam, qua causa agitur Monasteriorum in Ecclesias Cathedrales erectorum.

Wilhelmo Remensi Archiepiscopo Sanctæ Sabinæ Cardinali, quod nouam Cathedram ipsi erigere liceat: Cœnobia tamen in alios vsus non conuertantur, sed Cœnobia permaneant.

CVm ad Ecclesiastici honoris augmentum tuam solicitam cognoscimus voluntatem, tanto tibi propensius in Domino congaudemus, quanto personam tuam sinceris charitatis brachijs amplexamur, & te tanquam præcipuum Ecclesiæ membrum, in domo Domini desideramus euidentius elucere. Peruenit siquidem ad audientiam nostram, quod cum ad ampliationem diuini cultus, & honorem Ecclesiæ Gallicanæ, in Castro tuo, quod Mosobin dicitur, in Abbatia eiusdem castri disposuisses nouum Episcopatum erigere: à felicis recordationis C. Papa prædecessore nostro super hoc licentiam postulasti, qui fratrum deliberato consilio, sicut in eius literis continetur, tibi per scripta sua concessit, vt de assensu charissimi in Christo filij nostri M. Regis Francorum, de consilio

etiam venerabilium fratrum nostrorum N. Attrebatensis, & N. Ambianensis Episcoporum illud Apostolica auroritate suffultus, nullius coortradictione vel appellatione obstante, io huiusmodi agere procurares, quod ad honorem Dei,& Ecclesiæ cognosceres pertinere, illos Ecclesiastica districtione percellens, qui tibi super hoc ducerent temeritate qualibet resistendum. Nos igitur eiusdem prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, de fratrum nostrorum consilio, vt in prædicta Abbatia iuxta præscriptam tibi formam à prædecessore nostro Episcopatum erigere valeas, vel si malueris, in eodem Castro Cathedralem Ecclesiam, cui præficiatur, Episcopus, fabricare liberam tibi concedimus auctoritate Apostolica facultatem. Ita tamen, quod ab eodem Monasterio Monachi nullatenus excludantur, ne forte venire cōtra Sanctiones Canonicas videremur, quibus prouida fuit deliberatione statūtum, *vt qua semel* DEO *dedicata sunt Monasteria semper maneant Monasteria.* Cum & hodie generaliter statuatur, vt Ordo monasticus, qui in aliquo Monasterio secundum Deum, & Beati Benedicti Regulam dignoscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Si vero prædictorum Episcoporum copiam habere non poteris, tu cum eorum altero iuxta præscriptam formam in ipso negotio procedendi habeas potestatem. Nulli ergo &c. Datum Romæ, quinto Idus Maij, Pontificatus nostri anno primo.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA, IN SÆCVLA SÆCVLORVM.



INDEX

In Tomum primum

Chronici Generalis Ord. D. Benedicti.

A.

s. Clo-

F.

G.

episco-

Mar-

INDEX

N.

O.

P.

Cle-

T.

V.

FINIS INDICIS.



R.

S.

Cle-

T.

V.

Vale-

FINIS INDICIS.



